71 — D.d.
II — 40.

Dipl.
f 29/3

LEHMANNI
SUPPLETI ET CONTINUATI
TOMUS NOVUS

Das ist

Fernere Fortsetzung Einiger

Reichs-Handlungen

Darinnen die

Historia

Der

Evangelischen
RELIGION

Von HUSSI Zeiten bis auff gegenwertige
Vorgestellet wird

Nebenst sehr vielen raren Documenten sonderbahren Privilegien, vortrefflichen Freyheiten und andern wichtigen Majestæt-Brieffen / so alle nach denen wahren Originalien, zu Gottes Ehren und der Evangelischen Kirchen Nutz und besten Gedrucket



Im Jahre Christi 1710.

Verzeichnüs der Schrifften Christophori Lehmanni
Von der Religion
Titul des Ersten theils

De pace Religionis Acta Publica & Originalia, Das ist Reichs-Handlungen/ Schrifften und Protocollen über die Constitution des Religion-Friedens in drey Büchern abgetheilet. darinnen begriffen im Ersten/ wie dieselbe in den drey Reichs-Räthen der Chur-Fürsten/ Fürsten/ Frey- und Reichs-Städten in Anno 1555. zu Augspurg berathschlaget/ in unterschiedliche Relationes und Correlationes verfast/ darüber der Königl. Maj. Resolution-Replic, hinwieder der Chur-Fürsten und Städt Duplic: und darauff entlich beschlossen und verabschiedet/ samt beygefügter Käys. Ferdinandi I, Rudolphi II. und Matthiæ Röm. Käysern Alte und Neue Reichs-Hoff-Raths Ordnung. Im Andern/ was hernacher wegen Uberfahrungen berührtes Friedens auff allen Reichs-Tägen zwischen den Catholischen und Evangelischen Ständen vor Spaltungen erwachsen/ und dannenhero wegen beyderseits auff den Reichs-Tägen einkommener Gravaminum und gewechselter Schrifften/ und darüber von den Röm. Käys. ertheilte Resolutiones und Decreten verhandlet. Im Dritten/ der Röm. Käys. Maj. auch Chur- und Fürsten und des Hoch Löblichen Käys. Cammer-Gerichts wie auch vornehmer Rechts-Gelahrten (wegen mancherley Auslegung/ Disputaten und Interpretationen des Religion-Friedens) berathschlagungen/ Bedencken/ Voten und Beschluß von dem rechten Verstande desselbigen.

Gedrucket im Jahr 1707.

Titul des Andern theils.

Lehmannus Suppletus & Continuatus: das ist Fortsetzung der Reichs Handlungen/ Schrifften und Protocollen über des Heiligen Römischen Reichs Constitutiones Von dem Land- und Religion-Frieden/ auch was dieser wegen bey denen Friedens-tractaten zu Münster und Oßnabrüg/ von Anno 1643 biß 1648 da der Friede geschloßen/ sich begeben und errinnert worden.

Gedruckt im Jahr 1709.

STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG

HISTORIA DIPLOMATICA

DE

STATU

RELIGIONIS EVANGELICÆ

IN

HUNGARIA

IN TRES PERIODOS DISTINCTA,

Qvarum Prima agit de Ejus ortu & miro ſub Continuis perſecutionibus incremento, Secunda de ejus Publica libertate & ſummo ſecuritatis ſolſtitio, qvod pacificationibus, articulis & legibus regni conſecuta eſt, Tertia de Libertatis & Securitatis illius decremento & tandem de ejus aperto & duris perſecutionibus tentato exterminio

Adductis

Pro fundamento authenticis diplomatibus & legibus regni, publicis, Decretis Reſcriptisque nec non Pacificationum inſtrumentis Hiſtoriæ ipſimet inſertis, it. integris comitiorum actis qvantum ad Religionis negotium attinet, libellis ſupplicibus & memorialibus Regibus Hungariæ ejusque miniſtris exhibitis, Decretis deſuper emanatis in appendice ſuo ordine & juxta ſeriem temporis compilatis.



ANNO DOMINI MDCCX.

Typographus Lectori.

OPus hoc in alium plane finem elaboratum & compilatum eſt, quàm ut typis mandaretur. Cum enim Tractatus compoſitionis belli civilis in Hungaria jam ab Anno 1704. imminerent, & ſacra Cæſarea Majeſtas, tanquam Rex Hungariæ, paterno erga regnicolas ſuos affectu declaraſſet, Se gravamina nationis Hungaricæ complanaturam, inprimis etiam Evangelicorum querelis remedium allaturam eſſe, nonnemo à Viris magni nominis rogatus & ſolicitatus, Hiſtoriam Status religionis Evangelicæ in Hungaria ita conſcripſit, ut inprimis Pacificationes publicas, Diplomata regia, Leges & Articulos regni, & quicquid de religione Evangelica in Comitiis, & extra Comitia in Aula Cæſareo-regia ſupplicando & decernendo publice actum eſt, ſuo ordine ſecundum ſeriem temporis ob oculos poneret; quò Succedentibus Tractatibus tam Catholicis quam Evangelicis patefieret, quonam fundamento quælibet pars innitatur. Hujus operis duo exemplaria deſcripta fuerunt, ut mihi relatum eſt, quorum unum amanuenſis quidam curioſior clam in duplo deſcripſit, alterum quod ſibi ſervaverat, Mecænati cuidam in exteram regionem transmiſit; Qui de bono publico ſe bene mereri poſſe ratus, autor mihi fuit, ut illud typis exſcribi curarem. Motus proinde ſuaſu Viri magna autoritate in Republica literaria pollentis, curam impreſſionis ſuſcepi quidem, ſed veritus quoque fui, ne autor operis mihi plane ignotus negotium faceſſeret, hoc prætextu obtento, ſe inſcio ac invito iſtud evulgatum fuiſſe. Tandem vicerunt me hæſitantem alii, poſtquam ſecuritatem pollicendo animum addiderunt; me, inquam, quem non dolo malo, ſed propter publica commoda id auſum fuiſſe noverant.

Nolis quæso credere, Lector benevole, hoc Opus historicum Hungaris tantum, aut rerum Hungaricarum peritis & amantibus prodesse posse; sed potius tibi persuasum habeas, omnibus Ecclesiis Evangelicis, ubicunque terrarum sint, fructuosam valde futuram esse cognitionem consiliorum, quæ ad extirpationem totius Religionis Evangelicæ collimant, & ab illo spiritu non charitatis, sed vertiginis, proficiscuntur. Eadem enim scena ubique adversus Evangelicos semper acta est & agetur. Eadem plane consilia, idem modus procedendi, eademque principia, quæ ad perdendos in Hungaria Evangelicos adhibita sunt, etiam antehac in Gallia, in Hybernia, in Anglia, in Pedemontio, teste famosa illa laniena Parisiensi, conspiratione pulveraria Londinensi, laniena Vallis Tellinæ, nec non horrenda illa laniena Hybernica & Pedemontana, & nuper adhuc in Gallia, teste illa conversione Hugonottarum Dragonali, effectui data sunt, & alibi adhuc dum adhibentur, & vel clam vel palam tentantur. Unde omnibus liquet, nullam tum haberi rationem Legum publicarum, Pactorum, Stipulationum, Edictorum & Diplomatum, licet juramento sancita, omnique jure valida sint, cum Princeps atris illis susurronibus, qui hæreticis fidem non esse servandam clam inspirant, aures præbet nimiumque indulget. Sane ipsimet Principes Romano Catholici, eorumque Ministri seculares cordatiores, ex hoc opere plurimum utilitatis capere possent, modo ex illo discere vellent, quam parum Aulæ Romanæ & Clero, in ipsius verba juranti, curæ ac cordi sit Principum & provinciarum iis subjectarum conservatio, & in quantum discrimen rasa cohors Imperantes adducat, subditos eorum Evangelicos & Reformatos persequendo, atque amplificationem Monarchiæ Ecclesiasticæ Romanæ, nec non propria commoda, publicæ saluti & tranquillitati præferendo.

Quis & qualis Autor sit, indagare non destiti, sed frustra, quia latere velle videtur. Ille tamen qui Manuscriptum mecum communicavit, exploratum sibi esse asseveravit, autorem Potentissimi cujusdam Principis Ministrum, præterea autem neque ex Hungaria, neque ex Imperio Germanico oriundum, neque Ecclesiasticum esse; majorem proinde fidem hanc Historiam mereri debere, quod a viro Illustri qui ab omni partium studio longe abest, conscripta sit, multorumque desideriis satis hoc ipso futurum, qui fata religionis Evangelicæ in Hungaria paucissimis cognita diligenter & candide ex Actis, ut Autor noster fecit, represso etiam pravorum affectuum impetu, Clero Romano Catholico, maxime vero Hungarico admodum familiari, exposita legere dudum gestierunt.

Id quoque te non ignorare volo, mi Lector, autorem non sine improbo labore conquisivisse omnia Diplomata, Leges & Acta publica, ut his, tanquam solido & unico fundamento, opus suum superstrueret; versatum etiam diu multumque cum Hungaris non posterioris subsellii fuisse in Hungaria, & ex istorum conversatione haud mediocrem rerum Hungaricarum notitiam sibi comparasse. Romano Catholicum quidem

dem non esse, opus ipsum demonstrat; sed mihi narratum est, eum in causa religionum Christianarum inter se diffidentium esse longe moderatissimum, adeoque id vel maximè in Romana Ecclesia vel potius aula summi Pontificis improbare, quod propter rationes politicas & consilia de Monarchia Papali amplificanda magis, quam ex Spiritus Sancti, qui est spiritus charitatis, instinctu vel conscientiæ ductu, fratres suos in Christo, hoc est, Evangelicos & Reformatos, perpetuis persecutionibus exagitent, ipsorumque exitium iisdem modis eademque truculentià machinentur, quâ olim Ethnici & Judæi contra Christianos in primitiva Ecclesia grassati fuerunt.

Hæc sunt, quæ in limine hujus Historiæ monere libuit. Tu interim, mi lector, conatibus meis fave, & hoc opus, non solum conspectu ampliori cujuscunque Sectionis, sed etiam lemmatibus brevioribus, ad oram singulorum paragraphorum adjectis, ornatum, æquo animo & serena fronte pervolutare ne dedignare.

Pro-

PROOEMIUM.

QUæ imminente morte Caroli Secundi, Hispaniarum Regis, Europa metuerat bellorum mala, ea tandem proh dolor! evenerunt, & longe majora quidem, quam prævidebantur, universis partibus Europæis funestissimi belli incendio misere conflagrantibus. Pro calamitatis tamen publicæ gravissimo Superpondio inopinatò plane supervenit infaustum Bellum civile, in amplissimo Hungariæ regno, quod Christianitatis antemurale & olim Archi-Regnum appellari meruit. Non immerito eapropter indignabundi populi Europæi Hungaris irascuntur, quod bellum, ad agonizantis libertatis Europæ, & exorbitantis præpotentiæ Gallicæ ad æquilibrium reductionem, summè necessarium, suis sufflaminent tumultibus. Quantum in discrimen bellum hoc civile Hungaricum adduxerit Augustissimum Imperatorem Leopoldum, arduo in Germania, Italia & Hispania bello distractum & implicitum, non sine maximo animi horrore meminimus.

Fortassis Augusta Domus Austriaca ab eo, quo floruit, tempore, majori periculo exposita, imò ruinæ propior non fuit, quam præterlapso quadragesimali & paschali tempore Anni 1704. quo propter Hungarorum excursiones ad portas usque Viennenses, direptiones, incendia & vastationes Austriæ, nec non annonæ omnis interceptionem ab una; ab altera vero parte propter Electoris Bavari & Gallorum motus, conjunctionem cum Hungaris minantes, neque locus, neque via invenire erat, quò, aut quorsum Augustissimus cum familia augusta tanto in periculo tutò se recipere potuisset.

Tanto ergo discrimine toti causæ communi imminente, commoti nonnulli potentissimi Fœderatorum Augustissimi Imperatoris, pacem cum Hungaris ineundam non modo suaserunt, sed & mediationem suam peramanter obtulerunt. Prævaluit in animo indulgentissimo pientissimi Cæsaris, innata & Genti Austriacæ propria plane clementia & mansuetudo, suasæ ab aliis erga tumultuantes regnicolas in-

indignationi & ſeveritati. Placuit igitur ipſius Majeſtati pacem illis, & gravaminum tam in negotio Religionis, quam in reliquis, in quantum juſtitia & Leges, nec non decor regiæ Majeſtatis permitteret, pacificatione mediante adhibendam medelam & complanationem paterne offerre.

Percrebeſcente ergo fama de hoc adeo glorioſo & tanto Cæſare digno deſtinato, nemo non cupidus fuit reſciſcere, in quibus Gravamina Nationis Hungaricæ, tantam belli tempeſtatem commoventis, conſiſterent. Notiora ſunt, quæ Hungari de onerum ex aſperatione, & de dominatu militis Germani, nec non Commiſſariorum & Cameralium Subalternorum, & vel ultimi commatis Scribarum, quos ſingulos Tyrannos Hungariæ agere illi cauſantur; nec non de privilegiorum & jurium ſuorum labefactatione & ſuppreſſione, deque modo Regiminis per Germanos, & vel maxime per Cameram Aulicam Viennenſem & Poſonienſem immutato, aliisque vociferantur. Quæ autem ſuper Religionis Evangelicæ oppreſſione ſuppetant querelæ & gravamina, quibusque fundamentis illa innitantur, paucioribus patet. Pro levibus, & nullo aut lubrico ſatis fundamento nixis, illa venditantur à Catholicis, inprimis à Clero, ita ut operæ pretium non eſſe dicant illis immorari. Nec mirum eſt, quod tam ipſius Hungariæ, quam Aulæ Cæſareæ Clerus ſupprimat aut extenuet Religionis Evangelicæ gravamina, cum etiam ipſum Auguſtiſſimum Imperatorem ea, quæ illi in perſecutionibus Religionis Evangelicæ proprio auſu agunt, & quæ jura aut rationes pro Evangelicis militant, ſumma cura celare ſoleant. Obſtupuit nuper Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, cum non modo ab extraneis fide dignis, ſed etiam ab Hungaris Catholicis ſecularibus, rerum patriarum apprime gnaris, eapropter à ſua Majeſtate conſultis, intellexiſſet, vix ſeptimam regnicolarum Hungariæ partem Romano-Catholicæ religioni addictam eſſe, ceteros omnes vel Auguſtanam, vel Reformatam ſive Helveticam confeſſionem ſequi. Perſuaſerat enim ſemper Clerus aulæ Majeſtati ſuæ, minimam ſaltem temnendamque partem regnicolarum ex infima plebis fece conſiſtentem, Proteſtantium religionem adhuc ſequi, adeoque facillimo negotio, aut ad amplectenda Romana ſacra adigi, aut hæreticos, ut vocant, citra ullum publicæ rei regnique periculum & confuſionem, exterminari poſſe.

Ita illi, vel amore privatæ utilitatis ſuæ, vel propter indiſcretum Zelum religionis, non verentur talia, à quibus ſumma rerum pendet, Principem ſuum celare, eumque ſimul in ſummum diſcrimen, vel amittendæ etiam Coronæ tanti regni, auſu ſuo obſtinato præcipitem dare.

Intereſt autem vel maxime Imperatoris Auguſtiſſimi, intereſt etiam Fœderatorum bene Cæſari cupientium, & eandem belli aleam

b in

in communi causa subeuntium, interest denique publicæ rei, ut palam fiant artes illæ, quibus persecutiones Evangelicorum, clam Rege, plerumque autem nomine & autoritate ejus, instituuntur, leges publicæ conculcantur, regnicolæ in desperationem adiguntur, summa imis miscentur, calamitates publicæ & Regis & Regni provocantur.

Equidem belli civilis, quod nunc in Hungaria flagrat, causa Evangelicis imputari non debet, nec juste potest. Idem etiam fortassis dixerim de aliis, qui retro extiterunt, intestinis tumultibus. Certe, utut Duces præteritorum domesticorum bellorum, Stephanus nempe Botskay, Gabriel Bethlen, Georgius Rakozi hujus nominis primus, & fors plures alii Helveticæ; Emericus porro Toköly Augustanæ Confessioni addicti fuerint, non tamen solius læsæ religionis, sed etiam aliarum libertatum vindicandarum causa, nec soli, sed magna semper Catholicorum parte adhærente, imo Clero ipsomet catholico, eundem utique belli finem, libertatis nimirum vindicationem, avidè exoptante, suscepta gessere bella. Quod sane non solum nullo labore ex Manifestis, quibus causas belli orbi exponebant, & legibus, quæ istorum motuum occasione pro voto omnium sancitæ erant, verum etiam ex sola illa Guarantia solenni Botskayanæ Pacificationi addita, ac inter Status & Ordines regni Hungariæ ab una, ab altera autem parte Status & Ordines regni Bohemiæ, Anno 1606. inita, & mutuo sibi invicem promissa ac pacta fidejussione, in quam omnes & Catholici & Evangelici ex æquo consensere, probatum ac testatum reddi posset. Ut adeo tum omnes alii catholici scriptores, tum inprimis *Pater Martinus Szent Ivanii* Jesuita, in suis scommate magis quam veritate plenis Scriptis, ut & in Consultatione circa reunionem, doloso consilio, nonnisi sanguinis effusionem spirante, edita, non modo vehementer errent, sed contra conscientiæ sensum, proximos ac in Christo fratres Evangelicos injuriâ afficiant, dum in eos solos & ipsorum doctrinam, omnis in regno rebellionis causam conjiciunt; non alium in finem, quam ut suis persuadere possint, doctrinam istam igne ferroque exterminandam esse, vana prorsus spe jactantes, Regem tunc demum secura ac diuturna pace in Hungaria perfrui posse, si funditus has religiones extremis ac inhumanis suppliciis eliminaverit. Miror sane inverecundiam talia scribentium, maxime tamen miror, Patrem illum Martinum Szent Ivanyum, qui rerum Hungaricarum, quæ unquam bello gestæ sunt, peritissimus esse in tot Scriptitationibus sibi videtur, cum ista traderet, non meminisse, nec contra Ferdinandum primum, nec contra Ludovicum secundum, nec contra Uladislaum, dicti Ludovici patrem; nec contra Matthiam Corvinum, nec contra Sigismundum, imo (quid enim singulos nominatim recensere opus est?) nec contra omnes, vix uno alteroque excepto, retro usque ad S. Stephanum

num

num computandos Reges, Evangelicam veritatem profitentes fuisse rebellionum Duces. Etenim doctrina Evangelica, qua pro Imperantibus magis severa, magis æqua, & magis commoda non datur, asseclas suos omnimode vetat in tumultus, seditiones, ac rebelliones prorumpere: quin potius inculcat injurias ac quævis mala, quæ regnantes subditis inferunt, maxime propter fidem in Christum, veluti imbres, sola patientia sustinenda & toleranda esse. Cæterum, si quæ antehac bella etiam vexatæ religionis Evangelicæ causa, patientia in furorem actâ, exarserunt, aut nunc exardent, id non doctrinæ, sed grassationi eorum, tanto sæviori, quantò per impunitatem arrogantior esse solet, imputari debet, qui sacra Majestatis authoritate crudeliter abutuntur. Si quis autem pergat doctrinæ Evangelicæ hæc & similia adscribere, pari ratione, quemadmodum moderni, ita quilibet ante Evangelicæ doctrinæ restaurationem, toto orbe christiano excitati tumultus, bellaque religioni Romano - Catholicæ attribuenda erunt. Nunc in Hungaria, ceu res ipsa loquitur, soli Catholici tumultuantium capita sunt, tanta cum prærogativa & cautela, ut, tametsi numero & viribus Evangelici longè præstent, vix tamen ulli eorum primaria adhucdum collata videantur esse officia bellica. Sed mirum esse non debet, quod catholicis Ducibus Evangelici, oblata & data, non vero captata aut quæsita occasione, sive faciles sive sollicitati, (cæteroquin sponte, quantum compertum habeo, solius licet propemodum oppressæ religionis ergo, haudquaquam arma arrepturi) adhæserint: cum centuplo plures & atrociores illis, quas cum Catholicis communes habebant, perpessi sint oppressiones, postquam animæ & conscientiæ, supra quam aut eloqui, aut credere quis poterit, excruciatæ, cunctaque, quæ vita sunt chariora, vi extorta fuerunt. Inter quas angustias, & doctrinæ talià seriò prohibentis oblivisci, & ad impatientiam continua persecutionum rabie exstimulari, quasvis etiam bonas mentes facilè posse, tantò minus mirum est, quanto certior ac firmior ex præsentibus fluctibus in optatæ securitatis portum emergendi spes, (utut istum eventus sæpe fallat, neque ei innitendum sit) promissa fuit.

Sed quæso, annon intererat Regis, imminente metu rebellionis, majorem regnicolarum partem, quæ in Evangelicæ & Helveticæ confessioni addictis consistit, in officio Subjectionis retinere? Facile hoc fieri potuisset, dummodo conscientiæ libertas sola illis relicta fuisset. Si conscientiæ & justitiæ dictamen id post tot pacta & leges, nec non juramenta publica, inculcucare non potuit, saltem prudentiæ politicæ erat, majorem populi partem inconsulte non lacessere, aut irritare, sed amore & beneficiis in subjectione eo magis conservare, quo genius nationis aliquanto ferocior, & jugi magis quam aliæ gentes, impatiens esse creditur. Certe summi beneficii

neficii loco ſubditus ſemper habet, inconſcientiæ tranquillitate relinqui; nam, ſi pius eſt, omnia potius bona temporalia negligit & eripi ſinit, imò martyria ſubit, quam ut ſe cogi patiatur ad ejusmodi cultum, quem conſcientiæ ſuæ contrarium eſſe perſuaſus eſt. Hoc beneficium, quod ceteroquin legibus regni publicis jure optimo maximo debebatur, & juramenti ſacramento toties promiſſum erat, ſi Hungaris reformatæ utriusque religionis inconcuſſum ſervatum fuiſſet, Confœderationis capitibus non tantum non adhæſiſſent, ſed etiam ſeſe quovis tempore ipſis maſcule oppoſuiſſent, & pro Rege, libertatis conſcientiæ conſervatore, ad internecionem pugnaſſent, ſolam conſcientiæ libertatem ampliſſimis quibusvis terrenis bonis, quæ caduca eſſe norunt, procul omni dubio etiam in ipſis pacis conditionibus longe præferentes. At quantum hoc præſidium Regi Hungariæ ſemper foret, ſi, uti dictum, major populi pars, Evangelici & Reformati, in rebellionibus à parte ipſius ſtaret? Fortaſſis ſemper habebit, quiscunque tandem Rex Hungariæ, quod agat, ut nationem libertatis priſtinæ memorem & tenacem, & de cetero bellicoſam ſatis & ferocem, in officio contineat. Sed quid in tali rerum ſtatu conſultius, quam majorem populi partem ſibi devincire, & quidem tali vinculo & beneficio, quo arctius non datur, & quod nihili conſtat, imò, ad quod iſte jam adſtrictus eſt? præſertim cum neminem putaverim fore, qui Doctrinam Evangelicam tanquam non Chriſtianam, eamque ob cauſam, ſicuti olim ethnicam, non tolerandam in orbe Chriſtiano eſſe, aſſerere audeat; niſi nimium effrontem, ſine ſociali diſcretione cœco zelo, & odio plusquam Vatiniano furentem. Non de lucro captando, nec de incrementis, vel utilitatibus in præjudicium Cleri & reliquorum Romano-Catholicorum acquirendis, contendunt Evangelici; ſed tantum de damno, & vel ipſa internecione, aut exterminio vitando laborantes, ne plane opprimantur, aut ad carcerum ſqualores, ad patibula & triremes raptentur, aut bonis ſuis exuantur, in exilium ablegentur, vel ab omni exercitio religionis ſuæ arceantur, ſupplices orant: quod cum Iudæis concedatur, neque illis juxta Regni Leges ullo jure denegari poteſt.

Quoniam autem noſtro ævo vel ignoratur, vel ſtudio celatur, imo prorſus negatur, quanto legum publicarum, diplomatum & Sanctionum pragmaticarum præſidio, libertas & Securitas religionis Evangelicæ in regno Hungariæ ſuffulta ſit, operæ pretium viſum eſt, quæ ad hanc Hungaricæ Hiſtoriæ hactenus obſcuræ partem illuſtrandam faciunt, ea qua par eſt fide diligentiaque compilare, atque in hoc Volumen redigere. Imminent de pace in Hungaria reducenda Tractatus. Proderit ergo ad illos proſperè finiendos ad manus habere, quæ de libertate & ſecuritate Religionis Evangelicæ, intra ſeculum admodum acta ſunt, ut, occaſione data, ob oculos poni, & quid revera actum & geſtum, quid ſimulatum, vel fictitium, vel ſiniſtrè prætextum ſit, facile dignoſci poſſit.

Hunc

Hunc scopum sane æquis & veritatis amantibus Lectoribus non displiciturum esse confido. Si quid autem durius, aut ex præconcepta opinione, animique in transversum abrepti præjudicio dictum videbitur, licebit rem omnem ex allatis diplomaticis & authenticis documentis pensitare, & si tale quid in illis non reperietur, pro nondicto Lector habeat. Non enim animus est controversias Religionum tractare, vel saltem verbulo attingere, sed tantummodo Historiam fatorum Religionis Evangelicæ in Hungaria, cum talis nondum visa sit, adumbrare; vel potius Regni articulos & leges, Acta Comitiorum, utriusque partis Gravamina, & inter Romano-Catholicos & Evangelicos Augustanæ & Helveticæ confessionis reciprocata scripta publica, nec non alias querelas & memorialia, Regibus eorumque ministerio exhibita, adeoque mera documenta publica, quotquot hactenus colligi potuerunt, seposito omni affectu aut in alterutram partem propensione, hic producere, ut veritas cuique passionibus animi vacuo clarius constare possit.

SERIES DOCUMENTORUM HISTORIÆ DIPLOMATICÆ INSERTORUM.

PERIOD. I.

Paragraph. XI.	Articulus LIV. Ludovici Regis Ann. 1523.
§. XII.	Articulus V. Ludovici Regis Ann. 1525.
§. XIV.	Ludovici Regis literæ ad Cibinienſes, datæ Budæ Ann. 1523.
§. XXIX.	Decreti XI. Ferdinandi I. Articulus V. Ann. 1548. de Religione.
§. XXXI.	Articulus VI. Ferdinandi I. Ann. 1548. de conſtituendis probis Clericis.
§. XXXII.	Articulus ejusdem XIII. de Concilio generali.
§. XXXIX.	Literæ ſeu defenſio univerſorum Equitum in negotio religionis ad Ferdinandum I. Agriæ Ann. 1562.
§. XLI.	Protocollum Diætæ Tranſylvaniæ de Anno 1588. ſuper expulſione Ieſuitarum publicè decreta.
§. XLVIII.	Rudophi II. Imp. Articulus XXII. de Anno 1604. contra Evangelicos.

PERIOD. II.

Paragr. III.	Articulus primus Pacificationis Viennenſis de Religione Evangelica ann. 1606. Artic. Octavus contra Ieſuitas.
§. XXIII.	Steph. Bathori epiſtola monitoria ad Ieſuitas. 1606.
§. XXVI.	Mathiæ Imperatoris & Regis Hungariæ Decreti I. Articulus primus de Negotio Religionis. ann. 1608.
§. XXVII.	Ejusd. decreti Artic. octavus de Patribus Ieſuitis.
§. XXIX.	Ej. decreti Articulus 13. de Evangelicorum admiſſione ad dignitates.
§. XXX.	Decreti II. ann. 1609. Articulus XLIV. quo præcedens confirmatus eſt.
§. XXXI.	Articuli Solnenſes ann. 1610. de conſtitutione Superintendentium Evangelicorum.
§. XXXIII.	Archi Epiſcopi Strigonienſis proteſtatio & inhibitio contra Articulos Solnenſes.
§. XXXIV. & XXXV.	Apologia pro Synodo Solnenſi ejusque conſtitutionibus.

§. XXXVI.	Leges & Articuli Consistorii Semptaviensis Augustanæ Confessionis, ann. 1622.
§. XXXIX.	Mathiæ II. Decreti anni 1617. Articulus 77.
§. XLIX.	Diplomatis Regis Ferdinandi II Conditio Sexta anni 1622.
§. LVIII.	Artic. 22. anni 1625.
§. LIX.	Artic. 33. anni 1630.
§. LX.	Artic. 29. anni 1635.
§. LXII.	Diplomatis Ferdinandi III. anni 1638. Conditio quinta & Sexta.
§. LXVII.	Pacificatio de anno 1645.
§. LXXI.	Articulus VI. ann. 1647. de 90. templis restituendis.
§. LXXII.	Articulus VII. ejusd. anni.
§. LXXIII.	Articulus VIII. - - -
§. LXXIV.	Articulus IX. - - -
§. LXXV.	Articulus X. - - -
§. LXXVI.	Articulus XI. - - -
§. LXXVII.	Articulus XII. - - -
§. LXXVIII.	Articulus XIII. - - -
parag. LXXIX.	Articulus XIV. - - -
pavag. LXXX.	Articulus XV. - - -
§. LXXXI.	Articulus *XVI.* - - -
§. LXXXII.	Articulus X*VII.* - - - -
§. L*XXXIII.*	Articulus X*VIII.* - - -
§. L*XXXIV.*	Articulus X*IX.* - - -
§. L*XXXIX. XC. XCI.*	Articulus an. *1649. 10. 11.* 12. in negotio Religionis.

PERIOD. III. Sectio prima.

paragr. IV.	Diploma Leopoldinum de anno *1659.* quo libertas Religionis promittitur.
§. *XIX.* & *XX.*	Titul9 *XI.* & *XII.* Tripartiti, de prærogativa Regis Apostolici, & ejusdem Jurisdict. in Ecclesiasticos.
§. *LX.* usq; ad §. L*XXIX.*	Historia persecutionis Decennalis Evangelicorum in Hungaria, ab anno nimirum *1671.* ad annum usque *1681.* ex libro edito.
§. *LXXIX.*	Memoriale Statuum & Ordinum Evangelicorum Hungariæ Majestati Cæsareæ an. *1681.* exhibitum.

PERIOD. III. Sect. II.

§. *XCV.*	Exprobrationes Status secularis, quibus Clerum Catholicum ann. *1681.* redarguit.

§. CIV. Leopoldi Testimoniales Regiæ super admissa protestatione Evangelicorum. 1681.

§. CV. Articuli 25. & 26. Anni 1681. de negotio religionis.

§. CXXXI. Stephani Szerdahel oratio ad Cæsarem, cum Ann. 1688. memoriale Statuum Evangelicorum porrigeret.

§. CXXXIV. Articulus 41. Anni 1681. de Electione magistratus libera in Civitatibus.

§. CXLI. Articulus 21. de Anno 1687. quo articulus Anni 1681. 25. & 26. in negotio religionis, renovatur.

§. CXLIII. Testimoniales Regiæ super protestatione & declaratione Evangelici Status contra Artic. 21. diætæ Anni 1687.

PERIOD. III. Sect. III.

§. CLXXXIV. Puncta quæ Borschitzkius Commissarius Novisolii Ann. 1699. Evangelicis proposuit.

§. CXCII. Leopoldi Rescriptum inhibitorium ad Commissarios. ann. 1702.

§. CXCIII. Cancellariæ Hungaricæ Rescriptum contrarium.

§. CCIX. Leopoldi mandatum in favorem Gunziensium. ann. 1701.)

§. CCXVIII. Rescriptum Cæsaris ad Personalem Koluczitsky, ann. 1699. de admittendo Zablero in exilium acto ad docendam innocentiam.

§. CCXXIV. Rescriptum Cæsaris ann. 1702. contra Carponenses.

§. CCXXVIII. Resolutio Cæsarea Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis in Hungaria ann. 1691. data.

§. CCXXXII. Alia resolutio ann. 1701. data.

§. CCXXXIV. Excerpta ex Colonitschii Literis Circularibus anni 1700.

§. CCXXXVIII. & seqv. Literæ aliquod Circulares ineptissimæ Math. Radonai, Episcopi quinque Ecclesiensis.

§. CCXLVI. Zablatsky, Parochi Catholici, epistola insulsissima. ann. 1702.

§. CCLI. Literæ Principis Palatini, Pauli Esterhasi, ann. 1702. contra Evangelicos.

Histo-


IOHANNES ZISKA
BOHEMUS.
DUX BOHEMORUM.
SUPPLICII HUSSITICI VINDEX.


PROCOPIUS RASUS
BOHEMUS.
ZISCÆ COGNATUS DUX BOHEMORUM
IN BELLO HUSSITICO.


CONSILIO ET INDUSTRIA
LEOPOLDUS I.
ROMANORUM IMPERATOR
SEMPER AUGUSTUS.
M. Bernigeroth sculps. Lips.



IOSEPHUS
ROMANORUM IMPERATOR
SEMPER AUGUSTUS.



IN DIVUM SIGISMUNDUM IMPERATOREM

JO. PALATIUS ICTUS VENETUS. IN MONARCH. OCCIDENT. *fol. 133.*

Theodericus Vrie, in Historia Concilii Constant. Ao. 1417. d. 18 Nov.

. Rex fortis forte gravatam
Terrigenas ausos sedem corrumpere Jovis,
Fulmine laxavit, destruxit culmina, montes
Grandes calcavit, simul hostes suppeditavit,
Hic REX Magnificus, quem gloria laudat honoris,
Tartareos Ditis reserat vectes furibundi
Alcidis fortis manus atq; potentia grandis.

Cerberus est captus per eum qui singula cepit.
Cepit et hic mirans, quem mamona magna levabat
Ac confortabat, omni spe jam spoliatum.
Occidit prudens Argum, stellis variatum
Fraudibus atq; dolo vulpinis sæpe probatum.
Hydram, cui septem creverunt culmina sensus,
Herculeus labor et terror scidit ordine miro.



SIGISMUNDUS D.G. ROMANORUM
IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS
GERMANIÆ, HUNGARIÆ,
DALMATIÆ, CROATIÆ,
ET SCLAVONIÆ REX, etc.
NESCIT REGNARE QUI NESCIT DISSIMULARE.
NATUS
28 Jun. Anno 1368.
DENATUS
9 Dec. Anno 1438.
ÆTAT. LXX.



HIERONYMUS PRAGENSIS,
BOHEMUS,
THEOLOGUS IN ACADEMIA PRAGENSI
IN VARIIS GALLIÆ ET GERMANIÆ ACADEMIIS
VERSATUS, INGENIO, DOCTRINA ET ELOQUENTIA
CLARUS, CREMATUS IN CONCILIO CONSTANTIENSI,
d. 30 Maij Anno 1416

CONSTANTIA
IOHANN. HUSSI ET HIERONYMI PRAGENSIS IN CONSTANTIENSI CONCILIO, ET IN IPSO UTRIUSQUE INCENDIO

ANNO 1415. d. 6 Julii et ANNO 1416, d. 30 Maii.



1. Constantiæ urbs. 2. Petershausen. 3. Hussus, palo alligatus, in rogo, quem sequenti anno in eodem loco secutus Hieronymus Pragensis. 4. Corona aut infula papyracea Hussi capiti in Concilio imposita, duobus cacodæmonibus appictis ornata addito lemmate Hæresiarcha. 5. Lictores. 6. Rusticus ligna apportans, quem Hussus his Verbis compellavit: O Sancta Simplicitas. 7. LUDOVICUS, DUX BAVARIÆ, S.R.I. ELECTOR. 8. Cardinales et Episcopi Spectatores. 9. Custodes carceris Hussi, quibus antequam conflagraret gratias egit et valedixit. 10. Turma armatorum 3000. 11. Rhenus in quem cineres Hussi cum effossa terræ mole conjecti.



ALBERTUS SECUNDUS
IMPERATOR ROMANORUM
DUX AUSTRIÆ.



LADISLAUS
DUX AUSTRIÆ, REX
HUNGAR. ET BOHEM.



Romulidum Cæsarq; potens fortisq; Monarcha
Hic fuerat, pictum quem tibi charta refert.
Bello alij vincunt hic vicit Pace, quietum
Seruans, quàm dudum rexerat imperium.

F. f.



Si foret imperio imperium præcelsius hocce,
Huic tu sufficiens Diue Rudolphe fores.
Si microcosmus, homo est, quia singula continet orbis.
Major es imperio tu: imperij orbis enim es.

F. fe.



Stirpis ego AUSTRIACÆ radix Generosa RUDOLF,
Dux Habsburgiadum Nomen ad astra tuli.
Inclyta posteritas toto dominatitur Orbe,
Qua genus Iapeti spectat Vtrumq; Polum.



Stravimus innumeros armis Victricibus hostes,
Helvetÿ, Veneti, Belgæ, Gallique fatentur.
Per nos Sÿdereo caput inserit Austria Cælo,
Austria, sublimi quæ vertice pulsat Olympum.

Lotst. F. sc.


TEMPESTATI PARENDUM.
WENCESLAUS,
PRIUS
ROMANORUM IMPERATOR,
DEIN
REX BOHEMIÆ,
HUSSITARUM PATRONUS.
Natus 28 Sept. 1361.
Denatus 16 Aug. 1418.



ÆMULUS immensis atavi conatibus ortus.
MAXIMUS imperij, fautor et auctor amans,
MAXMILIANE, omnis Tibi climactericus annus,
Scandisti omni anno celsius usq; jubar.

SE. sc.



FERDINANDE potens qui nunc Germana gubernas
Regna: tibi in bello militet aura poli.
Nullum habeas hostem: nisi quem DEUS oderit hostem
Ut redeas semp victor ab hoste tuo.

F. fe:






Imperium terris, famam qui terminat astris
Hæc est FERDINANDI Cæsaris effigies
Di faciant, lougum superet! Pax aurea regnet
Et cum pace Salus, cumq; Salute Fides! B





IOHANNES HUSSUS,
BOHEMUS, ACADEMIÆ PRAGENSIS
THEOLOGUS ET IN TEMPLO BETLEHEMITICO
IBIDEM CONCIONATOR.

Natus in Hussenitz d. 6 Julij Anno 1373, Crematus in Concilio Constantiensi D. 6 Julij Anno 1415,
Martyr habitus â Bohemis, vindicatus longo et diro Hussitarum bello.


LUDOVICUS SECUNDUS
REX HUNGARIÆ.



NAT. ISLEBII
D. 10 Novembr.
Anno 1483.

MOR. ISLEBII
D. 18. Febr.
Anno 1546.



In faciem si quis faciem converterit hancce,
Inficias nunquam forsitan ire potest,
In facie facies atavorum nempe refulgent:
Queis mixtus proprio lumine fulgor inest.

HISTORIÆ DIPLOMATICÆ

De Statu Religionis Evangelicæ in Hungaria

PERIODUS PRIMA,

De Ortu & Incremento Religionis Evangelicæ in Hungaria & Transylvania.

CONSPECTUS PERIODI PRIMÆ.

1.

Hussi Doctrinam Hungari avidissime amplexi sunt. 2. *Persecutio Hussitarum in Hungaria & Edictum Sigismundi contra illos.* 3. *Ziscæ irruptione in Hungariam, Coloniæ Bohemicæ & Doctrina Hussitica stabilita sunt.* 4. *Albertus Austriacus Hussiticam Religionem frustra supprimere tentat.* 5. *Uladislai I. severum Edictum contra Hussitas & persecutio frustra est.* 6. *Uladislaus I. suasu Papæ & Cardinalis Eugenii, perfide Pacem Turcis juratam frangit, & misere perit.* 7. *Extincto Uladislao Hussitæ emergunt, & Articulorum Confessionis suæ confirmationem Regiam impetrant.* 8. *Hussitarum reliquiæ diu in Hungaria superfuerunt.* 9. *Increbrescente fama Lutheri, ejusque Doctrinæ, Hungari VVittebergam, ad eum audiendum confluunt.* 10. *Hi reduces in Hungariam, Doctrinam illam disseminant.* 11. *Ludovici Edictum contra Lutheranos anno* 1523. 12. *Ejusdem Edictum secundum, contra Lutheranos de anno* 1525. 13. *Ortus Religionis Evangelicæ in Transylvania.* 14. *Literæ dehortatoriæ Ludovici ad Cibinienses de Lutheri Dogmatibus deserendis.* 15. *Sed Transylvani non deterrentur.* 16. *Ludovicus in Clade Mohazensi misere perit.* 17. *Post cladem Ludovici deferbuit rigor persecutionis, & Lutheranorum numerus augetur.* 18. *Ex Magnatibus Petrus Perini primus Evangelicam Religionem amplectitur, & pro ejus introductore in Hungariam habetur, quem Nobiles sequuntur.* 19. *Vidua Petri Iaxit ampliationem doctrinæ Evangelicæ juvat.* 20. *Introductio istius Doctrinæ, Vyhelini, Papæ, Erdœdini & Bekes.* 21. *Præteritio eorum, quorum ope Religio Evangelica in reliquis civitatibus & locis Hungariæ introducta est.* 22. *Introductio scholarum Evangelicarum in Hungaria & Transylvania multum juvit Religionem istam.* 23. *Honterus etiam introductione Typographiæ.* 24. *Religio ergo Evangelica non vi externa, bello, aut rebellionibus stabilita est; sed per convictionem conscientiæ internam.* 25. *Imo sub continuis persecutionibus crevit, quod satis mirum est.* 26. *Protestatio, quod affectibus hic nihil indulgeatur & ad Documenta provocetur.* 27. *Successio Ferdinandi I. ejusque bella & transactio cum Iohanne de Zapolia.* 28. *Iohannis rigor contra Lutheranos.* 29. *Ferdinandi I. Articulus contra Lutheranos.* 30. *Mitior tamen modus erat Ferdinandi I. Religionem Evangelicam supprimendi.* 31. *Ferdinandi I. Artic. VI. de bene constituendis Clericis Catholicis.* 32. *Articulus ejusdem XIII. de Concilio generali ad Compositionem Controversiarum Religionis.* 33. *Magnates Hungariæ persecutiones Lutheranorum avertunt.* 34. *Magnates Lutherani & duo Palatini Thurzones juvant Lutheranos.* 35. *Synodus Evangelicorum Erdœdini & Tornæ habita.* 36. *Ordinatio Ministrorum Evangelicorum inchoata Cibinii.* 37. *Fœdus Lutheranorum Nobilium & Militum, de non deserenda Religione Evangelica, initur Agriæ.* 38. *Quod pro Rebellione ipsis imputatur, à qua tamen imputatione se purgant.* 39. *Literæ, seu Defensio universorum Equitum, in negotio Religionis, ad Imperatorem & Regem Ferdinandum I. Agriæ anno* 1562. *data* 40. *Ie-*

40. Iesuitæ anno 1585. primum in Transylvaniam introducti, & cujus auspiciis. 41. Sed mox expulsi,& quare. Additur hic protocollum Diætæ. 42. Nationis Hungaricæ continuum odium & conatus non admittendi Iesuitas. 43. Ratio odii & suspicionis Catholicorum erga Iesuitas. 44. Apud Evangelicos majores rationes idem suaserunt. 45. Iesuitæ omnium persecutionum Evangelicarum autores. 46. Andreas Dudithius Episcopus quinque Ecclesiensis Evangelicæ Religioni favet. 47. Rudolphus in Comitiis Articulis addit ultimum in præjudicium Lutheranorum hisce inscius. 48. Articulus XXII. Rudolphi contra Lutheranos. 49. Per hunc Artic. jactum est fundamentum ad diras persecutiones,quia querelas movere, aut medelam in Comitiis impetrare prohibebatur. 50. Articulus tamen iste sine Regnicolarum consensu subreptus abrogatur. 51. Artificium hoc excludendi cognitionem gravaminum Evangelicorum, in Comitiis sæpius posterioribus Temporibus tentatum & exercitum est, & quantum inde præjudicium Evangelicis supervenerit. 52. Id quod deinceps durius fuit,quia post annum 1606. libertas Religionis Evangelicæ publicis Regni legibus stabilita est. 53. Belyoyosa persecutionem Religionis Evangelicæ in superiori Hungaria exercet, Cassovienses imprimis etiam in secularibus vexat. 54. Archi-Episcopus Colocensis similia in Scepusiensibus civitatibus tentaturus, Leutschoviensibus gravis,expellitur. 55. Cassovienses & reliquarum Civitatum ablegati in aula,ut liberum ipsis exercitium Religionis relinquatur, supplicant sed frustra, 56. Barbiani exercitus ab Heidonibus cæsus. 57. Basta Dux belli Imperatoris devicto Sigismundo Principe Transylvaniæ persequitur Evangelicos & odium sibi contrahit. 58. Bista è Transylvania expulso Boczkajus & Gabriel Betlen novos motus excitant, totamque Hungariam occupant.

I.

1. Hussi Doctrinam Hungari avide amplexi sunt.

IAm tunc temporis, cum Johannes Hussus & Hieronymus Pragensis, reformationem abusuum in Ecclesia & depurationem Doctrinæ, seculum ante Lutherum, eadem urgentem, quamvis non omnia illorum approbantem, docerent; indeque tandem Bellum illud Hussiticum, quod plus admirationis, quam fidei apud posteros habiturum. Æneas Sylvius, postea Papa Pius II. dixit, Duce Johanne Zisca anno 1419. exarsisset, & decimum tertium in annum duraret, Hungari Ecclesiasticorum præpotentiam & dominatum ipsis gravem; & Monachorum tunc nimium insulsorum ignaviam nauseantes & pertæsi, magno cum impetu in amplexum Doctrinæ Hussiticæ ruerunt, eamque in Comitatibus Posoniensi, Trenchiniensi, Basiensi, Neogradiensi, Hontensi, Vetusoliensi, Thurociensi, Liptoriensi, Arvensi, Scepusiensi, Gœmeriensi, Sarosiensi, Abavyvariensi, & aliis, palam professi sunt.

2. Edictum Sigismundi contra illos.

II. Cumque Imperator Sigismundus Rex Hungariæ & Bohemiæ sequaces Doctrinæ Hussiticæ gravi edicto, nisi illam ejurarent, sedibus suis pelli mandasset, illi migrationem potius, quàm abdicationem Doctrinæ istius eligere maluerunt, & partim in Valachiam, aliasque provincias una cum familiis, relictis suis facultatibus secesserunt.

3. Ziscæ irruptione Doctrina Hussitica stabilita.

III. Cum autem Zisca Anno 1424, variis victoriis elatus, in Lusatiam, Silesiam, & inde in Hungariam excurreret, præcipue Monachos, quos inutiles populo sues in bona saginatione enutritos, vocitare solebat, è Regno vicissim exturbavit, & illo ex tempore permagna pars Exercitus Ziscæ in Hungaria remansit, & sedes suas figendo coloniam Bohemicam in superiori Pannonia constituit, unde hodienum in partibus illis lingua Sclavonica in certis districtibus tantum, in reliquis juxta Hungaricam in usu est, originem ibi suam, trahens, à dictis Hussitarum Coloniis.

4. Alberti Austriaci conatus.

IV. Albertus Austriacus Romanorum Imperator Sigismundo Socero, Anno 1438. in Regno Hungariæ succedens, Austriam quidem contra Hussitas defendit, sed eorum doctrinam in Hungaria supprimere non potuit.

5. Uladislai I. severum Edictum.

V. Uladislaus I. Rex, Alberto An. 1444. succedens, Edictum in Hussitas promulgavit, hoc tenore, ut ubi ubi reperirentur, totaliter extirparentur. Rigorosè tunc contra Hussitas processum est, sed tot carceres, totque compedes haberi non potuerunt, ut omnes ad ejurandum doctrinam suam adigi potuissent, numero eorum intra breve tempus nimium quantum aucto.

6. Ejus clades & obitus.

VI. Sed cum Uladislaus I. Rex, suasu Eugenii IV. Summi Pontificis & Cardinalis Juliani fœdus de pace decennali cum Turcis servanda juratum, dispensatione Pontificiâ fretus rumperet, & hortatu Episcoporum & Prælatorum aciem

aciem cum Turcis ad Varnam Bulgariæ oppidum committeret, Amurathe, dubia nimium, & ad partes Christianorum diu nutante fortunâ, Jesum Christum obtestante, ut nominis sui honorem & eorum, qui ipsum adorant, perfidiam ulcisceretur, victus miserrime periit una cum Cardinale Juliano, criminis autore, cumque maxima Exercitus Christiani parte: Caput vero Regis conto infixum & per Græciam & Asiam circumlatum, incolis ostentabatur, ad exprobrandam Christianorum perfidiam.

7. Hussitæ respirant. VII. Extincto itaque infelice Rege Uladislao I. Edictum etiam contra Hussitas, executione caruit, & fervor eos persequendi refriguit. Unde Hussitarum doctrina numerusque eam profitentium tanta augmenta cepit, ut A. 1508. Synodo coacta, Articulos Confessionis suæ conscriberent, & Ladislao Bohemo, Regi Hungariæ palam offerrent, eorundemque confirmationem tandem obtinerent, solennibus illis Comitiis, quibus Ludovicus, dicti Ladislai Filius bimulus, Albæ Regali in Regem Hungarorum coronabatur.

8. Hussitarum reliquiæ in Hungaria. VIII. Diu satis oportet reliquias Hussitarum in Regno Hungariæ tenaciter Sectæ suæ adhæsisse, cum adhuc A. 1649. in Diæta generali Catholici status in gravaminibus suis conquerantur, Picarditas & Hussitas introduci, inque Templis & Parochiis constitui, è Regno ejiciendos; nisi illi in professione Religionis, Sacramentorum administratione, & Superintendentium administratione per omnia cum Helveticæ Religioni addictis concordârint: ad quod Status Evangelici tunc temporis responderunt, Hussitas, si qui adfuerint, subscripsisse Helveticæ Religionis Confessioni.

9. Hungari Lutherum Wittebergæ audiunt. IX. Cum jam fama Martini Lutheri, & Philippi Melanchthonis, eorumque Doctrinæ de abusibus, qui in Ecclesia invaluerant, tollendis, in Hungaria increbuisset, incredibilem hoc in multis accendit ardorem scrutandi, quid veritatis illi insit Doctrinæ. Confluxerunt ergo in Saxoniam Wittebergam nempe multi Hungari, inter quos A. 1520. primus fuit Martinus Cyriacus Letsei Leutschoviensium deinceps primus Pastor, qui Lutherum Sacras Literas ex fonte profitentem audivit, quem An. 1524. Dionysius Lincei, Pannonius, Balthasar Gleba, Budai, Christianus Lannius, Johannes Siglet Loesci, Michaël Szasai, Martinus Biro, Davai, & multi alii etiam Nobiles ingenti agmine secuti sunt, quorum Catalogum exhibet Petrus Lascovius, Hungarus, in Epistola Nuncupatoria, Tractatui suo Theologico de homine, præfixa.

10. Hi reduces ejus Doctrinam disseminant. X. Hi, cum reduces in Patriam amicis primum suis, deinde aliis doctrinam, quam imbiberant, explicarent, & ex Sacra pagina demonstrarent, protinus avidissimè auscultabantur; magno deinde numero in assensum pedibus iverunt, quotquot fundamenta hujus Doctrinæ, Verbo Dei apprimè consentanea, primo statim intuitu, reperiebant, id quod Episcopos & Prælatos, qui dominatum, & Monachos, qui Ventrem sibi imminui metuebant, adeo male habuit, ut Regem Ludovicum valde adhuc Juvenem ad extirpandos Novatores, sicuti ajebant, inducerent.

11. Ludovici Edictum contra Lutheranos A. 1523. XI. Ille igitur An. 1523. sequentem Articulum LIV. promulgavit.

Articulus LIV. Ludovici Regis Anno 1523.

Omnes Lutheranos & illorum fautores, ac factioni ipsi adhærentes, tanquam publicos Hæreticos, hostesque Sacratissimæ Virginis Mariæ, pœna capitis & ablatione omnium bonorum suorum Majestas Regia, veluti Catholicus Princeps punire dignetur.

12. Ejusdem Edictum secundum, A. 1525. XII. Sequenti An. 1525. in Campo Rakos sequens Articulus ingeminatus est.

Articulus V. Ludovici Regis Anno 1525.

Lutherani omnes è Regno extirpentur, & ubicunque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per Seculares personas libere capiantur & comburantur.

13. Ortus Religionis Evangelicæ in Transylvania. XIII. Interea Transylvania etiam Lutheri Doctrinam jam magno numero, & citius quasi quam Hungaria ipsa amplexa erat. Extant Literæ Comminatoriæ dicti Regis Ludovici ad Cibinienses A. 1523. Buda missæ, quibus eos, de deserenda ista doctrina, sub gravibus comminationibus adhortatur, cujus tenor sequitur:

14. Literæ dehortatoriæ Ludovici ad Cibinienses. XIV. *Ludovicus Dei gratia, Rex Hungariæ & Bohemiæ, Fidelibus nostris, Prudentibus & Circumspectis, Magistro Civium & Judicibus Regio & Sedis, ceterisque*

rusque furatis, Senatoribus Civitatis nostræ Cibiniensis, salutem & gratiam nostram!

Non sine animi nostri displicentia accepimus Dogmata sacrilega cujusdam Martini Lutheri, jam quidem à Sancta sede Apostolica, una cum sequacibus ejus excommunicati, adeo mentes hominum ubique obcæcasse, ut veritate Evangelica, institutisque Sanctorum Patrum relictis, doctrina ejus & libelli per eum scripti, vulgo ab omnibus in medio vestri manutenantur & observentur. Quæ quidem assertiones & Libelli ejusdem Martini Lutheri, cum sint contra ipsam Veritatem, & sunt etiam per sanctam sedem, uti diximus, Apostolicam jam pridem excommunicati, vehementer nobis displicet, Vos quoque & Concives ac Mercatores vestros, aliosque istius Civitatis nostræ inhabitatores, Libellos eosdem vendere, emere, & tractare jam cæpisse. Cum autem vestigiis quorundam Hungarorum nostrorum prædecessorum inhærendo, officii Nostri intersit, fidem & Religionem nostram Christianam, ne ab Hæreticis excommunicatis eadem invadatur & contaminetur, ubique in hoc regno nostro & partibus eidem subjectis illibatam conservare, volumus, & Fidelitatibus Vestris harum serie, sub amissione omnium Bonorum vestrorum committimus & mandamus: quatenus statim præsentibus, tam in vestra Civitate Cibiniensi, quam in aliis locis vobis subditis, assertiones, figmenta & Libellos præfati Martini Lutheri tanquam excommunicatos, vicatim, & per singulas domos inquiri, inventosque publice comburi, & deinde publicare palam facere debeatis, ne quis cujuscunque tandem conditionis existens ejusmodi dogmata, assertiones, & Libellos eosdem vendere, emere, legere, aut tractare præsumat, sub pœna Confiscationis omnium bonorum &c.

Datum Budæ, Sabbatho proximo ante Dominicam Cantate, Anno 1523.

15. Cibinienses imperterriti.

XV. Sed deterreri illi nullo modo potuerunt, imo, universa Civium multitudine Doctrinam istam spontaneo pronoque motu amplectente, Monachi tanquam inutiles posthac Civitati A. 1529. d. 28. Februarii urbe excedere, intra octiduum jussi sunt.

16. Ludovicus misere perit.

XVI. Verum dum Ludovicus Rex, Lutheri Doctrinam extirpare Cleri suggestione excitatus, satagit intereaque Turcas ad bellum inconsultum, Legatorum violatione aliisque lacessit, An. 1526. d. 29. Augusti, atrocissima pugna, in Campis Mohacz, impar plane viribus cum Solymanno confligens, præcipue Archi-Episcopo Colocensi, Episcopis Quinque Ecclesiensi, Chanadiensi, & Bosnensi, aliisque Magnatibus præsentibus, animum Regis juvenilem fluctuantem temerario & perniciosissimo Consilio stimulantibus, misere perit cum Prælatis, flore Nobilitatis, & Militiæ; amissis equitum decem, & Peditum duodecim millibus.

17. Lutheranorum numerus crescit.

XVII. Post miserandam hanc cladem Regis Ludovici, deferbuit aliquantalum rigor persecutionis erga Religionem Evangelicam, eaque minus impedita crevit uberrime. Continua enim interea successione studiosi juvenes, Hungari, in Academia Wittebergensi sese excipiebant, & reduces in Patriam semen Doctrinæ, quod ibi acceperant, persvasi de veritate ejus, cum uberrimo fructu seminârunt.

18. Petrus Perini primus Evangelicam Religionem amplectitur.

XVIII. Petrus Perini illustri Magnatum prosapia natus, districtus Agriensis, qui tunc duos Comitatus continebat, Dynasta ditissimus & supremus Comes Comitatus Abbavyvariensis, postea Coronæ sacræ conservator, cum Filiis Francisco Georgio & Gabriele, & Familia tota, audito Stephano Kopaczi & Michaële Szarai Evangelicam Doctrinam prædicantibus, mature illam amplexus est: unde Panfinius illi introductionem ejus in Regnum Hungariæ attribuit, eumque quasi primum Autorem ejus allegat. Illius certe exemplum multi Nobiles prono proprioque motu secuti sunt, inter quos Casparus Dragfius, Ladanius, & Massalius Viri Magnifici ex Magnatum ordine fuere, Demetrio Dereczkio illum & Emerico Osztorai hos docente.

19. Vidua Petri Jaxit favet doctrinæ Evangelicæ.

XIX. Claruit circa ista tempora Matrona, Petri Jaxit vidua, quæ accitis Theologis Evangelicæ doctrinæ, quam impense amabat, eruditis, iisque liberaliter nutritis permisit, ut subditis suis in citeriori & ulteriori Hungaria, præcipue in districtu interamni, qui hinc Chrysio, inde Marusio clauditur, eam prædicarent: qua prædicatione convicti magno numero cœtui Evangelicorum accesserunt.

20. Introductio istius Doctrinæ in variis locis.

XX. Eodem tempore Uyhelini ad Bodrog urbe, Michaële Szilosi, Andrea Barizi, & Mathia Devai, conciones & demonstrationes Evangelicas instituentibus tota civitas sponte & cum jubilo illis assensum præbuit. Idem Papiensis civitas fecit Evangelium ibi prædicante Pastore Valentino, qui inde

de Debrecinum per Valentinum Tœroek Virum Magnificum vocatus, communitatem universam sua prædicatione facile in assensum Doctrinæ Evangelicæ pertraxit. Erdœd oppidum Pastoris Sebastiani prædicatione audita ejusdem religionis, Confessioni subscripsit, quod & Oppidum Békés docente supra dicto Emerico Osztorai & arx Munkaz cum toto districtu suo, docente Petro Petravizio, fecit.

21. Præteritio religionis Instauratorum.

XXI. Longum nimis foret recensere reliquos Theologos Evangelicos, & quid sola prædicatione verbi divini præstiterint in aliis plurimis civitatibus, imprimis liberis regiis cœterisque, nec non in oppidis, pagis itemque familiis nobilibus ad acceptandam doctrinam Evangelicam reducendis, quorum seriem fuse contexuit *Mattheus Scaricaus, Pannonius*, & locis suis theologicis præfixit, inter quos præcipuus ferè est *Stephanus Szegedinus* Theologiæ Doctor, noti etiam apud exteros Nominis & scriptis suis clarus, qui multa præstitit & multa passus est.

22. Scholæ promovent religionem.

XXII. Adulta aliquantisper jam Doctrina Evangelica, scholæ etiam in Transylvania & Hungaria institutæ sunt, in quibus Juventus doctrinæ illius Elementa addiscebat magno successu.

23. Honterus etiam introductione typographiæ.

XXIII. Tandem etiam Johannes Honterus Coronensis Transylvanus, Vir omni eruditionis genere & morum probitate conspicuus, An. 1533. Basilea in patriam civitatem redux typographos & typos advexit, & officinam ibi typographicam propriis sumtibus instituit, ibique libellos ad Religionem Evangelicam, pietatemque; nec non ad liberales artes addiscendas, in scholis necessarios excudi curavit: quo instituto novum accessit subsidium ad doctrinam Evangelicam fortius promovendam, & dilatandam. Idem hic Honterus non contentus Coronensi civitati patriæ, doctrinam hanc communicasse, paulò post totum tractum Barcensem eâdem replevit, ità, ut A. 1543. Ecclesiarum Saxonicarum per Transylvaniam reformatio absoluta fuerit.

24. Religio Evangelica nulla vi externa stabilita est.

XXIV. Tantum ergo abest, ut dici possit, quod nonnulli subinde causantur, Religionem Evangelicam vi aliqua externa, ferro, cæde, igne, carceribus, tumultibus, vinculis, tormentis, vel etiam largitionibus, aliisque illecebris divitiarum, honorum, & munerum; vel saltem bello, rebellionibus, exercitu extraneo, aut potentia prævalente introductam esse in Transylvaniam, totamque Hungariam; ut potius mirum dicta sit, quanta cum aviditate, zelo, & desiderio plurima pars incolarum eam anhelaverit, suspiraverit, & auditis prædicationibus verbi divini, protinus interiori animi sensu convicta, & cum maximo & incredibili gaudio cordis, intrinsecumque conscientiæ solatium & tranquillitatem inde impense percipiens, in hanc doctrinam, spontaneo pronoque impetu ruerit, eamque arctissime complexa fuerit.

XXV. Quinimo sub initium statim gravissimas persecutiones, ferrum, ignem, & varia mortis & cruciatuum genera, quibus in eos grassabantur, experti sunt primi hujus doctrinæ instauratores, & tamen ad istam deserendam adigi nullatenus potuerunt: quemadmodum adhucdum adeo ejus sunt tenaces, ut sine admiratione cogitari non possit, per duo jam secula, imo si Hussiticæ doctrinæ tenacissime in Hungaria, ultra seculum ante Lutherum conservatæ tempora, huc computare liceat, tria jam secula, majorem longe partem incolarum Hungariæ & Transylvaniæ, in dissensu & secessu ab ecclesia Romano-Catholica constantissime perdurasse, persecutionibus dirissimis, & vix in ulla alia mundi universi parte auditis, nunquam cessantibus, aut remittentibus, sed semper magis magisque invalescentibus, ex parvo quandoque intervallo subinde recrudescentibus, & totum tractum illorum, sive trium, sive duorum seculorum durantibus; imo posterioribus imprimis temporibus ad manifestas violentias erumpentibus, & ad asperrima cruciatuum & tormentorum genera, eum in modum extensis, ut extirpationi omnimodæ, quam Clerus Romanus, imprimis autem Jesuitæ summa pietate Regum Austriacorum abusi indefesso nisu, noctu, diuque architectantur, admodum vicina, deque ea actum esse videretur. 25. Imo sub continuis persecutionibus crevit.

XXVI. Quod si cuipiam fortassis nimis acerbe, aut ex præconcepta præventione dictum videtur, licebit rem omnem ex subsequentibus documentis judicare, quibus quicquid non congruit, pro non dicto habeatur, sicuti in Operis Introitu, protestati sumus. 26. Ad documenta provocatur.

XXVII. Ut ergo ad seriem Legum Regni, super Religione Evangelicorum in Hungaria latarum redeamus, perempto in acie Mohazensi infelici Regi Ludovico successit Ferdinandus I. Austriacus, quem inter & Johannem de Zapolia 27. Ferdinandi I. transactio cum Johanne de Zapolia.

lia acerrima intercesserunt bella, utroque coronam regiam, qua uterque coronatus erat, diu disputante: donec Ferdinandus Johanni per Carolum V. Imperatorem, illius fratrem, reconciliatus, ipsemet pace pacta, sine consensu Statuum Regni, quod sæpius exprobratum fuit, consenserit, ut Johannes, quoad viveret, Regio titulo uteretur.

28. Johannis rigor contra Lutheranos.

XXVIII. Johannes ille nihil Ludovico benignior in Evangelicos fuit. Equidem constitutiones ejus in corpore Decretorum Regni Hungariæ non extant: fortassis enim, durante infelice & cruento dominatu hujus Interregis, sæpius cæsi & Regno pulsi, tantum non vacavit, ut super persecutione Religionis Evangelicæ, quam maximo opere exercebat, leges ferret. Odium tamen ejus, vel ex unico exemplo Matthiæ Devai, elucescit, qui cum Wittreberga Anno 1541. reversus esset, ob mutatam docendi Methodum pro hæretico a Monachis delatus, & carceri mancipatus est, ibidem igne comburendus? quam tamen sententiam ipse Johannes tandem mitigavit.

29. Ferdinandi I. Articulus contra Lutheranos.

XXIX. Sub Ferdinando I. de Religione sequens articulus promulgatus est:

Decreti XI. Ferdinandi I. Articulus V. An. 1548.

Imprimis quoad negotium Religionis omnes Ordines & Status Regni una voce sentiunt, cultum divinum & religionem ad pristinam normam esse redigendam, & hæreses undique tollendas juxta admonitionem suæ Regiæ Majestatis.

30. Lenitas Ferdinandi I.

XXX. Mitior tamen erat modus, quem Ferdinandus I. sequenti articulo præscripsit, quam quo Ludovicus uti, præcedentibus articulis mandaverat. Imo ad componendas differentias Religionis Concilium Generale propositum est, sequenti Articulo XIII. de quo etiam in Germania ab initio actum est: Aug. Confessioni ibidem addictis Concilium Generale urgentibus, & in dicta Confessione August. ipsamet protestantibus, se ab Ecclesia Catholica divortium facere nolle, dummodo abusus tollerentur, & alia in doctrina, in quæ delapsa erat, corrigerentur & reformarentur, quod cum impetrare non possent, tunc demum secessum fecerunt. Eadem erant Hungarorum, qui Augustanam Confessionem amplexi fuerant, vota sub initium, unde etiam unanimi voce ad Concilium Generale provocarunt, eadem, qua Lutherani in Germania, spe freti.

XXXI. Articulus dictus ita se habet: 31. Ferdinandi I. Artic. VI. de constituendis probis Clericis.

Articulus VI. Ferdinandi I. de A. 1548.

Id autem ita recte fieri posse existimant, si omnibus Ecclesiis Prælati, sive sint Episcopi, sive Præpositi, sive Prælati, Viri Ecclesiastici & doctrina præditi quamprimum præficiantur, qui & ipsi doceant verbo & exemplo gregem sibi commissum & Vicarios suos, Ministrosque sibi subjectos, eorum officium exercere faciant, mittantque sine mora in omnes partes Archi-Diaconos, Vice-Archi-Diaconos & alios, quorum interest ad docendam plebem, quibus, si ipsi forte pro se sufficientes non sunt, Prædicatores boni adjungantur, ut ubique vetus Religio, pristinusque Dei Cultus restituatur. Parochos etiam, in omnibus Oppidis & Villis, tales constituant, qui veram doctrinam sapiant, & eandem doceant, sacraque administrent, juxta ritum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Iidem etiam Prælati pro facultatibus ipsorum scholas erigant, in quibus bonæ literæ, & vera religio doceatur, ut sic in dies magis prava dogmata tollantur, & vetus Religio repullulet: Prædicatoresque boni per regnum dispergantur: Sacerdotes autem non creentur, nisi probatæ vitæ ac doctrinæ viri, & his sacerdotia Ecclesiastica, beneficiaque conferantur, ipsi autem Prælati penes Ecclesias ipsorum jugiter resideant: & unusquisque, sive Prælatus, sive alius vir Ecclesiasticus; unum tantum beneficium possideat, non plura: Si quis Prælatus publicis muneribus occupatus, penes Ecclesiam residere non posset, Vicarium, virum sufficientem & Ecclesiasticum, sui loco continue teneat penes Ecclesiam.

XXXII. Sequitur 32. Articulus ejusdem XIII. de concilio generali.

Articulus XIII. Decreti XI. Ferdinandi I. de An. 1548.

Supplicant Ordines & Status Regiæ Majestati Domino eorum Clementissimo, ut tam sua, quam Sacræ Majestatis Cæsareæ authoritate, agat apud Sanctissimum Dominum nostrum, quo Sanctitas sua Generale Concilium pro complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de Religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur. Quod si sanctitas sua id differret, Majestas Cæsarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur.

XXXIII.

33. Magnates Hungariæ persecutiones Lutheranorum avertunt.

XXXIII. Regi interim ad Episcorum Romano-Catholicorum persecutionem satis acrem in prædicatores Religionis Evang. conniventi, præsto erant aliqui ex Magnatibus, qui animum ejus demulcere ita poterant, ut vexationes Cleri nonnunquam interrumperentur. Erat inter illos Magnificus Casparus Dragsi, qui Ministros Evangelicorum aliunde pulsos in oppidum Erdœd, ipsius possessionem propriam subinde recepit, & aliis modis juvit: quanquam propterea Regi se minus gratum sciret, quod tamen existimationem Regis, quam de fidelitate ipsius habebat, non imminuit.

34. Thurzones juvant Lutheranos.

XXXIV. Alexius Turzo, Vir prudentiæ & gravitatis singularis, & prisci integrique moris ab Uladislao & Ludovico, dignitatibus & bonis auctus, majores opes à Ferdinando I. nactus, inter intimiores ejus Ministros adoptatus cum Filiis, Georgio Turzone, Comite Arvensi & postea dignitate Palatinatus Regni, à Regia secunda, conspicuo, & Stanislao, Comite primum Scepusiensi, & postea etiam Regni Hungariæ Palatino, Religioni Evangelicorum addictissimi erant, eamque multum juverunt, Filii imprimis, ut illa in Civitatibus Regiis stabiliretur, curârunt, & quoad vixerunt, summa ope protexerunt.

35. Synodi Evangelicorum Erdœdini & Tornæ habitæ.

XXXV. Crescente passim Ministrorum numero, ut omnia decenter & ordine in Ecclesia fierent, serio consulendum videbatur Lutheranis Convocatur igitur Ministrorum Synodus Erdœdinum, consuetum Ministrorum Reformatorum asylum ob magnam Dragfii prædicti, qui tunc maxime iis patrocinabatur, autoritatem: Synodo interfuerunt ministri XXIX. & concluserunt suæ Confessionis Articulos XII. Anno M D XLIX. denuo synodus convocatur Tornam, ubi ne a Doctrina Reformata mores, Ministrorum præcipue, alieni essent, diligenter cautum est, & conditi sunt Articuli de Officio Ministrorum, eorumque vita, & decenti Vestitu.

36. Cibinii Ministri ordinantur.

XXXVI. Anno M D LIII. inchoata est ordinatio Ministrorum Evangelicorum in Ecclesia Cibiniensi Transylvaniæ, superattendente Paulo Viennes, pastore Cibiniensis Ecclesiæ.

37. Fœdus initur Agriæ.

XXXVII. Anno M D LXI. universus Equitum Peditumque Exercitus, Nobiles item & ignobiles totius Vallis Agriariæ Incolæ, in Arce Agriensi, fœdus inter se, de servanda Religione Evangelica ineunt, & edita super præcipuis fidei articulis confessione sua, Juramento, se ab illa non recessuros, se invicem adstringunt.

38. Rebellionis accusati se purgant.

XXXVIII. Eorum institutum, à maleferiatis in crimen perduellionis, sicut solet, versum, & tanquam tale ad Imperatorem Regemque Ferdinandum I. odiosissime, & gravi cum criminatione delatum est. Cum vero hic severa Mandata & commissionem ea propter, Anno M D L X II. decrevisset, illi sequentes Literas humillimas ad Imperatorem, quibus Confessionis suæ Articulos adjunxerant, miserunt, iisque se ab atroci crimine, cujus falso insimulati erant, plenissime purgarunt.

39. Literæ ad Ferdinandum I. Agriæ Anno 1562.

XXXIX. *Ex literis & Mandatis Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, Commissariorumque Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, iram & indignationem super Nos, simul, & ex Legatorum nostrorum relatione intelleximus, propter iniquam & injustam perversorum hominum accusationem: quod scilicet confœderatio & conjunctio, fide et juramento interveniente facta sit, pro conjuratione et pro itione Sac. Reg. Majest. Vestræ, per nos, et quod contra Legē Divinam et fidelitatem nostram, factionē et seditionem moliri, contra Sacram Regiam Majestatem Vestram in id ipsum intenti simus, ut in manus inimicorum Sacræ Majestatis Vestræ locum, in extrema acie et custodia positum, Agriam scilicet, tradere conemur: Sicut Artaxerxi, aut Dario, Iudæi Hierusalem et templum Salomonis ædificantes, in confœderatione per gentes impias delati erant, quod proditionem moliantur contra Regem Assyriorum, cum per Mandatum Cyri Regis, divina autoritate moti fuerint, ut ædificarent muros Hierusalem et Templum. Quare sicut Nehemias, Ezdras, Zerubabel, honesta excusatione defenderant se apud Ahasverum contra nugas iniquorum: ita coram Deo et Angelis ejus, Nos omnes, attestando conscientiæ nostræ testimonium juramus & confitemur, Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, adstringendo Deo conscientiam sub vera fide & juramento, quod contra Sacram Regiam Majestatem Vestram, & locum hunc, proditionem & conjurationem non moliti sumus, nec deinceps moliemur: Quin potius, ut hactenus fideliter & strenue fecimus: ita & deinceps usque ad effusionem sanguinis, et internecionem, omnibus modis, contra hostes infensos Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ pugnabimus, et decertabimus, summo studio et vigiliis die ac nocte custodientes, nostram stationem in isto loco contendemus. Quemadmodum autem Commissarius Sacræ Regiæ Majest. Vestræ contestati sumus*

mus, & probavimus fidelitatem nostram & Obedientiam : ita usque ad mortem promittimus, obstringimus, offerimusque Sacræ Regiæ Majestati Vestræ fidem, obedientiam, subjectionem et officia nostra, tanquam Sac. Reg. Maj. Vestræ subdita. Ceterum ut Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Commissariis & Legatis ostendimus, Confœderationem nostram non contra Sacram Regiam Majestatem Vestram factam esse, sed in causa fidei & salutis pro vera Religione, Doctrina, & salute animarum nostrarum : ita & nunc testamur per Deum, pro animarum pastu & salute factum esse: Sicut tempore Iosuæ, Nehemiæ, Ezdræ, populus confœderatus est, non contra Regem Assyriorum, sed pro gloria Domini, pro fœdere & testimoniis Divinis observandis, pro ædificatione Templi Salomonis. Sacræ Regiæ Majestati Vestræ in omnibus externis causis et negotiis fidelem promptamque obedientiam & subjectionem debemus, ut quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddamus, Regi, Magistratui, ut Dei ordinationi subjiciamur, eumque timeamus & honoremus: Ita anima & conscientia nostra obstringimur, ut ea, quæ Dei sunt, Deo reddamus, anima nostra Deum colat, & illi soli serviat; Verbum Domini & Sacramenta ejus amplectatur & observet; Salutem nostram in fundamento Christo, in vera fide & spiritus Sancti Ministrorum per doctrinam Prophetarum & Apostolorum ædificemus, rejectis doctrinis & traditionibus hominum, pugnantibus cum Dei Verbo, & turbantibus conscientiam nostram. Quoniam autem Hæreseos injuste, causa indicta apud Vestram Regiam Majestatem Sacram accusati sumus per Hostes Crucis Christi; ex uno consensu omnes summam fidei, salutis, Confessionis et Doctrinæ nostræ collegimus ex Sacris Scripturis, et Patrum Orthodoxorum, Conciliorum et Decretorum, Episcoporum Romanorum testimoniis ad stabiliendam veram, sanctam, antiquam, et in verbo Dei fundatam Confessionem, fidem et doctrinam nostram. Et ut ab iniqua malevolorum accusatione, quod simus Hæretici, nos expurgemus, placuit nobis omnibus instinctu divino, ut Sacræ Majestati Regiæ Vestræ Confessionis et Doctrinæ nostræ summam dedicaremus et offerremus, et exinde Sacra Regia Maiestas Vestra innocentiam et fidelitatem nostram palam cerneret. Petimus igitur et obsecramus, Sacram Regiam Majestatem Vestram, ut benigne nos exaudiat, nobis parcat, et recipiat summam Confessionis et Doctrinæ, defendatque Libellum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ dicatum, et sub tutela, ac nutu Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ emissum, intellectaque immunitate causæ et innocentiæ nostræ, fidei et Doctrinæ nostræ, ex Scriptis Canonicis fundatam Veritatem Nobis fideliter et clementer, Sacra Regia Majestas Vestra annuat, et concedat in vera et Catholica fide ac Doctrina permanere, Pastores alere et habere pascentes Nos purissimo Dei Verbo. Nosque Sacræ Regiæ Majestati Vestræ omnes ad obedientiam, fidelitatem, et subjectionem obstringimus sub conscientiæ nostræ vinculo. Valere et prosperari Sacram Regiam Majestatem Vestram cupimus in Domino.

Datum Agriæ die 6. Februarii An. 1562.

XL. Anno M DL XXXV. Jesuitæ auspiciis Stephani Bathorii, Regis postea Poloniæ, quem sibi nimium habebant faventem, consilio & opera Johannis Lessii, præcipui ex eadem Societate Patris, Collegia sua primum fundant in Transylvania, Claudiopoli & Albæ Juliæ; deinde etiam in Hungaria, eaque reditibus magnis muniunt. 40. Jesuitæ An. 1585. in Transylvaniam introducti.

XLI. Non tamen diu hac fortuna usi sunt Patres Jesuitæ Anno enim M DL XXXIX. cum novas res, falces suas in alienam messem immittendo, moliri inciperent, ad continuas Statuum Transylvaniæ instantias, Principatu à Sigismundo Bathorio excedere, & in perpetuum emanere jussi sunt. Totius hujus facti seriem, per insertum hîc extractum protocolli Diætæ Transylvanicæ, in qua relegatio hæc statuta fuit, adductis etiam documentis huc afferre & in medio relinquere lubet. 41. Sed mox expulsi, & quare.

Protocollum Diætæ Transylvaniæ de Anno 1588.

Protocollum Diætæ Transylvaniæ de An. 1588. super expulsione Jesuitarum publice decreta.

Johannes Geczi Gubernator Medgyesinum Comitia A. 1588. indixit, quo & ipse se cum Principe Sigismundo contulit, cui etiam officium Gubernatoris hactenus à se administratum, eleganti oratione resignavit, ut suam Transylvaniam imposterum libere regeret. In his ipsis Comitiis omnes Jesuitæ, ob sua varia prava molimina quotidie exercita, ad totam Regionem præsertim inter Saxones (ubi jus suum possessionarium ad monasteria prætendebant) reformandam, ex communi sententia trium Statuum, die 28. Decembris, ex universa Transylvania, publico Articulo proscripti & in perpetuum relegati atque statim ex post-ejecti fuerunt. Quam vero difficulter hoc successerit ex recensendo breviter toto processu patebit. Cum ergo Sigismundus liberam & pro se regendi potestatem à Gubernatore traditam ac-

ce-

cepisset, ex eo statim tres status & nationes, optatam occasionem suam, hactenus habitum propositum tandem in effectum deducendi, perspicientes, die decima Decembris, totius Transylvaniæ nomine, Illustrissimo Principi supplicarunt, humillime orantes, ut Sua Celsitudo in Regiminis sui introitu & auspicio, istud imprimis pientissime attenderet, quod Majestati suæ divinæ ad honorem & gloriam deservire posset: neque cum male-sano filio Salomonis Roboamo, Senum Consiliariorum consilia contemneret, & juvenum inexpertorum hominum consiliis uteretur 1. Reg. 12. v. 13. Verum sapientum senum Consilia cum Rege Joas Ahasiæ filio 2. Reg. 11. v. 9. amplecteretur, atque cum illis occurrentia Regni negotia pertractaret: & cum præsertim in his extremè periculosis temporibus, ultima necessitas hoc exposceret, peterent itaque & orarent humillime, ut Sua Celsitudo ex unanimi beneplacito suorum Consiliariorum (quemadmodum etiam in proxime celebrata particulari congregatione Engediensi die 20. Octobris sponte ad istud sese resolvisset & declarasset) Jesuitis regno interdiceret, & ex tota Transylvania eliminaret, ex eo, quod istud genus hominum nobis planè ignotum, Deo & hominibus esset invisum & quod ab omnibus pro hostibus patriæ proclamarentur.

Postquam itaque hæc Supplicatio Sigismundo dicta die Mercurii porrecta fuisset, Sua Illustritas per Divinum Geczi & Wolffgangum Gubassoczy ad eam hoc tenore respondit: quod quidem eandem supplicationem relegisset & meliori modo considerasset: Sed cum pro hoc tempore impertinens illud petitum esset, ac longe majoris momenti negotia præ manibus essent, seposito itaque hoc negotio, de aliis magis arduis consultationem susciperent. Verum Status hoc ipso responso exacerbati concluserunt ab hoc proposito plane non discedere; sed è vestigio, de novo Illustrissimum Principem requirere, quod etiam solenniter per sequens Memoriale peractum est:

Illustrissime Princeps, Domine Gratiosissime, Celsitudinis Vestræ responsum, Jesuitarum negotium concernens, nobis ad notitiam datum est, in quo Sua Celsitudo gratiose nobis significat, quod in proxime celebratis aliquot particularibus Conventibus, regni Status, super Jesuitarum Statu & Religione, unanimi consilio decrevissent, quod iidem tolerari debeant; Huic itaque acquiescendum, à petito nostro abstinendum, & quævis alia negotia pertractanda ad manus sumenda esse: Cum etiam ex statibus aliqui essent, qui instanter Suam Illustritatem petiissent, ut Jesuitæ in regno retinerentur. Quia vero videmus hac ratione Patriæ & Nobilitatis Libertatem valde infirmari, & in extremum periculum adduci, necessitamur itaque rem hanc penitius considerare, & ab origine sua deducere. Jam inde à primordio huc transplantatæ Reipublicæ Hungaricæ, prærogativa Nobilitaris Libertatis Ungaricæ hæc fuit, quam etiam multi sanguinis effusione defendit & perpetuis temporibus illabefactatam conservavit: quod nempe de omnibus iis, quæ ad Reipublicæ emolumentum, & salutem pertinere viderentur, plenariam deliberandi & concludendi potestatem ac libertatem Regnicolæ habuerunt.

Quod vel ex eo dignosceretur, quod Principes suos perpetuo liberis votis & suffragiis eligant, qui sequentibus temporibus, citra regni voluntatem & consensum nihil certi & rati concludere & constituere possunt: atque licet pro temporis exigentia, in salutem Reipublicæ & patriæ permansionem ex urgente necessitate ab illis aliquid constitutum fuisset, liberum tamen illis esset, ex memorata Libertate votorum & prærogativa Nobilitari, istud iterum vel immutare, meliorare, vel etiam penitus abrogare.

Atque huic prærogativæ Nobilitari, à prima fundatione Reipublicæ Ungaricæ (licet patria nostra omnis generis mutationibus & vastationibus fuerit obnoxia) usque in hodiernum diem retinendæ, eique inconcussæ ac inviolatæ retinendæ diligentem semper dedimus operam. Quod Cimelium & Clenodium etiam Libertatis, ne degeneres, patriæ filii habeamur; sed potius patrum nostrorum vestigiis insistamus, perpetuis subsecuturis temporibus omnibus viribus tueri, & propugnare nobis animus est.

Rebus ita comparatis ergo, Illustrissime & Gratiosissime Princeps, quanquam notum sit, & constet, quod in proxime celebrata Diæta, de Jesuitis forte in regno retinendis deliberatum fuerit; in consideratione tamen antiquarum nostrarum libertatum & prærogativæ Nobilitaris, ista statuta & Constitutiones reformandi & in aliam formam re-

digendi potestatem habemus , ut hac ratione gloriæ divinæ satisfiat, nostramque Libertatem vindicemus. Ex historiis constat, jam inde ab initio hunc modum fuisse observatum ; quod si Principes ex necessitate aliquid immutare apud se decreverunt, ut statim ab initio universalem Diætam intimarent, & regnicolarum votis & sententiis prius consentientibus, tum demum mutationem & innovationem robur & vires habuisse. Atque hoc modo etiam in Jesuitarum causa procedendum fuisset, & antequam in regnum introducerentur, in universali Diæta prius de hoc deliberandum, prout etiam evolutis temporibus , adhuc ante Reginæ Isabellæ adventum, in Transylvaniam, Religio Papistica cum omnibus suis Ordinibus & Doctoribus, ex unanimi totius Regni consensu & sententia , ex universo Regno eliminata fuit: ut adeo Jesuitarum vocatio pro legitima sicuti prætenderetur, minime habenda sit.

Atque ob hoc etiam necessum est ad præteritorum temporum præ manibus habitas constitutiones diligenter attendere, easque observare, præsertim, cum in novissimis Constitutionibus Albensibus, A. 1585. hujus causæ finalis decisio ad universalem Diætam nondum celebratam dilata & rejecta sit ; cujus quidem hic tenor est:

Quod ad Religionem attinet , idem modus & consuetudo in omnibus Punctis & clausulis retineatur, qui hactenus observatus fuit, neque in publicis Diætis quicquam peculiariter constituatur.

Cum itaque, Gratiosissime Princeps, universi huc convocati simus , consultum judicamus, quod antehac certa sub conditione de Jesuitis statutum est hac vice immutare: præsertim , quia ipsi ad hoc causam præbuerunt, se intra suos limites & terminos non continendo. Etenim modo solam juventutem informassent (quod ipsorum proprium fuisset officium) verum insuper suam Religionem, per plateas, vias & templa publicis processionibus suis propagarunt ; & quidem iis in locis, ubi illis nulla potestas concessa est. Nam etiam Varadini, Sancti Ægidii Templum, ubi alias orthodoxa doctrina prædicabatur, violenter occuparunt, non ad juventutem informandam, sed ad suam hac ratione Religionem extendendam: Crucem etiam in præjudicium civium armata manu circumtulerunt, & tantas turbas excitarunt, ut, nisi ad hoc deputati mature invigilassent , horrenda seditio exinde exarsisset. Quo ipso nondum contenti , vicinos pagos percursitarunt, ad suam doctrinam latius disseminandam, domum Concionatoris ad Sanctum Cozman occuparunt , ipsumque injuriose extruserunt, libros, quos habuit dilacerarunt, ipsumq; cum cœteris viris in habitationibus ignominiose tractarunt. Quod vero in Transylvania limites præscriptos transgressi sint , istud palam & in aperto est. Totum enim Siculorum tractum circa Uyhelinum & Karansebes , non quidem à multis (quod tamen etiam contra publicas constitutiones fieri non potuisset) quin imo à nemine eo vocati, ipsimet proprio suo ausu peragrarunt: non juventutis informandæ ; sed doctrinæ suæ latius diffundendæ causa.

Quam vero legitime, & quibus privilegiis sua bona possideant, ex Articulis in universali Diæta, An. 1556. conditis, apparet, in quibus per expressum cavetur, ne Episcopatuum, Capitulorum, Conventuum, & Præpositurarum bona iis restituantur, quibus Privilegia adempta sunt. Quilibet itaque videt, quomodo iis suffragari illa possint, quæ ipsis contra publicas constitutiones concessa sunt, cum ejusmodi appendices, Donationum & Stationum nomine contra publicas constitutiones facti, invalidi sint, & consistere non possint. Quo tamen illi non contenti, non modo Monasterium , cum omnibus appertinentiis: verum etiam Szent Michaly Kœve dictum Dominum, cum circumjacentibus pagis, imo etiam in Varadiensi dominio sitos , & ad Fiscum pertinentes pagos occuparunt: unde manifeste colligi potest, eos altiora appetere. Deinde etiam ex eo patet, quod sibi positas metas & limites transgressi sint , cum etiam in Turcicas regiones abierint, & Valachicas ditiones, per missarios suos ad suam Religionem reformari ausi sunt , quæ quidem temeritas & ausus, quoniam apud Turcarum Imperatorem celari non poterit, quale infortunium patriæ nostræ creare possit , quilibet cordatus vir intelligit. Cum itaque istæ contra publicas constitutiones attentaverint, in quæ pericula nostræ libertates per ipsos adduci possint , vicinarum gentium depopulationes & vastationes exemplo nobis & testimonio esse possunt, in quorum dominiis quam primum pedem figere potuerunt , statim horribilium cædium , & effusionis sanguinis authores fuerunt.

In

In Gallia Principes sanguine junctos, etiam juramento promissi Salvi conductus violatione, ad arma invicem concitarunt, ut uno die decem millibus piis Christianis cæsis, sanguis per plateas in modum fluminis manaverit & defluxerit. Cum enim Principum & Dominorum filios instituunt, non modo in spiritualibus, Magistri & Doctores; sed etiam in secularibus Consiliarii esse volunt: quemadmodum etiam Portugalliæ Regi accidit, qui promissu & instinctu Pontificis pactum cum Mauritanis fœdus rupit, & ad eos bello invadendos impulsus est; verum illi fœdifragum Regem cæso exercitu interfecerunt.

Præterire neque istud possumus, Illustrissime Princeps, quod oculis nostris videmus & experimur, istud, (cum venia Illustritatis Vestræ) effari cogimur, ipsos Jesuitas non tam ex officii sui dictamine & exigentia; verum etiam quovis alio tempore, circa & penes Illustritatem Vestram versari: manifeste etiam experimur, si vel minimo verbo eos notamus, & petimus, statim nos conviciantur, ac si adversus Illustritatem Vestram graviter deliquissemus, istisque calumniis Illustritatis Vestræ aures onerant, ut hac ratione Illustritatis Vestræ favorem, & gratiam erga nos corrumpant: suos vero Catholicos promoveant, & nos exosos reddant, ut adeo nunquam securitatem nobis promittere possimus.

In oratione nuper Romæ habita, aliisque certis editis scriptis, palam prodiderant, qua ratione suos casses in Transylvania expanderint, quod videlicet filios à patrum suorum amplexibus avellere velint, ac nos una cum liberis nostris, quos educavimus, retibus suis involvere. Claudiopoli fortalitium sub nomine Academiæ, adversus nos erexerunt, cum ipsorum discipuli & scholares statim arma arripiant, quemadmodum etiam non ita pridem, ingenti seditioni occasionem dederunt, ut nisi Deus prohibuisset, horrenda cædes patrata fuisset. Cracoviæ non ita dudum Catholici Studiosi domum, in qua Calviniani docebant, invaserunt, effregerunt, & succenderunt, omnesque in ea deprehensos trucidarunt, omniaque diripuerunt.

Quemadmodum olim, cum Papa etiam in Transylvania dominaretur, maxima pars bonorum & possessionum, in Episcoporum, Monachorum aliorumque Spiritualium potestatem devenerunt, ita facile conjicere possumus, idem nobis accidere posse. Dementant illi juventutem & sacro juramento mediante ad se pertrahunt, imo etiam bona eorum tam mobilia, quam immobilia sibi vendicant, regnumque exhauriunt: Quia vero inter duos Potentissimos Imperatores versamur, horum alterum muneribus placare, alterum vero (si molestus nobis sit) armata manu repellere necesse habemus: sed quia nostros proventus alter ille percipit, inde indigemus iis mediis, quæ ad procuranda animam concernentia, necessaria essent. Multa silentio præterimus, Illustrissime & Gratiosissime Princeps, ne auribus Illustritatis Vestræ molesti simus, neque etiam insupportabilia onera Illustritatis Vestræ subditis imposita, quos comestæ exiguæ carnis causa 12. florenis mulctant, illamque tam à Spiritualibus, quam à secularibus toleratu impossibilem tyrannidem vel minimo attingimus.

Insuper etiam istud, Celsitudo Vestra, nobis ob oculos ponit & significat, quod aliqui non exiguæ authoritatis magnates, solicite apud Celsitudinem Vestram instent, pro libero Catholicæ Religionis exercitio: quod itaque istos concernit, notum est omnibus, quod à primordio introductæ orthodoxæ Religionis, semper aliqui Catholici in Transylvania fuerint, qui tamen nunquam pro universitate sunt habiti, & quemadmodum ex Articulis in Generalibus diætis conditis, manifeste colligi potest, quod neque unus, neque etiam plures, sed potissima Regni pars pro universitate haberi debeat: Quo circa etiam illos, veluti communi societatis vinculo nobis conjunctos oratos volumus, ut nobis male non vertant, quod eos pro universitate agnoscere & habere non possimus: interea nulla ex parte illorum conscientias obligatas volumus; quin potius summam illis libertatem concedimus.

Quod vero Celsitudo Vestra nos admonet & hortatur, ut ad hoc negotium commodius aliquod tempus dispiciamus; meminisse eatenus Celsitudo Vestra potest, cum An. 1585. in publica diæta, uti etiam in aliis Congregationibus in hac causa institissemus, totum hoc negotium ad hæc Generalia Comitia fuisse dilatum: Cum itaque hæc optata & aurea dies nobis illuxerit, ob hoc nos convocati catervatim huc confluximus, ut ad Majorum nostrorum exemplum, præprimis & ante omnia de eo,

eo, quod summe necessarium & quod ad Dei gloriam vergit, deliberationes suscipiamus, & concludamus, ad quorum confirmationem Celsitudinem Vestram, cum Inclytis suis Senatoribus, sufficientem agnoscimus & æstimamus.

Celsitudini itaque Vestræ humillime & instantissime supplicamus, dignetur Serenissimi Regis Poloniæ (Stephani Bathori) exemplum ob oculos ponere, qui, cum ad Transylvaniæ Principatum inauguraretur, licet antea Catholicam Religionem professus fuerit, amore tamen & in gratiam Statuum, quamdiu Transylvaniæ præfuit, sacrificos non admisit; sed orthodoxorum Concionatorum publicas conciones audivit. Hujus Celsitudinis Vestræ Patrui vestigiis (utpote qui Celsitudinem Vestram singulariter amavit & æstimavit) immote insistat, suamque nobis sinceram pietatem & gratiã in supplicantium petita consentiendo, & illa effectuando, dignetur demonstrare, ut conscientiæ quoque nostræ acquiescere possint. Cum istud unice nostrum propositum sit, ut nempe penes illæsam cujusvis conscientiam ad Patriæ Libertates attendamus, omniaque ingruentia & irruentia mala propulsemus & arceamus. *Cum itaque hæc supplicatio Suæ Celsitudini per Dominum Albertum Hueth, Comitem Saxonicum, & Stephanum Bodoni Thordensem Comitem, eadem adhuc memorata die Iovis, nomine trium Statuum exhibita fuisset, sequenti mox die Veneris, in Festo S. Luciæ, Sua Celsitudo per Dominum Wolffgangum Kovasoczy Cancellarium, & Iohannem Galffy, ad eam responsum dedit in hunc tenorem*: Quod nempe Sua Celsitudo ex innata sua munificentia, in amorem Statuum, Jesuitas Varadienses, Albenses, Claudiopolitanos & ex Szent Mihalykore conjungere, eosque in Monasterium supra Claudiopolim, Monostor dictum concludere se velle, resolverit: atque istud Suam Celsitudinem sine ullius injuria facere, cum illud bonum hæreditarium alias olim, ad suæ religionis Spirituales pertinuerit. *Verum ista resolutio & declaratio Statibus longe gravior visa est, quam ut in ea acquiescere potuerint, quod videlicet adhuc plures Iesuitæ, Varadino in Transylvaniam hac ratione essent adducendi, & in Claudiopolitanum Monasterium, veluti in fortalitium concludendi essent. Renunciarunt itaque Sigismundo, ut exhibitam heri supplicationem, accuratius perpendere, & gratiosius responsum dare dignaretur. Status enim unanimiter conclusisse etiam de summe necessariis regni negotiis, ne minimum quidem tractandum, ad manus sumere velle, donec prius causa Iesuitarum plenarie complanata esset.*

Sigismundus itaque post diuturnam consultationem per Dominum Kovassoczy, Cancellarium, & Iohannem Geczy, die 16. Decembris, in hunc modum se declaravit. Postquam nos animo nostro perpendimus, nos Confirmatum Transylvaniæ Principem esse, ex eo existimâssemus etiam, vos sincero nostri amore ductos hesterno nostro responso in silentio acquieturos esse, & quod cum Consiliariis nostris maxime consultum esse duximus, vos æqua mente acceptaturos, atque istud ad animum revocaturos, quis introitus Jesuitarum in Transylvaniam author & causa extiterit; videlicet Parentis nostri frater Serenissimus Poloniæ Rex, noster olim Nutritius & curæ Pater, cujus authoritas, etiam apud vos aliquid valere deberet. Accedit & istud, quod à vobis merito suspici deberet, Jesuitas, nos ex sinu quasi materno acceptos liberalibus artibus, diligenti studio, erudivisse, inque honestis moribus, Philosophicis scientiis, ad totius vitæ nostræ salutem nos instituere, laudabiliter allaborâsse, insuper ornate dicere, dextre judicare nos docuisse, ad honestatem & disciplinam retinendam, secundum Philosophorum regulas, & ad Patriæ emolumentum, nobis manuductores fuisse. Quæ omnia cum apud nos perpendimus, æquum plane judicamus, eos non modo à nostro latere non rejicere; verum insuper ea omnia debita gratitudine compensare, eosque veluti vitæ nostræ defensores, formatores, & Curatores, omni reverentia complectendos, & abundè remunerandos esse. Postquam autem unanimem totius regni consensum videmus, Nos etiam in hac causa acquiescimus, utut nostræ Dignitati istud adversari videatur: nihilominus etiam in hoc benevolentiæ vestræ Nos ita commendamus, Vos eatenus in omnibus iis, quæ ad nostrum beneplacitum, authoritatem & regni salutem proficua esse videbuntur, vestra pariter parata servitia & promptam vestram voluntatem, in justis ad Regni salutem contributionibus exhibituros & testificaturos esse. Intermittere itaque nullatenus possumus, quin in Vestrum toties iteratum petitum consentiamus, atque à jure nostro hac vice desistamus, universosque Jesuitas ex nostra ditione, tam in

in Hungaria, quàm in Transylvania, intra quindenam eliminemus & in perpetuum hinc excesse jubeamus, Constitutorumque & confirmatorum Regni Articulorum, vigore relegemus. *Hæc ubi tres Status intellexerunt, universus Populus ingenti jubilo & plausu in Templo Medgyesiensi exclamavit: VIVAT* ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS SIGISMUNDUS, *VIVAT! VIVAT!*

42. Jesuitæ Hungaris exosi. XLII. Continuavit deinceps semper Natio Hungarica Jesuitis, ne in Regnum, ejusque adnexas Provincias ad mitterentur, mirum dictu, quanto odio, aut quo præsagio, vehementissime obsistere.

43. Ratio odii. XLIII. Clero namque Catholico pariter atque Magnatibus Secularibus Hungaricis, & toti Nobilitati, Patrum horum ad rem nimium quantum attentorum, incredibile studium amplificandi Ordinis sui autoritatem, immensumque divitiarum & potentiæ robur acquirendi, sicuti aliis etiam nationibus, semper suspectum fuit, imprimis cum observaverint, illos se intra Terminos professionis suæ, spiritualis nimirum animarum curæ, nunquam & nullibi continere; sed favorem Aularum aucupari, eoque adepto consiliis & rebus secularibus se immiscere, omniaque pro lubitu in Aulis dirigere.

44. Jesuitæ cur Evangelicis metuendi. XLIV. Majori autem fundamento nitebatur diffidentia Evangelicorum erga eos in Hungaria, qua sibi à novis hisce hospitibus metuebant, ominati sane, quod res est, ipsos omnium persecutionum authores exstituros esse. Quo enim magis Regum, imprimis Austriacorum indulgenti affectu prævaluerunt: eo magis dies noctesque de exstirpandis Ecclesiis Evangelicis cogitarunt, facillimam omnium acquisitionem sibi futuram esse rati, qua reditus Evangelicarum Ecclesiarum, scholarumque, & Ministrorum, ad se pertrahere possent.

45. Sunt persecutionum autores. XLV. Certe illi Hungari, qui omnium persecutionum Evangelicarum Ecclesiarum origines & progressus apprime se nosse causantur, constanter asseverant, Patres Jesuitas omnium istarum persecutionum, ne dicam Rebellionum exinde exortarum folles & faces semper extitisse, adhuc extare, & extituros in posterum esse, nisi serio contineantur.

46. Andreæ Dudithii moderatio. XLVI. Interea dum Jesuitæ post primum in Transylvaniam, Hungariamque ingressum, interitum rei Evangelicæ architectabantur, ex venerabili Ordine Cleri Catholici, Episcopus aliquis autoritate magna pollens, exemplo suo non parum res Evangelicorum circa hæc tempora promovit. Is erat Andreas Dudithius, Episcopus primum Tiniensis, deinde quinque Ecclesiensis, cujus jam mitius de Doctrina Evangelica & sentire & loqui ausi autoritas, ac insignis ejus in literis eruditio, mitiores de hac Religione cogitationes permultis Catholicis inspirabat. Intrepidus etiam ipse in Tridentino Concilio, cui Hungariæ Sacri Ordinis nomine interfuit, varias Orationes ad Patres publice habuit, quibus Evangelicorum Doctrinam non adeo improbare monstravit, quarum duæ, altera de communione sub utraque specie: altera de Sacerdotum Conjugio, tunc per Germaniam publicatæ sunt.

XLVII. Anno MDCIV. Rudolphus Imperator, Hungariæ Rex, absens Proceres ad Comitia Regni Posonium convocavit, quibus Matthias ArchiDux præfuit. Deputati pro more comparuerunt Comitatuum, Urbium & Civitatum liberarum Ablegati, nec quicquam durius, durantibus Comitiis, definitum in causa Religionis, aut inscriptum fuit: absolutis vero iisdem, & Ordinibus Evangelicis ad suos regressis, mox viginti & uno Articulis communibus suffragiis conclusis, citra scitum Evangelicorum, in maximum eorum præjudicium ex post facto additus est Articulus vigesimus secundus, qui sequitur: 47. Damnū An. 1604. Evangelicis allatum.

XLVIII. 48. Articulus XXII. Rudolphi contra Lutheranos.

Rudolphi II. Romani Imperatoris, & Regis Hungariæ Articulus XXII. de Anno MDCIV.

Ut Religionis negotium in publicis Tractatibus & Diætis nemo temere moveant.

Postremo, siquidem Majestas sua Cæsarea atque Regia, tum ex fide digna Relatione; tum vero ex binis per supra dictum Serenissimum Principem, Dominum Matthiam Archiducem Austriæ &c. Fratrem suum charissimum, suæ Majestati transmissis supplicationibus eorum, qui se potiorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ par-

partem indigitarunt, non sine admiratione, tanquam rem hactenus inusitatam & plane novam, dispicienter intellexit, quidam illi de turbatione ipsorum Religionis, ademptione suarum Ecclesiarum & proventuum, ac submotione Ministrorum Verbi, sive Concionatorum suorum, tam scripto, quam oretenus, ejus Serenitati proposuerunt & explicarunt, atque insuper ab ejus Serenitate intercessionem ad Sacram suam Majestatem Cæsaream & Regiam eum in finem demisse flagitarunt: Ut, *omnibus per suam Majestatem eis restitutis, in libero Religionis suæ exercitio permanere, illoque frui & gaudere queant. Qui tamen ab ejus Serenitate requisiti & admoniti, neque scriptum suum, qui se illius participem facere cogitasset, proprio nomine subscribere, neque cujus Religionis sint, profiteri, quasve Ecclesias & proventus sibi ademptos esse questi sunt, explicare voluerunt: Sed circa generalia solummodo persistentes, haud facile à concepta opinione sese dimoveri passi sunt, & per hoc publicos hujus Diætæ Tractatus non modicum retardarunt, cæterisque fidelibus Regni Statibus & scandalum & malum exemplum præbuerunt. Quod quidem sicuti Suæ Majestati Cæsareæ & Regiæ gratum esse non potest: ita quoque sua Majestas recordari nequit, quod illis per suam Majestatem in prætensa illorum Religione aliqua injuria irrogata, vel aliquæ Ecclesiæ, aut earum proventus, in bonis præsertim eorum propriis & aviticis eis adempti fuissent; neque Majestas sua Cæsarea super obnubilatis eorum prætensionibus sese ullo modo resolvere valet, præsertim, quod existiment, illos aliquam cum liberis Civitatibus Regni, quæ Sacræ Coronæ & Suæ Majestatis Cæsareæ, tanquam inclyti Regis Hungariæ peculium sunt, collusionem in urgendo novæ Religionis exercitio habere. Cum autem Sua Sacrata Cæsarea Regiaque Majestas instar divorum quondam Progenitorum & Prædecessorum suorum, tam Imperatorum Romanorum; quam vero Regum etiam Hungariæ felicium recordationem Sacro Sanctam Catholicam fidem & Religionem sincere profiteatur, illam quoque in Regnis & provinciis suis, ac præsertim in hoc suo Hungariæ Regno, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ex tot falsis opinionibus & sectis erutam, ubique florere & dilatare cupiat, ac ex debito Regiminis sui officio pro virili & jam tueri, & defendere satagat: idcirco Majestas sua sacratissima motu proprio, deque Regiæ suæ potestatis plenitudine, tam Sancti Regis Stephani, hujus gentis Hungaricæ Apostoli, quam vero omnium aliorum divorum quondam Hungariæ Regum, Suæ Majestatis Prædecessorum Decreta, Constitutiones & Articulos, pro præfata Sancta Catholica Romana fide & Religione, quovis tempore præclare & pie editos & evulgatos, non secus ac si de verbo ad verbum præsentibus literis inserti & inscripti essent, hoc speciali suo Articulo clementer ratificat et confirmat: ac ne deinceps in generalibus præsertim et arduis Regni Tractatibus et Diætis, alicui Religionis negotium, ad remorandos et interrumpendos publicos Tractatus, quovis colore et prætextu impune movere liceat, benigne statuit, et serio decernit, ut contra tales inquietos, rerumque novarum cupidos, pœna à Divis quondam Regibus Hungariæ in iisdem Decretis et Articulis statuta, confestim procedatur, et cæteris in exemplum irremissibiliter puniantur.*

XLIX. Per hunc Articulum jactum credebatur fundamentum ad diras quasque persecutiones Religioni Evangelicæ impune intentandas: nimirum obice posito, ne desuper querelas in Comitiis movere, aut remedia quærere, aut impetrare liceret. Prætendebatur quidem tunc temporis Articulum istum consultis Statibus Regni, adeoque nec insciis Evangelicis confectum esse; verum notorium nimis est, illis absentibus & nullo modo consentientibus; imo desuper, cũ resciivissent, submisse protestantibus, cum instinctu Cleri Catholici superadditum esse, & ipsemet Rex, in conclusione idem sincere fatetur hisce verbis: *Reliquos sibi à Regni ordinibus more solito præsentatos, ultimum verò per se,* (Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem) *benigne & necessariò additum.* 49. Articulus ille fit fundamentum persecutionum.

L. Et quid multa? In Pacificationis Viennensis Articulo, Articulus hic ultimus, sive 22. cum reliquis constitutionibus contra Lutheranos antehac promulgatis, abrogatus est, addita hac confessione expressa, *eum extra Diætam & sine Regnicolarum consensu adjectum fuisse.* 50. Abrogatus postea.

LI. Idem hoc Artificiũ posterioribus tẽporibus imprimis novissimis adhibuit sæpius Clerus Catholicus, adstipulante Aula, ut querelæ Evangelicorũ à deliberandis in Comitiis excluderentur, istique destinato acerrime adeo institerunt, ut de facto exclusis Evangelicis, aut gravamina Religionis intacta siverint Catholici; aut tandem novissimis tem- 51. Artes excludendi gravamina sæpius adhibitæ.

temporibus eo etiam processerint, ut non admissis Evangelicis, Articulos in summum præjudicium Religionis Evangelicæ, conceperit Clerus, & Status Catholicus, & Evangelicos desuper protestantes pro Rebellibus habuerint, processibusque vexare præsumserint, imo libertatibus reliquis plane excidisse decreverint.

52. Leges Regni neglectæ. LII. Id quod sane durius multo fuit; quam quod dicto Anno 1604. factum est: quoniam post Annum 1606. Legibus publicis res Evangelicorum, alium, multoque meliorem in statum emerserat, libertate illorum Religionis Articulis Regni amplissime stabilita, & Evangelici, Reformatique pro separatim considerato Statu Regni, quoad causam Religionis, eodem modo, qui adhuc in Imperio Romano-Germanico viget, agniti.

53. Belyoyosæ tyrannis. LIII. Isto consilio & allato Articulo nitebatur, cui dictus Articulus viam paraverat, Jacobus Barbianus, Comes de Belyoyosa, quondam Romæ Carthusianorum Præfectus, deinceps Generalis Militaris, qui ad hoc unice ab Imperatore missionem in Hungariam obtinuisse videbatur, non ut Turcarum vires, veluti prætendebat, infringeret; verum, ut Templa primum quidem Regiis Civitatibus adimeret, & mox omnes Evangelicos promiscue ad Religionem Romano-Catholicam obtorto collo traheret. Nec fefellit Barbianum Belyoyosam prima fronte opinio. Nam postquam eximium illud, & decantatissimum Templum Cassoviense, Civitati jam ante comitia Anno 1604. d. 21. Januar. ademerat, Concionatores Evangelicos in exilium abegit, ac ne quis eorum, vel copulandi Sponsos, vel Sacra Cœna utendi gratia è Civitate aliquò exire ausit, sub amissione vitæ, honoris & substantiæ, severissime interdixit. His non contentus Belyoyosa, Jura & Privilegia, Cassoviensium secularia etiam labefactavit, ademptis vi domibus publicis, pagis, molis & subditis, sperans, his protritis & attenuatis, reliquas Civitates, quæ Cassoviæ exitium observabant, facilius cessuras.

54. Archi-Episcopi Colocensis conatus irritus. LIV. Hoc cum prospere hactenus succedere videretur, Martinus Pete, Archi-Episcopus Colocensis, & per Hungariam locum tenens, apud Poloniæ Regem, tam per literas, quam nuncios speciales assidue urget veniam exstirpandi in XIII. oppidis Scepusiensibus (quæ Hypothecæ jure Rex Poloniæ possidet) Verbi Ministros Evangelicos, eamque impetrat. Tendens ergo ad Scepusienses Archi-Episcopus, Leutschoviam urbem Hungariæ liberam & Regiam intrat quidem & eadem, quæ Barbianus Cassoviæ tentat: Verum constantes in Religione cives à proposito precibus primum Antistitem retrahere satagunt; sed cum nihil hac via apud spei plenum ex Barbiani successu Prælatum efficerent, validiori manu se ei opponunt desperatione acti. Archi-Episcopus itaque spe delusus, rè infecta sese in Prætorium recipit, à Belyoyosa milites, quibus Leutschovienses cogat, expectaturus. Dum autem ibi commoratur, inopinato rumor adest, Cæsareanos ab Heidonibus fusos: Archi-Episcopus ergo re citius cognita, per inhospita loca ad tutiores partes se confert.

LV. Interea Cassovienses, ne quid propter ademptum Templum molirentur, à Belyoysa, ex casu Archi-Episcopi meticuloso, jurejurando se obstringere coacti. Mittunt tamen illi Legatos ad Imperatorem supplicatum, ut si Templum non restituatur, liberum saltem cultus exercitium in aliquo angulo concederetur: Sed postquam tres Anni quadrantes in Aula commorati sunt, tandem post multiplices inutiliter effusas preces, re infecta ad suos redierunt. Reliquæ liberæ Civitates eadem de causa Aulam adeunt, & per viscera misericordiæ Dei (hac enim in omnibus fere supplicationibus, solenni formula uti solent) orant, ut ipsis liberum exercitium religionis concedatur: verum hi quoque gravi interminatione repulsi sunt. Supplicationes præterea secutæ sunt solennes protestationes, tam in generali Diæta Posoniensi; quam particularibus conventibus propterea factæ: Sed etiam hæ omnes neglectæ sunt. Hinc factum, ut in afflictis & desperatis rebus remedium quærentes Hungari, ubique fere gentium seditionis rebellionisque rei proclamarentur. In oppido Liszka Ladislaus Pede, Imperatoris campestris mili- 55. Cassoviensium laborinanis.

militiæ Hungaricæ Generalis Belli Dux, Martini fratris sui jussu Ministrum Reformatum Paulum Stantai ejecit, & duos è Soc. Jes. Georgium Waserhelyi & Paulum Besseredi substituit.

56. Barbiani exercitus cæsus.

LVI. Anno autem MDCV. die 15. Octobris Barbiani exercitu ab Heidonibus, ut dictum, apud Diosreg oppidum stratagemate cæso, audita tam subita & plane inopinata strage, dictus Pater Georgius Waserhelyi mature sese Leleszinum confert, Paulus Beszeredi diutius moratus, habitu rustico indutus evasit.

57. Basta Dux Cæsareus persequitur Evangelicos.

LVII. Basta quoque Anno 1599. Rudolphi Imperatoris Dux & Legatus ab incolis in Transylvaniam honorifice susceptus, contra Sigismundum Principem bellum gessit, quo devicto ingentibus cupiditatibus & rapinis flagrabat, & Templa Evangelicis eripiebat, dureque eos habebat; qua rapinarum serie adeo omnium Incolarum animos avertit, ut illi vel nomine ejus exhorrescerent. Quapropter Mose Szekely & Gabriele Bethlen autoribus, in eum conspiratum est, quæ tamen conjurationis capita ille in ipso ortu oppressit, & Transylvaniam omnem asseruit.

58. Boczkajus & Gabriel Bethlen novos motus excitant.

LVIII. Postea Basta, Transylvania relicta sive stipendiorum tarditate, sive perfidia conjuratorum Anno Seculi Decimi septimi tertio Szakmarinum versus extruditur: deinde cæso Mose Szekhely, qui principatum occupaverat, Basta in Transylvaniam revolat, receptaque provincia eidem regendæ, decem viros, ex Germanicis & Hungaris delectos, præposuit; donec à Boczkayo hic status iterum immutaretur. Etenim Hungari desperabundi, Ducibus Stephano Boczkaio & Gabriel Bethlen Anno 1604. novos motus in Regno excitant, ac Ducibus Cæsaris cæsis totam Hungariam occupant.

Periodus Prima explicita.

HISTO-

HISTORIÆ DIPLOMATICÆ

De Religione Evangelica in Hungaria.

PERIODUS SECUNDA,

Qua Religio Evangelica publicam Libertatem, & summum securitatis Solstitium, per pacificationis Articulos & Leges Regni consecuta est.

CONSPECTUS PERIODI SECUNDÆ.

1.

PEriculum Belli Civilis Hungarici etiam Austriacis Provinciis imminens, pacis cogitationes suadet. 2. *Pacificatio Viennensis, An.* 1606. 3. *Artic. I. Pacificationis Viennensis de Religione Evangelica,* 4. *Imperium Rom. recusat ab Imperatore petitas suppetias contra Hungaros, & observantiam promissorum & pactorum suadet.* 5. *Hæc pacificatio primum fundamentum est publicæ securitatis Religionis Evangelicæ.* 6. *Ante hanc pacificationem Religio Evangelica ne quidem tolerata dici poterat; post illam autem stabilita nominari potest.* 7. *An Lutherani & Reformati in Hungaria possint haberi pro talibus, qui sunt in Ecclesia pressa.* 8. *Evangelici post pacificationem Viennensem eadem sunt in conditione in Hungaria, in qua sunt in Imperio Rom. Germanico post pacem VVestphalicam.* 9. *In Imperio Lutheranos & Calvinianos hæreticos appellare, aut eos Religionis causa persequi non licet.* 10. *Nonnulli Ecclesiastici credunt, se Theologos esse non posse, si extirpationem Evangelicorum non moliantur.* 11. *Deplorandum est, Christianos contra Christianos eodem rigore uti, quo olim Ethnici contra Christianos usi sunt.* 12. *Ethnicos contra Christianos iisdem fere argumentis usos esse, quibus utuntur, qui exstirpationem Evangelicorum suadent, & meditantur.* 13. *Quid Christiani Ethnicis persecutoribus opposuerint.* 14. *Incongruum esse, Christianos persequi eos, qui in plurimis fidei fundamentis consentiunt.* 15. *Consultius esse, Clerum Catholicum Hungariæ sequi exemplum Cleri Catholici in Germania.* 16. *Principes Ecclesiastici & Clerus Catholicus in Germania Evangelicos Constatus, imo ne proprios quidem subditos persequitur, aut in libertate conscientiæ & Religionis turbat, nec paci religiosæ contra venit.* 17. *Curia Romana Paci religiosæ in Germania contradixit & Clerum hortata est, ne eam observet; sed potius oppugnet & pro nulla habeat.* 18. *Sed Clerus Germaniæ hæc non curat, potius fidem publicam servat.* 19. *Clerus Hungariæ idem facere posset.* 20. *Clerus Hungariæ detrectat gravamina Evangelicorum complanare, idque impedit, quod magnorum malorum causa est.* 21. *Catholici in Germania gravamina Religionis cum Evangelicis amicabiliter componunt & quiete invicem vivunt.* 22. *Idem Catholici in Hungaria facere possent.* 23. *Pacificatio Viennensis in Transylvania observata.* 24. *Pacificatio Viennensis in Hungaria abiit in legem publicam; sicut pax religiosa in Germania.* 25. *Matthias pacificationis Viennens. articulum de religione inter articulos Regni redegit, ut eo magis servetur.* 26. *Art. I. Matthiæ de religionis libertate.* 27. *Ejusdem Artic. 8. de Jesuitis, ne bona immobilia in Hungaria possidere ipsis liceat.* 28. *Artic. I. An.* 1608. *& pacificatio Vienn. ab omnibus Regibus sequentibus confirmata est.* 29. *Articulus de Evangelicorum admissione ad dignitates & officia.* 30. *Articulus hic confirmatus Anno* 1609. 31 *Superintendentes Evangelici juxta Artic. I. A.* 1608.

per Articulos Solnenses constituuntur. 32. *Articuli Solnenses.* 33. *Archi-Episcopus Strigoniensis protestationem contra Articulos Solnenses publicat, addita excommunicationis comminatione.* 34. *Evangelici Apologiam edunt.* 35. *Apologiæ tenor.* 36. *Articuli Consistorii Semptaviensis Anno* 1622. *eduntur.* 37. *Articuli Semptavienses.* 38. *Matthias II. Artic. I. Anni* 1608. *confirmat Anno* 1618. 39. *Artic.* 77. *Anni* 1618. 40. *Religionis Evangelicæ incrementa aucta per accessionem familiarum Illustrium.* 41. *Tres Palatini Regni, Lutherani fundationes fecerunt.* 42. *Magnates Lutherani & Reformati, alii iique multi idem fecerunt.* 43. *Civitatum liberarum fundationes in templa & scholas Evangelicorum.* 44. *Unde Catholicis vix aliquid decessit per incrementa Religionis Evangelicæ.* 45. *Gymnasiorum Evangelicorum fundationes.* 46. *Hæ fundationes in Catholicorum manus venerunt.* 47. *Ferdinandus II. Anno* 1618. *in Regem Hungariæ coronatus, Diplomate Regio* 17. *conditiones se servaturum promittit, & jurat.* 48. *Conditione sexta libertatem Religionis promittit, se ita præstiturum, ne etiam Domini terrestres quovis sub prætextu eam turbent.* 49. *Diploma Regium Ferd. II.* 50. *Post tantas pollicitationes & leges publicas Evangelici nihilominus turbationem libertatis religionis passi sunt.* 51. *Iesuitis jam tum persecutio Evangelicorum imputata.* 52. *Gabriel Bethlem bellum movet, coronam occupat, Austriam & Moraviam vastat.* 53. *Pacem Anno* 1621. *init, qua & religio Evangelica in pristinum statum restituitur.* 54. *Idem Anno* 1623. *novum bellum movet, Iesuitas ejicit & magna damna Austriæ, Styriæ, & Moraviæ infert.* 55. *Pax concluditur, & Religionis Libertas denuo promittitur.* 56. *Libertatem Religionis Ferdinandus II. aliquoties articulis confirmat.* 57. *Uti in Comitiis anno* 1625. 58. *Artic.* 22. *Anni* 1625. 59. *Artic.* 33. *Anni* 1630. 60. *Artic.* 29. *Anni* 1635. 61. *Ferdinandus III. Anno* 1625. *in Regem Hungariæ coronatus, Diplomate Regio septendecim conditiones se servaturum promittit, & jurat damnato prætextu juris terrestris, quo domini terrestres ad reformandum abuti non possunt.* 62. *Diploma Ferdinandi III.* 63. *Non attentis his promissis* 300. *templa Evangelicis adimuntur & prædicatores in exilium mittuntur, unde Georgius Rakozius bellum movet.* 64. *Pax An.* 1645. *initur, & ut diuturnior esset, Cleri dissensus & contradictio contra Religionis Evangelicæ libertatem rejicitur & in perpetuum annullatur.* 65. *Aula Romana exprobraverat Clero Hungariæ æque ac Germaniæ Consensum, super libertate Religionis Lutheranæ. Hic illa non curavit, sed ille timuit.* 66. *Rex autem Catholicus jure suo nititur & Cleri contradictionem nullam & irritam esse, in perpetuum jussit ex gravissima ratione.* 67. *Pacificatio de Anno* 1645. 68. *Complanatio gravaminum Evangelicorum ad Comitia remittitur.* 69. *In quibus sancitum est, ut in futurum gravamina Evangelicorum singulis Comitiis à Rege semper complanentur.* 70. *Decisio in Articulis facta.* 71. *Articulus* 6. *anni* 1647. *de* 90. *templis Evangelicis restituendis.* 72. *Articulus* 7. *anni* 1647. 73. *Artic.* 8. *anni* 1647. 74. *Artic.* 9. *anni* 1647. 75. *Artic.* 10. *anni* 1647. 76. *Artic.* 11. *anni* 1647. 77. *Artic.* 12. *anni* 1647. 78. *Artic* 13. *anni* 1647. 79. *Artic.* 14. *anni* 1647. 80. *Artic.* 15. *anni* 1647. 81. *Artic.* 16 *anni* 1647. 82. *Artic.* 17. *anni* 1647. 83. *Artic.* 18. *anni* 1647. 84. *Artic.* 19. *Anni* 1647. 85. *Per hos Articulos, & Pacificationem præcedentem, solstitium securitatis & Libertatis Religio Evangelica nacta est.* 86. *Quæ adhuc supererant desiderata in Comitiis sequentibus, An.* 1649. *complanata sunt.* 87. *Notandum Clerum Catholicum in actis hujus Diætæ fassum esse, publice Religioni Evangelicæ libertatem legibus concessam relinquendam, & templa adjudicata restituenda esse &c. sed nunc quantum mutatus ab illo?* 88. *In fine Comitiorum omnia in hoc puncto decisa sunt Artic.* 10. 11. *&* 12. 89. *Artic.* 10. *Anni* 1649. 90. *Artic.* 11. *Anni* 1649. 91. *Artic.* 12. *Anni* 1649.

I.

Bellum illud civile, quod Ducibus Stephano Boczkaio & Gabriele Bethlen gerebàtur, non modo Hungariam integram occupaverat, sicuti in fine Periodi primæ jamjam dictum est, sed Austriacis etiam Provinciis Hereditariis ruinam minabatur, cum Hungari illas gravissimis invasionibus diriperent & expilarent: unde omnia in summo & præsentaneo discrimine fluctuabant. Periculum istud ingens vastationis totalis, quod tunc Austriæ, Moraviæ & Styriæ imminebat, locum dedit cogitationibus de pace reducenda, & gravaminibus Hungarorum complanandis. 1. Bellum Civile pacem promovet.

II. Pax ergo Anno 1606. d. 23. Junii, Viennæ, inter Archi-Ducem Matthiam, Plenipotentiarium Imperatoris, 2. Pacificatio Viennensis An. 1606.

&

& Regis Rudolphi, & Bozkaium per hujus Mandatarios facta, & d. 6. Aug. per Regium consensum confirmata est. Cum autem pro solenniori Instrumento Pacis conficiendo & omnibus punctis magis illustrandis inter utramque partem conventum esset, ut Viennæ ultima Manus pacis negotio imponeretur, sequenti Mense Septembris, absente Imperatore Pragæque commorante, autore Archi-Duce Instrumentum Pacificationis Viennensis An. 1606. d 26. Sept. confectum, & omnibus solennitatibus absolutum est, cui accessit fœdus solenne inter Regnum Hungariæ & Regnum Bohemiæ; nec non Moraviam, Silesiam & Lusatiam, quod subscriptionibus Procerum, tam Hungariæ quam Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ & Lusatiæ, appensisque sigillis munitum est, cujus paria in *Corpore Iuris Hungariæ pag. 111. usque 121.* extant. Quid de Religione Evangelicorum hac pace stabilitum sit, sequitur:

3. Art. I. Pacificationis Viennensis de Religione Evangelica.

III. PACIFICATIO VIENNENSIS.

Ad Articulum Primum.

Quantum itaque ad Religionis negotium attinet, non obstantibus pro tempore Constitutionibus, sed neque Articulo postremo Anni 1604. (cum is extra Diætam & sine Regnicolarum assensu adjectus fuerit, & propterea etiam tollitur) deliberatum est, ut juxta Sac. Cæs. Regiæque Majestatis priorem resolutionem, ad quam se Regnicolæ in sua replicatione referunt. Nimirum quod omnes & singulos Status & Ordines intra ambitum Regni Hungariæ solum existentes, tam Magnates, Nobiles, quam liberas Civitates & Oppida privilegiata immediate ad Coronam spectantia: Item in Confiniis quoque Regni Hungariæ Milites Hungaros in sua Religione & Confessione nusquam & nunquam turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Verum omnibus prædictis Statibus & Ordinibus liber Religionis ipsorum usus & exercitium permittetur: Absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis, & ut Clerus, Templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera permaneant, atque ea, quæ hoc disturbiorum tempore utrinque occupata fuêre, rursum iisdem restituantur.

Ad Octavum.

Hungari non consentiunt, quo Iesuitæ, in Regno Hungariæ, jura stabilia & possessionaria habeant & possideant. Sua tamen Maiestas juribus suis inhæret quoad Clausulas Donationalium, fiant Donationes juxta Decreta Regni & more antiquitus solito.

IV. Recurrerat Imperator Rudolphus ad Status Imperii Romano-Germanici, cum res ejus in Hungaria, & provinciis Hæreditariis, in præcipitio esse videbantur, eorumque auxilium contra tumultuantes Hungaros expetierat. Illi autem per Plenipotentiarios & Ablegatos suos in Comitiis agentes, post interea subsecutam Pacificationem, die 24. Aug. 1607. Imperatori responderant: Imperium quidem Hungariæ contra Turcas sæpius auxilia præstitisse, sed arma infesta Hungaris ipsismet nunquam intulisse, neque è re sua esse, antemurale Christianitatis oppugnare, consultius fore, & quidem vel maxime pace jam composita, fidem Hungaris datam servare, cum vel gentilibus & Turcis non sit violanda. Vid. *Londorp. Acta Publ. Tom. I. pag. 46.* edit. 1668. Hoc Imperii responso & suasu commonefactus Imperator Rudolphus, eo magis in pace Religiosa servanda confirmabatur, diversa suadentium susurrationibus minus aurem præbens. 4. Imperium Germani cum observantiam pactorum suadet.

V. Hæc ergo Pacificatio, Viennensis primum fundamentum & basis publicæ securitatis pro Religione Evangelicorum in Hungaria fuit. Hactenus enim intra octoginta admodum Annorum decursum, Religio Luthera-na & Reformata augmenta quidem per Regnum Hungariæ maxima sumserat; sed nullis adjuta legibus securitatem quandam promittentibus, nullaque Aulæ protectione nixa. 5. Hæc Pacificatio fundamentum est publicæ securitatis.

VI. Quin imo quæ hactenus emanaverant Leges in perniciem & exstirpationem ejus semper ingeminabantur: ita, ut quemadmodum temporibus hanc pacificationem præcedentibus vix dici potuit, Religionem illam fuisse toleratam, cum ne quidem, ut tolerari deberet, Lex aliqua publica exstiterit: ita post Pacificationem illam demum Religio Evangelicorum publicam securitatem & libertatem tantam consecuta est, ut non modo pro tolerata, sed potius ex illo tempore, pro publice in Hungaria stabilita habenda sit. 6. Tum demum libertas religionis stabilita.

7. Evangelici non amplius sunt in Ecclesia pressa.

VII. Unde Lutherani & Reformati, sive Augustanæ & Helveticæ Confessioni addicti, sustinent se post hanc Pacificationem, pro talibus haberi amplius non posse, aut debere, qui in Ecclesia pressa versantur, quibus contra persecutiones nihil reliqui sit, quam patientia & Martyriorum vel Exilii toleratio, cum nunc suppetant Pacificationes, pacta, publica Diplomata, & promissa Regia jurata, & Articuli Regni, quæ omnia allegare, & ut serventur petere liceat.

8. Ipsis libertas eadem est in Hungaria, quæ in Imperio.

VIII. Imo sustinent illi, non aliam, sed eandem esse conditionem, in qua sunt Religionis istius Consortes in Imperio Romano-Germanico; ubi horum Religio non pro tolerata saltem, aut cuilibetcunque persecutioni obnoxia; sed pro publice stabilita & eadem libertate & securitate, qua Romano-Catholica utitur, gaudente habetur.

9. In Imperio Evangelicos persequi non licet.

IX. Eat ibi in Imperio Romano-Germanico, inquiat aliquis zelo indiscreto & insano flagrans, & Imperatori Augustissimo, Principibusque Catholicis, iniqua illa principia & Consilia: Hæreticis nullam servandam esse fidem, sed ferro, igne, eos exstirpandos esse, insinuet, & Lutheranos & Reformatos Hæreticorum nomine proscindat, experietur sane se crabrones excitare, & consilium suum non tantum sibi, sed & Principi, cui illud suggerit, perniciosissimum futurum.

10. Evangelicos persequi credi tur officium Theologi.

X. Dolent quam maxime illi Religioni Reformatæ addicti in Hungaria, quod Venerabilis Clerus Romano-Catholicus, in Hungaria, per umbratiles & scholastico in pulvere enutritos Theologastros inferioris commatis, quos Hungari Pfaffacios vocitare amant, se eum in errorem induci nonnunquam patiatur, ut credat, se non posse non contra dissentientes in Religione perpetuo quasi bello colluctari, & Ecclesiasticorum nomine indignos esse, qui pro horum exstirpatione diu noctuque non allaborent. Unde quo quis eorum est devotior, & ad promerendum gradus gloriæ studiosior, eo in persecutiones illorum est acrior.

11. Christiani perdunt Christianos

XI. Deploranda est insania, quæ in Orbe Christiano nimium invaluit, ut quicquid crudelitatis in primitiva Ecclesia Ethnici Tyranni, contra Martyres Christianos perpetrarunt, nunc Christiani invicem contra Christianos, eodem rigore, eademque truculentia exercere justum, imo pium esse credant.

12. Persecutores hodierni utuntur argumentis ethnicorum.

XII. Merito damnavit primitiva Ecclesia Tyrannos Ethnicos, quod Christianos ad ejurandum Religionem suam suppliciis atrocibus tentaverint. Frustra omnino causati fuerunt Ethnici persecutores Religionis Christianæ, hanc superstitioni suæ esse contrariam, neque Imperanti tolerandum esse, ut subditi aliam, quam dominantem, vel potius dominantis Principes Religionem sequantur: cum divisio & diversitas Religionum multifariam in Imperio confusionem, & ad turbas motusque civiles fomentum & occasionem præbeat, Christianorum præterea religionem talia docere, quibus Ethnici assentiri, pro impossibili existimabant. Neque defuerunt inter Gentiles, qui persecutione Christianorum, se Diis suis fictitiis gratissimam rem facere à Sacerdotibus suis impiis persuadebantur, atque zelo secundum ipsorum superstitionem pio persecutiones Christianorum exercebant, neque etiam facile acuti. Gentilium Philosophi, & Principes philosophantes, falsitatis suæ superstitionis disputando convinci, & à falsa persuasione sua dimoveri potuerunt, cum fides Christiana semper sit & fuerit, opus Dei, & non nisi Spiritus Sancti operatione per convictionem internam, non autem disputationibus Scholasticis multo minus tormentis inspiretur.

13. Quid Christiani Ethnicis persecutoribus opposuerint.

XIII. Quid adhæc Christiani in pressa Ecclesia primitiva? Certe ad captum gentilium nihil magis appositum reponere ipsis potuerunt, quam conscientias hominum cogi non posse; neque principibus & Magistratibus in animas & conscientias ullum Imperium, Deoque magis, quam Principi obediendum esse.

14. Incongruum est persequi in plurimis consentientes.

XIV. Nunc autem mutata rerum facie in Ecclesia Christiana, à persecutionibus Ethnicorum jam secura nonnunquam ab aliquibus eadem illa principia & dura consilia adaptantur, quibus Ethnici Christianorum persecutiones justificare satagebant: & quidem non jure talionis contra ipsos Ethnicos vel infideles Turcas, Judæos, Sinenses & Tartaros; sed contra Christianos ipsosmet, qui in eundem Deum, in eundem Redemptorem, eundemque Spiritum Sanctum credunt, & baptizati sunt, qui pro principio & fundamento fidei primario eandem Sacram Scripturam agnoscunt & eadem Symbola Oecumenica recipiunt, & propemodum in iis omnibus quæ ad fundamentum fidei

&

& ſalutem præciſe neceſſarium pertinent, conveniunt, & ultra cultum externum, & ea, quæ illuc pertinent, vix in aliis, quam illis ſaltem diſſentiunt controverſiis, quæ originem trahunt ab infauſtiſſima illa, & paci Eccleſiæ Chriſtianæ nimium fatali, Philoſophiæ Ethnicæ Ariſtotelicæ in Scholaſticam deinceps corruptæ cum Religione Chriſtiana combinatione; nec non à commutatione regni Chriſti ſpiritualis in dominatum mundanum.

15. Exemplũ Cleri in Germania imitandum.

XV. Cum autem nota characteriſtica Eccleſiæ Chriſti ſit, Spiritus charitatis, lenitatis, tolerantiæ, & amoris: ſatius & conſultius eſſet, Venerabilem Clerum Hungariæ, exemplum Eminentiſſimi Cleri Romano-Catholici in Germania imitari, & eodem ſpiritu charitatis cum Evangelicis & Reformatis cohabitare.

16. Status Catholici in Germania non turbant conſtatus Evangelicos

XVI. Sunt in Imperio Romano-Germanico Summi Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, Cardinales, & qui his cedere jure nolunt, Eminentiſſimi Electores Eccleſiaſtici, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, potentiſſimi Imperii Principes, ſublimi jure territoriali, Majeſtatis æmulo gaudentes, qui in zelo diſcreto pro Eccleſiæ Romanæ ſalute, nulli quidem ex Venerabili Clero Hungariæ cedunt, ſed illo zelo ſuo non adeo in transverſum rapiuntur, ut credant, ſe Catholicos Eccleſiaſticos eſſe non poſſe, niſi de perſequendis & exſtirpandis Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſioni addictis continuo cogitent: potius cum reliquis Conſtatibus diverſæ Religionis in pace & quiete vivere malunt, & ſubditis ſuis diverſam à ſua religionem profitentibus, in exercitio Religionis & conſcientiarum libertate nullatenus graves eſſe, illisque Templa, Scholas, Parochias, Paſtores & proventus integros ſinere, religioni ſibi ducentes, Pacificationi Monaſterienſi, pacique religioſæ, qua Auguſtanæ Confeſſionis addictorum & Reformatorum Religioni eadem Libertas & ſecuritas ſtabilita eſt, quæ in Hungaria per Pacificationem Viennenſem eidem aſſerta fuit, contravenire.

17. Curia Romana Pacem Religioſam impugnavit.

XVII. Equidem Curia Romana Paci religioſæ & Inſtrumento Pacis Monaſterienſi ab Imperio confectos ſolenniter & enixiſſime contradixit, easque nullas eſſe voluit: & ne Principes Eccleſiaſtici illas obſervarent, ſerio & iterato juſſit, imo proteſtationes, reſervationesque ſuas toties reiteravit, quoties occaſio tulit.

18. Sed Clerus Germaniæ fidem ſervat.

XVIII. Verum illa omnia Venerandus Imperii Romano-Germanici Clerus non curavit; ſed publicæ fidei datæ inviolabiliter ſtandum eſſe, prudenter & juſte exiſtimavit.

19. Utinam ſervaret fidem Clerus Hungariæ.

XIX. Eccur non etiam Venerabilis Hungariæ Clerus, laudabilibus tanti Cleri veſtigiis in eadem plane cauſa & pari caſu potius inſiſtat?

20. Sed detrectat gravamina Evangelicorũ complanare

XX. Diverſo plane eoque funeſto ſatis eventu diverſam ab illa, qua Clerus Germaniæ utitur, viam, Venerabilis Clerus Hungariæ hactenus eligere maluit in tractando Religionum diſcrepantium negotio. Raro enim cum Lutheranis & Reformatis pacem aut gravaminum inquiſitionem inire voluit: ſed potius in Diætis, ne ad gravaminum illorum examen & compoſitionem perveniatur, omni niſu impedivit: tantummodo ut in adimendis Templis, inque exilium mittendis paſtoribus proteſtantium, aliisque perſecutionibus eò majori licentia progredi, ſicuti exiſtimaverant, liceret: unde proteſtationum & lamentationum Evangelicorum nullus fuit modus, tandemque ad tantam deſperationem aliquoties illi adducti ſunt, ut illa occaſione data in tumultus erumperet, & ſæpius integrum Regnum, ipſeque Clerus Catholicus in ſummum diſcrimen præcipitaretur.

21. In Germania gravamina Religionis amicabiliter componuntur.

XXI. Clerus è contra, & Status Romano-Catholici in Imperio Romano-Germanico, pacem & tranquillitatem cum Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſioni addictis Conſtatibus, ob propriam tranquillitatem & conſervationem ſatis ſtudioſe colunt, &, ſi quid gravaminum ſupervenit, omnia amicabili tractatu & transactione in Comitiis, aut per ſingulares Imperii ex utraque parte Deputationes, protinus componunt, & omnes unanimi conſenſu ſemet ipſos conjunctis communibus viribus, contra inſultus hoſtium extraneorum tuentur, propriamque libertatem & jura communia feliciter conſervant.

22. Idem Catholici in Hungaria facere poſſent.

XXII. Unde optandum eſt, ut tandem aliquando Venerabilis Clerus Hungariæ eadem conſilia pro Patriæ propriaque tranquillitate ſervanda capeſſat!

23. Pacificatio Viennẽſis in Tranſylvania obſervata.

XXIII. Sed ut ab hac digreſſione, ad Pacificationem Viennenſem, qua prima Halcyonia Religioni reformatæ illuxerunt, redeamus, monendum eſt, illam in Tranſylvania ad obitum usque ultimi Principis Apaffi duraſſe ſine notabi-

tabili persecutionum interpellatione. Equidem Jesuitæ jam tam anno 1606. in Transylvania varia moliebantur, in præjudicium Religionis Evangelicæ, sed cum incolæ hoc animadverterent, indeque Jesuitis periculum instaret, per sequentes literas admoniti cautius mercari didicerunt.

Epistola,

Jesuitæ moniti per literas Stephani Bathori.

Ad Jesuitas per Stephanum Bathori Cassovia in Transylvaniam missa.

Reverendi & Honorabiles, nobis dilecti! Salutem & favorem nostrum significandum Vobis, per præsentes duximus, certas, quasdam & occultas machinationes, quibus Publicam Patriæ quietem haut mediocriter turbare niteremini, manibus Vestris esse deprehensas, propter quas verendum est, ne ob vehementem Regnicolarum, quos Vestra inquietudine, ab initio multoties infensissimos Vobis reddidistis, indignationem, etiam nobis insciis & invitis, certa clades Vos maneat & immineat: Volentes itaque Vitæ & permansioni Vestræ consulere ne forte perniciei, si contingeret, causa, minus juste à Christianis Principibus Nobis inureretur, Dominationes Vestras, serio præmonendas esse voluimus: ut spatio quindecim dierum ab exhibitione præsentium computando, universos & singulos Vestræ Sectæ Ordinisque Iesuitici socios, publice vel privatim eam factionem tenentes, sive sub privatis sive publicis Patronis constituti fuerint, undecunque intra ambitum Regni Nostri Transylvaniæ existentes, signanter autem Albæ Iuliæ, oppido Udvarhelli & Castello Gerend, aliisque locis omnibus, ad illud, quo nunc degitis Claustrum, Colosmonostra, Beatæ Mariæ Virginis, publico edicto convocatis, & ut intra limites ejusdem se pacifice contineant, Nomine Nostro omnibus injungatis; scientes, si qui eo se ex Mandato nostro contulerint, secure resolutionem Nostram & Dominorum Regnicolarum de Conditione Vestra expectaturos. Aliis vero id præstare negligentibus, si quid sinistri post præfixum terminum evenerit, immunes nos & innoxios ab eorum molestia, damnificatione, & sanguine futuros. Post præscriptum autem diem quindecimum, & congregationem sociorum Vestrorum procuratam, Vos ambo Reverendi Iohannes Argente & Georgius Chaldi ad Nos huc Cassoviam conferatis. Quod ut securius faciatis, Literas nostras Salvi Conductus cum præsentibus simul accipiatis, ac de tuta Comitiva per Dominum Gubernatorem sedulo Vobis ubique providebitur. Coram, ubi adveneritis, certius de Vestra conditione statuentes & consulentes. Secus sub præmissa cautela nullo modo facturi. Datum in Libera Civitate nostra Cassoviensi, die 2. Anno 1606.

Stephanus.

XXIV. Abiit sæpius dicta Pacificatio Viennensis, quantum inprimis ad Religionis negotium Anno 1608. in publicam Regni Hungariæ legem eodem modo, quo in Imperio Romano-Germanico Pax religiosa & Instrumentum Pacis Monasteriense Pragmaticæ Sanctionis, & perpetuæ Legis fundamentalis autoritatem acceperunt. 24. Pacificatio Viennēsis abiit in legem publicam.

XXV, Matthias enim prædictus Archi-Dux Austriæ, cum sequenti Anno 1607. à fratre Rudolpho Secundo, Regnum Hungariæ, consensu Ordinum adeptus, & Posonii, Festo Elisabethæ Reginæ Hungariæ, per Cardinalem, Franciscum Forgatium, coronatus esset, in Comitiis Posoniensibus Anno 1608. celebratis, illis, quæ super libertate Religionis per Pacificationem Viennensem conventa, adeoque jure gentium servanda erant, inter articulos Regni primum locum dedit, ut conscientiarum libertas, pactorum publicorum auctoritate Evangelicis tandem asserta sanctioni pragmaticæ Regni & legi expresse tanto securius inniteretur, & à legum patriarum vindicibus & custodibus speciali titulo defendi posset. Articulus Primus & Octavus ita se habet. 25. Viennensis articulus de Religione inter articulos Regni redactus

XXVI. Matthiæ II. Imperatoris & Regis Hungariæ Decreti I.

Articulus I. Anni 1608.

De Negotio Religionis.

Quantum itaque ad primum Constitutionis Viennensis Articulum attinet, deliberatum est per Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ, ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus; quam etiam liberis Civitatibus, ac universis Statibus & Ordinibus Regni, in

in suis ac Fisci bonis, item in Confiniis quoque Regni Hungariæ Militibus Hungaris sua cuique Religio & Confessio, nec non Oppidis & villis, eam sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur; nec quisquam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio à quoquam impediatur. Quin imo ad præcavenda inter Status & Ordines aliqua odia & dissensiones, ut quælibet Religio suæ professionis Superiores, seu Superintendentes habeat, statutum est.

27. Artic. 8. de Jesuitis.

XXVII. Articulus Octavus.

De Patribus Jesuitis.

Ad Octavum. Hic quoque Articulus de Iesuitis, in vigore suo permaneat, nimirum, ut ipsi nulla in Regno Hungariæ bona stabilita & possessionaria habere & possidere valeant.

28. Artic. I. An. 1608. & Pacificatio Vienn. à Regibus confirmata.

XXVIII. Prædictus Articulus primus & Pacificatio Viennensis, quoad Religionis Evangelicæ securitatem & libertatem ab omnibus Regibus sequentibus tanquam Sanctio pragmatica & Lex fundamentalis semper confirmata & jurata, inque plurimis Comitiis Regni repetita fuit, & semper pro tali habita est, donec postremis demum temporibus, Clerus Romano-Catholicus, artibus suis veterum totiesque confirmatam, & à Regibus juratam securitatem Religionis immutare tentaverit, unde veluti ex Equo Trojano dirissimæ eruperunt persecutiones, quæ adhuc dum ex intervallo iteratæ durant.

29. Articulus de Evangelicorum admissione ad dignitates.

XXIX. Eodem Decreto, de Anno 1608. speciali etiam Articulo XIII. statutum est, ut Evangelici in civitatibus etiam ad officia & Magistratum, coëmtionemque domuum & bonorum, aliasque dignitates, æque ac Catholici admittantur.

Matthiæ II. Imper. & Regis Decreti I. Anni 1608.

Articulus XIII.

Qualiter dignitates & officia Ungaris cum Germanis in liberis Civitatibus paria sint, Domosque ipsis Hungaris, Sclavis & Bohemis sine ulla contradictione emere liceat.

Præterea nec hoc prætermittendum Status & Ordines censent, plerasque hactenus querelas ad se ab Hungaris delatas fuisse, quod ipsis in Regiis & liberis Civitatibus, etiam Montanis & Sclavonicis, neque Domos emere liceat, neque ad alia publica munia exercenda, in propria ipsorum Patria admittantur. Ideo statutum est, ut in omnibus liberis Civitatibus absque respectu Nationum, Iudices primarii & Senatores deinceps eligantur, ac aliæ etiam quævis dignitates, sine ullo Religionis discrimine, Hungaris, Germanis & Bohemis, seu Sclavis quamcunque Civitatem inhabitantibus, mixtim et alternatim de cetero tribuantur: liberumque sit Hungaris nativis domos in medio ipsorum absque contradictione emere atque ædificare, resque ipsorum in vicinam quamcunque Civitatem, juxta Decretum Ferdinandi Regis, An. 1553. Art. 62. invehere et conservare. Ita tamen et ea conditione, ut et ipsi Hungari vice versa, ratione Domorum suarum Civilium quævis onera publica subeant, omnibusque libertatibus, privilegiis, immunitatibus, pariter cum Civibus gaudeant et perfruantur. Salvis tamen et illæsis eorum privilegiis, rite ac legitime emanatis, in quorum continuo usu fuerunt, permanentibus.

XXX. Articulus hic in sequentibus Comitiis, Anno 1609. confirmatus est, additis multis, bis mille florenorum Hungaricorum, in contravenientes Statutis. 30. Articulus iste confirmatus A. 1609.

Matthiæ II. Imper. & Reg. Decr. II. Anno 1609.

Artic. XLIV.

Officium Iudicis & aliorum in Civitatibus liberis & Montanis, oppidisque Privilegiatis, absque ullo Religionis vel Nationis discrimine, Hungaris videlicet & Germanis, seu Sclavis & Bohemis, æqualiter tribuantur, liberumque sit iis in medio ipsorum domos emere, juxta Articulum præteriti Anni super inde editum, quem hoc loco renovandum ducunt, hac addita pœna, quod quoties per Civitatenses, contra præsens statutum peccatum fuerit, toties in pœna bis mille Florenorum Hungaricalium Suæ Majestati Regiæ ad Fiscum Regium applicandorum convincantur.

XXXI. Quemadmodum autem dicto Artic. I. 1608. sancitum erat, ut quælibet Religio suæ professionis superiores, seu superattendentes habeat: ita 30. Martii Anno 1610. desuper Articuli Solnenses, per Palatinum Regni, Comitem Georgium Thurzonem, Magna- 31. Superintendentes Evangelici constituuntur.

gnates, Nobiles, Comitatuum & Civitatum Regiarum Ablegatos; nec non Ministros Ecclesiarum Augustanæ Confessioni addictos, conditi sunt, quorum tenor sequitur.

32. Articuli Solnenses. XXXII. *Articuli Solnenses per Palatinum Regni Hungariæ Comitem, Georgium Thurzonem, aliosque Magnates & Nobiles; nec non Comitatuum & Civitatum Regiarum Legatos & Ministros Ecclesiarum, in decem Comitatibus cis-Danubianis, Augustanam Confessionem amplectentium, in Conventu Solnensi An. 1610. constituti, de tribus superintendentibus, in decem istis Circulis; nec non de Inspectoribus Ecclesiarum & Scholarum Legibus & constitutionibus Regni id admittentibus, aliisque ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus ordinandis, de 30 Martii, Anno 1610.*

NOs Comes Georgius Thurzo de Bethlehem-falva, Regni Hungariæ Palatinus, Judex Cumanorum, nec non de Arva, ejusdemque Comitatus Supremus & Perpetuus Comes, Sacræ Regiæque Majestatis Consiliarius, & per Hungariam Locumtenens: Petrus de Reva Comes Comitatus Thuroczensis, Magister Curiæ & Consiliarius Sacræ Regiæque Majestatis, ac Sacræ Regni Coronæ Conservator; Andreas Otztrozyth de Gygletincz & Illava, Moses Szunyogh de Jetzenicze & in Budesin: Andreas Jazusyth de Orbora & in Orotzlankeœ: Benedictus Pogranii: Martinus Benyizky, Vice-Palatinus Regni Hungariæ; Theodosius Syrmiensis de Szuloro, Tabulæ Sacræ Regiæque Majestatis Assessor, & Georgius Lekottzhy Trinchiniensis: Hyeroslaus Zmerkal de Domanovecz, & Caspar Otzkay Nitriensis, Joannes Maytény, & Martinus Bossany, Barsiensis; Joannes Rutkay, & Nicolaus Tarnorotzky, Thuroczensis: Benedictus Gyurky, & Nicolaus Benkovicz, Zoliensis: Benedictus Pongracz & Nicolaus Okolytznay, Lyptoviensis: Ac Joannes David de Szent Peter, Arvensis, Comitatuum: Item Rudolphus Maurath, & Martinus Ketzlerus, Posoniensis, ac Joannes Sturmius, Modrensis liberarum Civitatum Regiarum Legati; Nec non Magister Simon Heichelin, Evangelicæ Posoniensis Ecclesiæ Pastor: Florinus Duchon, spectabilis ac Magnificæ Dominæ Catharinæ Palffi, Relictæ olim Illustrissimi Domini Stephani Illeshazy Regni Hungariæ Palatini &c. Aulicus Concionator: Ex Posoniensium Dominorum Ministrorum Submontanorum, Joannes Fabriczius Szent Mihaly, Galyotziensis; & Martinus Szhaczany, Pœstiniensis; Balthazar Veterozoliensis Semtensis; Joannes Zubeniczius Zolensis; Joannes Ponitzenus; Czeytensis, vel Berenczensis etiam Contubernii, & Præpositi Uyheliensis Nominibus & in Personis: Et Zacharias Casparites, Letzetensis: similiter ex Nittriensi Alexander Soczovinus Prividiensis; & Michael Petri, Chrenoviensis; itidem ex Nittriensi Jonas Ozernak; itidem ex Nittriensi Caspar Fabriczius, Oszlanensis; ex Barsiensi, Elias Lany, Biczensis; ac Superioris Districtus Trinchiniensis; Samuel Paulinus, Betzterczensis, & Stephanus Kruspyr, Uyheliensis; Joannes Artopæus Cassensis, Isaacus Hodikius, Thurnensis; Georgius Piscator, Graduensis; Paulus Szaladinus, Bannoviensis; ex Trinchiniensi, Samuel Mellichius, Broznensis; & Elias Thornarius, Lypchensis; ex Soliensi, Andreas Carbonarius, S. Martini; & Georgius Smidelius S. Helenæ; ex Thurocziensi, Christophorus Mazurkius Teuto Lypchensis; & Martinus Mokosinus, Teplensis ex Lyptovieni; ac Nicolaus Baticius, Velliczensis ex Arventi Comitatibus Ecclesiarum Ministri, ac Seniores, plena cum Informatione, & tractandi ac concludendi Auctoritate exmissi. Damus pro memoria significantes tenore præsertim quibus expedit Universis: Quod cum nos ad Instantiam & Commissionem ejusdem Illustrissimi Domini Comitis Palatini, in negotiis subnotatis, ex parte videlicet superiorum, seu superintendentium legibus & Constitutionibus Regni id admittentibus, in Deum hisce Comitatibus cis-Danubianis, in Ecclesiis Augustanam Confessionem amplectentibus constituendorum, die 29. Martii, Anni præsentis Millesimi Sexcentesimi Decimi, hic in Oppido Solna congregati & constituti fuissemus: Eo tum post multas propositiones & allegationes pie, fraterne, ultro citroque inter nos factas, considerantes id & altius expendentes, ad præcavenda & evitanda publica dissidia quantopere opus sit, ut nostra quoque Religio suos superiores seu Superintendentes habeat: In hanc concordiæ & mutuæ Transactionis devenimus unionem. Ac primo quidem cum decem istorum Comitatuum tanta sit amplitudo, ut unus Superintendens, commode ipsis minime possit præesse: Statuimus, ut iidem

dem decem Comitatus in tres dividantur partes, ac totidem suos habeant Superintendentes, hoc ut sequitur ordine: Lyptoviensis, Arventis & Trinchiniensis, Reverendum Dominum Eliam Lany: Thuroczensis, Neogradiensis, Zolientis & Hontensis, alterum similiter Reverendum Dominum Samuelem Mellichium: Barsiensis, Posoniensis, Nittriensis, Tertium Reverendum, utpote Dominum Isacum Abrahamidem, Præpositum Bnymoczientem.

Cumque in Regno hoc non saltem Hungaricæ, & Sclavonicæ, verum & Germanicæ Nationis Ecclesiæ habeantur, statuimus, ut & Natio Germanica similiter & Hungarica suos habeat Inspectores, qui mutuam, cum antelatis Dominis Superintendentibus habebant correspondentiam & ab ipsis dependentiam, & quidem, pro tali Inspectore Ecclesiarum Germanicarum in Comitatu Posoniensi, Nittriensi, Barsiensi, M. Simon Heuchelin Posoniensis: Pro Montanis Civitatibus, Dominus Magister, Paulus Lentius, Semniczensis: Pro Hungaris in comitatu Posoniensi, Nittriensi, Brasiensi, Stephanus Keœrty, Szerediensis, Ecclesiarum Ministri dicuntur & eliguntur.

Deinde, ut Seniores etiam & Decani, in singulis Districtibus seu Diœcesibus, more antea solito, qui nobiscum in Confessione consentiunt, maneant in suo officio, qui vero certis & evidentibus de causis Officio tali valedixerint, loco eorum alii elegantur: Et quidem personæ ad id aptæ & idoneæ, doctrina, pietate, authoritate & vita irreprehensibili valentes.

Quod ad punctum illud, si videlicet unus istorum Superintendentium, uti singuli mortales sumus, ex hac vita decederet, sive in alium Comitatum alterius Superintendentis inspectioni subjectum commigraret, conclusimus, ut reliqui duo Superintendentes, cum præscitu comitatuum illorum, quibus talis Superintendens, defunctus, vel alio evocatus præerat, præfixoque & publicato invicem communi Consensu & suffragiis certo termino, alium idoneum ad tale officium eligere & constituere possint Superintendentem.

De Stipendiis eorumdem Superintendentium, præter Censum Cathedraticum & æadituorum Contributiones, Contubernia etiam & Comitatus prænotati requirentur, quatenus ipsi quoque ex pio zelo, & in Ecclesiam Domini, ejusque Ministros affectu & liberalitate, aliquid certi determinent & concludant. Jam quoad labores & officia, aliasque leges tam ipsis Superintendentibus, Inspectoribus, quam Senioribus & Dominis Ministris latas, eas sic limitavimus.

Primo: Ipsimet Superintendentes, Inspectores, & Seniores omnimode in id incumbant, quatenus pura & orthodoxa doctrina, vitæque ac morum innocentia ad regulam per D. Paulum Apostolum Episcopis præscriptam (1. Timoth. 3.) quam proxime accedere sicque reliquis Ministris & gregi, lampadis instar prælucere possint, ne si secus facerent, Religio nostra male audire cogatur, ansaque adversariis calumniandi nos præbeatur.

Secundo: Visitent Ecclesias quotannis, cum per se quando facere poterunt, tum Seniores suos, quando vel adversa valetudine, vel aliis inevitabilibus malis prohibiti fuerint. Quod si quando singulas Ecclesias adire & invisere non potuerint, operam tamen dabunt, ut vel anniversarias Dominorum Ministrorum Congregationes, in Januario & Februario celebrari solitas, ita ordinent atque disponant, quo singuli interesse queant. Ita enim Fratrum negotia curare, casus illis oblatos dijudicare, statum etiam Ecclesiarum cognoscere, disciplinam tueri, & Censum suum levare poterunt.

Tertio: In Visitatione inquirent, quid, quomodo, vel quam fideliter doceant Ministri? Inculcentne populo preces & Catechesin? satisne pie, sobrie, caste vivant &c. Viceversa, quam gratum & morigerum se erga Pastores præbeat Populus, pendeatne ea, quæ Parochiis sunt deputata, curetne Templorum Parochiarum & Scholarum ædificia: Item inquiret quales habeantur Rectores, quid & quomodo doceant juventutem: Ministros Novitios Ingenio tardiores examinabunt & urgebunt, ut in doctrina & moribus proficiant, & commendabunt ipsos doctoribus. Quæ pro sua authoritate & prudentia corrigere & ordinare adnitentur, auxiliante cujusque Comitatus & Fraternitatis seniore.

Quarto: Superintendentis erit omnes Proventus Templorum, Parochiarum, Scholarum, videlicet terras, prata, molendina, & similes cum vestimentis Ecclesiasticis, & Clenodiis fideliter consignatis asservare; ac ne quid deperdatur, alienetur, aut imminuatur, operam dare: Ac si quæ tales terræ, pra-

ta, Molendina, Possessiones occupatæ fuerint, de illis Politicum Magistratum requirere.

Quinto : Ministros Ecclesiarum Scholarumque Rectores ab omnibus injuriis & contumeliis secundum leges defendere : Ideo etiam censum ab eis acciperent, quam ad rem opus erit Judiciis & legitima cognitione.

Sexto : Conformitatem rituum & ceremoniarum, una Alba excepta, ad cujus usum tanquam Adiaphorum Dominos Hungaros Concionatores certas & evidentes ob causas compellere, non videretur Consultum, in omnibus hisce conjunctis Ecclesiis instituant & conservent. Id quod non aliter consequentur, quam unius ejusdemque agendæ publicatione, de dierum Festorum celebratione, quinam observari debeant, jam antea extant constitutiones Contuberniorum.

Septimo: Superintendentis erit Candidatos Theologiæ, qui quidem & ab ætate, & vitæ ac morum integritate ad id idonei, & ex ejus Diœcesi fuerint, aut in eam vocabuntur, adhibitis cum proximo Inspectore & Seniore aliquot vicinis Ministris, examinare, & ubi idonei comperti fuerint, ad sacrum Ecclesiæ Ministerium, secundum ritum Ecclesiæ Wittenbergensis ordinare, & tandem, cum suo & collegarum Testimonio dimittere, quodque est maximum ad doctrinæ Christianæ puritatem & obedientiam legitime obligare : Quod si quippiam uberiorem eruditionis assequendæ, vel Regionum videndarum, sive librorum comparandorum gratia Wittebergam, vel aliam quampiam Academiam Augustanæ Confessionis, in libro concordiæ declaratam salutare, & pro Sacris Ordinibus excurrere voluerunt, id quoque liceat ipsis facere, dummodo id sine præjudicio, aut contemptu domesticorum Superintendentium fiat: Quin ut legitima vocatione examineque præhabito, Commendatoriis eorundem Superintendentium, aut Inspectorum fulsi, & non sine illis, illuc abire possint singuli autem Superattendentes de ordinandis suum habeant Protocollum. Ordinandi vero omnino libro Concordiæ prius subscribere teneantur, neque aliter ad Sacros Ordines admittantur.

Octavo: In Causis & Casibus ad revisionem Superintendentium legitime spectantibus ita exposcente necessitate, adjungantur Politicæ Personæ Jurisperitæ evocandæ per Dominos Superintendentes, non tamen interessatæ, aut affinitate vel consanguinitate junctæ.

Nono : Minister ad aliquam Parochiam Vocatus, sistat se prius Superintendenti, Inspectori vel certe Seniori ejusdem Comitatûs, si longius dissitus fuerit Superintendens: Eam saltem ob causam, ut ostendat suum consensum in vita & doctrina, & ea legitimam habeat vocationem.

Decimo: Causæ majoris momenti, utpote hæreseos, adulterii & aliorum enormium scelerum contra aliquem Ministrorum Diaconorum & Rectorum motæ, ad Superintendentes deferantur. Qui à convocatis & qualibet fraternitate, ad Inspectionem suam pertinente, viris præcipuis, imo etiam Jurisperitis politicis, causam diligenter cognoscent, & convictum sceleris pro qualitate delicti, aut dignitate Pastorali exuent, & exautorabunt, beneficioque privabunt, & Magistratui politico puniendum committent. Reliquæ minores causæ Inspectoribus & Senioribus proponantur in fraternitatibusque dijudicentur, ne & Senioris dignitati derogetur, & Superintendens negotiorum multitudine obruatur.

Undecimo : Si quis tamen vel Actor, vel in causam attractus Judicio & deliberatione seniorum, ejusque Decanorum, in ea, ad quam pertinent Fraternitate contentus esse noluerit, & ad Superintendentem appellaverit, Superintendentis illius erit paria Actorum & deliberationum ab eodem Seniore poscere, & recte an minus judicatum sit cognoscere : Si recte & juste deliberatum censuerit, confirmet; sin aliquid desiderari viderit, denuo rem revideri in eadem fraternitate demandet: adhibitis etiam, si sit opus, ex alia fraternitate Viris Judicio pollentibus, & minime suspectis, ulterius appellare non liceat; Expensas pars convicta refundet.

Duodecimo : Ministros Ecclesiarum suæ inspectioni commissos, non ex privato affectu, vel arbitrio, sed secundum Leges, regat atque judicet Superintendens; contumaces, si post unam aut alteram admonitionem obedire pertinaciter recusaverint, communicato prius cum Magistratu loci Politico, Inspectoribusque & Senioribus consilio, excommunicet, & si in gradu aliquo honoris fuerit, deponat.

Decimo tertio: Si quis Ministrorum citandus erit, ad instantiam cujusquam

Actoris, is ipse Autor, acceptis à Superintendente Citatoriis, deferet eas ad suum Seniorem seu Inspectorem, qui medio unius vel alterius Ministri citationem exequetur.

Decimo quarto: Quia sæpenumero accidit, quod Superintendentes Inspectoresque & ipsi Ministri inique per nonnullos læsi, protectoribus indigeant: Statuimus ut Superintendens vel Inspector, sive Ministri per quemcunque tamen læsi, in Comitatibus Politicum Magistratum primum domesticum, tandem etiam si necesse fuerit, superiores requirant, opemque ab ipsis implorent: qui alioquin protectionem suam illis denegare non debent.

Decimo quinto: Si quæ Contubernia habent privata sua Privilegia seu quascunque prærogativas & libertates, si eæ non pugnant cum vera Religione & præsentibus hisce constitutionibus, conservari in eodem usu per Superintendentes debent.

Postremo: Hæc omnia præmissa, quo firmius observentur, & in suo permaneant vigore; iidem Domini Superintendentes, post solennem sui ad officium hoc inauthorationem in Ecclesia hac Solnensi publice factam, Juramentum deposuerunt, in hunc modum, futuris etiam temporibus necessitate poscente servandum: Ego N. Dominorum Ministrorum in Comitatu T. & T. degentium Superintendens: Juro coram Deo vivo Patre, Filio & Spiritu Sancto, ac promitto, quod ego in vita mea nullam aliam doctrinam docebo & promovebo publice vel privatim, præter eam, quæ scriptis, Propheticis & Apostolicis continetur: Quæve in Confessione Augustana Carolo Quinto Imperatoris Augustæ Vindelicorum, Anno Domini Millesimo Quingentesimo trigesimo exhibita: Tum in Formula Concordiæ comprehensa habetur. Quam Confessionem, ut & Domini Ministri curæ meæ commissi profiteantur ac doceant, diligenter & serio invigilabo & curabo. Dominis Ministris Ecclesiarum & toti Gregi à me dependenti, adjuvante me Spir. Sancti gratia, sic præesse studebo, uti bonum ac fidelem animarum Pastorem & verbi Divini præconem decet: Leges tam Contuberniorum, singulorum Comitatuum & districtuum, Dominis Ministris, quam mihi in hoc officio superattendentis præscriptas observare, & per cunctos ac singulos ad meam Inspectionem pertinentes observari facere, easque manutenere adnitar. Hæc omnia, quod pro mea virili, adimplere studebo: Ita me Deus adjuvet, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & mea fides Christiana, Amen.

In quorum omnium fidem & firmitatem perpetuam præsentes literas nostras sigillis usualibus & Chirographis nostris roboratas, erigendas dandasque esse duximus, & concedendas. Actum & Datum in oppido prænotato Solna, die 30. Martii. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Decimo supra scripto.

(L.S.)

Comes Georgius Thurzo.

XXXIII. Decimo octavo statim die post Articulorum Solnensium constitutionem, Archi-Episcopus Strigoniensis, Cardinalis Franciscus Forgach, Protestationem & inhibitionem sub anathematis & excommunicationis comminatione vehementissima publicavit, & Typis excudi curavit. Quæ hic sequitur: 33. Archi-Episcopi Strigoniensis protestatio.

NOS FRANCISCUS FORGACH de Ghimes, S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis, Archi-Episcopus Strigoniensis, Locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Regni Hungariæ, Legatus, natus, Summus Cancellarius & Secretarius, ac Sac. Reg. Maj. Consiliarius. Cum nos, licet immerentes, divina bonitas, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensi præficere dignata sit, omni studio adnitendum nobis intelligimus, ut quantum iniquitas temporum patitur, ovibus Christi curæ nostræ commissis, à principe pastorum, ita consulamus, ut rationem reddituri de animabus, lupos ab ovili Christi, etiam corporum nostrorum objectu arceamus, assiduaque vigilantia excubantes, velut in specula constituti, pericula eisdem denunciemus.

Quia igitur superioribus diebus eo usque audacia illorum, qui Concionibus miseram plebeculam in errorum laqueos inducunt, progressa est, ut coitionem quandam in oppidum Solnam indicerent novo, ac antea in Hungaria inaudito exemplo, suæ Lutheranæ Professionis Superattendentes eligerent, à quibus deinceps cetera ministrorum turba initiaretur, leges denique ac decreta figerent, communi Justitiæ, Legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canoni-

bus, Dei decretis contrarias, omittere sine animæ nostræ discrimine non potuimus, quin palam ac publice omnibus illius conventiculi actis ac decretis, tanquam animarum æterno exitio, communique Iustitiæ exterminandæ, natis, palam contradiceremus. Principio igitur non sine plurimarum animarum perditione Superattendentis nomen usurpari ab his novellis Ecclesiæ Dei turbatoribus, vel inde manifeste deprehenditur, quod ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabilis, postquam Apostolico ministerio Ecclesiarum rectores Episcopi sunt constituti, nunquam pro legitimis recepti sint Episcopis: nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit. Nam ut vetustissimâ Apostolicorum canonum decreta taceamus, Sacro Sanctum ac universale Concilium Nicænum primum (quod vel conferre, nedum æquare Solnensi Conciliabulo sacrilegum foret) id quod ante usu receptum fuerat, lege sancivit, ut Episcopus non minus, quam à tribus Episcopis ordinetur, ita tamen ut Metropolitani Episcopi autoritas habeatur, absque quo ordinatio irrita sit. Si igitur perjuri esse nolunt nuperi isti S.S. superattendentes, sua ipsorum sententia, Episcopi esse haud quaquam possunt, Nam jurejurando adacti sunt: Non aliam doctrinam se propugnaturos ac promoturos, quam Confessionem Augustanam. In ea vero Confessione palam profitentur, se in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire, tantum paucos abusus omittant, qui novi sunt, & contra Voluntatem Canonum vitio temporum recepti. Cum igitur contra Nicenæ Synodi vetustissimos ac Sacrosanctos Canones, Superintendentes, se nominari sentiant, nisi Augustanæ Confessionis, ac jurisjurandi violatores haberi velint, necesse est, falsò nominatos istos Superattendentes ovina se veste Episcoporum immerito contegere, adeoque nullas ab ipsis legitimas Ministrorum ordinationes fieri, nullum ex iis Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, legitime administrari ab iis quos initiant, sed umbratilem ac vanam esse, quæ ab iis fit, Absolutionem, Eucharistiam &c. quæ quam gravia miseræ plebeculæ incommoda animarumque damna adferant, nemo est, qui non videt. Adde quod gravissimis & ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis populo proponendis adstringit Solnense hoc Conventiculum, infelices Prædicantium animas: Cum enim statuit ordinandos omnes libro Concordiæ subscribere, id demum sancit, quod in libro Concordiæ disertim exprimitur, Damnandam esse Doctrinam quæ docet, Evangelium non esse tantummodo concionem de Gratia Dei, sed proprie esse Concionem de pœnitentia, arguentem, accusantem, damnantem, peccata: Item docendum esse, passionem Christi proponere iram Dei adversus peccata, ut cognoscamus, quanta Dominus in lege sua à nobis exigat, quorum tamen nihil nos præstare possumus &c. Demum damnandos esse, qui docent, superesse in homine capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam aut vires, quibus in Rebus Spiritualibus cooperari valeat, ad bonum aliquod: Hæc aliaque errorum portenta sacro huic Conciliabulo ex libro Concordiæ approbata, eo nimirum spectant, ut apertum ac patens hominibus, ultro in malum ruentibus, exitium accersatur; Si enim nihil ex Divinæ Legis præscripto agere possumus, si nec capacitas quidem in nobis hæret, ut Deo moventi per gratiam cooperemur, si Evangelium tantummodo gratiam denunciat, asperitatem pœnitentiæ, metum peccatorum longissime removet, quid adhuc satagimus in Sanctitate & justitia ambulare? His accedit, quod gravissimo quoque usurpati Iuris alieni onere se prægravet hocce Conciliabulum, Nam Synodum abnuente Metropolitano indicere, visitationes Ecclesiarum in aliena Diœcesi, bonorumque Ecclesiasticorum dispositionem, in se derivare, privata autoritate, contra longissimi temporis præscriptionem, Canonumque ac legum Patriæ sancitas Constitutiones, quid aliud est, quam rapere, ac sine ullo juris ordine, alienum jus sibi usurpare? Nullæ certe Hungariæ Leges, ne quidem perturbatæ Reipublicæ temporibus latæ, jus tribuunt, vel censum Cathedraticum Archidiaconis adimendi, antiquaque seculorum aliquot possessione eos deturbandi, vel causas forum Ecclesiasticum concernentes, ad has Episcoporum larvas deducendi, vel per viam Appellationis præsumptuosa ipsorum judicia non declinandi: Et tamen Solnensis hæc Pseudo-Synodus & Census Cathedraticos Archidiaconis, quorum antiquissima possessio certissimas origines habet, abjudicat, ac intrusis superattendentibus suis adjudicat, & causas Ecclesiasticas eorum judicio committit, & provocationem ab ipsorum dijudicatione, vetat. Quæ omnia injustitiæ plenissima Divinis ac humanis Legibus, Decretisque Hungariæ adversantur, nec quidquam horum in publico regni conventu definitum. Et quamvis definitum foret, Ipsis tamen legibus Hungariæ suffragantibus, quicquid Sacris canonibus Ecclesiæ adversatur, invalidum ac nullius firmitatis esse, altissimis radicibus nixæ leges Hungariæ definiunt.

Quæ omnia cum ita sint, Nos coram Deo, ac mundo Universo protestamur, iniquas has novellæ coitionis sanctiones, libertatis

Can 4. apud Ruff. Lib. 1. Cap. 6.

Art. ult. Solnensi.

Conf. Aug. Art. 21. init.

ac jurisdictionis Ecclesiasticæ, animarumque exitio latas, invalidas, injustas ac nullius ponderis esse & haberi debere, districteque ac sub pœna excommunicationis inhibemus, ne vel ipsi falso intitulati Superattendentes, census cathedraticos percipere, Ecclesias Diœcesis nostræ visitare, Ordinationes Ministrorum facere, causas forum Ecclesiasticum concernentes dijudicare, nedum Appellationes prohibere præsumant: Inhibemus item, & sub Anathematis vinculo vetamus, ne ullus Censum Cathedraticum aliis, quam quibus ab antiquo pendebat, dare præsumat, neve ad Pseudo-Superattendentium dijudicationem causam ullam Fori Ecclesiastici deducat: Ac nihilominus Reverendissimis in Christo Fratribus, Episcopis Diœcesis nostræ Strigoniensis, nec non dilectis filiis Præpositis Abbatibus, Archi-Diaconis, ceterisque omnibus, ad quos hæc res spectare dignoscitur, injungimus ac mandamus, ne quidquam de jure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo jus habuisse dignoscuntur, remittant, census Cathedraticos exigant, ac suæ jurisdictioni subjectos Ministros, si quis forte illorum causam Ecclesiasticam ad novitium aliquod tribunal deducant, ad forum spirituale evocatos ac juris ordine convictos irremisibiliter puniant.

Cæterum volumus, ut nostra Protestatio, Contradictio, Inhibitio ac Præceptum, quo facilius ad manus plurimorum pervenire possint, Typis excudantur, eademque fides excusis exemplaribus habeatur, ac si ipsæ originales manu nostra subscriptæ, ac sigillo munitæ exhiberentur. Datum Posonii in Aula nostra Archi-Episcopali die XVII. Aprilis, Anno MDCX.

34. & 35. Apologia Synodi Solnensis. XXXIV. & XXXV. Contra vero Evangelici Apologiam pro Synodo Solnensi ejus Constitutionibus itidem typis imprimi curarunt, quæ hic sequitur:

APOLOGIA

Pro Synodo Solnensi ejusque Constitutionibus: opposita turgidæ contradictioni, & Inhibitioni Illustrissimi Dn. Francisci Forgach de Ghimes, Archi-Episcopi Strigoniensis & Roman. Ecclesiæ Cardinalis.

GALAT. V.

State, & nolite iterum jugo servitutis contineri.

NOS DOMINI BARONES, MAGNATES. Generosi, Egregii, Nobiles, Prudentes, & Circumspecti, Reverendi item Ecclesiarum Evangelicarum Ministri, ex Comitatibus & Partibus Hungariæ cis Danubianis, Anno 1610. die 28. Martii, & sequentibus Solnæ congregati, & in Actis Synodicis nominatim expressi: notum facimus palam & publice, nos non sine singulari animorum perturbatione vidisse ac legisse intempestivum ac injuriosissimum scriptum Reverendi Dn. Cardinalis Francisci Forgach de Ghimes &c. typis excusum, & Posonii valvis templi ad D. Martini affixum: In quo ille omnia Synodi nostræ Acta & Statuta, quasi communi justitiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus, & Dei decretis contraria exautorare, annihilare, & invalidare, diro etiam anathematis & excommunicationis fulmine addito, conatur: Nosque ipsos pro turbatoribus Ecclesiæ Dei indignissime proclamat, & insuper multiplicium errorum accusat. Quæ cum sint longe omnium gravissima, & vel Socraticam patientiam excuperantia crimina: facere lacessiti non potuimus, quin & laboranti famæ nostræ succurreremus, & Solnensium Actorum rationem publico scripto redderemus: ne alioquin ea, quæ nobis iniquissime objiciunt, nostro ipsorum silentio approbare, & adversario non lacessito herbam porrigere videamur. Præsertim cum intelligamus hoc ipsius scripto, non tam Acta nostra reprehendi, quam summum illum de Religionis libertate & Superattendentium constitutione Articulum, Anno 1608. sancitum & sacrosancta jurisjurandi Religione, per Sacratiss. Regiam Majestatem nostrum Clementissimum Dominum roboratum, prorsus convelli & labefactari. Quare, relictis Autori suo conviciis, quibus nos injuriosissime proscindit, ad rem ipsam recto pede protinus accedemus. Tres ille generales causas proponit, cur Synodo Solnensi & omnibus Actis ejus contradicat:

I. Quidem, quod illegitime Superattendentes nostros in ea creaverimus.

II. Quod ad multiplicia errorum portenta Ministros nostros obligaverimus.

III. Quod jus alienum nobis temere usurpaverimus. Ad quæ omnia paucis ex ordine responsuri sumus.

I. Primam igitur causam suam his verbis D. Cardinalis proponit: Ab ipsis (inquit) Ecclesiæ nascentis incunabulis, postquam Apostolico Ministerio Ecclesiarum Rectores Episcopi sunt constituti, nunquam pro legitimis sunt recepti Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit. Probationis loco allegat Canonem Nicænum, qui vult Episcopum à tribus aliis (ad minimum) Episcopis ordinari, & quidem ita, ut autoritas Metropolitani habeatur; alioquin ordinationem fore irritam. Et addit inter ceteros Canones, istum quoque in Augustana Confessione approbatum esse. Atque sic concludit, quoniam nostri Superattendentes contra Canones electi & ordinati sint, non solum non legitimos, verum etiam in ipsam Augustanam Confessionem perjuros esse.

Ruffin. l. 1. c. 6. Can. 4.

Tit. de abusib. mutatis.

Sed ingenue respondemus, omnino Episcoporum ab Episcopis ordinari par erat, juxta Nicæni Concilii dispositionem, si modo veri & Orthodoxi Episcopi haberentur. At ubi tales desiderantur; & illi, qui Titulum Episcoporum gerunt, veram Evangelii doctrinam oppugnant; nec quenquam, nisi in professionem ipsorum juraverit, initiant: Nonne licet Ecclesiæ, tanquam Matrifamilias in Domo Dei viventis, cui Christus claves commisit, talibus larvis Episcoporum relictis, alios synceros creare Episcopos, & quidem per eas personas, quas ad ordinandos illos idoneos esse judicaverit, Seniores nimirum, sive Presbyteros? Docet id exemplum Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ, quæ electas ad Episcopatum personas, Titum, Timotheum &c. non ad ordinarios Judæorum pontifices Hierosolymam ablegavit; sed per impositionem manuum Apostolicarum & Presbyterii recens constituti consecravit. Et quod erit os tam impudens, ut neget Titum vel Timotheum legitimos esse Episcopos? Quod exemplum præclare imitatus est Moyses, quidam Eremita Sanctissimus: qui postulatus in Episcopum genti Saracenicæ, noluit ab ordinario Episcopo Lucio (utpote hoste & persecutore Orthodoxæ Religionis) ordinari: sed ab Orthodoxis, quos iste in exilium egerat. Ita Josaphat Pontificibus & Sacerdotibus partim cessantibus partim lucos, excelsa &c. colentibus, populo autem ambulante in tenebris, ipse ministeria constituit. Canon itaque Nicænus, dum vult Episcopum ab aliis Episcopis consecrari, loquitur de eo Ecclesiæ statu, quando veri & Orthodoxi Episcopi habentur: Non autem quando tales desiderantur. In hoc enim casu licere Ecclesiæ novum Presbyterium constituere, & secessionem à fictis Episcopis facere, exemplis jam citatis evicimus. Habemus autem de hac secessione, urgentissimum quoque Dei mandatum, quod est, ut caveamus Pseudoprophetas, ovilla veste larvatos, & egrediamur è Spirituali Babylone: nec ducamus jugum cum incredulis, quin potius separemus nos ab illis. Oportet igitur Deo magis obedire, quam hominibus.

Matth. 18.

1. Tim. 4. 5. 2. Tim. 1. Actor. 13.

Ruff. 1. 6. Cap. 6.

2. Par. 17. 19.

Matth. 7. Apoc. 18. Esai. 52. 2. Cor. 6. Actor. 5.

Quantum ad Confessionem Augustanam, quam Dominus Cardinalis ita urget, quasi Canones omnes indifferenter, nulla cum determinatione approbet: mentem ejus verba ipsius libri satis clara & manifesta testari poterunt. Ea sic habent: Ecclesiæ apud nos de nullo Articulo fidei dissentiunt ab ecclesia Catholica: tantum paucos quosdam abusus omittunt, qui novi sunt & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti.

In articulo de abusibus mutalib.

Etenim ordinationis ritum non inter fidei Articulos refert Confessio; sed inter eas res, quibus vitio temporum multi abusus accesserunt: quorum non nullos sub titulo de potestate Ecclesiastica recenset: ut quod Episcopi urgent traditiones tales, quæ bona conservari non possint, imperent cœlibatum & nullos recipiant, nisi jurent se puram Evangelii doctrinam nolle docere. Tandem addit, nisi ista & alia remiserint, causam schismati sua contumacia præbituros. Quod igitur jam tum protestata est Augustana Confessio, hoc reipsa postmodum evenit, separatio videlicet Ecclesiarum Evangelicarum à Synagoga Papistica, cum in aliis rebus, tum in ordinatione Ministrorum. Quomodo igitur in Augustanam Confessionem perjuri nostri Superattendentes, quasi contra ejus præscriptum, sint electi & ordinati? certe illa jam tum, cum exhiberetur, à Canonum de Ordinatione Episcopi sanctione, secessionem meditabatur, uti jam irrefutabiliter ostendimus.

Ex his quæ jam dicta sunt, sole clarius pa-

patet, quàm ineptum & frivolum consequens sit; Nullas à Superattendentibus velut illegitime creatis, legitimas Ministrorum Ordinationes fieri: nullum ex iis Sacramentis, quæ Ordinationem requirunt, legitime ab iis, quos initiant, administrari; sed umbratilem ac vanam esse, quæ ab iis fiat, absolutionem, Eucharistiam &c. Satis enim evidenter jamprobatum est, eorum ordinationem prorsus cum Apostolica congruere: ideoque & legitimam esse, & haberi debere: Quare ipsum etiam consequens & falso præsupposito, non nisi falsum esse potest. Ut tamen ex superabundanti aliquid addamus: Nos ex Verbo Divino certi sumus, quod mandatum Dei, & vocatio faciant legitimum Ministrum. Ita enim inter alia Rom. X. Apostolus: Quomodo, inquit, prædicabunt, nisi missi fuerint? Item: Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocaHeb.V. tur à Deo tanquam Aaron. Ordinatio autem nihil aliud est, quàm vocationis ab Ecclesia factæ approbatio, in quæ vocato & examinato ministerium Ecclesiæ publicæ commendatur, ut patet exemplis eorum, qui ab Apostolis ordinati fuere. Unde perabsurdum est, putare, quod virtute exorcisati Chrismatis & insufflationis Episcopalis, aut nescio cujus ficticii characteris, in anima Sacerdotis impressi, vera sacramenta conficiantur. Annon enim hæc hominum figmenta sunt, nullo Dei mandato, nulla promissione nitentia? Nos efficaciam verbi & Sacramentorum simpliciter ad Dei mandatum, institutionem & legitimam vocationem, judicio Presbyterii approbatam, referimus. Nam quibus legitime officium docendi, absolvendi, & sacramenta administrandi commendatum est, eorum Ministerio Deus præsentissimam efficaciam infallibili suo verbo, promisit. Ego vobiscum sum usque ad &c. Item accipite Spiritum Sanctum, quorumMatt. 28. Joan. 20. 1. Cor. 10. cunque remiseritis peccata &c. Euntes docete &c. Item Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Ac mirum profecto, cur Pontificii doctores, verum & efficacem Baptismum ab his etiam, qui non sunt ipsorum Ordinationis, administrari statuant: Absolutionem autem & Sacramentum Altaris à talibus administrata, umbratilia & vana pronunciant? Constat certe tam in Baptismo quam Cœna Domini remissionem peccatorum, justitiam & vitam (nisi evidens incredulitas obstet) conferri. Si igitur in uno Sacramento Ministerium nostrum efficax est, cur non etiam in altero?

II) Accedamus ad alteram causam Contradictionis Cardinalitiæ, in qua ille ampullatis & sesquipedalibus verbis tragice intonat: quod gravissimis & ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu, alienissimis errorum portentis populo proponendis, adstringit Solnensium Conciliabulum infelices Prædicantium animas.

Ita enim libuit Domino Præsuli Sanctissimam Synodum nostram, quam alias Pseudo-Synodum & Conciliabulum pro sua scilicet Episcopali modestia vocat, infamare. Sed quænam illa errorum portenta? Tria ista ex libro Concordiæ (ad quem Ministros Ecclesiarum Synodus adstringit) excerpit pater Reverendissimus. 1. Evangelium esse, proprie loquendo tantummodo Concionem de Gratia, & non de pœnitentia. 2. Dominum in lege sua tanta à nobis exigere, quorum nos nihil præstare possimus. 3. In homine nullam esse capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus Spiritualibus, cooperari valeat ad bonum aliquod. Tandem ex his concludit: quid adhuc satagimus in Justitia & Sanctitate ambulare?

1. Sed liber ille Sacrosanctus, satis pro se ipso loquitur. Nam ut ad pri- Cap. 5. Thes. 56. mum objectum respondeamus, in Epitome Articulorum ita sese declarat: Si vocabulum Evangelii de tota Christi doctrina accipiatur, quam ipse in Ministerio suo, quemadmodum & ejus Apostoli, professus est (in qua significatione Mar. 1. & Act. 20. vox illa usurpatur) recte dicitur & docetur, Evangelium esse Concionem de pœnitentia & remissione peccatorum &c. Quando vero Lex & Evangelium (sicut & ipse Moses, ut Doctor legis & Christus ut Doctor Evangelii) inter se conferuntur, credimus, docemus, & confitemur, quod Evangelion non sit concio pœnitentiæ arguens peccata: sed quod proprie nihil aliud sit, quam lætissimum quoddam nuncium & concio plena consolationis &c. Item Thes. 3 Quicquid exstat in sacris literis, quod peccata arguit, id revera ad legis concionem pertinet. Hic jam judicet prudens & pius lector qualis sit consequentia: Evangelium (proprie sic dictum) est tantum concio gratiæ, & non pœnitentiæ. Ergo frustra satagimus in sanctitate & Justitia vitæ ambulare? Absit: est enim adhuc alia pars doctrinæ de Deo, cujus pro-

proprium est peccata arguere, & pœnitentiam acuere, videlicet lex divina, de qua Rom. 3. Per legem agnitio peccati.

2. Alterum objectum est Concordiæ nostræ libro excerptum, tanquam errorem portentosum, his verbis Dominus Cardinalis proponit: Passionem Christi proponere iram DEI adversus peccata, ut cognoscamus, quanta Dominus in lege sua à nobis exigat, quorum tamen nos nihil præstare possimus. Sed quid hic monstri, quid portenti, aut erroris? Etiam ne hoc negaturus est, de quo nullus unquam Christianus dubitavit, passionem Christi non solum gratiam & misericordiam, verum etiam iram DEI adversus peccata nobis proponere? Certe in eo, quod Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pœnam portare & maledictum fieri voluit, idque ob aliena peccata, an non evidentissimum exemplum statuit, quantopere & ipsis peccatis, & peccati patratoribus irascatur? Quod si illud solum exagitat, nos nihil eorum, quæ Deus in lege sua requirit, præstare posse: nec sic quidem, quod ipsum urat, habet, modo non accipiat læva, quod divinus ille liber porrigit dextra. Revera enim ex propriis naturæ nostræ corruptæ viribus, & ea perfectione, quam requirit Lex, nihil, nihil boni præstare valemus. Ita quippe loquitur ipse Christus: sine me nihil potestis facere. Imo ita procul dubio canit ipse D. Cardinalis: Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Ita quoque in ipsis templis oratur: Deus sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus. Enim vero etiam auxilio gratiæ Dei adjuti, nihil eorum, quæ Dominus in lege requirit, perfecte præstare possumus, ut nimirum opera nostra pure bona & peccatis incontaminata proveniant. Volentibus enim facere bonum, adjacet malum, hoc est, peccatum: quod ita inquinat optimas quasque actiones renatorum, ut omnes ipsorum justitiæ panno menstruatæ similes pronuncientur. Id circo non dubitat Vir secundum cor DEI dicere: non esse in terra qui faciat bonum, ne unum quidem; ad imperfectionem humanam videlicet respiciens. Et hæc est causa, cur nobis justitia Christi opus sit, ut scilicet imperfectionem istam tegat, ac opera nostra bona per fidem DEO accepta faciat. Quæ cum ita sint, male concludit D. Præsul, tanquam ex nostra hypothesi, frustraneum esse in sanctitate & justitia ambulare. Qualis enim hæc est ratiocinatio? Nos ex propriis & naturalibus nostris viribus nihil eorum, quæ requirit Lex, perfecte præstare possumus. Ergo ne conari quidem debemus, in sanctitate & justitia ambulare?

[Marginalia: Rom. 8. Esa. 3. Gal. 3. — Joh 15. — Prosa de Sp. Sancto Collect. Dom. I. post. Trinit. — Rom. 7. — Esa. 64. — Ps. 14.]

Tertium est quoque ejusdem farinæ de Synergeia voluntatis humanæ in rebus Spiritualibus. Distinguit Liber Concordiæ statum hominis ante conversionē, & in conversione, à statu ejus post conversionē. Ante conversionem negat superesse in homine aliquā capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus Spiritualibus inchoare, aliquid boni operari, aut cooperari valeat, ut videlicet Conversionem suam adjuvare atque cooperari, & seipsum ad gratiam applicare, præparare, eam apprehendere, amplecti, & Evangelio credere possit. Et recte: non enim sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed omnis idoneitas nostra ex Deo est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Itaque & Augustinus: Dominus inquit, ut responderet futuro Pelagio, non ait: sine me potestis quicquam facere: sed ait: sine me nihil potestis facere. Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Evangelica sententia, non ait, sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium. Verum quomodo se habeat homo, in conversione & post conversionem, ex his libri Concordiæ verbis manifestum evadet: Recte, inquit docetur, quod Dominus in Conversione per Spiritus Sancti tractationem (id est motum & operationem) ex hominibus repugnantibus & nolentibus, volentes faciat, & quod post conversionem in quotidianis pœnitentiæ exercitiis hominis renati voluntas, non sit ociosa, sed omnibus Spiritus Sancti operibus, quæ ille per nos efficit, etiam cooperetur. Itane vero hæc doctrina portentum erroris est, & ab omni humanitatis & Christianitatis sensu alienissimum? Itane patens ac apertum hominibus accersit exitium? Itane ex ea sequitur non esse satagendum in sanctitate & justitia ambulare, ut minus candide comminiscitur nostrasque Ecclesias palam traducit D. Cardinalis.

[Marginalia: Epitome Art. 2. Thes. 5. Art. 1. Thes. 6. — 2. Cor. 3. Phil. 1. 2.]

III. Sed superest, ut ad tertiam quoque Contradictionis ipsius causam, si causa dicenda est, respondeamus. Ait: nos alienum jus nobis usurpasse, quod (ipso tanquam Metropolitano Episcopo invito) Synodum indixerimus, & in ea, decreta communi justitiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus, & Dei decretis, contraria fecerimus: nimirum censum Cathedraticum Archidiaconis abjudicando & appellationes ad Capitula prohibendo.

1. Verum, quod ipsi ministri Augustanam Confessionem profitentes, Synodum Solnens. indixerint, hoc profecto contra suam ipsius conscientiam fingit D. Cardinalis. Quid enim his juris in Dominos, Barones, Magnates, Nobiles aliosque ipsorum Magistratus, præsertim in negociis publicum statum concernentibus? Certe ignorare non potest, ex ipsorum Actorum Synod corum frontispicio, cujus auspiciis vel autoritate & Synodus ipsa convocata, & negotia illius directa fuerint. Maluit tamen (fortassis ad declinandam invidiam, autores convocatæ Synodi solos illos nominare, quos miseram plebeculam concionibus suis in errorum laqueos inducere falso asserit.

2. Ac non minus falsum est, quod scribit: in eo nostro conventu decreta facta communi justitiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris canonibus & decretis Dei contraria. Deum enim testamur, non alium nobis finem fuisse propositum, quam Gloriam Dei omnipotentis, salutem, unionem, ordinem, ac disciplinam veræ ipsius Ecclesiæ, juxta præceptum Pauli. Omnia in gloriam Dei facite. Item: Omnia decenter & secundum ordinem fiant inter vos. Nec conveniens esse putavimus, causas Ecclesiarum nostrarum, præcipue autem Ministrorum ad eorum Tribunalia deferri, quos parum amicos Religioni sinceriori fuisse; imo ipsorum delectari malis hactenus abunde comperimus. Qua in re prævium Ducem habemus Divum Paulum iterum sic scribentem: Audet aliquis vestrum, negotium habens adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?

1. Cor. 10.
1. Cor. 14.
1. Cor. 6.

Quod autem Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus conqueritur, Synodum hanc, vel eo nomine illegitime esse factam, quod præter ipsius voluntatem atque assensum indicta fuerit; est quod respondeamus: patet enim, neque divino jure, neque veteris Ecclesiæ exemplis, aut consuetudine, Cardinali ipsi, provincialis Concilii indicendi jus & potestatem (quam sibi arrogat) ullo modo (nisi forte ex supremi Magistratus mandato) competere. Nam quod attinet jus divinum, quis tam in Veteris Testamenti historia hospes & peregrinus est, qui ignorat conventus & Synodos in populo Israelitico non ab Aarone; sed à Mose duce populi, neque ab Eleasaro Aaronis Filio & successore, sed à Josua, ac deinceps non à Pontificibus, sed à Judicibus seu à Gubernatoribus populi congregari solitas? imo horum autoritate & mandato tam ipsos Sacerdotes ac Levitas, quam alios quosvis è subditis vocatos ad Synodum fuisse? Sic deinceps Davidis autoritate, magnum illud universi populi Israelitici Concilium, bis coactum, legimus. Sic Salomonem, & post hunc alios Reges & Duces, Assam, Josaphat, Joam Zorobabelem, Nehemiam, & plures alios concilia in populo Israel, non Sacerdotum, sed sua autoritate convocasse, videmus.

Exod. 19. Lev. 5. Jos. 7. 22. & 24.
2. Sam. 6. 1. Par. 25. 2. Paral. 5.

Jam quod ad purioris & primitivæ Ecclesiæ Exempla & consuetudinem attinet, quis Synodum Nicænam coëgit? annon Constantinus Imperator ille optimus? Quis Constantinopolitanam? annon Theodosius major. Quis Ephesinam? annon minor seu posterior Theodosius? Quemadmodum Martinus Chalcedonensem: Justinianus rursus Constantinopolitanam. Cum enim Magistratus sit custos utriusque Tabulæ & habeat sibi legem Dei singulariter commendatam, recte existimarunt optimi Principes; hoc vel imprimis ad officium suum pertinere, ut quoties necessitas Ecclesiæ requireret, Synodus & Concilia convocarent. Quorum vestigia, feliciter legens etiam Illustrissimus Dominus Palatinus noster, nihil præter officium fecisse putandus est, quod sacrum Solnensem conventum sæpissime solicitatus, novo quidem in Hungaria: sed laudabili exemplo coëgerit.

Erat quidem officium Episcoporum, ea, quæ sunt proprie Religionis & ecclesiæ, curare: verum illis in officio cessantibus, aut in lupos degenerantibus, cur non pius Magistratus politicus, ovibus Christi Pastoralem curam impendat? Præsertim, cum jam & publicatus & confirmatus sit pulcherrimus ille, & ad conservandam status publici tranquillitatem, pernecessarius Articu-

lus pacificatorius in generalibus Comitiis Posoniens. Anno 1608. sancitus: ut nimirum ad præcavenda inter Status & Ordines Regni aliqua odia & dissensiones, unaquæque Religio suæ professionis superiores seu Superattend. habeat. Ex quo manifeste sequitur, si Superatt. habendi sunt: habendum quoque nobis fuisse publicum conventum, in quo communibus Comitatuum votis, tales personæ eligendæ, creandæ & legum autoritate muniendæ erant. Qua in re certe Dominus Cardinalis (sat scimus) operam suam, vel millies requisitus haud quaquam nobis navasset. Mirum autem, quomodo ita palam scribere audeat, nihil horum in publico Regni conventu definitum esse? imo non solum jam definitum, verum etiam ab Illustrissimo Domino Palatino, tanquam summo secundum Regiam Majestatem, publicorum statutorum defensore, recte, atque ex officio, nostro cum consensu, in effectum deductum est, Domino Deo sit gloria, hostibus autem ejus confusio faciei.

De censu Cathedratico, Archidiaconis sententia Synodi nostræ abjudicato, respondemus ex Paulo Apostolo. Qui non laborat, non manducet. (2. Thess. 3.) Beneficium enim datur propter officium; Cessante igitur officio, cessat quoque beneficium. Hisne demus censum, qui neque Ecclesias ad earum ædificationem visitant, neque Ministros Evangelii defendunt, neque purum Dei verbum proponi curant? Quin potius tam erga Ministros Ecclesiarum nostrarum; quam erga doctrinam repurgatam hostili sunt animo. Nec est, quod antiquam seculorum aliquot possessionem & consuetudinem nobis objectent: Etenim contra Christi Ecclesiam, ejusque libertatem, non potest habere locum, ulla quantumvis longa præscriptio, nulla etiam inveterata & vel myriadibus seculorum approbata possessio. Et si enim de veris Ecclesiæ Pastoribus Christus pronunciavit, dignum esse operarium mercede sua: tamen si operarius non operetur, aut contra voluntatem Domini sui operetur: qua conscientia, qua fide, quo ore mercedem sibi reddi urgebit? Hoc certe rerum & Ecclesiæ statu, Domini Prælati in Ecclesiis Augustanam Confessionem, neque mittendi, neque ordinandi neque confirmandi jus Ministros nostros habent, & audent censum poscere? Quid aliud est communi justitiæ adversari, si hoc non est? Quod autem in scripto suo Dominus Cardinalis addit, etiamsi hoc in publico Regni Conventu definitum foret; quia tamen sacris Canonibus Ecclesiæ adversetur invalidum esse debere: Videat ne nimis calidum bolum ori suo ingerat. Annon enim hoc est in Sacratissimam Regiam Majestatem, & amplissimos Regni Status (quia de libero Religionis exercitio & creandis Superattendentibus decretum fecerunt) nimis audacter linguam ejicere, imo publicæ pacis fundamentum subruere? Allegat ille quidem ex Prologo Tripartiti, non valere statuta, si sacris Ecclesiæ Canonibus adversentur: at non ita verba Prologi habent; sed, si circa ea fiunt statuta, quæ salutem Animæ concernunt. Quam verò neque Superattendentium creatio in se & per se considerata, neque ordinationes Ministrorum, neque consignatio & asservatio bonorum Ecclesiasticorum, neque census Cathedrales, neque causarum adjudicationes (de his enim Solnæ actum) salutem animarum concernunt; sed ad eutaxiam, disciplinam, & conservationem nostram Ecclesiarum referuntur. Statuta igitur de his rebus facta, leges Hungarorum, nulla in parte convellunt: quid si etiam confirmant? Nam inter reliquas, etiam hæc notatu digna habetur: dum novæ leges fuerint introductæ; tunc secundum illas oportet judicare, sive sint efficaces, sive mitiores prioribus Et in Prologo: Lex cōtra Legem divinam nec populi assensu, nec Cōsuetudine diuturna, est valida.

Sed ut ad finem nostra perveniat Apologia, ostendimus jam scripto præsenti, nos in Synodo nostra Solnensi, nihil, neque verbo Dei, neque legibus & constitutionibus Regni contrarium sanxisse, dum Superattendentes & Inspectores Ecclesiis nostris Augustanam Confessionem profitentibus, vigore Articuli primi Posoniensis, in ipsa Serenissimi Regis nostri coronatione, sanciti & roborati, præfecimus, iisque eam quæ huic officio propria est, auctoritatem attribuimus. Quare quod Synodum nostram scommatice Dominus Cardinalis proscindit, & totam hanc boni ordinis actionem perturbat, publicum ac saluberrimum Regni decretum conculcat, in nostros Superattendentes, & Concionatores (in quos nullum ei jus) anathematum & excommunicationum diras jacit, atque, sic novam dissensionum odiorumque facem, in Regno, vix dum etiam pacato, accendit: Nos coram Deo, & toto Christiano orbe, de in-

injuria, contumelia, & minis, quibus nos immerito lacessit, protestamur. Nostras tantum Ecclesias curamus, nostris consultum volumus: quæ alterius professionis sunt, inperturbatas relinquimus, neminem irritantes. Non sumus Allotrio-Episcopi; sed nostrum duntaxat facimus officium: tamen perturbatores Ecclesiæ ab ipsissimo turbatore proclamamur. Videat Deus, & judicet, Nos causam nostram illi commendamus, qui profecto semper & dominatur, & dominabitur in medio inimicorum suorum, cujus omne consilium stabit, omnisque voluntas fiet. Quod Solnæ factum est, à Domino factum est, & est admirabile in oculis Mundi, ideoque non poterit dissolvi, ut recte dixit: quondam honorabilis legis Doctor Gamaliel. Non dubitamus etiam, tam Sacratissimam Regiam Majestatem, quam universos inclyti Regni ordines pacificatorium de Religionis libertate & Superattendentium constitutione decretum, adversus eos, qui se illi Gigantea audacia opponunt, & litem de lite serunt, constanter defensuros esse &c.

Ps. 110. Esa. 46. Ps. 118. Actor. 5.

36. Articuli Consistorii Semptaviensis A. 1622 eduntur.

XXXVI. Anno 1622. d. 1. Sept. Leges & Articuli Consistorii Semptaviensis Augustanæ Confessionis editi, & à Palatino Regni, Comite Stanislao Thurzone confirmati sunt, cujus originale membranaceum in manibus est, & ita se habet:

37. Articuli Semptavienses.

XXXVII. *Leges & Articuli Consistorii Semptaviensis Augustanæ Confessionis, cui subsunt Fratres à Lacu Ferteo in Comitatibus Nittriensi, Posoniensi, Mosoniensi, Iaurinensi, Comaromiensi, Barsiensi, Neogradiensi, Strigoniensi, utroque Honthensi, Geæmoriensi, de Officio Superintendentis, & Seniorum, de generalibus Synodis, de ordinatione Pastorum de Scholis earumque Rectoribus &c. &c. à Comite Stanislao Thurzone Palatino & Locum tenente confirmati Anno 1622 d. 1. Septemb.* cujus originale membranaceum cum appenso Sigillo extat:

Nos Comes Stanislaus Thurzo de Bathlenfalva Regni Hungariæ Palatinus & Iudex Cumanorum, Terræ Scepusiensis, ac Comitatus ejusdem perpetuus Comes, nec non Sacratissimi Principis & Domini Domini FERDINANDI II. Dei gratia, Electi Romanorum Imperatoris Semper Augusti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ &c. Intimus Consiliarius, & per Hungariam Locumtenens. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit universis: Quod admodum Reverendus & Clarissimus Dominus Tobias Brunczuik, Aulæ nostræ Semptaviensis Concionator; nec non Reverendorum Fratrum Confessionem Augustanam amplectentium, à Lacu Ferteo, in Comitatibus Nittriensi, Posoniensi, Mosoniensi, Iauriensi, Comaromiensi, Barsiensi, Neogradiensi, Strigoniensi, utroque Honthensi, Geæmoriensi degentium Superintendens, nostram personaliter veniens in præsentiam, suo ac totius Consistorii Semptaviensis nomine, exhibuit nobis quasdam Leges seu Articulos Latino Idiomate conscriptos, ad confirmationem boni ordinis, & disciplinæ Ecclesiasticæ in eodem venerabili Consistorio spectantes, supplicavitque debita cum instantia, quatenus nos easdem Leges & articulos præsentibus literis nostris insertos, ac perpetuo duraturos Authoritate nostra Palatinali, qua pleno Iure fungimur, approbare, confirmare, & ratificare vellemus. Quorum quidem Articulorum seu Legum ista fuit series.

I. *Legitime electo ordinatoque Superintendenti subjiciuntur omnes in universum Presbyteri quovis vocitati nomine, ita Seniores, ut cæteri fratres, qui debito honore timoreque illi obtemperent, tanquam potestati Ecclesiasticæ à Deo ordinatæ:*

II. *Superintendentis erit invigilare, ut Inspectioni suæ Subjecti Presbyteri Orthodoxam inculcent populo doctrinam, quæ scriptis, Propheticis & Apostolicis, libroque Christianæ concordiæ est comprehensa; Secus autem docentes, nullatenus tolleret. Iuniores vero, qui judicio nondum confirmati fuerint, à Scriptis Papistarum & Calvinistarum in Articulis controversis abstineant.*

III. *Quia autem recte docere, sed male vivere, est doctrinæ suæ fidem derogare, idem Superintendens daturus est operam, quatenus Presbyteri fidei suæ commissi, vitæ morumque integritatem sectentur. Quod si vero quispiam vocationis suæ oblitus, vitam solutam duxerit, hoc est, crebro compotaverit, manus cum Laicis conseruerit, verbis maledictis alios proscideritt, & ad verbera descenderit, vel Parochiam deserendo hinc inde cursitaverit, usuram sectatus fuerit, post admonitionem Paternam, in bonis suis mulctabitur, mulctam non curans custodiæ tradetur, obstinatus tandem officio degradabitur.*

IV. *Ecclesias quotannis visitet, ubi ab Auditoribus de doctrina, diligentia, vitaque innocentia tum Concionatorum tum Scholarum Rectorum inquiret, eosque ab*

omnibus injuriis, contumeliisque defendet, Proventus Parochiales, puta terras arabiles, Vineas, prata molendina, nemora & similia diligenter consignabit, è quibus ne quippiam deperdatur, incumbat: imo si quæ possessiones per abusum, vel vim abalienatæ fuerint, inque usus profanos conversæ, Superintendens Magistratum Politicum requiret, ejusque authoritate bona adempta Parochiæ assignabit.

V. *Generalem Synodum quotannis Mense Majo indicet, ubi Candidatos Sacræ Theologiæ, secundum ritum Catholicæ Ecclesiæ hactenus apud nos observatum ordinabit. Necessitate tamen Ecclesiæ ita poscente, si cujuspiam Candidati ordinatio ad generalem non posset differri Synodum, tunc Superintendens, adhibito uno Seniore & vicinis aliquot Presbyteris, examine usitato præmisso, Candidato Sacros conferet ordines.*

VI. *Indicta generali Synodo, causæ omnes, tam matrimoniales, quam aliæ forum Ecclesiasticum concernenentes discutientur; nec quispiam Seniorum attentabit, ut privatim aliquas discutiat, nisi permissu Superintendentis, hac tamen lege, ut deliberationem pro confirmatione ad Superintendentem remittat.*

VII. *A præfata generali Synodo nemo se subtrahat, qui enim non comparuerit, absentiæque suæ sufficientes causas recensere non potuerit, florenorum Hungaricalium duodecim mulctam subibit.*

VIII. *Quia autem propter officium datur beneficium, quia item Superintendens multas cogitur sufferre molestias, facereque expensas, census Cathedralis ab omnibus Presbyteris sibi commissis, & æditourum Contributiones ei deputentur.*

IX. *Seniores in suis districtibus & comitatibus invigilent, qui, si quas animadverterint inconvenientias, eas, una cum Superintendente, omni posthabita difficultate componant. Si vero ad tales componendas inconvenientias Superintendenti semper excurrere non licuerit, tum Senior, qui per Superintendentem emittitur, absque tergiversatione & murmure Superintendentis mandato obtemperet, negotiumque sibi commissum fideliter exequatur: Secus facientes, pro qualitate delicti, punientur.*

X. *Quivis Senior suos habeat collegas, quos hodie Diaconos vocamus, qui non secus, ac Seniores Iuramento adstringantur. Horum erit omnia, Senioribus & Superintendenti referre, quæcunque vel de Presbyteris, vel de Rectoribus in Comitatibus suis degentibus audiverint, delinquentes acceptis à Superintendente citatoriis citabunt, coramque Tribunali partes Actoris sustinebunt.*

XI. *Omnes in universum, præcipue tamen causantes, coram Superintendente & Tribunali, honeste se invicem compellabunt; si quis vero, vel Iudicibus audientibus, vel foras sub deliberatione emissus, alterum verbis injuriosis, aut minus decentibus prosciderit, in violatione sedis: hoc est Presbyter in florenis duodecim, Laici plebei in florenis quadraginta, Nobiles in florenis Hungaricis centum convincentur.*

XII. *Nemo Concionatorum in alterius Parochiam se intrudat, absque voluntate & permissu ordinarii Concionatoris non concionetur, nec Sacramenta administret. Casu tamen si ordinarius Concionator, vel lecto affixus decubuerit, vel ob legitimas causas peregre profectus fuerit, tum extraordinario res Sacras administrare permittitur: ita tamen ut præmium pro labore datum sibi non appropriet; sed ordinario Concionatori relinquat.*

XIII. *Nemo in alterius locum migret, priusquam præcessor totaliter contentatus fuerit, sin autem quispiam Concionatorum morte temporali evocatus fuerit, Fratres vicini convenientes eum honeste sepeliant, annumque ejus, vel Semestre suppleant: quo suppleto, vidua honeste, præsentibus duobus Fratribus, è Parochia migret.*

XIV. *Nullus ante expletionem annui sui temporis Parochiam deserat, si locum mutandi animus est, annum terminet, abitionemque Domino suo terrestri Seniorique tempestive significet, nec absque sufficientibus rationibus & causis valedicat.*

XV. *Quivis Concionatorum Dominicalibus diebus bis, festivis autem semel Concionem instituat, singulis septimanæ diebus preces in Templo cum plebe habeat.*

XVI. *Sacramenta Ecclesiæ, tum Altaris, tum Baptismi magnarum reverentia in Templo administrentur: Vbi tamen ægrorum Communio & parvulorum Baptismus in casu necessitatis, ratione loci excipitur.*

XVII. *Pari ratione Copulæ, non in domibus privatis, sed in Templo administrentur, ante autem personæ matrimonium contrahentes, ex Cathedra coram populo publicabuntur. Temporis etiam habenda est ratio, ne videlicet Adventus Domini, vel Quadragesimæ tempore, copulas quispiam administret, neque nuptias celebrari permittat, nisi peculiaris casus aliud suadet.*

XVIII. *Rectores Scholarum cum consensu Pastoris, & non aliter vocandi sunt, alioquin ne pro Rectoribus quidem habendi.*

Hi

Hi in Religione sint Orthodoxi, legibus Consistorii subscribant, Pastoribus suum honorem & Obedientiam, in his quæ non sunt contra Deum & vocationem ipsorum præstent.

XIX. *Pastorum esto, in vitam & officium Rectorum, totamque Scholam animadvertere, negligentes officii admonere, incorrigibiles removere, interim tamen scholarum proventus non imminuere, sed potius, si qua honesta ratione fieri poterit, augere.*

XX. *Si quam injuriam à Pastoribus habere videntur, de ea non apud Politicos, sed apud Superintendentem & Consistorium conquerantur, reportaturi sui satisfactionem. Quaquidem admodum Reverendi & Clarissimi, superius prælibati Domini Tobiæ Brunczvick & cæterorum Reverendorum Fratrum, ad antedictum Consistorium Semptaviense spectantium supplicatione, tanquam justa & legitima admissa: Easdem Leges & Articulos, præsentibus literis nostris Privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione & augmento aliquali inscribi & inseri facientes, Authoritate nostra præscripta Palatinali qua pleno Iure fungimur, in omnibus suis punctis & clausulis approbandas, confirmandas ratificandasque esse duximus: Imo approbamus, confirmamus & ratificamus, harum nostrarum authographi pendentisque & authentici Sigilli nostri munimine roboratarum vigore & Testimonio literarum. Datum, in Arce nostra Sempthe die prima Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo vigesimo secundo.*

Comes Stanislaus Thurzo

Stephanus Sziktzay.

38. Matthias II. Art. I. An. 1608. confirmat.

XXXVIII. Interea in Comitiis Regni Anno 1618. celebratis & Rex Hungariæ Matthias II. Articulum I. de Anno 1608. confirmat.

39. Artic. 77. An. 1618.

XXXIX. Matthiæ II. Imperat. & Reg. Hungariæ Decret. Art. LXXVII.

Anni M DC XVII.

In Negocio Religionis renovatur Articulus I. Anni 1608. ante coronationem editus.

XL. Ita legibus Regni toties stabilitæ Reformatæ fidei per Hungariam & Transylvaniam incrementa, non parum aucta & ornata sunt per accessiones locupletes Illustrium, magnificarum & splendidarum Familiarum, Religionem illam amplectentium. 40 Religionis Evangelicæ incrementa.

XLI. Stephanus Illeshazius, Comes Trenchiniensis & Liptoviensis, Magister Curiæ Regiæ Georgius Thurzo, Comes Supremus Comitatus Arvensis, & Stanislaus Thurzo, hujus Frater, omnes tres Lutherani in Suprema dignitate Palatinatus Regni invicem sibi succedentes, Templa, Gymnasia & Scholas erexerunt, & liberalissimas fundationes munificentissime fecerunt. 41. Palatinorum Lutheranorum fundationes

XLII. Longum nimis foret de Betheleniis, Redais, Periniis, Tœrœkiis, Rakoziis, Bottyanis, Zriniis, Nadastiis, Revais, Forgacziis, Tœkœlyis, Nyariis, Szetsiis, Præpostuavis, Listiis, Boczkayis, Banfiis, Zolomiis, Pakrossis, Mariasiis, Kapiis, Korlatiis, Cyriakis, Bakossiis, Petenhasiis, Kamariis, Oknais, Horvathis aliisque, munificentiæ specimina similia recensere. 42. Aliorumque Magnatum.

XLIII. Idem fecerunt Civitates Regiæ & liberæ, necnon Montanæ Cassoviensis, Bartphensis, Epiriensis, Cibiniensis, Leutschoviensis, Kesmarkiensis, Neosolium, Vetus Solium, Carpona, Brisna, Cremnicium, Schemnicium, Bela, Puckanez, Kœnigsberga, Trenschinium, Tirnavia, Zakolcza germanice Scaliz, Modra, Bæsinga, S. Georgium Posonium, Sopronium, Gynzinum, Jaurinum Debrecinium Rusticum, & aliæ quæ singulæ in ecclesias, Templa, Gymnasia & scholas ibidem erectas, sumtus congruos liberaliter contulerunt. 43. Civitatum liberarum fundationes.

XLIV. Unde Catholicis per incrementa Religionis Evangelicæ vix aliquid decessit, cum omnia pro Religione Reformata ab illius consortibus ex propriis impensæ fuerint. 44. Catholicis nihil decessit.

XLV. Quemadmodum etiam sumptibus Procerum aliorumque Evangelicorum & Reformatorum Gymnasia & scholæ celebriores pro informanda juventute, in Comitatibus erectæ ædificatæque & amplis satis fundationibus mu- 45. Gymnasiorum Evangelicorum fundationes.

munitæ ac provisæ sunt, utpote Posonii, Szencini in Comitatu Posoniensi, Galgocii & Baymocii, in Comitatu Nitriniensi, Bitsche Solnæ in Comitatu Trenchiniensi Vesprimium & Papa, in Vesprimiensi Rosabergæ Lipise, Szent Miklos & Okoliczna, in Liptoviensi, Straza & Neerense prope Kesemarkinum, in Scepusiensi, Mossocz & Szent Marton, in Turocziensi Solicæ, Patakini, Debrecinii, Eperiescini & aliis piuribus in locis, quæ recensere prolixum esset.

46. In Catholicorum manus venerunt. XLVI. Hæ tamen fundationes deinceps in Jesuitarum & aliorum Ecclesiasticorum etiam Secularium Catholicorum manus, maximam partem abierunt.

47. Ferdinandus II. 17. Conditiones se servaturum jurat. XLVII. Vivente adhuc Matthia II. ad ejus commendationem Ferdinandus II. Anno 1618. die 1. Julii iisdem in Comitiis, quibus præcedens Articulus promulgatus est, in Regem Hungariæ eligitur & coronatur. Ante coronationem conditiones septendecim, sub quibus Regnum Hungariæ in electionem & coronationem ejus consenserat, electus Rex acceptat, easque se sancte servaturum esse, verbo Regio promittit, & Juramento solenni in coronationis actu, rite asseverat. Quin imo Diploma Regium super hac conditionum acceptatione & observantia Statibus Regni extradit. die 15. May 1618. illudque futuris Comitiis Articulis Regni insertum iri pollicetur, quod & factum est A. 1622.

48. Conditione sexta libertatem Religionis promittit. XLVIII. In hujus Diplomatis Regii conditione VI Augustanæ Confessioni addictis Religionis suæ exercitium, juxta Pacificationem Viennensem & Articulum I. de A. 1608. adeo liberum fore promittit, ad illud omnibus Regnicolis, etiam Oppidis & Villis, illam Religionem sponte & libere acceptare volentibus, ubique illæsum & illibatum relinqui debeat, addita prima vice pluribus, deinceps repetita de Dominis terrestribus expressa & pernecessaria clausula, ne quispiam cujuscunque Status & conditionis existens à Majestate Regia, & aliis quibusvis Dominis terrestribus quovis modo, aut quovis sub prætextu turbetur aut impediatur. Sequitur tenor ipsius Diplomatis.

49. Diploma Regium Ferdin. II.

XLIX. Diplomatis Regii Ferdinandi II. Conditio VI. cum Conclusione, Decreto I. Ferdinandeo inserta, Anno 1622.

Artic. 2.

Quod Religionis negotium inter universos Status & Ordines Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariæ militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorem permansionem, juxta Constitutiones Viennenses & Articulos ante Coronationem editos, maneat liberum, illæsum & illibatum; Ita videlicet, ut Religionis Exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, universisque Statibus & Ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis Regni Hungariæ, nec non Oppidis ac Villis, illud sponte & libere acceptare volentibus ubique liberum relinquatur; nec quisquam cujuscunque status & conditionis existens, in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis à Majestate sua Regia, & aliis NB. quibusvis Dominis terrestribus, quovis modo, aut quovis sub prætextu turbetur, aut impediatur.

Atque hæ sunt conditiones, quas Majestas Sua Regia ante electionem suam acceptare sufficientibusq; literis suis assecuratoriis, sub Verbo Regio confirmare, post Convocationem vero suam tempore suscepti Regiminis generalibus Articulis inseri & publicare dignabitur. Nos itaque prædicta universorum Statuum & Ordinum Inclyti Regni Hungariæ & partium ei subjectarum Supplicatione clementer admissa, pro benigna animi nostri propensione; ipsisque clementer gratificandi voluntate præinsertos universos Articulos, & omnia & singula in iis contenta rata, grata & accepta habentes, eisdem Regium nostrum Consensum benevolum pariter & assensum præbuimus, ac illos & quævis in ea contenta acceptavimus, approbavimus, ratificavimus & confirmavimus. Promissa omnia tam Nos ipsi Regiminis nostri tempore observabimus, quam per alios fideles subditos nostros, cujuscunq; status & conditionis existant, observari faciemus, uti vigore hujus nostri Diplomatis acceptamus, ratificamus, confirmamus atque promittimus. In cujus fidem & testimonium literas has manu propria subscribsimus, & Sigilli nostri impressione muniri jussimus. Datum in Civitate Posoniensi, die Decima quinta Mensis Maij, An. 1618.

L. Ergo maximæ hinc spei locus erat, post Pacem Viennensem, ejusque in Articulis Regni à Rege Matthia II. bis 50. Evangelici confidunt promissis & pactis.

bis reiteratam confirmationem, nec non post hoc Diploma Regis Ferdinandi II. securitatem & libertatem Religionis Reformatæ in Hungaria; inprimis sub hoc Ferdinando fore omnino illæsam, illibatam, & imperturbatam: cum inprimis hic Rex in forma conditionis, sub qua in Regem eligebatur solenni juramento jurasset, se illam securitatem & libertatem Evangelicis illibatam tempore Regiminis sui, non tantum per se præstiturum, sed etiam per subditos Regni alios. i.e. Catholicæ Religionis cujuscunque Status & conditionis, adeoque etiam per Clerum Catholicum observari facturum esse. Ita sane fore, Evangelici & Reformati certissime persuasi erant, & verbo regio solenni Juramento corroborato plenissime confidebant, rectissime rati, vinculo hoc non dari majus nec arctius.

Certe nec ipse Rex pius & optimus aliam habuit intentionem, quam ea, quæ Deo & Populo suo, verbo suo Regio & juris jurandi Religione promiserat, sancte inviolabiliterque servare. Attamen eodem sub hoc Rege persecutiones contra Evangelicos & Reformatos in Hungaria recruduerunt, & securitas libertasque tantis pollicitationibus publicis, Legibus & juramento promissa permultis contraventionibus, connivente Rege, impune violata fuit. Idem accidit sub regimine secutorum Regum, cœteroquin gloriosissimorum.

51. Jesuitæ persecutionum autores. LI. Cum enim authoribus Patribus Jesuitis, pertractis in suas partes Proceribus non nullis, in Hungaria & Transylvania libertas Religionis Reformatæ turbari, in protestantes sævirì, passim Templa eorum claudi, & Pastores eorum de novo ejici cœptum esset, ex novo hoc malorum fomite, novum belli incendium exarsit.

52. Gabriel Bethlem bellum movet. LII. Gabriel Bethlem, Princeps Transylvaniæ oppressionem fidei consortium vindicaturus & pro Bohemis bellum moturus, Anno MDCXIX. primum Jesuitas Claudiopoli ejecit, promulgato Decreto nequis eorum amplius in Transylvaniam revertatur, Hungariam deinde ingressus eandem totam facile occupavit, Jesuitas, quos pro turbatoribus pacis publicæ habebat, è Regno Pannoniæ ejecit, Cohortibus Bukoyi Posonii in Suburbio deletis, Coronam, Regnique insignia in potestatem accepit, & Moraviam, imprimis autem Austriam miserum in modum vastavit. Postea Polonii ab Hungaris Rex proclamatus est, à Coronatione tamen accipienda abstinuit & in Transylvaniam reversus est.

LIII. Anno tamen MDCXXI. denuo in Hungariam rediens Moraviam Austriamque igne ferroque vastat, tandem partim cæsus, partim fugatus pacem iniit, qua inter alia religio Evangelica, in Hungaria, in priorem statum restituta fuit. 53. Restituit libertatem religionis. An. 1621.

LIV. Anno MDCXXIII. novis turbis iterum à Jesuitis reducibus in Hungaria & Silesia motis, Gabriel Bethlem, contracta validissima manu, simulque Turcarum & Tartarorum auxiliis stipatus in Hungariam supervenit, Mense Septembri. Causabatur ille inter alia se propter Religionis oppressionem, Jesuitarum ejectorum reductionem, & prætermissam eorum præstationem, quæ Comitiis Soproniensibus promissa erant, ad bellum hoc lacessitum fuisse, qua propter perdomita Hungaria, Bethlen Jesuitas iterum tanquam turbatores pacis publicæ è Regno ejecit. Deinde divisis copiis, partem Hungarorum & Tartarorum Duce Bottyani misit in Styriam, ut populationibus incuteret terrorem: Alteram partem Turriano assignavit, ut irruptionem hostium propulsaret: Ipse vero in Insula Schütt cum parte optima commorans, molemq; belli veluti è Specula prospectans, in Austriam, Silesiam, Moraviam & Bohemiam copias, prædas ingentes agentes, immisit. 54. Iterum A 1623. arma capit.

LV. Cæsar igitur laudem potius humanitatis secutus, cum Principe Transylvaniæ Pacem deproperandam esse constituit, qua inter alia etiam Religionis libertas de novo promittebatur. A. MDCXXVI. Gabriel Bethlem, quarta vice irruptionem fecit in Hungariam & tandem denuo in pace secuta sancitum est, ut pacis conditiones Viennenses & cæteri articuli in puncto religionis observentur. 55. Religionis libertas denuo promittitur.

LVI. Quemadmodum autem libertas Religionis per dictas Pacificationes, stipulantibus Transylvaniæ Principibus, restabilita aliquoties fuit sub Ferdinando II. ita etiam in Comitiis Regni Pacificatio Viennensis & Diplomatis Regii conditio sexta, pro corroboranda eo magis Religionis Libertate sæpius confirmata fuit eodem sub Rege. 56. Libertatem Religionis Ferdinandus II. sæpius confirmat.

LVII. In Comitiis enim Regni An. 1625. habitis sequens Articulus constitutus est. 57. Uti in Comitiis A. 1625.

LVIII.

58. Art. 22. A. 1625. **LVIII. Ferdinandi II. Decretum II. de An. 1625.**

Articulus XXII.

Super Negotio Religionis.

IN negotio Religionis ut Articulus I. Anni 1608. ante coronationem editus, & conditio sexta in suo vigore maneat statutum est.

59. Artic. 33 A. 1630. **LIX. Ejusdem Ferdinandi II. Decret. III. A. 1630.**

Articulus XXIII.

De Negotio Religionis.

IN negotio Religionis Articulus I. A. 1608. ante coronationem editus & conditio sexta in suo vigore maneat.

60. Art. 29. An. 1635. **LX. Ejusdem Ferdinandi II. Decret IV. Anno 1635.**

Articulus XXIX.

Negotium Religionis.

IN Negotio Religionis ut Art. I. anni 1608. ante coronationem editus, & conditio sexta in suo vigore maneat statutum est.

61. Ferdinandus III. septendecim conditiones juramento confirmat. LXI. Anno MDCXXV. FERDINANDUS III. in Regem Hungariæ, vivente Patre FERDINANDO II. electus est unanimi Procerum & Populi Voto.

Ille ante coronationem die 27. Nov. ejusdem Anni Diploma Regium de servandis septendecim conditionibus Electionis edidit, illudque solenni Juramento, Patris exemplo, confirmavit. Et quemadmodum eodem Diplomate promiserat, illud in majorem assecurationem cautionisque declarationem, sicuti verba ipsa habent, Regni Legibus insertum iri, ubi post mortem Parentis Regni gubernacula susceperit; ita illud etiam primis in Comitiis An. 1638. factum est sequenti, quod Religionē attinet, tenore, ubi imprimis notandum venit, quod secunda, quemadmodum in Patris Diplomate prima vice factum erat, prætectus juris Dominorum terrestrium, quo Jus reformandi obtendere Catholici cœperant, denuo damnatus sit.

LXII. Diplomatis Regii Ferdinandi III. Decreto ejus Primo de anno 1638. Artic. I. inserti. 62. Diploma Ferd. III

Quinta Conditio.

Quod pro Iustitiæ administratione, sine qua Regna consistere non possunt, secundum laudabilem & Deo gratam in celebrandis Iudiciis antiquam regni consuetudinem Iudicia Octavalia, pacis tempore tam in superioribus, quam in inferioribus Regni partibus juxta Constitutionem Anni 1609. Art. 70. continuo celebrari faciet & juxta eundem Articulum tam in tabula Regia, quam appellationibus sine discretione Religionis Iudices fiant, &c.

Sexta Conditio.

Quod, Religionis negotium inter universos Status & Ordines Regni in suis ac Fisci Bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariæ, militibus Hungaris propter tranquilliorem permansionem juxta Constitutiones Viennenses & Articulos ante Coronationem editos, maneat liberum, illæsum & illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, universisque Statibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in Confiniis Regni Hungariæ, nec non Oppidis ac Villis illud sponte & libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuscunque Status & Conditionis existens, in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis à Serenitate sua, & alius quibusvis Dominis terrestribus quovis modo aut quovis sub prætextu turbetur aut impediatur. Nos itaque prædicta universorum Statuum & Ordinum inclyti Regni Hungariæ, & partium ei subjectarum instantia benigne admissa, pro benigna animi nostri propensione ipsisque bene gratificandi voluntate, præ-insertos universos Articulos, ac omnia & singula in iis contenta, rata, grata & accepta habentes, iisdem nostrum consensum benevolum pariter & assensum præbuimus, & illos & quævis in iis contenta acceptavimus, approbavimus, ratificavimus & confirmavimus; Promittentes et assecurantes, Status et Ordines in Verbo nostro, quod præmissa omnia tam

tam nos ipsi Regiminis nostri tempore observabimus, quam per alios fideles subditos nostros, cujuscunque Status & conditionis existant, observari faciemus; uti vigore hujus nostri Diplomatis acceptamus, ratificamus, confirmamus atque promittimus. In cujus fidem & testimonium literas has manu propria subscripsimus & sigilli nostri impressione muniri jussimus. Datum in Civitate nostra Regia Sopronii, die vigesima septima Mensis Novembr. Anno Domini 1625.

63. Georg Rakozius bellum movet ob persecutiones Evangelicorum.

LXIII. Non attentis Regiis hisce & juratis promissis Clerus cum Proceribus quibusdam Catholicis, quos ille in suas partes pertraxerat, non ita multo post admodum graves Reformatæ Religioni exstiterũt persecutiones, templa quam plurima concludẽdo aut adimendo, Ministrosq; Protestantium in exiliũ abigendo, silente ad hæc & connivente Rege cœteroquin justissimo & æquissimo. Unde postquã Princeps Transylvaniæ Georgius Rakozius interpositione sua Templorum occlusorum vel ademptorum, quorum trecenta tunc numerabantur, restitutionem aliaque impetrare non potuisset, Anno MDCXLIV septuaginta millia armatorum hominum in Hungariæ viscera effundit, & evulgato manifesto inter alias belli causas Politicas permultas allegat: Protestantes opprimi, & à muniis Regni & civilibus arceri, per Jesuitas invitis Regnicolis denuo in Regnum introductos libertatem Regni labefactari, & per eosdem propugnacula & urbes Hungariæ adimpleri &c. &c.

64. Fit Pax A 1645. Cleri dissensus contemto.

LXIV. Bellum hoc varia utrinque fortuna gestum magis cruentum quam diuturnum fuit, dum subsequenti Anno MDCXLV. pace facta finitum est. Utræque belligerantium partes pacem illam diuturnam & perpetuam esse seriò cupientes, maximum turbarum fomitem, Religionis Evangelicæ oppressionem, à Clero Catholico perpetuis machinationibus & omni nisu architectatam, & ex intervallo sæpius tentatam, prorsus extinguere sategerunt. Unde cum observassent Georgium Lippay, Archi-Episcopum Strigoniensem, suo & totius Cleri nomine, licet ipso consentiente superiores Regni Leges super Religionis Reformatæ securitate & libertate latæ fuissent, novo ausu legibus ejusmodi denuo repetendis & corroborandis consensum suum denegare, imo pacificationi huic protestationem suam solennem opponere, eoque ipso confidere, per contradictionem suam à Comite Ladislao Chaky, Francisco Revay, & quibusdam aliis approbatum, irritas imposterum ejusmodi Regni leges & gravaminum complanationes reddi posse, utraque belligerantium pars hanc inauditam antea: Cleri Catholici in publico loco diætali Diplomatibus regiis contradicendi licentiam, paci & tranquillitati nimis contrariam, reprimendam esse, consulte, nisi fallor, statuit; formula hac, *contradictionibus dominorum, Cleri &c. non obstantibus:* Ipsi Diplomati regio pacificationis inserta.

LXV. Exprobraverat Aula Romana Clero Regni Hungariæ, non minus quam Clero Germaniæ post pacem religiosam & Pacificationem Westphalicam, quod uterque in libertatem & securitatem Religionis Reformatæ pro tranquillitate Imperii & Regni consensisset, cum ejusmodi Pacis conditiones Ecclesiæ Romanæ essent præjudicio. Equidem Clerus Germanus ejusmodi exprobrationes, protestationes & in futurum inhibitiones maxime severas adeo non curavit, ut crediderit retractato suo consensu & posthabita fide data, opus esse una cum universo Imperio semet ipsum in summum periculorum præcipitium dare, & nova cruentaque bella, quibus summa imis misceerentur, in cervices proprias accersere. Molliorem tamen, quam opus erat, se præbuit erga Curiæ Romanæ imperata Clerus Regni Apostolici, immemor, sibi minus adstricta dependentia Curiæ Romanæ addicto, minorem incumbere necessitatem in ejusmodi deferendi, quam cuicunque alii Clero. 65. Exprobrationes Aulæ Romanæ.

LVI. Rex autem Apostolicus Prærogativæ suæ, hac quidem in parte cum cæteris Regibus communis magis memor, ea qua pollebat authoritate, Suæ Regnique sui tranquillitati consulendi usus, contradictionem Cleri aliorumque quorumvis Sæcularium Catholicorum nunquam obstituram, quo minus leges Regni de libertate Religionis reformatæ valeant, dissensumque, irritum in perpetuum nullumque esse jussit; indignum & bono publico infaustum nimis esse ratus, ut ab arbitrio Subditorum suorum dependeat, & in ipsorum manibus sit potestas, novis bellis, ubi illis libitum fuerit, universum Regnum implicare, illudque in summum sui & Regnicolarũ discrimen adducere. 66. Cleri dissensus irritus declaratur jure meritoque.

LXVII. Memorabilis hæc & Rei Protestantium faventissima Pacificatio eodem tenore quo sequentibus Comi- 67. Pacificatio de Anno 1645.

tiis inter Leges Regni redacta est, ita se habet.

Diploma Regium Pacificationis.

QUandoquidem Sua Majestas Sacratissima pro paterna Sua Clementia nuper exortas in hoc Regno internas dissensiones placidis mediis componere, ac cum Illustrissimo Principe Transylvaniæ Domino Georgio Rakoczy & sibi adhærentibus, medio certorum Commissariorum Suorum sub certis conditionibus pacem facere clementer dignata fuerit, Diplomatique super eadem Pace emanato, ut Status quoque & Ordines Regni assensum suum præberent, ab iisdem benigne postulaverit; Iidem fideles Universi Status & Ordines Regni Suæ Majestatis benignæ requisitioni humillime annuentes, idem Diploma Maiestatis Suæ Sacratissimæ præsentibus Constitutionibus inserendo; Contradictionibus Dominorum, Cleri, & aliorum quorumvis Secularium Catholicorum, non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus, acceptarunt, approbarunt, & confirmarunt, cujus quidem Diplomatis hæc est series.

Nos FERDINANDUS III. Dei Gratia Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque &c. &c. Rex, Archi Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis & Goritiæ &c. &c.

Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit Universis: Quod cum superioribus proxime elapsis temporibus certi motus intestini & hostilitates in Regno nostro Hungariæ exortæ fuissent, exindeque Pax & tranquillitas, Regnique quies perturbata extitisset, Nos paterna & benigna affectione moti, ejusmodi suscitatos tumultus, ut Christiani sanguinis effusioni parceretur, sublatisque in Regno quibusvis dissidiis, indigenæ quiete & tranquillitate perfruerentur, placidioribus potius Transactionis mediis, quam armorum vi sopitos & compositos cupientes, ad postulata & prætensiones illustrissimi Georgii Rakoczii Principis Transylvaniæ, quarundam partium Regni Hungariæ Domini, Siculorum Comitis, ac eidem adhærentium Hungarorum Nos clementer declaravimus, quarum etiam benignarum concessionum nostrarum series (quemadmodum tam in Tractatu Tyrnaviensi, quam etiam ultimate medio Ablegati ad præfatum Principem Transylvaniæ, Fidelis Nostri Egregii Iohannis Tarcs, alias Cameræ nostræ Hungariæ Consiliarii, conventum est) sequitur in hunc modum.

Primo, quantum ad negotium Religionis attinet, Articulo I. Anni 1608. ante Coronationem edito, & Diplomatum Regiorum conditione 6. aliisque subsequentibus superinde Regni Statutis in vigore relictis, diversisque hactenus impedimentis & interpretationibus non obstantibus, declaratum & conclusum est: Quod omnes Status & Ordines Regni, ipsæque liberæ Civitates, nec non Oppida privilegiata, & milites Hungarici in Confiniis Regni, liberum habeant ubique suæ Religionis exercitium, cum libero Templorum, Campanarum & sepulturę usu, nec quisquam in libero suæ Religionis exercitio à quoquam quovis modo, aut sub quovis prætextu turbetur & impediatur.

Secundo de non impediendis aut turbandis Rusticis in sua Confessione, declaratum & conclusum est, ut illi quoque propter bonum pacis & tranquillitatem Regni, sive sint Confiniarii sive Oppidani, sive villani, in quorumcunque Dominorum Terrestrium & Fisci bonis juxta vigorem præscripti Articuli & conditionis, in libero suæ Religionis exercitio ac usu, modoque ut supra simili, à Sua Majestate Regia, vel ejusdem Ministris aut Dominis suis Terrestribus, quovis modo aut quovis sub prætextu non turbentur aut impediantur; hactenus autem impediti, coacti & turbati, liberum ipsorum Religionis usum reassumere, exercere, & continuare permittantur, neque ad alias Religioni ipsorum contrarias Ceremonias peragendas compellantur.

Tertio, Concordatum etiam est inter Nos, ut imposterum ab eorundem Oppidanorum & Villanorum Parochiis, Ecclesiæ Pastores sive Concionatores per quoscunque amoveri & exturbari neutiquam possint, qui autem hactenus amoti fuissent, liceat ipsis reducere, vel alios loco ipsorum substituere.

Quarto, Quæstiones vero circa gravamina, negotium Religionis & occupationis Templorum concernentes, tam quæ in A. 1638. Suę Majest. exhibita sunt, quã post subsecuta, in futura primitus celebranda Regni diæta propter Regni tranquilliorem permansionem, unionemque animorum, ut vel amicabili Dominorum Regnicolarum compositio-

tione ſopiantur, vel authoritate Suæ Majeſtatis finaliter complanentur, cum ſatisfactione Evangelicorum; Ac pro quibus uſus Templorum determinabitur, Proventus Parochiarum quoque ad eosdem pertineant, nec ultra occupationes Templorum fiant. Ea autem Templa, quæ hoc diſturbiorum tempore violenter utrinque occupata fuerunt, ſtatim poſt permutationem Diplomatum prædictis Evangelicis reſtituantur, prout etiam Catholicis. Gravamina autem futuris temporibus in eodem Negotio Religionis emergentia, tam Catholicorum, quam Evangelicæ Confeſſionis, hominum, etiam alia gravamina Regnicolarum tam Evangelicorum quam Catholicorum, ſecundum ſeptendecim conditiones Sua Majeſtas ſingulis Diætis plenarie complanabit, absque injuria Evangelicorum.

Quinto, accordatum quoque eſt, ut Sua Majeſtas contra transgreſſores Statutorum etiam in negotio Religionis in futura Diæta vel Artic. 8. Decret. 6. Uladislai Regis renovandum & obſervandum curabit, vel etiam condignam pœnam cum certo executore ſtatuere dignabitur.

Sexto Præmiſſa autem omnia pro ulteriori declaratione Statutorum, tollendisque ulterioribus Regnicolarum diſſenſionibus, ut in primitus celebranda Diæta confirmentur, publicisque Regni Statutis inſerantur, concluſum eſt.

Septimo, Cœtera ſub hac Pacificatione utrinque agitata & tractata, utpote ſedis ſpiritualis, Status, Patrum Jeſuitarum perſonalis à Regno abſtinentia, Decreti Andreæ Secundi per Ludovicum Primum facta confirmatio, de Arrendationibus Decimarum Articuli 61. Anni 1548. renovatio, & cum effectu obſervatio; De non abalienationibus Bonorum Aviticulorum per eccleſiaſticos, ſive ſeculares; factis vel fiendis; De perſonarum ad Diætam convocari ſolitarum diſcretione, atque vocum in eadem Diæta collectione & ſuffragiorum examine. De militis extranei, juxta Articulum 24. An. 1625. è Regno eductione, ſimiliter de non eductione Militum Hungarorum de Confiniis Regni. De diſtributionibus honorum & officiorum Regni, majorum vel minorum, ſine Religionis diſcretione; De adminiſtratione juris & communis Juſtitiæ; Nec non omnium Tractatuum ratione Hungariæ; cum Turcis vel aliis quibusvis Nationibus, per nativos Hungaros ſeculares inſtitutione, ac aliis etiam omnibus libertates Patriæ atque defenſionem & conſervationem Regni & Regnicolarum concernentibus negotiis, ut primis ſtatim Comitiis aliquid certi de iis ſtatuatur, vel jam ſtatuta ibidem de facto effectuentur, ſimili modo concluſum eſt.

Octavo, Eandem autem generalem Regni Diætam ut Sua Sacratiſſima Cæſarea & Regia Majeſtas, intra ſpatium Trimeſtre à die finiti præſentis Tractatus, & commutandorum Diplomatum, ſedatis Tumultibus cum Principe Tranſylvaniæ, clementer promulgare, & ſine ulteriori dilatione, ſeu rejectione ita celebrari facere dignabitur, ut omnibus ad Diætam Regni, juxta Artic. I. Anni 1608. poſt coronationem edictum, vocari ſolitis, tute ibidem comparendi & agendi poteſtas cum ſolita ab antiquo libertate Diætæ fiat. In qua etiam cœteri Articuli bonum Regni concernentes, hactenus non effectuati, juxta Articulum 72. Anni 1638. realiter effectuentur & obſerventur.

Nono, Amniſtiam generalem omnibus & ſingulis Regnicolis Sua Majeſtas Sacratiſſima, juxta formam Amniſtiæ prioris Pacificationis Viennenſis concedere dignabitur, ita, ut etiam bona univerſa & jura poſſeſſionaria, ſub his diſturbiorum temporibus, per Suam Majeſtatem, vel Dominum Palatinum Regni, vel alios quibuscunque donata, collata & inſcripta, vel quoscunque fideles Suæ Majeſtatis quovis modo occupata & adempta, prioribus poſſeſſoribus vel eorum Hæredibus, ſtatim & de facto remittantur & reſtituantur: Similiter etiam ex parte Regnicolarum ſupplicantium reddantur, & ſuper hujusmodi Amniſtia peculiare Diploma Sua Majeſtas Sacratiſſima concedere dignabitur.

Nos itaque præſcriptos univerſos & ſingulas conceſſiones & Articulos, ac omnia & ſingula in iis contenta, prout iidem tractati & concluſi ſunt, atque hiſce literis noſtris de verbo ad verbum inſerti, acceptamus, approbamus, & ratificamus, aſſecurantes præfatos, Principem Tranſylvaniæ, eique adhærentes, ac etiam univerſos & ſingulos Status & Ordines Incly ti Regni noſtri Hungariæ in verbo noſtro Regio & bona fide Chriſtiana, quod eos omnes & ſingulos Articulos, in omnibus eorum punctis

ctis & clausulis, tam Nos ipsi sancte & inviolabiliter observabimus, quam etiam per alios omnes Subditos nostros quorum interest vel intererit, cujuscunque Status & conditionis sint, observari faciemus. Ad quod observandum etiam Successores Nostros, legitimos scilicet Hungariæ Reges, obligatos esse volumus.

Harum nostrarum, manus nostræ subscriptione roboratarum vigore & Testimonio literarum mediante. Datum in Arce Nostra Lincensi Austriæ superioris die 16. Mensis Septembris Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani nono, Hungariæ & reliquorum vigesimo, Bohemiæ vero Anno decimo octavo.

68. Gravamina ad Comitia remittuntur.

LXVIII. Non vacabat tempus Pacificatoribus, cum tabulæ pacis conficerentur, ut omnia Religionis gravamina speciatim diluere potuissent, propterea in ipsismet tabulis conveniebatur Articulo quarto, ut quoad gravamina præteritorum temporum omnia illa, quæ Anno 1638. & posthac Regi exhibita erant, proximis Comitiis, intra trimestre temporis spatium celebrandis, vel amicabili compositione sopiantur, vel si id ab alterutra parte cedere forte, sicut solet, non volente, obtineri non posset, Regia authoritate decidantur.

69. Gravamina singulis diætis excutienda esse decernitur.

LXIX. Cum etiam prævideretur Clerum Catholicum cessaturum tamen non esse in persequendo Protestantes, consultissime statutum est quoad futura gravamina quod illa singulis Diætis à Rege absque injuria Evangelicorum semper complanari debeant. Saluberrimum sane hoc & unicum est remedium tranquillitatis conservandæ, quod utinam adhibitum semper fuisset, permultæ turbæ & bella evitata fuissent. Comitia ergo prædictum in finem sequenti anno ad diem 1. Maij indicta, deinde ad diem 24. Augusti ejusdem anni dilata tandemque ad diem usque 17. Januarii, anni quadragesimi septimi supra millesimum sexcentesimum protracta & continuata sunt, in quibus de complanandis Religionis gravaminibus adeo prolixe operose diuque actum est, ut integra acta, quoad religionis punctum, interserta etiam descriptione actus Coronationis Ferdinandi IV. cum ejusdem Diplomate regio in operis appendice suo ordine addi sub lit. A. omnino mererentur. Etenim cum illis in Comitiis libertas & securitas Religionis Evangelicæ ad apicem felicitatis suæ evecta fuerit, & nunquam neque ante neque post hæc comitia tanta opera gravaminibus Evangelicorum complanandis adhibita fuerit, operæ pretium erit tota ista acta perlegere.

LXX. Posteaquam ergo reciprocatis hinc inde scriptis aliquot mensium tempus extractum fuisset tandemque sicuti in reliquis, ita etiam quoad Religionem omnia composita essent, die 17. Junii Articuli Regnicolarum more solito conscripti, & à capite usque ad calcem coram omnibus statibus rite relecti & approbati, hora quinta pomeridiana Suæ Majestati in solio regali solenniter sedenti per Archiepiscopum Strigoniensem ad confirmandum præsentati sunt, quibus non modo Instrumentum Pacis de An. 1645. Articulo V. insertum fuit, ut Legis Pragmaticæ autoritatem perpetuam obtineat, sed & reliquæ in negocio Religionis lites, quæ multis abhinc Annis duraverunt, Articulis novendecim à VI. usque XIX. decisæ sunt sequentem in modum. 70. Decisio in articulis facta.

LXXI. Ferdinandi III. Decret. II. de Anno 1647.

71. Art. 6. A. 1647. de 90. templis restituendis.

Articulus VI.

Nonaginta Templa Evangelicis restituta specificantur.

Optime recordantur Status & Ordines Regni, quantæ hactenus fuerint inter Regnicolas, ratione occupationis Templorum dissensiones, quæ ut in posterum præcaveatur, discordiarumque Civilium fomes extinguatur, ac Regnicolæ pace & concordia mutua potius fruantur, post varias ultro citroque factas disputationes & propositiones inter Status & Ordines Regni, tandem ad extremum ratione occupationis templorum ac aliorum accessoriorum interveniente etiam Majestatis Suæ Sacratissimæ authoritate, ita, & hoc modo est conventum, ut Evangelicis ex Templis in gravaminibus Anni 1638. exhibitis, ac post etiam subsecutis specificatis, hæc nonaginta Templa restituantur. In Abavyvariensi, Somogy, Misle Also Meczenzeff, In Zemplinensi, Varano, Garankuchin, In Saarosiensi Szent Peter Fel Sebes, In Scepusiensi,

siensi, KaposZlaffalva, Templum, una Chætærtækheliense pro Catholicis fiat ingressus ab extra, & non è Templo Parochiali. In Hontensi Batth, Fuzes Gyarmatth, Viszokha Princzffalva, In Barsiensi Velikapolya Maroth, Nagyherestgen, Keresztur, Feniækosztoliam Kyskeszy, Semlier. In Nitriensi Komiathi, unum Templum extra oppidum adjacens, Sancti Petri nuncupatum, pro Evangelicis, & loca idonea, ac sufficientia pro structura Parochialis domus & Scholæ in oppido assignentur, Sopornii cum filialibus, Negyed, kaß, Poruba, Hendlova, Kraszna cũ filiabus. In GalgocZ Templum Hospitale habita cum proventibus ad Hospitale pertinentibus, & sepultura extra Oppidum Szerdahel, prope Posteen, Udvarnock Bayna, Uylack, Paszto, Deaky. In Trenchiniensi, Alsó Hricho, Ieszenicze, Predmyr ad Kysszuchan. In Turocziensi, Szent Andreas, SZent Marton, Mosocz Tyrany. In Comaromiensi, Nagy Megyer, Apoczaszakalos Balvanszakalos. In Posoniensi, N gy Magyar cum filialibus, Nemet Gurab, Limpak Sull Taxon, Nagy Mached, Nagy Szelli, Viszkæzykurt, Tarlos, Nagyszeg, Szent Abraham, Ivani, in SZerdahelly siquidem Templum Parochiale pro Catholicis cessit, pro Structura Templi, Parochiæ & scholæ Evangelicorum assignantur sessiones providorum Ioannis Megyeri, & Stephani Borbely, ac deserta quædam sessio; præ manibus Georgii Enyedi, in pignore existens, cum pertinentiis earundem & exemptione, nec non particula fundi Matthæi Kallo. In Szempoz, locus sufficiens circa Turrim in medio Oppidi habitam pro structura Templi, Cæmeterii vero extra Oppidum si commode intra Oppidum fieri non potest; Pro Domus vero Parochialis & Scholæ structura, sessio Ioannis Verboy cum universis ejusdem pertinentiis & exemptione, per oppidanos Evangelicos, possessoribus de condigno pretio ejusdem contentatis, pro Helveticæ Confessionis Incolis assignentur; Pro Augustanæ vero Confessionis hominibus sessio altera ex jam demonstratis, pro Templo, schola & Parochia, (siquidem ipsi ultro acceptassent) permaneat. In Simigiensi, Kys Comar in Oppido. In Castriferrei Gyarmath, Neuzild, Szent Groth, Opar, Perenye, Puztaszenth, Mihaly, Kuken, Mereny, Kyczladen, Bolffau, Chem, Hornsdorff, alias Samfalva, in Oppido Vep restituitur sessio illa, ex quo Concionator amotus fuisset, cum sessione sibi vicina Pauli Sipos, per Oppidanos Evangelicos, justo pretio deposito, adjacente, pro Structura Templi Parochiæ & scholæ, cum earundem pertinentiis & exemptione; In Sopronensi Sandorff; In Mosoniensi in Ovar Templum minus pro duabus Nationibus Hungarica & Germanica, pro Parochia vero & schola loca idonea & sufficientia assignentur per commissarios exmittendos, Mickosdorff, Level, Nemetjagendorff, Kemlye, Kanok Szolnok, Czundorff; In Leben minus Templum extra Abbatiam, Mecher. In Iauriensi Zamoly. In Vesprinienßi Vaszar, Dobron, In Strigoniensi, Varnad, Eælved.

LXXII. Præter præscripta Templa nulla alia filialia restituenda. 72. Artic. 7. An. 1647.

Artic. VII.

AD præscripta autem nonaginta Templa, quæ hactenus præ manibus eorundem Evangelicorum habebantur, & quæ sub disturbiis proxime præteritis fuissent occupata, nulla alia filialia restituenda, quam quæ possident, & quæ cum dictis Nonaginta Templis specifice iisdem Evangelicis cessa fuissent; Hoc declarato, quod si Mater Ecclesia sit apud Catholicos & filia apud Evangelicos, & è converso Mater apud Evangelicos & filia apud Catholicos, una pars ab altera non molestetur, ita tamen, ut licitum sit Rusticis Evangelicis, si voluerint, Religionis ipsorum Ministrum eo inducere & intertenere, aut ad conciones audiendas alio ire.

LXXIII. De reassumptione Exercitii Religionis Helveticæ & Augustanæ Confessionis Hominum in Civitate Szakolozensi commorantium: fundi Templorum & Domorum Parochialium cum Scholis Evangelicorum Tyrnaviensium à Censibus civilibus exemptione, & Opificibus Evangelicis in Cechis constitutis. 73. Artic. 8. A. 1647.

Artic. VIII.

QUoad perturbatos et læsos Status; Primo ut Helveticæ et Augustanæ Confessionis hominibus, in libera et Regia Civitate

tate

tate Szakolozensi commorantibus, restitutis ædibus, pro Exercitio Religionis, eorundem ordinatis, liceat reassumere præscriptæ Religionis ipsorum Exercitium, non obstantibus literis executionalibus, Dominorum Commissariorum Suæ Majestatis nuper Senatui præscriptæ Civitatis Szakolcza extra datis, secundo ut fundi Templorum & Domorum Parochialium cum Scholis Evangelicorum Tyrnaviensium & aliorum, à quibuslibet contributionibus & censibus Civilibus libertentur, & exempti habeantur. Tertio ne Opifices seu Mechanici Evangelici Tyrnaviæ & alibi commorantes, ac in Cehis constituti ad Ceremonias Religioni ipsorum contrarias compellantur, & si qui post acceptationem Diplomatis sub hac Diæta mulctati fuissent, in integrum restituantur.

74. Art. 9. An. 1647.

LXXIV. De Structura Templorum & libero Exercitio Religionis Evangelicorum in Confiniis, Jauriensi, Levensi, Tichaniensi prout etiam Oppidis Reo-Comaroniensi & Holicziensi.

Articulus IX.

IN confinio Iauriensi permittitur structura Templi in nova Civitate, liberum exercitium vero, tam intra quam extra Mœnia ipsius Confinii, & ut minister Confessionis Evangelicorum, intra mœnia dicti Confinii habitare, atque etiam in Domo concionari possit. In Leva quoque structura admittitur pro Evangelicis Augustanæ Confessionis, in Tibany propter angustiam loci & Abbatiam, structura commode fieri non potest, permittitur autem liberum exercitium, restituiturque domus quam antea Minister Evangelicus inhabitabat, Oppidanis etiam Reo-Komaroniensibus, sicut & Holiciensibus Evangelicis, potestas ædificandi & restaurandi Templa, ac libere exercendæ Religionis facultas salva permaneat.

75. Art. 10. A. 1647.

LXXV. De Templorum, Parochiarum, & Scholarum in iis locis, ubi Templa occupata & in gravaminibus specificata pro Catholicis remansissent, ædificatione.

Articulus X.

QUoad structuram quandoquidem ex occupatis, ac in gravaminibus specificatis Templis, multo plura quam quæ Evangelicis restituta essent, præ manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis Evangelicis pro exercitio Religionis ipsorum, alia Templa, Parochias & Scholas ædificare, sufficientibus, & ad id idoneis locis, pro talibus Templis, Parochiis & Scholis, per dominos terrestres, coram Vice-Comitibus Comitatuum, et potioribus Nobilium pari numero ex Catholica, sicut ex Evangelica Religione iisdem per Universitates. Comitatuum adjungendis, intra spatium Trimestre à publicatis Articulis assignandis et libertandis; Sepulturæ tamen et Campanarum usu pro iisdem etiam Evangelicis consimili cum Catholicis et æquali taxa communiter deservientibus; quam quidem structuram Templorum, Parochiarum et Scholarum, quandocunque Evangelicis talium locorum, continuare opportunum et commodum visum fuerit, id ipsis absque quorumvis impedimento facere liceat.

LXXVI. Evangelici Status Catholici Plebanis non solvant; & è contra, & de Proventibus Ecclesiæ Unghvariensis. 76. Art. 11. A. 1647.

Articulus XI.

DE solutionibus prout Evangelici Status Catholici Plebanis, ita et Status Catholici Evangelicis ministris ad nullas solutiones pendendas sint obligati. Proventus porro Ecclesiæ Unghvariensis, pacifice ab Evangelicis Ministris possideantur.

LXXVII. De solutionibus Plebanorum Catholicorum & Ministrorum Evangelicorum & Scholarum proventibus. 77. Artic. 12. A. 1647.

Artic. XII.

QUantum ad solutiones miseræ plebis, ubicunque aliqui Parochiarum vel Templo-

plorum (quos videlicet Plebani Catholici pro sustentatione ipsorum perciperent) habentur, puta, Coloni, Inquilini, Molendina, Terræ, Vineæ, prata, vel id genus alia, in talibus locis Evangelici ad nullam solutionem cogantur, verum Plebanus illius loci contentus sit hujusmodi proventu Parochiali & Auditorum suorum Catholicorum solutione, sicut & Ministri Evangelici in locis Parochiarum Eorundem; Ubi vero Parochias non haberent, Auditores Evangelici solutionem pendant suæ Religionis Ministris, cujus videlicet ministerio seu opera usi fuerint, sicut & Catholici Parochis Catholicis. Ubi autem hactenus Auditores Evangelici non solvissent Plebanis Catholicis, in posterum etiam ad nullas solutiones præstandas, ullo sub prætextu cogantur, prouti nec Catholici Evangelicis. Quibus vero in locis nulli plane proventus Parochiarum haberentur, verum Plebani ex solutionibus duntaxat personalibus seu sessionalibus, sustentationes habuissent, ut in ejusmodi locis pro bono pacis deinceps tales per Catholicos & Evangelicos Incolas præstandæ solutiones, per Iudices locorum talium exigendæ, in duas rectas & coæquales partes dividantur, earumque una Parocho Catholico, altera autem Evangelico Ministro ejus, vel alterius loci, cujus videlicet ministerio usi fuerint, absque defectu aliquo assignetur. Stolares autem proventus, seu solutiones in quibusvis locis Plebani Catholici & Ministri Evangelici à suæ Religionis Auditoribus totaliter percipiant.

78. Artic. 13. An. 1647.

LXXVIII. De restitui promissis Templis, sicut & aliis, quæ sub disturbiorum temporibus, aut post occupata, & necdum restituta fuissent.

Artic. XIII.

Restitui promissa Templa, sicut & alia, quæ sub disturbiorum temporibus, aut post occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam Suæ Majestatis Commissionem Evangelicis essent restituta, vel post restitutionem iterum occupata, una cum Scholis Parochiis, bonis & proventibus eorundem, sicut illorum Templorum, quæ etiam hactenus præ manibus Evangelicorum haberentur, quoquo modo nuncupata, per Commissarios utriusque Religionis æquali numero è medio Regnicolarum, ad id sub præsenti adhuc Diæta, quantocius ex mittendos restituatur.

LXXIX. De pœna Eorum, qui Templa Parochias, Scholas, & Proventus occupaverint, & alia statuta in negotio Religionis violarint ac de modo Executionis ejusdem. 79. Art. 14. An. 1647.

Artic. XIV.

Quoad pœnam, quicunque sive sint Ecclesiasticæ, sive secularis dignitatis, de cætero Templa, Parochias, Scholas & proventus bonaque ad easdem pertinentia occupare, Campanarum & sepulturæ usu, status vel plebem privare, comperti fuerint aut præscripta Templa, una cum Parochiis, Scholis bonisque & Proventibus earundem non restituerint, locaque seu fundos idoneos ac sufficientes pro exstruendis templis, Parochiis & Scholis, modo supra specificato, Evangelicis non assignaverint, vel Structuras eorundem in præscriptis Locis impediverint, Status vel plebem in libero Religionis exercitio turbaverint, vel Statuta Regni & Diploma Regium super Religione violarint: tales primum & ante omnia, ubi querela & Vice Comites delata fuerit, per eosdem admoneantur, ut occupata Templa aliaque restituant, ac transgressa complanent, quod si fecerint, nulli pœnæ subjacebunt: Si vero ne ad ejusmodi quidem admonitionem ea restituerint aut complanaverint extunc in Comitatibus per Vice-Comites, Iudices Nobilium, & potiores æquali Numero Nobiles, per universitates Comitatuum, utriusque Catholicæ videlicet & Evangelicæ Religionis deputandos, comperta prius rei veritate, toties quoties, in pœnam sexcentorum florenorum Hungaricalium, in quinque ad confinia Regni, in sexta vero partibus, ipsis executoribus cedentibus, una cum restitutione Templorum & aliorum occupatorum, abscissis omnibus juridicis remediis convincantur, admissa nihilominus extra dominium unica appellatione per Status & Ordines Regni in generali Diæta Regni revidenda. Ad cujus quidem Revisionis Tempus, præscripti Quingenti floreni, ad Confinia cedere debentes, pro tutiori conservatione in liberis Civitatibus deponi, vel alias, ubi universitatibus Comitatuum magis opportunum visum fuerit conservari. Si vero pœna eadem in bonis executa fuerit, tum præscripti Vice-Comites rationes super proventibus bonorum executorum, ad terminum revisionis Appella-

tio-

tionis perceptis Comitatibus reddere debebunt; Iidem Vice Comites, Iudices Nobilium & Iurati Assessores, una cum sibi adjungendis ex utraque Religione potioribus Nobilibus, quibus videlicet, vi Statuti præsentis, ad præmissa inspicere & invigilare incumbet, ad eadem exequenda, sub amissione officiorum & bonorum eorundem, Confiniis per supremos & vice Generales Regni applicandorum, & non nisi communi æstimatione mediante redimendorum, obligati esse intelligantur. Hoc perexpressum declarato, quod si qui essent, qui præscriptæ Executioni sese opponere præsumerent, extunc tales, Dominus Comes Regni Palatinus, vel Comes Iudex Curiæ Regiæ, aut Supremus illarum partium Generalis, per universitatem Comitatus, in quo videlicet ejusmodi violenta oppositio, aut executionis turbatio facta fuerit (qui nimirum in præmissis interessatus non extiterit) requisitus, ex dictamine officiorum suorum super admittenda Executione admoneant, qui se paruerint, nulli propterea pœnæ subjacebunt; si autem ejusmodi admonitioni non obtemperaverint, vel Comes Iudex Curiæ Regiæ aut Supremus illarum partium Generalis admonitionem facere recusaverint, extunc contra tales Executionum oppositores, Ulad. Regis Decr. 6. Art. 8. observandus, pœnaque in eodem declarata exequenda erit.

80. Artic. 15. A. 1647.

LXXX. De causis Testamentariis præter solennitatem Testamenti in foro seculari dijudicandis, Mandatis fulminatoriis ac declinatoriis.

Articulus XV.

Decernunt etiam Status & Ordines Regni ut causæ Testamentariæ, factum bonorum mobilium & immobilium, debitorum ac aliorum similium negotiorum, in foro sæculari ventilentur, & dijudicentur juxta Titulum 52. Part. 2. Tripartiti, Salva duntaxat Revisione solennitatis Testamenti penes forum spirituale remanente, Fulminatoria vero mandata contra Iudices Seculares in officiis procedentes expediri, iisque legitimi processus nullo modo in posterum impediri possint, & expedita nullius sint vigoris. De Mandatis porro Declinatoriis strictissime observetur, Art. 70. Anni 1618. & 31. Anni 1638. quibus extra solas causas Matrimoniales, sub amissione Beneficiorum locus detur; Quæ etiam ex superabundanti cum evocatione, Iudices Regni ordinarii, eorundemque Magistri Protho-Notarii, ad instantiam partium ex debito officii ipsorum extradere sint obligati. Evangelicus vero de vigore Articuli Anni 1608. ante coronationem ad primum editi, in Matrimonialibus in usu consueto permanentibus.

LXXXI. De causis, factum Jurium possessionariorum, quorumcunque Actuum potentiariorum, majorum & minorum, emendæ linguæ & capitis, violationis sedis, item dotum, rerum paraphernalium, quarta litiorum, decimarum, nec non casuum concernentibus in foro seculari ventilandis. 87. Art. 16. An. 1647.

Artic. XVI.

Causæ autem, factum Iurium possessionariorum Ulad. Regis Decret. 3. Art. 62. quorumcunque actuum potentiariorum majorum, Tripartiti parte 2. Tit. 67. & 47. Ulad. Decret. 3. Art. 8. & Decret. 4. Art. 13. & minorum Tripartiti part. 2. Tit. 67. & 47. Posoniens. 1609. Art. 29. 1613. Art. 23. Emendæ linguæ Trip. part. 2. Tit. 72. 1635. Art. 89. Emendæ Capitis Trip. part. 2. Tit. 42. 43. 44. Violationisque sedis, etiam ex parte Clericorum concernen. Trip. part. 2. Tit. 69. 1635. Art. 89. Item Dotum, Ulad. Decr. 4. Art. 16. & 1552. Art. 28. ac rerum paraphernalium, ibidem, in iisdem proxime citatis Articulis Quartalitiorum Tyrnavien. 1545. Art. 36. Decimarum Posonien. 1608. post Coronationem Art. 5. 1613. Art. 19. 1635. Art. 23. Nec non Casuum Tit. 9. Decr. Trip. part. 1. specificatorum, & aliæ his similes prophanæ, juxta Ulad. Regis Decret. 3. Art. 60. 61. & 62. ac Decret. Trip. part. 1. citato Titulo 9. & 12. Item 1609. Art. 29. & 1613. Art. 23. in foro seculari ventilentur; Uno enim ac eodem Iuridico Processu, una eademque lege ac consuetudine universis Statibus & Ordinibus Regni utendum est Part. 1. Tit. 2. & exceptis quibusdam casibus, in Decreto Regni specificatis, persona Ecclesiastica contra Secularem & è converso secularis contra Ecclesiasticam in omnibus causis æquali pœnæ ac gravamini subjacet, ejusdem Decret. Trip. part. 2. Tit. 44.

LXXXII.

82. Art. 17. A. 1647. LXXXII. De bonis Secularibus Ecclesiasticis non abalienandis.

Artic. XVII.

De bonis Secularibus, Ecclesiasticis non abalienandis Decret. Andreæ 2. per Ludovicum 1. facta Confirmatio approbatur, & realiter observetur. Hoc loco renovatur etiam Art. 55. Decret. 53. Ulad. *Regis.*

83. Artic. 18. A. 1647. LXXXIII. De reassumptione liberi Exercitii Religionis Catholicæ cum assignatione Loci pro templo & Parochia & Schola in Civitate Cassoviensi.

Articulus XVIII.

Conqueritur Status Catholicus, quod etsi tum vigore Constitutionum Regni, tum etiam Diplomatum Regiorum in septem quoque Comitatibus Domino Principi Transylvaniæ concessis, liberum Religionis Catholicæ exercitium admissum fuisset; Civitas tamen Cassoviensis hujusmodi Catholicum exercitium non ita pridem interturbasset, omnimodeque impedivisset, magno Catholicorum ibidem commorantium in spiritualibus exercitiis defectu & damno. Quapropter statuitur, ut Catholicum Religionis exercitium in dicta Civitate Cassoviensi, cum assignatione loci pro Templo & Parochia ac Schola, sufficientis & idonei, juxta Regni Constitutiones & Diplomatum continentias iterum reassumi, Sacerdotes intertineri, & more solito, cum omnibus Ceremoniis continuari possit.

84. Art. 19. An. 1647. LXXXIV. De libero Helveticæ Confessionis Exercitio in dicta Civitate Cassoviensi una cum Campanarum & sepulturæ usu, & loco idoneo Parochialis Templi, cum Domo Parochiali & Schola assignando.

Articulus XIX.

Similiter etiam ad querulosam Helveticæ Confessionis Regnicolarum instantiam statutum est, ut eadem Civitas Cassoviensis Magistratusque ejusdem Helveticæ quoq; Religionis Exercitium, una cum Campanarum & sepulturæ usu Concivibus, & reliquis eandem civitatem inhabitantibus Helveticæ Confessionis hominibus absq; omni impedimento liberum relinquat. Ac insuper pro continuatione ejusdem liberi Exercitii & intertentione Concionatorum & ministrorum, loco Majoris, seu Parochialis (unde non ita diu Concionatorem Helveticæ Confessionis amovissent) teneatur eadem Civitas locum idoneum, commodum & sufficientem, cum domo Parochiali & Schola ejusdem Religionis Helveticæ Concivibus, & reliquis ibidem commorantibus, statim & de facto post publicationem Articulorum realiter & effective assignare; neque de cætero Civitas eadem prænotatos Catholicæ & Evangelicæ Religionis Incolas, in libero Religionis ipsorum Exercitio continuando quovis modo turbare, aut exquisito sub prætextu impedire præsumat, sub pœna, in prædeclaratis punctis accordatis superinde sancita, toties quoties præmissis contraventum fuerit, incurrenda & irremissibiliter exequenda.

LXXXV. Dici sane optimo jure potest, quod brevi ante diximus, per prædictam Pacificationem A. 1645. subsequentesque Articulos in Comitiis Universalibus An. 1647. latos Religionem Reformatam tam Augustanæ quam Helveticæ Confessionis summum securitatis & Libertatis apicem, adeoque floris sui solstitium consecutam esse. Quæcunque enim præcedentibus Regni Legibus concisa brevitate continebantur, ea hac ipsa Pacificatione dictisque Articulis uberius & prolixius declarata sunt, addita non modo gravaminum præteritorum diluitione distincta, sed & medela contraventionum exstiturarum in futurum semper adhibenda, ut omnibus rixarum & prætextuum insidiis & machinationibus in perpetuum præscissis, pax & tranquillitas stabilis perpetuoque duratura stabiliretur. 85. Hi Articuli & Pacificatio An. 1645 palladium Relig. Evangelicæ sunt.

LXXXVI. Equidem ea, quæ de restitutione Templorum aliisque definita erant, adeo exacte statim non sunt effectui data, ut non Evangelicorum, quin imo etiam Catholicorum, & Helveticæ Confessioni addictorum contra Evangelicos in Civitate Cassoviensi querelæ supermanserint, maximam tamen partem præcipua reliqua executioni mandata sunt, & quæ supererant proxime secutis Comitiis Regni generalibus A. 1649. complanata sunt. Quæ in hac Diæta 1649. circa Religionem hinc inde agitata fuerunt integra Acta, quæ in appendice sub lit. B. subannectuntur, demonstrant. 86. Reliqua desiderata An. 1649. complanata

LXXXVII. Animadvertet hic quisquis Scripta Catholici Status legerit, quanta cum moderatione & æquitate de- 87. Clerus quondam moderatior, quam nunc est.

de legibus in favorem Evangelicæ Religionis latis, tunc temporis, ſicuti etiam præcedentibus in Comitiis ſenſerit, proindeque admirabitur Clerum Catholicum non ita multo poſt contraria plane & minus mitia principia amplexum eſſe. Hiſce enim ſicuti in antecedentibus actis fatetur Clerus Catholicus, leges Regni pro Evangelicis conſtatibus latas omnino ſervandos, & quæ executioni nondum data ſunt, ei omnino mandanda eſſe, imo negat de ſe infringenda libertate & ſecuritate Religionis Evangelicæ cogitare, in reliquis etiam omnibus ſe ſatis æquum præbuit. At quantum poſthac mutatus ab illo! Non amplius de legibus Regni in favorem religionis Reformatæ latis obſervandis, ſed reſtringendis, enervandis & evertendis, imo tota Religione Evangelica exſtirpanda poſthac unice ita continuo cogitavit & laboravit, ut parum abſit, quin ſcopum ſuum attigerit.

88. Omnia tandem deciſa artic. 10.11.12. LXXXVIII. Poſteaquam hæc durantibus Comitiis agitata eſſent, tandem Articulis X. XI. & XII. Res omnes deciſa eſt, quorum inprimis Decimus præteritæ Diætæ Articulos confirmavit, & ſancivit inpoſterum juxta dictos Articulos ſemper procedendum eſſe.

89. Artic. 10. A. 1649. LXXXIX. Sequitur Articulus X. An. 1649.

In negotio Religionis procedatur utrinque juxta Articulos proximæ Diætæ.

IN Negotio Religionis ſi quæ injuriæ contra proxime præteritæ Diætæ Articulos ſuperinde conditos, emerſiſſent vel emergent, ut ratione illarum juxta dictos ejuſdem Diætæ Articulos utrinq; procedatur, ſtatutum eſt.

90. Art. 11. An. 1649. XC. Articulus XI.

Templa in poſſeſſionibus Maskfalva, & Tepla habita nonaginta Templis annumerentur.

TEmpla in Poſſeſſionibus Maskfalva, in Neogrodienſi, & Tepla in Liptovienſi Comitatibus exiſtentia, ex numero nonaginta Templorum, & ex Articulo 6. A. 1647. per inadvertentiam exmiſſa, iisdem annumerentur, & pro annumeratis habeantur, ac pro Exercitio Religionis Helveticæ, ſeſſio Matthiæ Farkas in Oppido Sellye, in Platea Hetmin aſſignata cum exemptione Helveticæ Confeſſionis ejusdem Oppidi incolis maneat, neque iidem inpoſterum in Religione ipſorum turbentur.

XCI. Articulus XII. 92. Art. 12. An. 1649.

Pro Exercitio Religionis Catholicæ & Helveticæ in Civitate Caſſovienſi, extruendis Templis, Scholis & Parochiis ſufficientia loca, aſſignanda, cum Campanarum & Sepulturæ uſu.

QUamvis decimo octavo & decimo nono proxime præteritæ Diætæ An. 1647. Articulis, ſatis lucide & ſtricte ſtatutum fuiſſet, ut Civitas Caſſovienſis idonea, commoda, & ſufficientia loca pro Templis, Scholis & Parochiis, pro Catholicæ & Helveticæ Confeſſionis exercitiis aſſignaret. Quia tamen exciſio hujusmodi locorum (interveniente jam publice caſſata contradictione) per eandem Civitatem omiſſa hactenus extitiſſet, imo in contrarium ibidem libertas Religionis multis modis interturbata eſſet, ob id ſtatuitur, ut juxta Conſtitutiones Regni præcitatas, ſtatim ſoluta hac Diæta, intra unius Menſis ſpatium incluſive coram Vice-Comite, & uno vel altero Iudice Nobilium Comitatus Abanyvarienſis, ac æquali numero potioribus Nobilibus utriusq; Religionis Catholicæ videlicet & Evangelicæ, per Comitatum Abanyvarienſem ad id deputandis, idonea, comoda, & ſufficientia loca pro templis, ſcholis & Parochiis, tam pro Catholicæ, quam etiam Helveticæ Religionis exercitiis, per eandem Civitatem Caſſovienſem ſub pœna in Articulo proxime præterita Diætæ Anni proſcripti 1647. ſpecificata, toties, quoties eo facto incurrenda, & irremiſſibiliter exequenda, absq; ullo pretio realiter & effective aſſignentur, eademque hoc modo aſſignata loca à quibuslibet contributionibus & cenſibus Civilibus liberata & exempta habeantur, ac inpoſterum Religionis tam Catholicæ, quam Helveticæ Exercitium, una cum Campanarum & Sepulturæ uſu, Concivibus, ac reliquis Incolis eandem civitatem inhabitantibus, ac aliis omnibus ibidem commorantibus, aut eo commeantibus, absque omni impedimento juxta præmemoratos Articulos Regni Liberum ſemper relinquatur, Concivesq; Civitatis ejusdem, nec non aliarum quoq; Civitatum Art. XII. A. 1608. ante Coronationem absq; ullo Religionis diſcrimine mixtim, et alternatim in judices primarios & Senatores eligantur, & ad alias quoque dignitates aſſumantur.

Finis Periodi Secundæ.

HISTO-

HISTORIÆ DIPLOMATICÆ

De Religione Evangelica in Hungaria.

PERIODUS TERTIA,

Qua de libertatis & ſecuritatis Religionis Evangelicæ decremento, & tandem de ejus aperte per duras perſecutiones tentato exterminio agitur.

SUBDIVISIO PERIODI TERTIÆ

In III. Sectiones.

PEriodus hæc tertia, quamvis quadraginta quinque tantum aut quinquaginta admodum annos, ſive ſolum tempus regiminis Auguſtiſſimi LEOPOLDI emetiatur, tamen in majorem excrevit prolixitatem, quam præcedentes utræque Periodi: quarum ſecunda ſexaginta admodum annos complectitur, quibus Hungariæ quinque Reges RUDOLPHUM MATTHIAM II. FERDINANDUM II. FERDINANDUM III. & FERDINANDUM IV. numeravit. Placuit itaque ultimam hanc Periodum melioris ordinis gratia, & juvandæ memoriæ lectoris ergo, in tres diſpeſcere Sectiones

SECTIO PRIMA

Periodi Tertiæ.

AGit primo de ſummo conatu Cleri Catholici pietate Auguſtiſſimi LEOPOLDI abutentis, quo ipſi perſuadere ſategit, ut conniveret quo libertatem & ſecuritatem Religionis Evangelicæ pedetentim imminuere liceret. Secundo oſtendit quanto niſu Clerus aut impediverit, quo minus comitia haberentur, aut ubi tandem celebrata ſunt, ne gravamina Evangelicorum excuterentur. Tertio recenſet quomodo eruperit dira illa perſecutio decennalis ab Anno 1671. uſque ad Annum 1681.

CONSPECTUS SECTIONIS I.

PERIODI TERTIÆ.

1\.

Libertas Religionis Evangelicæ decrementum patitur. 2. *Declinatio hæc accidit ſub Regno Leopoldi Magni.* 3 *Leopoldus Diplomate Libertatem Religionis Evangelicæ illibatam promittit.* 4 *Diploma Leopoldinum.* 5. *Excepto hoc Diplomate nihil in favorem Religionis in omnibus decretis Leopoldi ſtatutum eſt.* 6. *Quod*

Quod in Articulis A.1681. & 1687. statutum, anterioribus Articulis satis contrarium est. 7. *Sub Leopoldo I. persecutiones Evangelicorum recruduerunt.* 8. *Mirares est persecutiones tantas à Regibus Austriacis summa cæteroquin mansuetudine inclytis, permissas esse.* 9. *Excusantur Reges, inprimis Leopoldus I.* 10. *Evangelici culpam omnem Clero inprimis Iesuitis imputant.* 11. *Periculosa maxima Aulæ Romanæ in hoc negotio persecutionis non ab omnibus Catholicis approbatur.* 12 *Qualis sit illa maxima periculosa & tremenda.* 13. *Remedium dispensationis Pontificiæ contra Iuramenta & fidem publice datam.* 14. *Omnia jura, honor & existimatio, cæteraq; considerationes subjacere dicuntur Supremæ Legi de Salute Ecclesiæ promovenda.* 15. *Quid tales persuasiones in animo Principis devoti & pii efficiant, & quomodo Clerici de hac dispositione proficiant.* 16. *Occasione directorii Conscientiæ, quibus artibus Clerici directionem omnium Consiliorum & negotiorum, & summam Principis fiduciam acquirant, & Ministros seculares amoveant, suspectosque reddant.* 17. *Quid de hac imputatione adversus Clerum Catholicum sentiendum.* 18. *Regi Apostolico & Clero Regni Hungariæ minor incumbit necessitas, se mandatis Curiæ Romanæ subjiciendi, quam cuicunque alii.* 19. *Prærogativa Regis Apostolici, & in quibus Papa jurisdictionem in Hungaria non habet.* 20. *Ecclesiastici in Hungaria Iurisdictioni Seculari subjecti sunt in causis temporalibus.* 21. *Regem Apostolicum minus quam alios Reges oportet obedire Papæ, si jubeat pacta & leges juratas violare, & persecutionibus Religionis periculum summæ rerum subire.* 22. *Clerus Hungariæ cur minus opus habeat Aulæ Romanæ favorem aucupari.* 23. *Rex Apostolicus Clero suo imperare potest, ut Pacificationes & pacta à se & Clero inita servet neq; iis contradicat.* 24. *Quam consulte utiliter & secure persecutiones Religionis Evangelicæ omitti possint.* 25. *Rex & Clerus Hungariæ, si verum interesse suum perpendat, desistet à persecutionibus.* 26. *Rex Evangelicos magis sibi devinctos habebit, si eis in religione pepercerit. Et Clero opulento satis, nihil decedit. Adeoq; solum Interesse Aulæ Romanæ extraneum causa movens est persecutionum.* 27. *Indigitatur campus, in quo Clerus Catholicus gloriosius & utilius Zelum suum exercere potest. Si tanto convertendi zelo flagrat, ut quiescere non possit. Convertat Iudæos, Gentiles, Atheos & impie viventes.* 28. *Aut si tamen cum Evangelicis certare malunt, ex verbo Dei eos convincant.* 29. *Scholasticæ disceptationes inconsultæ sunt & nihil unquam decidunt.* 30 *Cardinalis Pazmanus disputationes Scholasticas Iesuitarum in Hungariam contra Evangelicos introducendas esse suasit.* 31. *At Evangelici etiam in hac disputandi Palæstra non succubuerunt.* 32. *Ridicula Historia de provocantis disputatoris castigatione.* 33. *Comitia An. 1662. habita.* 34. *Evangelici in his Comitiis gravamina Religionis prius excuti debere contendunt, quod tamen illis denegatur.* 35. *Obstinatio quidem esse videtur, quod Evangelici à gravaminum Religionis examine postulato desistere noluerint.* 36. *Rationes, cur excusandi videantur ablegati Evangelici.* 37. *Præjudicium perpetuum, quod obstitisset semper Evangelicis, si condescendissent, ut Gravamina Religionis à Comitiali cognitione relegata semel fuissent ipsorum consensu.* 38. *In Iudiciis Hungariæ Evangelicis nulla justitia administratur.* 39. *Gravamina Religionis à gravaminibus privatorum distinguenda sunt.* 40. *Ablegati à Mandatis recedere non poterant.* 41. *Mirum non est Evangelicos prævisum hunc mucronem à jugulo suo omni nisu amolitos fuisse.* 42. *Imperatoris quidem intentio non fuit leges publicas per cuniculos istos evertere.* 43. *Imperatorem insidiæ occultæ latebant & propterea eo magis irascebatur Evangelicis.* 44. *Cleri Artificium & scopus in impediendo ne gravamina Religionis in Comitiis excutiantur.* 45. *Parallelismus inter Imperium Romano-Germanicum & Hungariam quoad gravamina Religionis.* 46. *In Comitiis Imperii gravamina Religionis excutiuntur.* 47. *Accidit etiam in Comitiis Imperii ut pertendatur non nunquam, non esse de tempore de gravaminibus Religionis tractare.* 48. *Sed tamen gravaminum Religionis examen nunquam penitus rejicitur.* 49. *Idem in Hungaria fieri potest.* 50. *Moderatio Evangelicis suadenda.* 51. *Sed Clerus Catholicus & Aula suspicionem & metum incussum Evangelicis non deberet augere sed potius seriam voluntatem emendandi gravamina comprobare.* 52. *Gravamina illa Evangelicorum in Comitiis A 1662. non erant levia.* 53. *Persecutiones Evangelicorum, de quibus conquesti erant.* 54. *Meruissent tanta gravamina, de persecutionibus toleratis emendari, quod facile etiam factu erat.* 55. *At cum persecutores vidissent, se omnia impune fecisse, dirissimas persecutiones moliuntur.* 56. *In conventu Eperiesino & Neosoliensi nihil efficitur.* 57. *Quapropter Evangelici Posonium citantur.* 58. *Franciscus Rakozi bellum movet.* 59. *An. 1671. & sequenti-*

tibus quanta persecutio Evangelicorum cæperit. 60. Recensetur Historia persecutionis Evangelicorum in Hungaria ab Anno 1671. usque 1681. ex scripto dudum jam typis vulgato. 61. Liberum Religionis exercitium ab Hungariæ Regibus pactum Georgius Barzoni Libello A. 1671. edito oppugnat. 62. Triplex ejusdem argumentum ad partes vocatum. 63. Cleri Pontificii machinationes repressæ. Denuo Ecclesiæ Evangelicæ Hungaricæ à terrestribus Dominis persecutionem patiuntur. 64. Civitates mox etiam Regiæ & liberæ. 65. Tribunal Posoniense Rebellionis prætextu Evangelicos Magnates plures evertit. 66. Pastoribus quoque eodem prætextu evertendis alia quoque tribunalia Tyrnaviæ & Possonii constituta. Libellique præscripti quibus mortis periculum eluctaturi subscribentes, Ministerii abdicationem exilium spontaneum vel Religionis mutationem promitterent. 67. Citatio ad Tribunal illud prima Pastorum Augustanæ Confessionis, qui comparentes male persecutionis impetum sustinent. 68. Citatio secunda universalis omnium per Hungariam Evangelicorum Ministrorum. 69. Numerus comparentium utriusque Confessionis. Actionis totius series exponitur. Accusationis capita. Actoris Iudiciumque strophæ. Perduellionis culpæ accusati liberantur prægnantibus argumentis. 70. Accusati innocentes damnantur. Et in libera custodia paucis exceptis detinentur. Variis artibus ad subscriptionem Libellorum pellecti. Subscribentibus Fratribus Augustanis non paucis. Reliqui in carceres varios distribuuntur. Reformati, duobus exceptis, omnes subscriptionem constanter abnuentes. In vincula itidem rapti. Atque inde producti diversa in Hungariæ munimenta relegati sunt. 71. Vexatio horrenda Fratrum Berentschinum, Comarinum, Eberhardinum & Leopoldopolin asportatorum. 72. Violentia in cogendis iis ad cultum hostiæ adhibita. 73. Astutia Kellionis Iesuitæ testificationem humanitatis suæ in levibus nonnullis captivis præstitæ, ab iisdem extorquentis. 74. Damnatio nova Pastorum, & raptatio crudelissima ad triremes. 75. Tentationes eorundem, ut militiæ nomen dent fortiter excussæ. Venditio eorum ad triremes. Vexatio horrenda in iis & ex iisdem Divina liberatio. 76. Historia reliquorum pastorum viginti, in carceribus Sarvvar, Kapuvvar, Tergesti, & Buccaris inauditis modis vexatorum. Quorum pars Buccari persecutioni succumbit. Pars ad extremum usque eandem sustinet. Et vicina jam morti liberatur. 77. Examen Extractus judicialis Tyrnaviæ editi quo Author demonstrare conatur, Pastores non ob religionem, sed ob Rebellionem horrendam adeo tempestatem subivisse. 78. Concluditur Historia persecutionis Hungaricæ. 79. Hactenus de persecutione pastorum Evangelicorum: sequitur Epitome persecutionis secularium Evangelicorum, quam decennio illo perpessi sunt. 80. Cancellarius Aulæ Austriacus fatetur, patientiam Evangelicorum admirationem meruisse, si per decem saltem dies tanta tolerassent, nedum per decennium integrum. 81. Catholici illa inficiari non possunt, & tantum retorsione utuntur, quam non probant. 82. Decennium illud persecutionis desinit, A. 1681. per comitia. 83. Intra 19. Annos Comitia Regni nulla indicta fuerant consilio Cleri Catholici. 84. Clerus Catholicus in causa est quod Comitia Regni tam raro habeantur. 85. Clerus propter privatam suam utilitatem nihil curat, regnum & Regnicolas in summum discrimen & ruinam per suas persecutiones Religionis Evangelicæ præcipitari. 86. Simulati prætextus pietatis & persuasionis politicæ, quibus Clerus Comitia dissuadet Aulæ. 87. Clerus Catholicus causa est, cur jam denuo intra 17. annos comitia nulla indicta sint. 88. Aperiant ergo oculos Regnicolæ & astutiam nec non privatum Interesse Cleri utilitati Regni publicæ adversum cognoscant.

I.

1. Religionis Evangelicæ decrementum.

POsteaquam Religio Evangelica securitatis, libertatis & felicitatis suæ summum fastigium & solstitium per tot Pacificationes, Articulos & leges Regni, nec non Diplomata Regum jurata consecuta erat, sicuti Periodo præcedenti secunda explicatum est, accidit ei vicissitudo sequior, cui omnia in hoc mundo subjacent. Quemadmodum enim sol, ubi ad Solstitium æstivum ascendit, parum ibi moratus, protinus descendit, & ad Solstitium Hyemale seu brumam properat, Nobisque post longissimos dies, amœnamque æstatem, pluviosum Autumnum, & tristissimam hyemem affert, ita felicitas Evangelicorum opinione omni citius declinavit, & in suspiria, lacrymas, exilia, carceres, mortes, & martyria conversa, tantum non plane occidit.

2. Sub Leopoldo Magno.

II. Non sine maxima animi ægritudine & reluctante affectu, qui incomparabilis plane Imperatoris LEOPOLDI Magni summis virtutibus debetur, dici potest declinationem felicitatis

rei Evangelicæ sub ejus cæteroquin gloriosissimo Regimine vel multo maxime evenisse.

3. Leopoldus libertatem Religionis promittit.

III. Equidem LEOPOLDUS, cum vivente adhuc Patre FERDINANDO III. Anno 1655. Rex Apostolicus inauguraretur, Diplomate Regio edito & jurato inter septendecim conditiones electionis more majorum promissas conditione sexta solenniter pollicitus est, se Exercitium Religionis Evangelicæ liberum, illæsum, & illibatum juxta Pacificationem Viennensem, primam libertatis illius basin, & juxta Articulum I. de An. 1608. præstiturum, neque Clero & reliquis Catholicis notanter etiam neque Dominis Terrestribus Catholicis permissurum, ut quovis modo, aut quovis sub prætextu (sub quo prætensa Dominii terrestris Jura vel maxime comprehenduntur) turbentur, aut impediantur. Sequitur Diploma ipsum, sicuti in Decreto I. LEOPOLDI I. de Anno 1659. Art. insertum habetur.

4. Diploma Leopoldinum.

IV. DIPLOMA REGIUM LEOPOLDI I.

Nos LEOPOLDUS Dei Gratia, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Tyrolis & Georitiæ &c.

AGnoscimus & memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis. Quod posteaquam Universi Domini Prælati, Barones, Magnates et Nobiles, cæteriq; Status et Ordines inclyti Regni Hungariæ, partiumque eidem annexarum, pium & plane paternum Sacratißimi Principis ac Domini Domini Ferdinandi III. divina favente clementia Electi Romanorum Imperatoris Semper Augusti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Domini ipsorum Clementißimi, Genitoris autem Nostri indulgentißimi erga ipsos affectum ac propensionem ponderantes, ac de nostra quoque Serenitate haud absimilem in exspectationem assurgentes, ex proprio spontaneoque ipsorum motu ardentius profecta supplicatione à Sua Sacratissima Majestate obtinuissent: ut Nos in Regem atque Dominum ipsorum juxta antiquam consuetudinem & libertatem eorundem semper observatam paribus votis & unanimi consensu, rite & libere eligerent, proclamarent, invocatoque, demum Numinis Divini auxilio feliciter coronarent, demisse rogaverunt, ut Nos infra scriptos Articulos, omniaque & singula in eis contenta, rata, grata, & accepta habentes, nostrumque consensum illis præbentes, benigne acceptare authoritate Nostra approbare & confirmare, atque tam nos ipsi suo tempore benigne observare, quam per alios, quorum interest, firmiter observari facere dignaremur, quorum quidem Articulorum tenor sequitur & est talis consequenter.

Prima Conditio, *Quod universas & singulas Regni libertates, immunitates, Privilegia Statuta, jura & consuetudines simul & conclusionem Tractatus Viennensis, omnesque Articulos in eodem comprehensos, ita & reliquos ante*

&

& post Coronationem Matthiæ Secundi, felicis reminiscentiæ, in Annis Millesimo Sexcentesimo Octavo : Millesimo Sexcentesimo Nono : Item prædefuncti beatissimæ reminiscentiæ Domini Ferdinandi Secundi. Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Secundo : Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Quinto, & aliis etiam Annis editos, nec non modernæ etiam Imperatoriæ Regiæque Majestatis conclusionem novissimi Tractatus & Pacificationis Linzensis, omnesque Articulos ibidem specificatos, simul & constitutiones Regni Annorum Millesimi sexcentesimi Quadragesimi Septimi, & Millesimi Sexcentesimi quinquagesimi quinti in omnibus suis punctis Clausulis & Articulis Sua Serenitas firmiter & sancte observabit per aliosque omnes observari faciet.

Secunda Conditio, *Quod gravamina, si quæ usque ad tempus suscipiendi Regiminis Suæ Serenitatis qualitercunque evenerint, ea statim in initio Regiminis Suæ Serenitatis in Diæta primitus intra spatium sex Mensium publicanda, penitus tollet, Gravamina autem universorum Statuum et Ordinum Regni, quæcunque successu temporis Suæ Serenitatis emerserint, ea in singulis Diætis, quas Sua Serenitas successivis temporibus, pro commodo & necessitate Regni, quo sæpius fieri poterit, ita ut terminum Triennii non excedat, publicare & celebrare dignabitur sub eadem Diæta tollet & effectuabit.*

Tertia Conditio, *Quod, quando de rebus & negotiis Regni Hungariæ aut partium eidem subjectarum agetur, ea per Hungaros tractare & consultare dignabitur juxta Articulos Anni millesimi sexcentesimi octavi, noni, & decimi, ante Coronationem editos : Item Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi noni Articulum octavum. Neque etiam supplicantes aut causantes indigenas Regni, intra ambitum ejusdem occurrentes, ad Regimen & Iura externa rejicere pertrahere & ablegare patietur, juxta extrema verba Articulorum decimi & decimi sexti antè Coronationem, et Decreti Ferdinandi 1536. Articulum 41. editi.*

Quarta Conditio, *Confiniorum vero præfecturas, Capitaneatus, & alia Officia, tam in hoc, quam in aliis Regnis annexis serenitas sua juxta Articulum undecimum antè Coronationem, Anno millesimo sexcentesimo octavo editum conferet.*

Quinta Conditio, *Quod pro Iustitiæ administratione sine qua Regna consistere non possunt, secundum laudabilem & Deo gratam, in celebrandis Iudiciis antiquam Regni consuetudinem, judicia Octavalia Pacis tempore, tam in superiori-*

ribus, quam inferioribus Regni partibus juxta Constitutionem Anni millesimi sexcentesimi noni Articulum 70. continuo celebrari faciat, & juxta eundem Articulum tam in Tabula Regia, quam in Appellationibus sine discretione Religionis Iudices fiant, neq; Status et Ordines Regni Mandatis, extra Terminos Iudiciorum, coram Iudicibus Regni ordinariis & Deputatis, Iuri stare & ad Privilegiorum productionem cogere, executionesque legitimas neque per se impediet, nec per suos officiales impediri patietur. Similiter etiam illegitima Iudicia et illegitimas Executiones fieri non admittet. Allegantur primo pro Iudiciorum Octavalium celebratione Articulus 70. Anni millesimi sexcentesimi noni, secundo pro Iuribus Nobilitaris prærogativæ Tripartiti partis I. Titulus 9. Item Ferdinandi Regis Anni millesimi quingentesimi quadragesimi sexti, Articulus 30. item Articulus 11. Pacificationis Viennensis. Tertio, Ne mandatis Regiis Iuris Processus turbetur. Matthiæ Primi 1471. Anni, Articulus 12. Maximiliani 1566. Articulus 25. Matthiæ Secundi 1613. Articulus 34. Quarto: ne expediantur Mandata illegitima; Ferdinandi Anno millesimo sexagesimo tertio Articulus 80. Matthiæ secundi, millesimo sexcentesimo octavo Articulus 6.

Sexta Conditio, *Quod Religionis negotium inter universos Status & Ordines Regni, in suis ac Fisci bonis item in Confiniis quoque Regni Hungariæ Militibus Hungaris propter tranquilliorem Regni permansionem juxta Constitutiones Viennenses & Articulos ante Coronationem editos maneat liberum, illæsum & illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, universisque Statibus Ordinibusque Regni, in suis ac Fisci bonis. Item in Confiniis Regni Hungariæ, nec non Oppidis & Villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur: Nec quisquam cujuscunque Status & conditionis existens in libero cujusdam usu ac exercitio Religionis à Serenitate sua & aliis quibusvis Dominis Terrestribus quovis modo, aut quovis sub prætextu turbetur aut impediatur.*

Septima Conditio, *Quod in Palatini electione, ejusdemque authoritate, Iurisdictione & officio juxta Articulos Viennensis Pacificationis ad tertium. Item ante Coronationem edito Anni millesimi sexcentesimi octavi Articulum 11. & Anni millesimi sexcentesimi decimi tertii Articulum 7. Ferdinandi Regis Anni millesimi quingentesimi quin-*

quinquagesimi quinti Articulum 1. circa finem, ac secundum formam juramenti ejusdem Palatini, præscriptum modum serenitas sua observatura est. De banatu etiam, quæ in eodem Articulo 11. Anni millesimi sexcentesimi octavi, Artic. 9. & Anni millesimi sexcentesimi decimi tertii Artic. 39. effectuabit.

Octava Conditio, *Quandoquidem salus & permansio non modo afflictæ hujus Patriæ, tanquam Clypei & Antemuralis, sed aliorum quoque Vicinorum Regnorum & Provinciarum ex bona & secura Confiniorum provisione dependeat. Serenitas Sua juxta Articulum 21. Anni millesimi sexcentesimi Octavi ante Coronationem, & Articulum 32. 1609. paternè Confiniis providere dignabitur.*

Nona Conditio, *Quod Coronam Regni ex Regno Hungariæ nulla ex causa vel quæsito colore, nulla etiam industria vel Arte Serenitas Sua auferet aut auferri curabit, sed quod juxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum Regnicolarum, per certas de eorum medio unanimiter ad hoc delectas & deputatas Personas utriusque Religionis seculares in Regno conservabit, juxta Articulum 4. ante Coronationem & 16. post Coronationem Anni 1608. & Vladislai Decretorum anni 1492. Articul. 3.*

Undecima Conditio, *quod metas Regni Hungariæ, & partium ei subjectarum non abalienabit, imo differentias ratione metarum cum Polonis, Silesiis, Moravis & Austriacis, nec non Styriacis, Carinthiis, Carniolis, exortas & vigentes omni studio ac ope Serenitas Sua componet, determinabit, aut recuperabit.*

Duodecima Conditio, *Quod confœderationes cum Regno Bohemiæ & aliis vicinis Provinciis ac Transylvania, juxta Articulos Pacificationis Viennensis, & Constitutionum anni millesimi sexcentesimi noni Articulum 42. in suo vigore permaneant, Suaque Serenitas eos observabit, & per suos observari faciet.*

Decima Tertio Conditio, *Quæ de pace publica Regni conservanda & bello non movendo, extraneoque Milite non inducendo Artic. 2. ante coronationem anno 1608. sancita fuerunt, & Sua Serenitas inviolabiliter observabit, & per alios observari faciet.*

Decima Quarta Conditio, *siquidem intuitu erga Domum Austriacam, Suasque Majestates Amoris & benevolentiæ Gentis Hungaricæ hactenus luculenter satis declaratæ, ac in futurum quoque declarandæ, Arces Pernstein, Kobolsdorff, Gintz, Forchtenstein, Aisenstatt & Hornstein cum suis pertinentiis, Suæ Ma-*

jestates Regno Hungariæ reincorporare dignatæ essent, Sua Serenitas ulterius easdem sub jurisdictione Regni & Coronæ conservabit.

Decima Quinta Conditio, *Quod Castrum Lublio cum suis pertinentiis, & tredecim Oppida Sæpusiensia: siquidem magno cum damno et incommodo Regni et Regnicolarum à Polonis possidentur; (Nam non solum aliquid in medium Regnicolarum contribuere nolunt, verum illatis Regnicolis diversis injuriis ac violentiis in Regno Hungariæ, juri stare & in Comitatibus comparere recusant, omnes suos conatus manu violenta impune exercendo, unde et authoritati Suæ Serenitatis plurimum derogare videtur) Serenitas Sua facta interpositione apud Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Castrum illud cum pertinentiis et prædictis Oppidis eliberare, Regnoque applicare dignetur cum non desint modi summam illam inscriptionis per Regnicolas deponendi.*

Decima Sexta Conditio, *Quod milites Haydones Privilegia Sua Majestate Cæsarea & Regia habentes, fruantur illis & tempore Regiminis Sui Serenitas sua confirmare dignabitur.*

Decima Septima Conditio, *Assecurabit quoque Serenitas sua, quod vivente Sacra Cæsarea Regiaque Majestate, Domino nostro Clementissimo in nullam administrationem Regni se intromittet, absque Suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis expressa & specificata benigna voluntate, Regnicolarumque assensu. Atque hæ sunt conditiones, quas Serenitas sua ante electionem acceptare, sufficientibusque literis suis Assecuratoriis sub verbo suo confirmare, post Coronationem vero suam tempore suscipiendi Regiminis generalibus Articulis inseri et publicari dignabitur. Nos itaque prædicta Universorum Statuum & Ordinum inclyti* Regni *Hungariæ et partiũ ei subjectarum instantia benigne admissa pro benigni animi nostri propensione ipsisque benigne gratificandi voluntate, præ insertos Universos Articulos ac omnia & singula in eis contenta, rata, grata, & accepta habentes, eisdem nostrum Consensum benevolum pariter & assensum præbuimus, & illos ac quævis in eis contenta acceptavimus, approbavimus, ratificavimusque & confirmavimus, promittentes & assecurantes Status & Ordines in Verbo nostro . quod præmissa omnia tam Nos ipsi Regiminis nostri tempore observabimus, quam per alios fideles subditos nostros, cujuscunque status et conditionis existant, observari faciemus, uti vigore hujus nostri Diplomatis acceptamus, approbamus, ratificamus, confirmamus atque pro-*

promittimus; In cujus finem et testimonium Literas has manu propria subscripsimus, et sigilli Nostri impressione muniri fecimus, Datum in Arce Regia Posoniensi, die vigesima quinta Mensis Iunii Anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto.

5. Præter hoc diplomanihil amplius statutum.

V. Sed excepto hoc Diplomate nihil in omnibus Decretis LEOPOLDI Augustissimi, toto ejus Regni durantis spatio, in favorem Religionis Evangelicæ statutum est. Imo potius in duobus ultimis Decretis, in quibus solis mentio Religionis facta est, status ejus hactenus legibus publicis stabilitus, immutatus, & tantum non eversus est.

6. Recentiores articuli pristinis adversantur.

VI. Anno enim 1681. in Comitiis Sproniensibus ab omnibus anterioribus Regni Legibus, Pacificationibus, & Diplomatibus hactenus semper confirmatis, invalescente inprimis ex postfacto iniqua & arbitraria interpretatione novorum articulorum de Anno 1681. secessum esse videtur, cum exercitium Religionis Evangelicæ, quod hactenus ad illa usque tempora per universum Regnum juxta tot Leges Regni liberum erat, ad certos tantum locos quos Articulares vocant, restringi, & nimium quantum coarctari, quamvis reclamantibus ipsismet istis articulis sano sensu intellectis, voluerint.

7. Sub Leopoldo I. persecutiones invalescunt.

VII. De cœtero etiam non attenta pollicitatione publica in præcedenti Diplomate LEOPOLDINO solenniter facta, tantum abest, ut libertas & securitas Religionis Evangelicæ manutenta fuerit, ut potius persecutiones magis, & acerbius quam ullo unquam tempore præterito recruduerint.

8. Persecutiones non conveniunt clementiæ Austriacæ.

VIII. Mirari satis & capere Hungari ipsimet & multo minus Exteræ Nationes possunt, quo fato fiat, quod Principes Austriaci, singulari plane pietate, clementia, & æquanimitate illis plane innata & propria inclyti, tantas, tamque diras persecutiones in Evangelicos & Reformatos permiserint. Est sane res, quæ captum Eorum, qui nonnullorum modos agendi secretos & arcana consilia & artificia ignorant, superat.

9. Leopoldus I. excusandus.

IX. Excusandi certe sunt Optimi & Pientissimi Reges Austriaci, ad conniVendum in tantis persecutionibus per alios inducti.

10. Jesuitæ in culpa sunt.

X. Lutherani equidem & Reformati in Hungaria sustinent hoc fieri per Clerum, maxime per Patres Jesuitas Confessionarios, illosque Regibus talem cum conscientiæ obligatione imponere incumbentiam. Terminum hunc esse ajunt, Confessionariorum technicum, quo illi Imperium, quod in Confessionibus in Regum & Principum conscientias exercent, appellant.

11. Axiomata Aulæ Romanæ à multis Catholicis improbantur.

XI. Etenim causam veram omnium persecutionum, aliorumque multorum malorum Lutherani & Reformati causantur, non aliam esse, quam illam periculosissimam, & cuilibetcunque societati humanæ tremendam & fatalem maximam sive principium non adeo Religionis neque totius Cleri Catholici, quam Aulæ Romanæ: illam quidem maximam palam fateri Catholicos nonnullos, ejus etiam tenaces, ipsosmet suppudere, multo maxime autem Seculares Catholicos cordatiores, qui peponem pro cerebro non habent, sed quod honestum & justum est, ex suæ non aliorum Conscientiæ sensu metiuntur, imo etiam permultos Ecclesiasticos pios, qui tricarum & intimiorum arcaniorumque Consiliorum Curiæ Romanæ participes non sunt, serio eam abhorrere; illos tamen, qui secretiorum destinatorum Aulæ Romanæ & mysterii monarchici ut & ambitionis ejus immensæ conscii sunt, subinde fateri, illam maximam re ipsa in omnibus consiliis tanquam perpetuum & ultimatum scopum, ad quem collimandum sit, sollicite attendi, executione ad quamvis occasionem commodam dilata & suspensa.

12. Dogma Romanum quale sit.

XII. Diram illam, & omnibus Evangelicis, qui sub Principe Catholico, nimium Clero indulgente, & vel maxime qui sub Papa vel Principe Ecclesiastico Romano-Catholico nimium zeloso degunt, semper metuendam & exitialem maximam, hanc esse ajunt.

Salutem & incrementum Ecclesiæ Romanæ, aut potius Monarchiæ Papalis per universum Mundum dilatandæ, supremam esse Legem, cui reliqua omnia Jura subordinanda: Ecclesiam enim non esse propter populum, sed Mundum universum esse propter Ecclesiam, sive potius propter Romam, Mundi Caput: Ecclesiam Catholicam à perpessis olim persecutionibus Ethnicis

cis nunc securam non frustra dici florentem, nunc ergo triumpho isto & flore à Deo concesso utendum, adeoque super Hæreticis triumphandum, & siquidem illi Doctrina & disputationibus convinci non possint, exstirpandos, aut ut in sinum Sanctæ matris Ecclesiæ redeant, omni vi cogendos esse, in hunc enim sensum illud Evangelii: Compellite intrare: interpretandum esse Regem vel Principem Catholicum filium Ecclesiæ Matris degenerem esse, qui brachio seculari compulsionem illam violentam exercere, eoque incrementum potentiæ & Monarchiæ Romanæ promovere detrectet vel hæsitat:

Primam curam boni & pii Principis esse debere ut Vicarii Christi, Sanctissimi sui Patris consilia & mandata exequatur in hunc finem emanantia, illud officium Christiani Principis momentosissimum, adeoque primum omnium, quod agat, esse, ut omnes suas cogitationes & consilia dirigat ad dilatationem Ecclesiæ Matris Suæ Sanctissimæ, & ad amplificationē Monarchiæ universalis patris sui Spiritualis, Summi Pontificis, etiam cum periculo propriæ coronæ, Sceptri & Provinciarum suarum, quippe quæ ceu temporanea & caduca cum præcipue in finem à Deo Principi mutuo data & concessa ad tempus tantum sint, ut his velut Instrumentis & machinis incrementum Ecclesiæ omnibus viribus adjuvet, unde novissimo etiam Sanctissimi illius Regis Angliæ Jacobi II. in Sanctorum Cœlitum album quam primum inserendi exemplo, pro Martyrio sacro reputandam esse Coronæ & Regnorum amissionem, cujus periculum non formidandum, sed devote anhelandum, & cordate pieque subeundum sit, cum illa omnia majori gloriæ gradu in altera vita compensatum iri certissimum sit. Reges & Principes à Deo Ecclesiæ Nutrices vocari adeoque Hæreticos nutrire vel tolerare, officio Veri Principis Catholici adversum & longe indignissimum esse.

13. Dispensatio Papæ est remedium contra fidem datam.

XIII. Sicuti autem Princeps aliquis securitatem & libertatem Hæreticis publica Pacificationis fide, vel etiam Jurejurando promiserit desuperque hæsitet, an salva conscientia fidem publice datam & juratam fallere & temerare liceat, & annon contra Jus Divinum & Gentium peccando famam apud universum Orbē prostituturus sit, metuatque per violationem fidei datæ etiam reciprocam subditorum fidem labefactari, rebellionesque exoriri & belli periculo se suosque Subditos involvi, imo in præcipitium & ultimam ruinam dilabi posse, tunc ad eximendos hos scrupulos, præsto esse remedium dispensationis & benedictionis Papalis: neque enim frustra summo in terris Vicario Christi claves binas ab eodem concreditas esse, quarum altera ipsi solvere integrum sit omnia jurisjurandi & promissorum sacra, quæ in detrimentum Ecclesiæ redundare aut incremento Monarchiæ Sedis Romanæ obstare, summo illi rerum omnium & Jurium in terris arbitro Pontifici videri poterunt: hac illum autoritate cœlitus data pollere, ut à Juramentorum Sacramento & servandæ fidei datæ vinculo, & Principes & populum, & quemcunque alium, pro mero suo semperque sanctissimo scilicet beneplacito lubitu & arbitrio, ita plenarie absolvere & liberare possit, quasi nunquam præstita vel promissa fuissent, & hoc saluberrimo Emplastro omnia Conscientiæ Vulnera & stigmata animarum uno momento sanari.

14. Jura humana & divina subsunt saluti Ecclesiæ.

XIV. De cætero Jus Gentium, Jus Naturæ & cæteros omnium jurium humanorum, famæ, honoris, & existimationis respectus, tanquam nugas mundanas merito supremæ & æternæ Legi salutis & incrementi Ecclesiæ ejusque dominatus ita subjacere illique postponendos esse, ut quicquid alias perjurium, Homicidium, Tyrannis, sacrilegium, violatio fidei publicæ & quodcunque tandem aliud crimen esse videtur, & à vulgo ita vocatur, in ordine ad supremam illam Legem de Salute Ecclesiæ ejusque dominatu promovendo, non modo pro crimine non habendum sit, sed potius vel maxime in meritum & bonum opus meritorium evadat, à Sancta in Terris Matre Ecclesia indulgentiis prolixissimis, & à Deo in altera vita æternæ gloriæ uberrimo redhostimento in sublimiori gradu compensandum.

15. Vis persuasionum Cleri.

XV. Quantum hujusmodi exhortationes & persuasiones sanctæ scilicet & paternæ in animo Principis naturali quodam instinctu in pietatem & devotionem singularem propensi, quales omnes fere Austriaci, interque eos inprimis FERDINANDUS II. & III. & præ cæteris LEOPOLDUS Augustissimus semper fuit, efficere possint, quantumque Clerici, inprimis Jesuitæ acerrimi Monarchiæ Papalis propugnatores & Satellites de tanta inclinatione naturali

rali

rali,& in aſſenſum proclivitate proficere valeant, intellectu eſſe facillimum. Nativa quippe Principum Auſtriacorum manſuetudo nullo alio modo facilius quam immitium ſacerdotum inſtinctu expugnatur, ſubinde ingerentium hæreticis fidem ſervandam non eſſe, ac nullum illuſtrius pietatis ſpecimen edi poſſe, quam velut Divini Numinis hoſtes exterminare, qui Pontificis Romani autoritatem adorare detrectant.

16. Conſcientiæ directores omnium arcanorum conſcii.

XVI. Quo enim quisque religioſior eſt, eo pronius Conſcientiæ ſuæ directionem, Confeſſionariis & illis, ad quos hanc curam pertinere exiſtimat, committere & ad ducendum quo lubet, ſeſe ſubmittere, ſub pio hoc ductu ſe maxime ſecurum & hallucinari non poſſe confiſum: quod ubi animadverterint Clerici, mira regendi ambitione, incertum, quo facto, ſemper ſtimulati, eo uſque Conſcientiarum directionem extendere, ut Principibus perſuadeant, ſe in conſcientia tutos eſſe non poſſe, niſi omnia ſua etiam arcaniora deſtinata & miniſtrorum Secularium conſilia cum ipſis communicent, ut illa ad principia ſua ſuæque ſocietatis ſcopum tanquam ad lydium lapidem pietatis, utpote omnis ſapientiæ regulæ examinare, indeque omnia, quæ occurrunt ſuadere vel diſſuadere poſſint; quo ipſo ſummam in Principem poteſtatem conſequi, eique pro lubitu imperare, poſtquam Miniſtros intelligentiores variis ſuſpicionibus onerare, & diffidentiam Principis erga illos miris infinitisque artibus excitare affabre ſategerint.

17. An vera, quæ Clero imputantur

XVII. Hujusmodi ſunt, quæ Evangelicæ & Helveticæ Confeſſioni addicti in Hungaria ſibi videntur detexiſſe & eruderaſſe ex multis rerum & experientiæ Documentis, ad excuſandum Reges ſuos ſuper injuriis, quas per duorum Seculorum decurſum ex cleri & aliorum inſtigatione perpeſſi ſunt. Eadem etiam in aliis regnis & Provinciis aliarum Nationum illi, qui ſimiles experiuntur perſecutiones, cauſantur. An rem acu tangant, an vero adeo probabilibus ſuſpicionibus nimium indulgeant, more illo communi omnium eorum, qui in tenebris mœrorum, cruciatuum, carcerum, exilii aliarumque adverſitatum verſantes, continuo cum triſtitia & anxietate, etiam ſubinde cum deſperatione miſere colluctantur adeoque in exaggerationem periculorum procliviores ſunt, & umbras quasvis pro Spectris timent, hoc in medio hic relinquitur. Ejus enim, cui Hiſtoriam ſolam Reformatæ Religionis breviter pertexere animus eſt, ne dum illius, qui Acta & Documenta compilat, non eſt controverſiam tanti momenti decidere. Neque etiam noſtri inſtituti ratio permittit, ut ſupra dictam periculoſiſſimam illam maximam, & ſpecioſas vafrasque magis quam convincentes perſuaſiones Cleri Catholici, imprimis Jeſuitarum ſummæ iniquitatis quam continent, redarguamus. Mirari ſane quemvis cordatum, honeſtum & pium Chriſtianum oportet, quod Curiam Romanam ejusque acerrimos ſatellites Jeſuitas non pudeat, ſolo inſtinctu propriæ utilitatis & adjuvandæ Monarchiæ & Dominatus univerſalis ergo, ad quam collimant, talia principia (ſi verum eſſet talibus eam uti) ſepoſito omni conſcientiæ & timoris Dei vindicis ſenſu, ſuſtinere, quæ omnia jura divina & humana quicquid ſacrum & inviolabile hactenus inter mortales habitum eſt, convellunt & evertunt. Certe ſine ſummo horrore animi & maximo ſcandalo audiri talia ab iis non poſſunt, quibus rerum humanarum aliqua cura eſt, & qui conſcientiam ſuam ex dictamine rectæ rationis innato & verbo divino revelato magis, quam ex artificiis Clericorum ad rationem ſui ſtatus directis metiuntur. Quis enim non perhorreſcat temeritatem eorum, qui ſanctitatem ore crepant, & tamen principum piorum auribus inſuſurrare illisque ſuadere audent, ut jurisjurandi ſacramentum & eo toties confirmata diplomata regia, pacificationes, pacta & leges fidemque publicam temerent, & violent, eo ſolo fine ut dominatus Curiæ Romanæ & Jeſuitarum proprium commodum augmentumque immenſarum divitiarum, quæ noverit Deus, in quem vaſtiſſimum & arcanum ſcopum tanta ſiti inſatiabili corraduntur, promoveatur. Quis non excandeſcat ludibrio haberi ſacramentum poteſtatis clavium à ſalvatore eccleſiæ ſuæ conceſſæ, dum per ejus fœdiſſimum abuſum & Principes & ſubditi à juramenti vinculo abſolvuntur, quoties per illud Monarchiæ curiæ Romanæ & Architectato Jeſuitarum Dominatui aliquid decedere videtur, cum utraque Clavis ad coërcenda & abſolvenda Chriſtianorum crimina & peccata, non ad dominatum mundanum & divitias ampliandas à Chriſto Apoſtolis concredita fuerit, poſtquam ſanctiſſimus ſalvator iisdem nihil operoſi-

rosius aut crebrius inculcasset, quam regnum suum, cujus administratores ipsos post discessum suum relicturus erat, non esse de hoc mundo, sæpius illis ingeminans illud: Seculares Principes dominantur & vocantur Illustrissimi Domini, vos autem non sic: sed proh Deum hominumque fidem! quantum divortium posteriori ætate Ecclesia Christi ab hoc ejus præcepto principaliori ejusque praxi primitivæ Ecclesiæ fecit! & quantum non damnum ex solo hoc divortio passa est! De cœtero cacchinnum vix reprimere potest, quisquis insulsas & ridiculas connexiones suasoriorum istorum argumentorum perpendit, eoque animadvertit minime sapere illos susurrones, dum nimium sapiunt, & sacra quævis profanant, quo avaritiam & dominatus cupiditatem abusu omnium sacrorum incrustent.

18. Rex & Clerus Hungariæ Papæ non subest.

XVIII. Sane si talia, quæ Evangelicæ & Helveticæ religioni addicti Hungari suspicantur, destinata arcana Curiæ Romanæ revera tantorum malorum causa essent, cœterique Reges vel Principes & Ecclesiastici Catholici aliorum Regnorum & Provinciarum cœca obedientia illa tueri tenerentur, quod tamen neque semper, neque ubique fit, Rex Hungariæ Apostolicus tamen, & Venerabilis Clerus Hungaricus minus quam alii adstricti essent duris istiusmodi Mandatis morem gerere, & cœco impetu cum proprio periculo in illorum executionem proruere, cum inter omnes Reges, interque omnes Cleros Catholicos non sit neque Rex neque Clerus, qui minus Curiæ Romanæ subjectus sit, quam Rex & Clerus Regni Apostolici, in quo Curia Romana minus potestatis habet, aut exercere vel prætendere potest, quam quocunque alio in Regno.

19. Prærogativa Regis Apostolici.

XIX. Sciendum enim, inquit Tripartitum Opus consuetudinarii Regni Hungariæ Part. I. Tit. XI. „ *Quod licet Papa utramque Iurisdictionem, temporalem scilicet & Spiritualem habeat, in collationibus tamen Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium in hoc Regno Summus ipse Pontifex nullam Iurisdictionem exequitur præter Confirmationis autoritatem, & hoc quadruplici ratione: Primo, ratione fundationis Ecclesiarum, quia Reges Hungariæ soli fuerunt omnium Ecclesiarum, Episcopatuum, Abbatiarum & Præpositurarum in hoc Regno fundatores: per ejuscemodi fundationem omnem facultatem Iuris Patronatus, nominationis, Electionis ac collationis beneficiorum sibi ipsis acquisiverunt & vendicarunt. Secundo ratione susceptæ Christianitatis: Quia non per prædicationem Apostolicam vel Apostolorum, quorum Principis vicem & personam in terris Papa gerit, sed per institutionem proprii Regis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis conversi sunt ad Catholicam fidem. Unde etiam Rex & Apostolus dici meruit. Tertio, ratione legitimæ præscriptionis. Quarto quia ista Regni libertas, quantum ad Beneficiorum collationem, olim tempore Domini Sigismundi Imperatoris & Regis nostri, una cum compluribus libertatibus hujus Regni in generali ac celebri Concilio Constantiensi corroborata, Iurisque jurandi Religione firmata fuit, prout in Bulla superinde confecta clare continetur.* „

20 Ecclesiastici Iurisdictioni Seculari subjecti.

XX. Et sequenti tit XII. de Regiorum aliorumque Judiciorum Secularium Ordinariorum Jurisdictione in Ecclesiasticos, ratione bonorum temporalium & actuum violentorum, ita pergit: *Cum igitur collatio Beneficiorum Ecclesiasticorum simul cum bonis & juribus possessionariis ad Ecclesiam Dei pertinentibus, ad Regem & Principem nostrum spectare dignoscatur, ideo omnes Viri Ecclesiastici, cujuscunque gradus ac dignitatis existant, qui in hoc Regno Hungariæ Castra, Castella, Fortalitia, Civitates Oppida Villas, possessiones & prædia, vel etiam alia quæcunque Iura possessionaria gubernant & possident, non obstante dignitatis & exemptionis eorum prærogativa & libertate, Regi & Principi hujus Incliti Hungariæ Regni legitime coronato, instar personarum Secularium ejusdem Regni, ad Homagium fidelitatis præstandum semper obligantur, & ratione hujusmodi bonorum temporalium, quæ possident, quorumlibet etiam actuum potentiariorum ac aliorum negociorum inde emergentium, in præsentiam quorumlibet Iudicum Regni Ordinariorum ab eorum Adversariis (si quos habuerint) in causam libere conveniri, & attrahi possunt, coram quibus more aliorum Secularium respondere Iurique stare tenentur.* „

21. Rex Hungariæ non necesse habet Papæ obedire.

XXI. Tantis ergo libertatum prærogativis Rex Apostolicus reliquos omnes Reges Catholicos antecellens, majori etiam sine dubio libertate in hoc passu gaudet, ut in adeo dura verba & jussa Papæ jurare eum non oporteat, siquidem ille talia de exstirpandis sic dictis Hæreticis imperare ei vellet. Imo post-

postquam Reges Hungariæ experti sunt tot exstirpandæ Religionis Reformatæ cruentis tentaminibus se in summum Coronæ, Vitæ & Regni amittendi discrimen toties præcipitatos fuisse, novis ejusmodi suggestionibus pro summa sua libertate obsequium detrectare integerrimum foret, & licet cœteri Reges omnes ad similia pericula obeunda à Curia Romana cogi possent, quod tamen fieri de jure divino nec debet nec potest, certe vel solus Rex Apostolicus vigore eminentioris Suæ libertatis in Regno suo, Legibus & pactis suis juratis, cum majore Regnicolarum Suorum parte initis, stare sine ullo scrupulo & metu posset, Curiæ enim Romanæ indignationem minus, quam ullus alius Regum expavescere debet, cum Summus Pontifex tantum ipsi negocii in Regno suo ob restrictiorem illius in hoc Regno potestatem, quam aliis facessere non possit.

22. Clerus Hungariæ summa libertate gaudet. XXII. Quemadmodum autem Venerabilis Hungariæ Clerus Regi Suo, ejusque Jurisdictioni multo addictiori subjectionis nexu præ reliquis omnibus Europæ Clericis Catholicis subest, ita non minus cordate & mascule Ecclesiæ Hungaricæ libertatem contra Curiam Romanam sæpissime propugnavit, quam Galliæ Clerus in tuenda Ecclesiæ Gallicanæ libertate toties fecit. Enim vero sufficere potest Clero Hungariæ faventem habere Regem, cum ex illius solius manibus omnia & summa beneficia, amplissimosque Episcopatus & Archi-Episcopatus Regni nanciscatur, nec opus habeat eum in finem Aulæ Romanæ favorem nimia condescendentia vel cœco in omnibus obsequio aucupari vel emendicare. Integrum etiam est Regni Apostolici Clero Legibus illis & pactis, quæ pro sui & totius Regni tranquillitate conservanda, & periculi communis avertendi causa inita sunt, inhærere, licet Curiæ Romanæ displiceant.

23. Regis autoritas Clero suspicienda. XXIII. E contra Rex Apostolicus majori præ cæteris Regibus autoritate & Imperio in Clerum suum pollens, sicuti hic Legibus & pactis suis contradicere, eisque contravenire præsumat, facilius eum reprimere, eique silentium imperare oppositionemque nullam esse jubere, & ut morigerum se legibus suis præbeat, juxta leges desuper promulgaras compescere potest.

24. Modus tollendi persecutiones facilis. XXIV. Non alium in finem in hanc digressiunculam divertere lubuit, quam ut monstretur, quanta cum facilitate, & quanto jure optimo maximo, sine omni metu & scrupulo, omnes in causa Religionis persecutiones omitti consultius quam renovari possint, cum tantum absit, ut necessitas, & multo minus utilitas aliqua easdem suadere possit, ut potius res ipsa loquatur, illas infinitorum Regni totius, Regis, atque ipsiusmet Cleri etiam Catholici malorum & summorum discriminum causam exstitisse, & usque esse exstituram.

XXV. Hungari Reformatæ Religionis ad minimum certissime sibi persuasum habent, & Regem & Clerum, ubi tantum uterque genuinum & verum Interesse, & utilitatem non modo Regni totius sed & propriam attente ponderaverit, à persecutionibus Religionis ulterioribus destiturum esse. 25. Persecutiones, Regis interesse intervertunt.

XXVI. Regem enim Lutheranos & Reformatos sibi duplo addictiores habiturum esse subditos, fidelitatis, quippe alias debitæ, nexu per libertatis Conscientiæ beneficium aucto, & Clero Catholico Hungariæ opimis amplissimisque beneficiis affluenti, nihil de suo decedere posse, licet Evangelicos & Reformatos in Suæ Religionis exercitio, propriis suis, ut plurimum sumptibus sustentato, quiete relinquat, adeoque pro sola ratione movente persecutionum solum superesse Aulæ Romanæ pro ampliandis Imperii & autoritatis suæ finibus studium, & Patrum Jesuitarum pro acquirendis ex protestantium exuviis divitiis, reditibus & potentia, zelum & consilium, quæ re ipsa nec Regem, nec Regnum, nec Clerum Catholicum ipsummet juvant, imo multo magis utrique nocent, proindeque totius Regni tranquillitatem, & quietem ab eo dependere, ut Rex nec Curiæ Romanæ, nec Jesuitarum consiliis & destinatis arcanis, ad propriam suam, non Regis vel Regni utilitatem collimantibus, non indulgeat nimium, sed genuinam Regni totius utilitatem alienæ & quidem extraneæ præferat. 26 Interesse Aulæ Romanæ est sola causa persecutionum.

XXVII. Sin autem Clerus Catholicus tanto convertendi, & Ecclesiam Christi augendi zelo flagrat, ut quiescere non posit, sibique illicitum & indecorum reputet in vinea vel ovili Domini otiari, & de fide propaganda non laborare, Agedum! Judæorum Doctores sive Rabbinos in Christum Messiam blasphemos, Sinenses argutos, Tartaros, Gentiles, Turcas Arrianos, Socinianos aliosque, qui extra ovile Christi, ejusque Ec- 27 Campus exercendi zelum Cleri ostenditur.

clesiam sunt, per Theologiam Suam Scholasticam, utpote ad conversionem Averrois aliorumque Ethnicorum Philosophorum primitus Seculo undecimo adinventam & introductam, redarguant, convincant & convertant. Hæc sane est palæstra tantis Theologis dignior, hic Rhodus esset, ubi saltandum foret! Aut si illis hoc nimis arduum videtur, & intra ipsum ovile Christianismi desudare malunt, convertant Atheos, vel Deistas Christianorum nomen mentientes, & verbum revelatum nefarie oppugnantes, aut etiam illos in Ecclesia Catholica, qui impie & scelerate vivunt, corrigant, eisque veræ pietatis & Christianismi praxin inculcent. In istis desudare gloriosius & utilius esset, quam persecutionem & internecionem eorum continuo architectari & moliri, qui in principiis fidei & Religionis Christianæ vere Catholicis & universalibus, hoc est, in illis quæ Ecclesia Christiana, multo maxime primitiva semper & ubique docuit, consentiunt (quæ enim aliquando & in quibusdam locis in dubium aut disputationem, aut nunc aut superioribus temporibus noviter revocata sunt, à Catholica & universali Doctrina Christianismi segregari tantisper & seponi possunt) vi autem, exilio, carceribus, cruciatibus, & mortis supplicio ad mutandam opinionem cogere homines, Theologis Christianis indignum, quia Carnificum lictorum, vel Sacrificulorum Ethnicorum est; Religio enim non imperari sed suaderi debet, neque cruciatibus & suppliciis quis compelli potest ad credendum id, cui intus conscientia reclamat, conscientia Dei tribunal est in quo solus imperat.

28. Certandum esset armis spiritualibus non ferreis.

XXVIII. Sin autem pruritum certandi cum Evangelicis reprimere non valent, age descendant cum illis in arenam, & aciem instruant armis, quæ ipsos decent, spiritualibus non ferreis & trucibus, Clero prohibitis, hoc est, dogmata ipsorum ad lydium lapidem veritatis, ad verbum divinum, examinent, & si possunt erroris Eos convincant. Hæc est illa methodus & modus, quo Christus ejusque Apostoli, nec non eorum Asseclæ in primitiva Ecclesia in convertendis Pharisæis, Judæis & Ethnicis unice usi sunt.

29. Scholasticæ disceptationes inutiles.

XXIX. Præstat sane hic disputandi modus omnibus aliis ex Scholastica Theologia & Philosophia deprompti altercationum certaminibus, quibus nulla unquam controversia finitur, sed tantum pro ingenii & linguæ majori promptitudine nunc hæc, nunc altera disceptantium pars applausus auditorum gloriolamque captat, & victoria tali umbratili alternat, id quod etiam in Hungaria experientia docuit, cujus rei ridiculum succurrit exemplum.

30. Cur à Pasmanno introductæ.

XXX. Postquam Cardinalis Petrus Pazmannus Archi-Episcopus Strigoniensis, quem Hungariæ Richelium vocant propter acris ingenii præstantiam qua polluit, divo FERDINANDO II. Zelo Catholicæ Religionis ardenti autor fuisset, ut Jesuitas introduceret, eosque cum Prædicatoribus Evangelicis disputando committi sineret, confisus, fore, ut illi in Philosophia Scholastica exercitati, hos illam consulte aspernantes & negligentes ad silentium ignominiosum argutiis suis redigendo prostituerent, & deridendos atque sibilo & convicio explodendos Auditorio propinarent;

31. Evangelici quoque disputandi artis periti.

XXXI. Hi periculosum subolfacientes consilium, tricis illis Philosophicis, quas cœteroquin tanquam inutiles abjecerant, protinus denuo incumbere cœperunt, & alios in hoc disputandi vel potius altercandi genere peritos & exasciatos brevi tempore sibi succenturiarunt, quos ad ejusmodi disputationum scenas publicas adhibuerunt & nutriverunt, sicuti olim Molossi ad luctas & pugnas in Amphitheatro contra Belluas peragendas alebantur. Ita instructi Lutherani Cassoviæ & alibi in publicis disputationum conflictibus palmam sæpius Jesuitis provocantibus adeo gloriabundi extorserunt, ut à Magnatibus præsentibus subinde inprimis Cassoviæ ab Episcopo Agriensi acclamatum iis fuerit: Dominationes Vestræ non insolescant, quod Victores abeant.

32. Ridicula provocantis Jesuitæ castigatio.

XXXII. Alternaverant hæ scholasticarum Victoriarum vicissitudines satis diu. Tandem autem cum Jesuita aliquis, quantum innotuit mihi Sambar dictus, victoriis ejusmodi crebrioribus elatus, Evangelicos invitasset ad oppugnandum Theses suas, quas in Oppido aliquo Haidonali (Heyducken Statt) publice defendere destinato consilio instituerat, stitit se ex Evangelicis, vir quidam doctus, cujus nomen necdum comperi, in tricis & strophis illis Philosophiæ Scholasticæ Heros non minus tremendus quam ipse Jesuita provocans. Hic tamen Jesuita superiorem se tanta virtute heroica, quamvis umbratili evasurum credens, adeo temera-

rius

rius erat, ut stipularetur sibi ab opponente Evangelico, Lutherano an Calviniano necdum addidici, quo consentiret, ut alterutri, qui in disputationis arena victus fuerit, caput detruncaretur. Annuit hoc alter non minus temerarius, & pactum hoc inhumanum, in testem vocato, & conclamante, approbanteque toto Auditorio, solenniter confirmatur. Congrediuntur ergo bini isti Heroës umbratiles, mortis contemptores, stolidi potius quam Stoici: sed Evangelicus argutiis suis inextricabilibus potentior, Jesuitam Syllogismorum, distinctionum, aliarumque futilitatum subtilium acie ita obruit & confundit, ut ad silentium redactus herbam Victori in nugis porrigeret. Adsunt ergo Heidones feroces, Latinitatis quam humanitatis intelligentiores, & supremam Cathedram victo Heroë exonerant, strictisque acinacibus sententiam sibimet temere nimis latam, exequi intentant. Evangelico tamen Victore victoria sua, sicuti Heroës solent, moderate usuro, reclamante & arbitros adeo crudeles obstante, ne occidant victum, tandem illi dant veniam, & capitis pœnam condonant, iniquum tamen rati prorsus impunem sinere tantam temeritatem, forcipe à fabro quodam vicino arrepto primores dentes superiores duos, quos insigniter largos habebat, illi in perpetuam suæ temeritatis non sine ignominia memoriam eruunt, & sic ex Palæstra dimittunt blateronem in Eloquio mutilatum, & ex loquace mutatum in dentiloquum.

33. Comitia A. 1662. habita.

XXXIII. Ut autem ad seriem Historiæ redeamus, post Comitia prima, quæ sub LEOPOLDO I. Augustissimo Anno 1659. celebrata sunt, quibus præmissum Diploma ejus Regium Articulo I. insertum est, Anno 1662. Diæta generalis iterum indicta, & habita est.

34. Gravaminum excussionem urgent Evangelici.

XXXIV. Quemadmodum ergo non tantum Articulo IV. Pacificationis de Anno 1645. Articulus Regni An. 1647. insertæ sancitum erat: gravamina futuris temporibus in Negotio Religionis emergentia, tam Catholicorum quam Evangelicorum Confessionis hominum, quam etiam alia gravamina Regnicolarum secundum septendecim conditiones Sua Majestas singulis Diætis plenarie complanabit, absque injuria Evangelicorum; sed etiam Augustissimus LEOPOLDUS conditione secunda Diplomatis Sui Regii iterato idem pollicitus erat: Ita Evangelici juri huic insistentes, gravamina suæ Religionis in hac Diæta, cum in præcedenti id omissum fuisset ut tandem complanarentur, eo magis institerunt, quo ab aliquo jam tempore cumulatiora & graviora evaserant. Sed prævaluit, connivente Aula, Cleri Catholici Artificium consuetum, quo impedivit ne ad examen gravaminum Religionis perveniretur. Unde Evangelici sine omni consolatione gementes & plangentes à Comitiis secesserunt, relictis deprecationibus & protestationibus solennibus. Sequuntur in calce operis suo ordine sub lit. C. Acta integra horum Comitiorum super hoc puncto non admissorum, & non auscultatorum gravaminum Religionis.

35. Evangelici an obstinati dici possint.

XXXV. Equidem prima fronte durum & obstinationis inconsultæ plenum consilium esse videtur, quod Ablegati Status Evangelici ad tantas repræsentationes, quas in appendice in ipsismet actis videbis, à petito de gravaminibus Religionis diluendis desistere & his sepositis, ad consultationes de necessitatibus Regni urgentibus accedere noluerint, imo re infecta, non attentis obtestationibus & comminationibus abire maluerint.

36. Excusantur.

XXXVI. Sed quicunque præjudicium & periculum, quod Religioni Evangelicæ imminebat, sine affectu, trutinaverit, mitius aliquanto sentiet de isto procedendi modo. Pressa jam erat tot Annos Religio Evangelica, neque apud Eos, ad quos hoc pertinebat, juxta Articulos de An. 1647. auxilium ullum aut medelam, vel solatium repererant Evangelici; Quapropter per tantum temporis spatium omni Justitiæ & auxilii administratione destitutis nihil aliud reliqui erat, quam comitia universalia expectare, & maximo cum desiderio optare, ut in illis tandem à Majestate Cæsarea juvarentur, juxta Diploma suum Regium, & articulos Regni, nec non Pacificationes. Postquam ergo tandem Comitia diu expectata essent convocata, inopinatum nimis & triste responsum acceperunt, de gravaminibus nihil agi debere. Rationes & principia, quæ allegabantur, cur excutiendis gravaminibus vacari non possit, propter consequentiam & futurum præjudicium infinitum, periculosa nimis pro statu Evangelico Ablegatis videbantur, quemadmodum etiam revera erant. Primo enim Gravamina Religionis diluere pro causa particulari, non amplius pro publico Regni negotio vēditabatur,

quod ad Comitia non nisi per modum Appellationes pertineret. Secundo objiciebatur Evangelicis, quod quicunque persecutionem propter Religionem patiuntur, coram Vice-Comite & Judice Nobilium, aliisque instantiis inferioribus experiri, non autem publicas consultationes Diætales querelis suis privatis interpellare debeant, hocque ita Articulis Anni 1647. sancitum esse. Tertio causabantur Aulici, Majestatem Cæsaream Ministros suos cognoscere jussisse, an Gravamina Evangelicorum mereantur Discursionem Diætalem, illos autem talia non esse deprehendisse. Quarto Diætam tantum eum in finem indictam esse, ut de publicis Belli & Pacis Negotiis & urgentissimis Regni necessitatibus deliberaretur, itaque non vacare maxime propter instantia Comitia Imperii, ut tempus diluendis Gravaminibus Religionis extrahatur. Hæ rationes si admissæ, & pro stringentibus agnitæ fuissent ab Evangelicis, actum fuisset de libertate & securitate Religionis suæ, neque unquam imposterum ulla Gravamina Religionis in Comitiis excutienda admissa fuissent. Ita enim semper eandem cantilenam Catholici occinuissent Evangelicis in omnibus Diætis, causantes Gravamina Religionis esse causam particularem, qua publicas deliberationes interrumpi par non esset: habere Evangelicos instantias & judicia ordinata per Articulos Regni constituta, coram quibus Gravamina exponenda essent: neque Gravamina tanti videri Catholicis & Aulæ, ut iis tempus in Comitiis extrahere operæ pretium sit, neque propter altercationes in causa Religionis, sed propter altioris indaginis negotia publicam indictam esse Diætam, neque vacare Aulam propter alia negotia.

37. Principiis obstandum.

XXXVII. Sane nullo non tempore parata habuissent Catholici eosdem prætextus & eadem effugia, & dum interea in istis instantiis, coram quibus persecutionum medela procurari juxta Articulos Regni debebat, sed nihil plane in favorem Religionis Evangelicæ, imo potius omnia in oppressionem ejus agebantur, non sine culpa Evangelicorum omnis Libertas & securitas Religionis brevi periisset, si illi ipsimet hæc principia vel semel tantum admisissent. Periit quidem proh dolor! aut tantum non periit illa securitas & Libertas Religionis etiam post illas protestationes Evangelicorum, sed non periit culpa ipsorum.

Judicia sine justitia.

XXXVIII. Eat nunc Evangelicus aliquis, aut tota aliqua Communitas ad Comitem vel Vice-Comitem, vel Judicem Nobilium vel Generalem Confiniorum & conqueratur de turbato Religionis suæ usu, de ademptis templis, expulsis Concionatoribus, aliisque super quibus juxta Regni Articulos promptissima Justitia, ab illis administrari debebat, annon torve adspicietur? Imo pro rebelli habebitur & mulctabitur ab illismet ipsis, qui Judices severissimi contra Turbatores esse juxta Articulos debebant, cum omnes illi nunc sint Catholici & multi inter eos persecutionis furorisque Cleri Satellites, imo tantum abest, ut Evangelici ab illis instantiis ullum auxilium sperare possint, ut potius ab illis aut per illas omnes persecutio, illorum procedat aut juvetur, & hinc illæ lachrymæ.

39. Gravamina distincta.

XXXIX. Recte etiam Ablegati Evangelici distinguebant gravamina privatorum à gravaminibus totius Status Evangelici, quæ posteriora omnino à Comitiis nullo modo excludi poterant. At vel maxime hoc inter alia erat gravamen totius Status Evangelici, quod in Judiciis Ordinariis nullæ querelæ in puncto Religionis admitterentur, aut non excuterentur, multo minus tollerentur, quid autem justius, quidque factu facilius fuisset, quam denuo hoc per Articulum novum injungere severe & pristinos Articulos, Pacificationes & Diplomata saltem serio confirmare?

40. Ablegatià Mandatis recedere non poterant.

XL. Considerandum etiam erat, quod Ablegatis ab instructione Principalium, nihil minus expectantium, quam Gravamina Religionis rejectum iri (quanquam dudum subolfecerant talia consilia agitari, eoque enixius Ablegatos in hunc casum instruxerant) recedere integrum non fuerit, & quod Reduces sine dubio male excepti & habiti à mandantibus fuissent, si terminos mandati strictioris excessissent.

41. Mucro à jugulo avertendus fuit.

XLI. Præprimis autem considerare oportet, quod Evangelici dudum jam præviderant & sciverant, Catholicos eo semper magno nisu allaborasse, & perpetuo laborare, ut impedirent Gravaminum Evangelicorum in Diætis publicis ventilationem eaque sub variis prætextibus rejicerent, quo in oppressione Religionis alacrius & minus impedite, progredi liceret. Mirum ergo videri nō debet, quod Evangelici tanto studio mucronem hunc, qui jugulum libertatis Religionis petebat, amoliti fuerint,

rint, & ipsorum Ablegati ad prævisum tantum malum averruncandum enixissime instructi, nihil intentatum reliquerint.

42. Imperatoris intentio qualis.

XLII. Augustissimi quidem Imperatoris hæc non fuit intentio. Absit enim, ut supponatur. Suam Majestatem Sacratissimam hujusmodi cuniculis & sophismatibus, tot Diplomatum, Articulorum, & Pacificationum præsidia suffodere voluisse, ut brevi post omnia corruerent.

43. Imperatori irascitur Evangelicis.

XLIII. Verum quanto minus Justissimus Imperator illarum, quæ sub istis Consiliis latebant, insidiarum conscius erat, tanto magis indignabatur, quod tanta cum animi obstinatione videret Ablegatos insistere, ut de Gravaminibus Religionis prius, quam de cœteris necessitatibus Regni tractaretur; ignorans igitur quis quantusque anguis in herba lateret, pro indigna contumacia & protervia habebat, quicquid ab Ablegatis tam enixe urgebatur.

44. Clerus summovet gravaminum excussionem.

XLIV. Clerus autem Hungaricus cum Clero Aulæ Imperatoriæ colludens, omnia ita præparaverat, & disposuerat, ut quicquid propositurì essent Ablegati Evangelici, in summum Eorum odium verteretur, & de cœtero omnia consilia & replicas Evangelicis reponendas adeo affabre suggerere callebant, ut scopum quo diu jam collimaverant, obtinuerint, hoc est, ut Gravamina Religionis in perpetuum à Comitiis eliminarentur, confisi, fore, ut hoc obtento, omnia repagula, quæ exterminium Religionis Evangelicæ hactenus continuo tentatum impediverant, rumperentur, & summa inde absolutaque licentia quasvis persecutiones impingendi, & exstirpationem Religionis Evangelicæ absolvendi amplissime suppeteret, quemadmodum etiam omnia hæc Cleri Consilia secreta ex Voto ejus cesserunt, postquam Comitia illa infausta pro Religione Evangelica finita essent, sicut ex sequentibus apparet.

45. Parallelismus inter Imperium Germanicum & Hungariam.

XLV. Meretur denuo hic inculcari parallelismus inter Imperium Romano Germanicum & Regnum Hungariæ, quoad gravamina Religionis Evangelicæ, aque in hoc quam in illo Pacificationibus & legibus publicis stabilitæ. Juxta Constitutiones Imperii quidem etiam æque ac in Hungaria omnium Statuum Judicia & vel maxime summa Imperii Dicasteria tenentur, querelis super persecutione & oppressione Religionis Evangelicæ omnibus modis prævenire & mederi.

46. In Comitiis Imperii gravamina Religionis excutiuntur.

XLVI. At ubi illud negligitur, Gravamina Religionis in Comitiis Imperii publicis quotidie tractantur. Neque tantum his in casibus, sed plurimis aliis de Religione in Comitiis agitur, nec modo Gravamina totius Religionis & omnium Statuum protestantium ibi discutiuntur, sed corpus Evangelicum sicut vocatur, etiam singulorum Evangelicorum Statuum, imo etiam non raro individuorum particularium Gravamina, si id ob consequentiam & præjudicium inde in universitatem resultans mereri videtur, sua & inde communem causam facit.

47. Interdum sepõnuntur.

XLVII. Accidit etiam subinde, quod Status Catholici vel Cæsarea Majestas conentur non nunquam persuadere Evangelicis, non esse de tempore circa Religionis Gravamina occupari, cum de Bello contra Imperii Hostes declarando & instruendo, vel aliis Imperii necessitatibus urgentissimis deliberandum sit, quod etiam nuper accidit.

48. Sed non prorsus rejiciuntur.

XLVIII. Sed modeste institerunt semper Evangelici, neque unum negligendum neque alterum intermittendum esse, & semper inventus est modus, quo utrumque simul tractari potuit.

49. Idem in Hungaria fieri posset.

XLIX. Idem in Hungaria & fieri deberet, & posset.

L. Desiderandum quidem est, ut Status Evangelicus in Hungaria suadendam moderationem prudentem Corporis Evangelici imitaretur & juxta Religionis suæ securitatem etiam super cœteris Regni necessitatibus in medium consulere non plane detrectaret.

50. & 51. Sed Voluntas tollendi gravamina deest.

LI. Sed optandum etiam esset, ut ex parte Aulæ Regiæ & Catholici Status in Hungaria, æquitas & seria voluntas emendandi Gravamina Religionis magis comprobaretur, neq; prævalentibus Consiliis Cleri, nimium Religioni Evangelicæ infensi, metus & suspicio imprimeretur Evangelicis, aut jam nimium impressus augeretur & obfirmaretur, quod de industria & destinato Consilio omnibus modis agatur de ipsorum exstirpatione, cum omnia rerum argumenta id illis nimium quantum hactenus persuaserint.

52. Gravamina A. 1662 haud levia.

LII. Gravamina, de quibus tot Libellis supplicibus Evangelici ante Comitia paulo ante dicta in Aula Cæsarea, & tandem in Comitiis ipsismet conque-

sti erant, non fuerunt adeo levis momenti, ut negligi potuisset.

53. Proposita quidem.

LIII. Franciscus enim Nadasdy Judex Curiæ Regiæ, inflammatus incentorum caterva, in inferiori Hungaria Evangelicos Pastores contra Diploma Regium quadraginta ejecerat, & Templa, quibus præfecti erant, occupaverat, atque illud quod Uyhelini ad Vagum erat, funditus everterat, debachatus etiam in corpora demortuorum, quæ in Templo sepulta, effodi, & comburi curaverat. Hunc sequuti erant plurimi proceres, Comites, Barones, Magnates Catholici, cum Patribus Jesuitis in suam Religionem zelosis, qui Templa plurima interceperunt, cum insigni persecutione Concionatorum illius Religionis. Nam alios facultatibus suis privarunt, alios de nocte cum militibus invaserunt, & captos carceribus manciparunt, aliis libros & Bibliothecas exusserunt, alios verberibus & scomatibus variis affecerunt, arbitrantes se gratū cultum præstare Deo. Exturbatis Pastoribus, occlusisque & ademtis Templis Evangelicos subditos carceribus incluserunt, donec Religionem suam ejurassent. Proventus Ecclesiasticos Ministris Evangelicis destinatos abalienarunt, & Clericis Catholicis assignarunt. Milites quoque & eorum officiales Cæsareæ Majestatis, in Comitatibus sæpius expeditionem tunc temporis in Transylvaniam facientes, instigati per Catholicos, libertatis & exercitii Religionis Evangelicæ jugulum petebant.

54. Non tamen emendata.

LIV. Meruissent certe tantæ violentiæ contra Articulos Regni aperte patratæ, ut in comitiis publicis novis severisque Articulis coercerentur, cum in ordinariis Judiciis tam diu surdis fabula narrata fuisset, neque ullum auxilium Juris ab Evangelicis, Justitiam articulis Regni propitiis implorantibus, obtineri potuisset.

55. Impunitas persecutores exacuit.

LV. Ast posteaquam Catholici finitis Comitiis vidissent, se impune ista omnia fecisse, miro incendebantur ardore persecutiones Evangelicorum non modo continuandi, sed & exasperandi, unde illæ magis magisque indies dirum in modum invaluerunt.

56. In Conventu Eperiesino & Neosoliensi nihil efficitur.

LVI. Anno quidem MDCLXVIII. Eperiesinum, & sequenti Neosolium mandato Regis conventus indicitur pro componendis Regni negotiis. Sed cum & in his Congregationibus id, quod sperabatur, non successisset, & multo minus Evangelicis levamen aliquod in gravaminibus suis allatum fuisset, post multas variasque contentiones, diffidia & altercationes, congregati re infecta discesserunt.

57. Evangelici Posonium citantur

LVII. Quapropter in eosdem decretum, ut propter contumaciam & conspirationem imputatam Posonium citarentur, facultates Eorum confiscarentur, & tanquam contumaces punirentur.

58. Franciscus Rakozi bellum movet.

LVIII. Posteaquam ergo vix per quinquennium Hungaria à bello Turcico requieverat, Franciscus Rakozi novam Civilium motuum facem accendit. Sed hic tumultus magis quam Bellum subito impetu Sporky in ipso ortu oppressus fuit. Tum demum Hungariam percursare milites Cæsarei, facultates Nobilium rapere, Proceres alios sedibus suis pellere, alios Posonium citare, alios Carceribus mancipare.

59. An. 1671. iterum coeperunt persecutiones.

LIX. Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Primo, Secundo, Tertio & sequentibus, Evangelicorum Templa fere omnia in superiori & inferiori Hungaria, per vim occupantur. Pastoribus Scholarumque Rectoribus & Studiosis Augustanæ & Helveticæ Professioni addictis sub specie Rebellionis dies Posonium dicitur: & qui subscribere Catholicorum placitis, (quæ in certas conditiones redacta Reversales dicebantur) nolebant, prius Carcerum squaloribus ultra Anni decursum excruciati, demum alii ad Triremes in Italiam, Neapolin ad mare Mediterraneum missi, alii Bucarini Carceribus fœdis mancipati; Qui vero postulatis Eorum annuerunt, pars in exilium in Germaniam aut Poloniam, sine ullo imposterum officiorum administratione (interposita prius pactione Reversalium) acti: pars ad stivam agrosque colendos in Patria obligati. Denique qui ejurata Religione pristina defecerant, præmium alii triginta alii quadraginta florenorum Rhenensium, aut functionem aliquam Ecclesiasticam vel Politicam acceperunt ab Archi-Episcopo Strigoniensi Solepzeni, præmiorum illorum diribitore.

60. Historia persecutionum ex libro edito.

LX. Quam dira & gravis fuerit illa persecutio Evangelicorum Reformatorum in Hungaria, quæ per integrum decennium illud ab Anno 1671. ad Annum usque 1681. æstuavit, dici vix potest, imo quæ vere dici de ea possunt, fidem superare videntur. Horret animus Christianus tantam truculentiam inter Christianos invicem exercitam recensere. At licet silentii sipario in-

involvere decennium hoc cruentum & Religioni Evangelicæ fatale mallemus, frustra tamen essemus, cum nimium jam tum ubique per totum Terrarum orbem innotuerit. Ne ergo opus hoc in hac temporis serie hiulcum relinquamus, & tamen odium à nobis avertamus, epitomen Historiæ persecutionis illius subjiciemus, quæ non à Nobis composita, sed dudum jam Typis excusa prostat & publici Juris facta est, quæque hic sequitur.

61. Liberum Religionis exercitium Georg. Barzoni oppugnat.

LXI. Postquam Clerus Romano Catholicus, Episcopi & Jesuitæ imprimis, Regnorum evertendorum archi tecti, constituissent Religionem Evangelicorū à Regno penitus eliminare, tot extantissima & expressissima illa liberi in Hungaria Religionis exercitii Decreta, *quo ut minus* sacrosancta manserint (quis crediderit) efficere non potuerunt. Neque id amplius dissimulare Clerus ipse potuit. Nam sub novissimæ persecutionis initia Anno 1671. prodüt Viennæ Classico Sacri Belli Scioppiano haud dissimilis libellus, de cujus reiterata in Comitiis Soproniensibus in populum sparsione Evangelici conquesti sunt die 24. Julii Anno 1681. & cum in manifestum præjudicium Autoritatis Regiæ Majestatis facta fuerit, ut articulariter tollatur, institerunt. Libellus iste sic inscriptus erat.

Veritas toti Mundo declarata, argumento triplici ostendens Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem non obligari tolerare in Hungaria Lutheranam & Calvinianam Sectam, quam Catholicæ Religionis zelo concinnavit. G. B. E. V. P. S. S. C. R. M. C. C. seu uti ænigma facile rerum hominumque gnari extricarunt, Georgius Barzon, Episcopus (titularis) Veradiensis, Præpositus Scepusiensis, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarius. Tractationi præmisit S. Augustini in illud Ps. 57. Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens, verba isthæc: „ Non nos terreant fra- „ tres, quidam fluvii qui dicuntur tor- „ rentes; Decurrit aqua, ad tempus „ perstrepit, mox cessabit. Diu stare „ non possunt. Multæ hæreses jam „ emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis „ suis quantum potuerunt; decurre- „ runt sicuti sunt vivi vix eorum memo- „ ria reperitur. „ Ita non tam zelo pro Catholica Religione, seu aris quam pro focis suis commotus, animum suum certa spe impleverat Clerus, fore scilicet brevi, ut Jesuitarum artibus Evangelica Religio ex toto Hungariæ Regno eliminata plorare cogatur. Quos vero ille tot Regiis edictis promissisque, omni exceptione majoribus concutiendis arietes admovit? Triplex scilicet argumentum ceu æs triplex circa pectus male munitum, quod ad incudem obiter vocatum, Authoris perfidiam prodet.

62. Ejus argumenta examinantur.

LXII. Primum igitur argumentum à tribus Pacificationis Viennensis conditionibus sub quibus liberum Religionis exercitium pactum est, Barzonius ille arcessit. Concessum scilicet illud esse, primo absque præjudicio Catholicæ Romanæ, quæ cum sit impossibilis, pro non adjecta habenda sit. Secundo, ut Clerus, Templa, & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera permaneant, quæ conditio violata ab iis sit, qui sub Bethlenio & Rakozio Templa, hominesque Pontificios violarint: Tertio, ut occupata disturbiorum illorum tempore restituantur, quod nunquam Evangelici præstiterint. Cujus argumenti vanitatem vel inde agnoscere licet, quod si conditio impossibilis pro non adjecta habetur, non idcirco pactum & promissio nutat, sed conditio ceu inutilis, salvo pacto rescindi debet: quod conditionem illam, ut libertas concedatur absque præjudicio Catholicæ Religionis, Imperator MATTHIAS statim ita interpretatus est, ut aperte negaverit ad avertendam libertatem Religionis trahendam esse: quod non obstantibus iis, quæ sub Bethlenio & Rakozio acta sunt, deinceps etiam Regiis Pacificationibus & Diplomatibus Religionis libertas confirmata & obsignata est: quod, si qui à Clero Pontificio graviter irritati, defensionis modum ante hac excesserunt, innocentes id luere non debuerint, cum noxa sequatur caput: quod denique pacta restitutio eorum, quæ disturbiorum tempore occupata sunt, non ad restitutionem Templorum pridem possessorum, sed eorum, quæ ad Regem forsitan Hungariæ pertinentia à Stephano Botzkaio occupata sunt, obstrinxerit. Neque plus candoris vel soliditatis habet secundum argumentum, inde petitum, quod Articuli, quibus libertas Religionis promittitur, non sint conditi consensu & unanimi voto Statuum quatuor Regni, puta, Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, utpote ad quos antiquo Jure pertinuerit, Rege consentiente & confirmante, leges condere. Contra

tra dixisse enim Prælatos omnes, Barones, Magnates & Nobiles Pontificios: Cum igitur durabile violentum nullum sit, articulos illos abolendos merito esse. Quod argumentum ad summam Regum Hungariæ, Imperatorum & Regum RUDOLPHI II, MATTHIÆ, FERDINANDI II. III. & LEOPOLDI, quorum consensu, authoritate, & fidei juramento obstricto, articuli confirmati receptique sunt, ignominiam pertinet. Quasi non illis æque ac infulato huic Titulari Episcopo Hungariæ jura cognita fuerint, vel adversus eadem Jura ea in re prævaricati fuerint. De cœtero constat satis; quemadmodum Negotium hoc in Pacificatione saltem Lintzensi Anno MDCXLV. conclusa, & Georgio Rackozio exhibita, gestum fuerit. Ex primo Ordinis Ecclesiastici Statu contradixerat omnino Archi-Episcopus Strigoniensis, Georgius Lippai eique Seculares nonnulli, Ladislaus Czakius, Franciscus Revai & Franciscus Balassus astipulati sunt. At contradicenti fortissime Comes Paulus Palfy, Curiæ Regiæ Judex, cœterique non Evangelici duntaxat, sed Pontificii etiam Proceres reclamârunt. Deinceps post gravissimas cum Clero contentiones, Status Evangelici in eo esse cœperunt, ut per Georgium Barma ad Regem tota causa devolveretur. Tum igitur Archi-Episcopus eique adhærentes nonnulli alii Evangelicorum Statuum Supplicationem ad Regem impediverunt, ante verteruntque ejusmodi responso: Ne „ fortissimum hoc Antemurale Christiani Orbis cum universa ruina in „ manus Turcarum perveniret facileque universam nationem deleri contingeret, ad ea evitanda primum in „ Anno MDCVI. Pacificationis Viennensis Articulo I. libertatem Religionis concedi oportuit; quæ quidem concessio prius tantum Statibus & Ordinibus, Oppidis item privilegiatis & Militibus facta in Anno „ MDCVIII. ad Villas quoque & oppida extensa fuit. Porro eædem „ concessiones Anno MDCXVIII. „ ampliatæ, postmodum vero Anno „ MDCXXII. Articulo 6. Diplomati „ Regio insertæ fuerunt, ac deinceps „ quibusvis fere Comitiis addito Articulo confirmatæ. Quibus non agnoscunt Catholici sese contravenisse, aut occasionem turbandæ quietis pacisque publicæ exhibuisse, neque concessiones semel factas extinguere aut abolere conatos, quin „ potius Articulis, præsertim Pacificationis Viennensis, quæ fundamentum est ac robur totius Status admissæ Religionis, præmissis Articulis atque adeo præsentis Diplomatis Art. „ I. sese accommodare studuerunt. „ Sic Diploma Tractatus Lintzensis à Statibus Regni universis cum solenni hac clausula; *Contradictionibus Cleri, aliorumque Secularium non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus*, consentiente Rege rati habitum Articulisque Anni MDCXLVII insertum est. Quod si Autor ille in manifesta luce adhuc dum cæcutit, Pacificationis Viennensis ab universis Statibus Ecclesiasticis & Politicis subscriptæ, clausulam quæ sic sonat: *Nos itaque subscripti nunc invicem concordati nomine omnium Statuū & Ordinum inclyti Regni Hungariæ, & partium sibi annexarum libere & spontanee, animoque bene deliberato spondemus, promittimus & recipimus &c.* expendat, & perfidiæ suæ tela amandata agnoscat. Tertium argumentum manifestam Authoris ejusdem fraudem propalat. Inde enim petitum est, quod si omnino tolerandi Evangelici in Hungaria essent, Calvinistæ tolerandi forent, quatenus Confessionem Helveticam; Lutherani vero, quatenus Augustanam profitentur: Atqui & Calvinistas ab Helvetica, & Lutheranos ab Augustana Confessione desciviſse; Et Calvinistas quidem ab Helvetica, quia cum hæc cap. XI. profiteatur, se comprehensa Symbolis ac sententiis quatuor primarum & præstantissimarum Synodorum, celebratarum Nicææ, Constantinopoli, Ephesi, & Chalcedone corde sincero credere, illi contra pertendant Primo; Bigamum Clericum esse posse, quod Nicænam Synodum vetuisse, Justinianus Novell. 123. C. 1. 12. 14. & Ambrosius Epistola 82. testentur; Secundo, Episcopum Romanum non esse Principem omnium Patriarcharum, quod ipsum tamen Concilium Nicænum canone 39. ex Arabico per Pisanum converso, nec non Chalcedonensis Concilii Patres Act. 3. in relatione Concilii definiverint: Tertio negant, Sacerdotem in Eucharistia offerre Corpus Christi, quod ipsum quoque Canone 16. Concilii Nicæni definitum sit. Quarto, Orationes pro mortuis Canone 65. Arabico probatas rejiciant. Quinto, Episcopi Romani in Conciliis præsidentiam in Concilio Ephesino tamen exemplo

emplo confirmatam improbent: Sexto denique Monachatum Concilii Chalcedonensis Art. 14. Can. 16. stabilitum damnent: Sed & Lutheranos defecisse ab Augustana Confessione, inde comprobat, quod ipsi præfatione libri Concordiæ eam variatam posteriorem rejiciant; contra invariatam autem profiteantur: Primo contra Articulum 10. Christum in Cœna Domini non esse sub speciebus panis & vini, Secundo, contra Art. 21. Missam abolendam esse; Tertio contra Articulum I. Episcopos Controversiarum non esse Judices. Longæ sunt ambages, injuriæ vero, fraudesque longissimæ? Taceo, quod Diplomata, quibus liberum Religionis exercitium Evangelicis in Hungaria conceditur, Helveticæ & Augustanæ Confessionis ne uno quidem apice meminerint, nedum Evangelicos ad alterutram restrinxerint. Qua vero fide scripsit Barzonius, Helveticam Confessionem Cap. XI. comprehensa Symbolis ac sententiis quatuor primarum & præstantissimarum Synodorum simpliciter scilicet & in universum recepisse cum tamen Verba Confessionis non de quibuslibet Synodorum illarum sententiis, sed de iis duntaxat, quæ de incarnationis Domini nostri Jesu Christi mysterio loquuntur, id pronunciaverit. Quid vero ad mysterium illud sententiæ ex Conciliis à Barzonio citatæ? Ita notoriæ fraudis coram toto Orbe ille reus est. Quid quod simili etiam fraude non ex veris & genuinis, sed suppositiis Arabicis imprimis Concilii Nicæni, nec à Gelasio, nec à Justello, nec à Petro de Marca, nec à quoquam Antiquitatum Ecclesiasticarum perito agnitis, sed à Melchitis & Nestorianis uti Doctissimus Beveregius Annotat. in Conc. Canones pag. 212. probat, confictis canonibus, sententiarum suarum quisquilias collegit: quod insuper Novellam 123. citat. quæ Concilii Nicæni ne quidem meminit, Imperatori Justiniano affingens quod ex glossa, nescio qua arripuit: Atque etiam Canonibus Concilii Ephesini supponit id, quod de Concilio forte Impostor aliquis scripsit. Par ratio eorum est, quæ Lutheranis objicit, utpote qui invariatæ Confessioni adhærentes vel Art. 10. per species nuda accidentia designari: vel Missæ nomine sacrificium incruentum venire: vel Episcopis in Confessione infallibile, & supremum controversiarum potius, quam ministeriale judicium tribui, constanter, meritoque hactenus negarunt. Annon igitur in re seria gravisque momenti publici impostoris notam personatus ille autor meruerit, periti rerum judicent. (Gratum lectori fore confidimus, quod integros Tractatus olim typis evulgatos in Appendice Sub Lit. D. & E. adjunxerimus. Primus Sub Lit. D. est Classicum illud belli sacri à Barzonio sub rubro: *Veritas toti mundo declarata*: editum. Alter sub Lit. E. est Refutatio illius Classici, quem non nemo sub rubro: *Falsitas veritatis toti mundo declaratæ*, tum temporis ediderat, quem posteriorem si quis sine affectu legerit, solidum & pro refutatione prioris sufficientem, in quantum hoc à tanta brevitate, qua continetur, expectari potest, deprehendet.)

LXIII. Sicut vero Barzonius ille Hungaricarum Ecclesiarum privilegia testatissima in aperta luce, futilissimis ratiunculis, perfidiæ horrendæ certissimis testibus, oppugnare non dubitavit; Ita nunquam non Clerus in Hungaria Pontificius eo consilia sua apud Principes cœtera optimos direxit, ut Transactiones universæ verbis speciosæ, re inanes deprehenderentur. Hinc adeo Pacis Anni MDCVI. conditiones Botskajo paciscente initæ, mox ita violatæ & impune fractæ sunt, ut Anno MDCXVIII. magno labore easdem redintegrare necessum fuerit. Redintegratas denuo ita Pontificius Clerus lacessivit, infinitis modis temeravitque ut Anno MDCXLVII. ingenti labore restituere, nonaginta Templis, quæ vi erepta fuerant, recuperatis, opus fuerit. Quanto igitur sanguine Hungaris Evangelica libertas constiterit, judicabunt, quibus res gestæ obiter compertæ sunt. Verum neque sic alma Pax & libertas Ecclesiæ Evangelicæ in tuto navigavit. Denuo quippe eversis, quæ Pacificatio reddiderat, Templis, apertæ persecutiones ubique per Dominos Terrestres, quos adversus publica pacta consurgentes coerceri par erat, grassari cœperunt. Comes Franciscus Nadasti, Divinæ mox vindictæ virgulam passus, in Comitatu Castriferrei, Sopronienſi, Nitrienſi ferro flammaque cuncta miscere: Alter Paulus Esterhazius à Pontifice Romano, nuptias cum fratris filia incestas indulgente, ad persequendos Evangelicos voto obstrictus, in Comitatibus Vesprimiensi, Posoniensi, nec non districtu Lacus Tarto, adversus Evangelicos carceribus proscriptionibus diris, suppliciis sævire. Testes

63. Cleri machinationes.

Nadasti & Esterhasi persecutores novi.

stes hodieque sunt ecclesiæ olim florentissimæ Gapensis, Szencziensis, Cheitensis Chepriginensis (quæ multorũ fideliũ in ipsis Templi penetralibus internecionem aliorum ex turri præcipitationẽ perpessa est) innumeræque aliæ. Secuti Archi-Episcopi & Episcopi in suis quique ditionibus, in insula præsertim Challokoez, Schütt dicta, in cœteris etiam locis Barones, Nobilesque ad summam crudelitatem nil facere reliqui.

64. Clerus militari brachio succinctus. LXIV. Immunes tamen hactenus Regiæ liberæque Civitates, à solo Rege dependentes, manserant. Inventa tamen easdem infestandi ratio est, quãdo occasione quorundam Procerum Pontificiorum, Nadasti, Serini, Frangipani, aliorum, Francisco Rakozio adhærentium, quorum privata studia eo proterviæ delapsa sunt, ut armis Regiam Majestatem impetere non dubitaverint Anno MDCLXX. Miles Austriacus in Hungariam introductus victricia ubique fere arma circumtulit. Tum enim Archi-Episcopi, Episcopi & Jesuitæ, in turbido piscaturi, Militis illius opera ubique fere Templa occupare, Verbi Divini Ministros Evangelicos & Reformatos alios expellere, alios in carceres compingere, alios trucidare: plebes vi & mulctis ad amplectendas Ceremonias Pontificias cogere, Nobilibus aliisque Evangelicis milites obtrudere, tributa imponere, atque his pluribusque violentiæ contra jus & fas attentatæ modis, fractos partibus suis adjungere ausi, Evangelicæ Religionis in Regno isthoc exterminium moliti sunt. Militari brachio succincti Georgius Szecheny Setzeni Archi-Episcopus Colozensis, Jaurino Comaromio, Ovvarino, universaque Regione circumjacente: Leopoldus à Colonitsch Episcopus Neostadiensis, Posonio: Johannes Pangraz, Episcopus Vaciensis, Tirnavia: alii Patakino, Rivalino Tokojo, Berenzino Modino Talyaino, Tarzalino, Lizkaino Bopsino, Unguarino, Berexazino Chremnitio, Neosolio, Eperiesino, Regiomonto &c. imo ex totius fere Hungariæ superioris & inferioris omnibus fere oppidis & villis, Verbi Divini Ministros, aliis supplicio mortis affectis, aliis carcerum squalore maceratis, aliis in tristissimum exilium abactis, exegerunt. Adversus Szenizenses Pakovienses & Turalukenses diris modis sævitum, & post occisos plurimos, nonnullos etiam ad Templi valvas suspensos, Civitates ipsæ igni incensæ tantum non solo adæquatæ sunt. Ecclesiæ Reformatæ Ecclensis Pastor Johannes Baki, una cum vidua Laurentii Surii, Ecclesiæ quondam Comariensis Ministri, ille vivi comburio, hæc gladio Comarini vitam finierunt. Taceo innumeros hinc inde Cassoviæ imprimis & Posonii, ex omni hominum statu, ætate, sexu, diversis fatis ad novissima supplicia raptos, exilio ve mulctatos, quos inter Comes etiam Stephanus Cotskai, inclytorum Hungariæ Magnatum nobilissima propago & gente & mente inclytus, Claudiopoli in exilio mortem oppetiit.

LXV. Ne vero Juris quodam prætextu calidissima callidissimaque evertendæ Religionis consilia destituerentur, Posonii extraordinarium Tribunal Judicibus constans partim Ecclesiasticis, partim politicis Pontificiis, & furatis Evangelicorum hostibus omnibus, erigere atque eo, ad dicendam objectæ miro astu perduellionis causam, spectatissimos quosque citare placuit. 65. Tribunal Posoniense rebellionis prætextu Evangelicos Magnates plures evertit. Initium factum est ab ovibus, Politicis Magnatibus, aliisque quos facilius ad mutationem Religionis adigi posse, persuasum habuere. Qui innocentiæ suæ confisi vadimonium prompte obiverunt, illi plerique etiam non convicti, in carceres abrepti, arrestis detenti, impensis gravissimis exhausti ad mutandam denique Religionem, libertate promissa invitati pellectique sunt. Quorum adversus religionis mutationem pectora satis munita deprehenderunt, iis prætextu fidelitatis obligandæ, oblati sunt libelli (reversionales dicti) quibus subsignatis protectionem Pastorum suorum ejurarent, promitterentque non impedituros se, quo minus Catholici Plebani Templa occupare, & Pontificia iis sacra inferre possent, donec scilicet accedente, illuminatione Spiritus Sancti & ipsi meliora edocti, abdicata hæresi sua, Pontificias Ceremonias amplecterentur. Ita Magnates, Nobiles, Plebeij coram Phalaridis Tauro illo comparentes innumeri, pars in carceribus, aliisque modis vita orbati, pars horrendum in modum exagitati divexatique, pars denique carnis imbecillitate subacti, fidei professionem mutarunt.

LXVI. Sed gravior & flagrantior vis incubuit Ecclesiarum Pastoribus, in quorum, in irruptione stantium, salute cardinem verti incolumitatis, tot Ecclesiarum Evangelicarum persecutores non ignoraverant, qui proinde Rebellium 66. Pastores ad tribunalia rapiuntur.

lium investigandorum prætextu Judiciorum extraordinariorum facultatem nullo negotio impetrarunt. Tria igitur ejusmodi judicia constituere placuit, unum Tirnaviæ, cui se Posonienses: duo Posoniæ, quibus se reliqui per Hungariam Ministri sisterent: Neque tamen primo statim cœtu cunctos citare è re visum sed paucos duntaxat, eosque Augustanæ Confessioni addictos, ut ex paucorum successu, quid de reliquis spei affulgeat, periculum facere integrum foret. Cumque firmum ratumque habuerint, Rebellionis objectæ prætextu Religionem universam abolere, mortis metu Libellos subsignandos obtrudere, extremis viribus conati sunt. Summa libellorum capita erant: ut Ministri Evangelici utriusque Confessionis, Scholarum Rectores, Cantores, Studiosi & æditui (I.) aut Ministerium omne sive Ecclesiasticum, sive Scholasticum, ad evitandum sententias Judiciales, sibi propter objectum Rebellionis crimen imminentes, propria subscriptione sigillo munita penitus abdicent, neque partem ullam sive clam sive palam exercere amplius sustineant, ac de cœtero ceu fideles Regis subditi vitam quietā pacificāq; in Regno trāsigant, capitis supplicio turbantibus vel levissime indicto (II.) aut spontaneum exilium, ceu rei mortis, suscipiant, obligata Libello, propria manu subscripto sigilloque munito, fide, quod nunquam in Patriam reversuri, neque etiam vel Hæreditarias Regis Provincias, vel Imperiales, nedum hostiles ditiones adituri sint (III.) Aut, quod præ cæteris gratum sibi acceptumque futurum sit, Religionem Romanam Catholicam amplectantur. Et priora quidem duo palam in Judiciis urgebantur, Tertium vero ceu prora puppisque consiliorum omnium primario intentum fuit.

Libellisque præscriptis subscribere coguntur.

67. Citatio prima terret pastores quosdam.

LXVII. Ita prima dies paucis non nullis 25. Sept. Anni MDCLXXIII. dicta qua se Posonii sisterent delegatis Judicibus, impacti atrocissimi criminis causam dicturi. Comparent fratres tringinta duo Augustanæ, & unicus Carponensis Ecclesiæ Minister Helveticæ Confessioni addictus, haud postremi nominis plerique. His à Fisco Regio & Archi-Episcopo Strigoniensi Georgio Szelepzeni mira arte industriaque præmonitis mature consulitur, ne sententiam mortis contra se pronuntiandam operiri; quam saluti suæ Libellis exhibitis consulere malint. Ita mortis metu, citatis, ast inauditis, indefensisque indictæ perculsi, neque satis Libellorum virus expendentes, nimia certe in primo isthoc ferocissimoque impetu infirmitate carnis, pars Ecclesiastico Scholasticoque munere omni juxta præscriptam Libelli formam sese abdicant: pars licet rebellionis rei nullo modo peracti, reatum tamen falso confessi, exilium eligunt: unus etiam Religionem suam ejerat.

68. Citatio secunda universalis est.

LXVIII. Cum non male se dedisse Citationis initia hostes animadvertissent, & plures jam metu potius, quam criminis ullius conscientia victi, Libellos obtulissent, instante Fisco Regio, Nicolao Mailath*, ad universalem omnium reliquorum per totam Hungariam, etiam tributariam Ecclesiæ Scholæque Ministrorum, quorundam etiam ante ex Ecclesiis suis exturbatorum, nec non Cantorum, Studiosorum, ædituorum, in mensem Februarium Anni sequentis MDCLXXIV. processum est. Citatoriæ Literæ Georgii Szelepzeni, Archi-Episcopi Strigoniensis, ceu vicariam Regis in Hungariæ Regno potestatem, defuncto pridem Regni Palatino, ordinibus invitis obtinentis, manu subscriptæ sigilloque munitæ fuerant. Citati alii quidem in tributariis maxime Regni partibus à superioribus suis comparere diserte prohibiti sunt, alii adversas fraudes sæpius experti, atque etiamnum subodorati, nondum forte ita periclitantibus Ecclesiis suis, fuga occultationeque saluti suæ consuluerunt: alii Deo & causæ confisi, non obstante Judicii forma plane suspecta utpote quę non tam convincendis puniendisque maligne intentati criminis reis, quam evertendæ tot Ecclesiarum libertati, aucupandoq; tot violentiis prætextui inserviebat, Posonii coram Judice infensissimo se sistere statuerunt, partim quod sub fictitio prætextu causam Religionis verti penitius cognovissent, quam ab universis deseri Deo contumeliosum rebantur merito; partim quod instans à Catholicis jamjam subrepere paratis, gravissimum Ecclesiarum periculum id efflagitasset; partim ut toti mundo constaret de innocentia Pastorum, qui capitalis criminis accusati, si non comparuissent, gravem haud dubie patrati suspicionem incurrissent; partim, quod obedientiam Magistratui testificandam censuissent; partim denique quod consiliis, precibus, obtestationibus Ecclesiarum prudentiorumque Judiciis se ad comparendum urgeri intellexissent. Memoratu haud indignum est, quod procedente

ea Citatione Georgius Getseni ab Aulæ familiaribus interrogatus, quid sibi tot Pastorum de quorum innocentia constet omnibus, citatio vellet? respondit: Funiculum Evangelicis Hungaris texuimus, quem si collo eorum implicare poterimus, nunquam se deinceps in pedes eorundem Religio eriget. Si vero id non effecerimus, Nobis, non Vobis inutilē molestiā facessiverimus.

69. Numerus comparentium utriusque Confessionis. LXIX. Comparuerunt igitur secunda citatione isthac non exiguo numero Pastores, aliique Ecclesiarum & Scholarum Ministri, ultra ducentos quinquaginta quorū pleriq; August. Conf. quinquaginta septem vero Reformatæ addicti fuerunt. Actionis totius series exponitur. Singulorum illorum actiones, diversa fata, exitusque describere, Accusationis Capita. institutæ tractationis brevitas haud patitur. Summa tamen Capita, quando res est omnis posteritatis memoria dignissima, obiter ut delibem, ante omnia ad Tribunal, seu Excelsam, uti vocabant, Sedem provocatis ex tanto numero, sex tantum (ex quorum ore reliquos omnes, atque eos etiam, quorum ipsi nomina ignoraverant, & plerosque etiam adeo locis dissitos, ut se invicem pauci noverint, judicare statuerant) per Fiscum Regium actio ejusmodi intentatur, quod scilicet postposito Dei Hominumque timore, totum Hungariæ Statum Romano-Catholicum ipsumque adeo Regem Idololatriæ insimulare, contra Beatam Virginem Mariam, Sanctos demortuos, eorumque & Christi imagines pro concionibus ad populum habitis gravissime debachari, Venerabile Sacramentum conculcare, sceleratis rebellibus Suæ Majestatis hostibus, consensu, ope & commeatu succurrere, eorum adventu gaudere, Turcis ad occupandum Hungariæ Regnum viam aperire non reformidassent, criminisque adeo læsæ Divinæ & humanæ Majestatis, capitisque & Bonorum omnium amittendorum reos se fecissent. Hic reorum quisque pro se pertendere, ut accusatio, quoad ea, quæ Religioni Evangelicæ in reliquo Orbe Christiano receptæ communia non sunt, homines notet, crimina argumento probet, testibus confirmet. Palam enim ex accusationis plerisque Capitibus fieri, non tam rebellionem cujus causa citati sint, Actoris Judicumque Strophæ. spectari, quam Religionem peti. Longum vero esset Actoris & Judicum adversus reos defendentes se mascule, in obtrudendis procuratoribus, ferendis præjudiciis, declinando legitimæ probationis onere, suadendo, per subornatos Forgatsium, aliosque ante latam sententiam, ad evitandum supplicium, quod effugituri nunquam sint, subscriptione Libellorum & spontanei exilii, traditionisque Basilicarum electione, strophas pertexere. Certe ficto immanis criminis perduellionis adversus Regem prætextu, causam Christi & Evangelii ejus oppugnatam esse argumenta plane palpabilia arguunt, veluti quod jam ante sine ullo Rebellionis prætextu plures Ecclesiis suis moti sunt: quod ne unius quidem Pastoris comparentis Rebellio idoneo sive teste unico sive testimonio probari potuit: quod Pastorum Evangelicorum, siquidem Rebellionis complices fuissent, vitæ Judices Pontificii non magis utique, quam Magnatibus Pontificiis parcituri, neque rei scelus adeo horrendum Regi Regnoque perniciosissimum, exilio vel muneris abdicatione spontanea luituri fuerint: quod Pontificii saniores in Hungaria, nominatim etiam Forgatsius Præses Judicii & Zitzius, ejusdem Assessor, innocentiæ Eorum quoad rebellionem testimonium perhibuerunt, non aliud, quam contumaciam in subsignandis Libellis iisdem exprobrantes, & solam hanc carcerum vexationumque causam allegantes, quod Rex Hungariam universam ad unitatem fidei reducere, & hæreseos pestem extirpare statuerit: quod jam ante Barzonius edito libello Cleri Hungarici propositum aperuerit, priusquam in ministris ullam rebellionis noxam, vel ejusdem speciem invenire hostes potuere, quod Judices Delegati omnes Pontificii, partium studio ducti, Romanoque Pontifici singulariter obnoxii fuerunt. Qui enim aderant Politici, Pontificii erant omnes, Cleri præsentis mancipia, ne hiscere quidem adversus Purpuratos ausi. Forgatsius certe Rima-Szombathensibus, pro Pastoribus suis intercedentibus, sic respondit: Nolite per Deum me molestare, quia, sic me Deus adjuvet ne ipse quidem securus sum, si vel hiscam, rebellem me dicent, & in carcerem abripient. Igitur Boni Pastores subscribant, & vias suas abeant. Ecclesiastici vero erant Archi-Episcopus Szelepzenius nec non Episcopi Hungariæ præcipui *qui Romano Pontifici æque ac alii Episcopi juxta Pontificale Romanum Pii V. sic inter alia conceptis verbis jurarunt: Hæreticos etiam omnesque rebelles Pontifici, extreme me persecuturum ac infestaturum, juro.* Denique non rebellionem, sed Religionem cri-mini

Perduellionis culpæ diluitur.

mini à Judicibus datam esse, clarissime indicat istud consiliorum omnium principium & finis, subscriptio scilicet Libellorum, quibus se tradituros Ecclesias vel exulaturos reciperent. Quibus aliisque etiam argumentis prægnantissimis fretus illustris Præpotentium unitarum in Belgio Provinciarum ad Aulam Cæsaream Legatus, Gerhardus Hammel Bruininx, libello Earundem Provinciarum nomine Cæsareæ Majestati Anno MDCLXXV. „ Oblato, „ inter alia demonstravit, Posoniensis „ Judicii Processum non Rebellionis, „ sed Religionis Evangelicæ persequendæ causa institutum fuisse, atque sub- & obreptionibus optimum „ falli principem, non convictos verum „ innocentes esse Prædicantes Evangelicos quotquot A. MDCLXXIV. „ ad purgandam, tuendamque innocentiam citationi parendo in Posoniensi Judicio comparuerunt. ac proinde iniquissime ad Reversalium subscriptionem Prædicantes urgeri. Neque aliam ob causam in Comitiis Soproniensibus à 28. May ad 23. Decembris Anni MDCLXXXI. celebratis, Judicia illa extraordinaria, adversus Evangelicarum Ecclesiarum Ministros inde ab Anno MDCLXX. Tirnaviæ & Posonii celebrata, à Statibus Regni revocata, libellique etiam, quos Reversionales nuncupant, in iisdem Judiciis extorti, perpetua oblivione deleti sunt.

70. Accusati innocentes damnantur LXX. Adversus innocentes Pastores & inauditos etiam plerosque, post libellos diu satis, mira minarum promissionumque (nam subscripturis in exilium singulis à Colonitzio ex Hungarica Camera quinquaginta floreni viatici loco promissi sunt) mixtura, frustra obtrusos, feralis sententia mortis diro carmine die 4. Aprilis A. MDCLXXIV. & triduo post eadem adversus Rectores scholarum lata, & à damnatis omnibus imperterrito lætoque animo, paratis hactenus propter Christum vita fortunisque omnibus exui, excepta est. Atque utinam, qui tanto animi præsentissimi robore sententiam mortis exceperunt, omnes temporis mora à Judicibus de industria eum in finem delecta, constantiam suam frangi, seque metu mortis paulatim præcordia subeunte, ad Judicum nutum inflecti passi non fuissent! Gloriosius certe de hostibus suis triumphassent omnes. Sed en Judicum, consiliis suis de evertenda Religione unice insistentium, technas! Post sententiam mortis latam Regius procurator ab Archi-Episcopo delegato Judice demum submonitus, ab Excelsa sede impetrat, ut damnatos ad Tempus executionis usque carceribus mancipare liceat. Cumque neque hoc terrore damnati moverentur quicquam, in liberam laxamque custodiam, ex qua non invitis Judicibus quisque, dummodo Christi causam prodere animus esset, fugam capessere poterat, traditi, in eadem omnes (exceptis Papensi, Filekiensi, Vesprimiensi, Levensique Pastoribus Præsidiariis Reformatis, ad terrendos cœteros die 5. May, adeoque quinta demum à damnatione Hebdomada, ferro apud Domum Leopoldi Collonizii vinctis, & in arcem Posoniensem abductis) octo Hebdomadas integras exegerant. Et in libera custodia, paucis exceptis detinentur. Quo temporis intervallo exquisitissimas quasque artes denuo Judices ipsi, imprimis Archi-Episcopus Szelepzenius, & Collonitschius, convertendis, uti ajebant, & ad subscriptionem Libellorum, quam solam redimendæ vitæ & pretii etiam impetrandi conditionem præfigebant, subigendis explicuerant. Variis artibus ad subscriptionem Libellorum pellecti. Modo ex libera custodia excedere, & fugam arripere jussi: modo verberibus ad sanguinem usque, ipsius etiam Colonitschii manu, cæsi, modo novis inquisitionibus vexati: modo triremium proposito metu ad facienda desiderata invitati sunt. Forti animo tentationes omnes superarunt hactenus. Ad extremum die 25. May Fratres Augustanos à Reformatis separari, & illos quidem ad Aulam Archi-Episcopalem sevocari placuit. Hoc demum artificio non nihil persecutores efficiunt. Nam separatis ita Augustanis ab Archi-Episcopo, Colonitschio & Hoffkirchero, nullum non ad labefactandam eorum constantiam lapidem moventibus, optio tandem datur, vel subscribendi, sive ad abdicationem muneris spontaneam, sive ad exilium, sive ad amplectenda Pontificia Sacra libellis, vel carceres subeundi. Subscribentibus Fratribus Augustanis non paucis. Subscriptionem eligunt non pauci, carnis infirmitate victi: carceres reliqui numero quadraginta sex una cum duobus Reformatis, qui eventum speculaturi Augustanis se miscuerunt. Illi singuli cum mercede quinquaginta florenorum dimissi: hi in carceres ablegati, inde post horas aliquot protracti & circa tertiam ejus diei alii novibus in Danubio, alii curribus impositi, ex urbe suburbiisque in diversa Regni Fortalitia vecti: novendecim, qui- Reliqui in Carceres varios distribuuntur

bus Reformatus unus acceſſit, Comarinum: octo Sarvvarinum: octo Berentſchinum: octodecim, quibus itidem Reformatus unus acceſſit, Leopoldopolin deportati, ferro conſtricti omnes, & fœdiſſimis carceribus incluſi ſunt. Et poſtremis quidem octodecim additus lictor una cum reſtibus, proxime patibulum in campo ſuſpendium minatus, nihil terrore iſthoc apud obfirmatos, & pro Chriſto mortem quamvis oppetere, ratos promovit. Qui Poſonii ſupererant Reformati, ſeparatorum à ſe Fratrum aliorum quidem inconſtantiam ſummo cum dolore, aliorum vero conſtantiam pari cum lætitia ſpectantes ſe Deo devovebant totos, eadem gratia præclarum agonem ad ultimum Spiritum uſque certaturi. Vocatis igitur ad eandem Archi-Epiſcopi aulam, Thomæ Palfy, Epiſcopi Nitrienſis, Aulæ Regiæ Cancellarii Epiſtola prælegitur, cujus ſumma erat, Majeſtatis Regiæ de Prædicantibus contumacibus, eo quod Poſonii conventicula celebrent, & forte etiam Sacramenta adminiſtrent, atque adverſus tot Epiſcoporum monita præfactum obſtinatumque animum prodant, (en Decreti cauſas) ultimam ſententiam eſſe, ut in varia fortalitia diſtributi mortificentur, Tum Archi-Epiſcopus ſimulata de Colonitſchii, quem rufi militis convitio aſpergere ſolebat, crudelitate, & ſanguinariis, quæ continue adverſus Paſtores agitet, conſiliis, querimonia eoſdem demulcens, iterum iterumque ſubſcriptionem ſuadet, ceu remedium unicum, quo non tam ſuo, quam efferato Colonitſchii animo ſatis fieri, ejuſque Tyrannica libido reprimi poſſit. Sed obſurduerant pridem ad Sirenes haſce caſtiſſimæ Servorum Chriſti aures. Denuo igitur iiſdem, qui ſupra, in Archi-Epiſcopi Aula coactis, Colonitſchius, Hoffkircherus, Lapſankius, una cum Archi-Epiſcopo diriſſima quæque interminati, inter alia, *Regiæ Majeſtati ſtare ſententiam immotam, atque à ſe nunc Ejus nomine promulgari, ne liberum Religionis Evangelicæ exercitium in Hungaria amplius exerceatur*, aſſerunt. Excipientibus Paſtoribus, ſe non intelligere quemadmodum Rex nondum à Sacramento Juramenti, quod Regni Statibus præſtiterit, ſolutus, ſententiam ejuſmodi per Miniſtros ſuos promulgare voluerit, iracundi, non hic locum eſſe diſputandi regerunt, ſine mora Miniſtris quadraginta & uni, Reformatis omnibus (reliqui enim ſedecim ex numero univerſo quinquaginta ſeptem, Poſonii comparentium, partim jam in carceres detruſi erant, partim mature ante latam ſententiam, non ſubſcriptis libellis ullis, ſe ſubducentes, ad Eccleſias ſuas, defenſi à terreſtribus Dominis redierant, duobus duntaxat ex omni Reformatorum Choro, Paſtore uno, & Ludi Magiſtro altero, à terreſtri ſuo Domino, Judicii aſſeſſore, ad muneris ſui abdicationem ſeductis) in vincula raptis ob nuntiatum, ad triremes illis eundum, ubi ſenes etiam addiſcere linguam Italicam debeant, futurumque ſit, ut lac etiam maternum illis amareſcat; Archi-Epiſcopo ipſo animam ſuam Diabolis diſcerpendam devovente, ſi ulli etiam Religionis mutationem poſt hac promiſſuro, unquam liberatio inde obtigerit. Ex eo tempore non amplius ſubſcriptio Libellorum, ſed mutatio Religionis unice urgebatur. Et ex carcere producti eodem die viginti, curribus tectis impoſiti proſequentibus furioſis militibus alio deportati ſunt; Sarvvarinum ſeptem, Kapuvvarinum totidem, Eberhardinum Caſtellum ſex, ubi catenis oneroſiſſimis conſtricti, in carceresque teterrimos conjecti, omne ludibriorum & Calamitatum genus inter efferatos in extremam rabiem hoſtes, Jeſuitas cumprimis certatim affluentes, & ad mutationem Religionis captivos ſolicitantes, forti animo inter preces aſſiduas, hymnosque ceu lætum Pæana tolerarunt. Reliqui viginti & unus elapſa hebdomade eodem carcere Poſonienſe ſoluti, curribus, militum inſolentiſſimorum catervis ſtipati, & veſtimentis honeſtioribus, aliisque, quæ reſidua ſecum ferebant, juſſu Colonitſchii privati, Leopoldopolin avecti, atque ibi iterum in carceres obſcuros profundiſſimosque abjecti ſunt.

Reformati, duobus exceptis, omnes ſubſcriptionem abnuentes.

In vincula itidem rapti

Poſtea relegati ſunt.

LXXI. Ita in diverſorum locorum diriſſima captivitate infandum in modum vexati cruciatique, documentum dederunt, quid expectari debeat à Romano Clero, ſicubi illi ſuæ ſatis vires patent. Pauca recenſeri, haud abs re fuerit. Qui Poſonio Berentſchinum aſportati atque ibi bini atque bini ſub jugo boum inſtar conſtricti, in arcem deducti, & carcere ejuſdem abſconditi fuerant; quatuor Reformati (atque inter eos unus præcipuæ dignitatis & authoritatis) & Auguſtanus unus tam ſtrictis compedibus, vectes ferreos & quadrangulos acuminatos, transverſim utrosque pedes lancinantes, habentibus conſtricti ſunt, ut neque incedere, ne-

71. Vexatio horrenda Fratrum Berentſchini.

neque ab attritu earum, ferro transversim in utrosque pedes immisso, calceos, omnemque vestem pedibus superinductam corrodente, pedes defendere possent. Carcer ipse, in quem abstrusi fuerant, tenebricosus, excrementis fœdissime scatens, extrema supplicia passuris destinatus, qui per angustum foramen subiri, nisi à genibus palmisque innixis non poterat, insectorum insuper tanta copia refertus erat, ut eorum morsibus, aliisque incommodis infestati, noctes plerasque insomnes captivi ducere coacti fuerint. Cumque Præfectus ipse Arcis Colonitschio significaret, captivos ob debilitatem corporum tolerandis malis istis impares esse, respondit ille: Parum referre, tumulumque forte in agro toto repertum iri, in quo miseriis illis confecti sepeliantur. Prohibiti insuper sub pœna centum & amplius baculorum, nec non Turcicorum verberum captivi sunt, ne de sua captivitate quicquam cuiquam communicent. Jesuita, nescio quo urgente, rigidissima hyeme captivi ligna in usum Præsidii allata, in superiorem arcis aream deportare, & aquam ex profundissimo puteo haurire coacti Comarini. sunt. Comarinum adducti viginti, Reformatus unus & Augustani novendecim, postquam eodem cum Turcis carcere clausi, compertoque à Reformato Confessore magnanimo non parum reliquos confirmari, ita separati sunt, ut Reformatus Turcicis compedibus illigatus, à reliquorum consortio divulsus, in carcere peculiari, eoque fœdissimo solus delitescere quinque menses integros coactus fuerit: reliqui vero, exceptis duobus, omnes Sclavonicæ gentis, tœdio squaloris carcerum vexationumque victi, subscriptionem de abdicantis sponte muneribus suis, frustra obtulerunt. Præfecto enim apud Colonitzium intercedente, ut ea conditione liberentur, responsum est, sero nimis, finito jam gratiæ tempore, libellos offerri. Neque alia jam conditione liberari eos posse, quam si Religione solenniter ejurata, Pontificia sacra amplecterentur. Sic male consulti, post quatuor fere mensium patientiam jurantes in verba insolentissima novæ fidei, novissimis Hungariæ Catholicis præscriptæ, carcerum molestias mortisque metum redemerunt, & inconstantiæ suæ mercedem, alii quinquaginta, alii pauciores florenos, prout dignitas vel meritum personæ postulare visum est, retulerunt. Sed paulo post visa Leopoldopoli reliquorum constantia, conscientiæ furiis ita agitati sunt, ut eorum nonnulli diei Nativitatis suæ maledixerint. Qui vero Comarini supererant tres Confessores constantissimi, ad sordidissimos quosque labores, quibus Turcas & Zingaros captivos ibi adstringi mos est, ab orta solis ad occasum usque nullo æstus, frigoris, hyemis, æstatis discrimine, exantlandos coacti, Deo illibatam fidem constanter servarunt. In carcere Eberhardino Archi-Episcopus jam octogenarius propriis manibus, malleorum subsidio, ita captivos contudit, ut membra etiam nonnullorum luxata officio amplius defungi nequiverint: Eosdem convivis suis illudendos, exagitandos exposuit, tandemque in eorum conspectu ad labores sordidissimos relegavit, & se aliisque præsentibus, risu contumeliisque eos prosequentibus, ad sanguinem usque desudare subegit: Horrendum cumprimis in modum divexati sunt ii, qui Leopoldopoli in carceribus dirissimis attinebantur, numero triginta novem, Augustani septendecim, & Reformati viginti duo: ex quorum censu Augustani tres & Reformatus unus (resipiscens tamen illico) unius & alterius diei inedia, laboribus, compedibus fracti, defecerunt. Reliquos Jesuita Nicolaus Kellio his verbis salutavit: Ego ratione tum officii tum specialis Mandati Vos visito, simulque Vobis denuncio, gravissima Vobis, nisi jussa feceritis, imminere. Pane nigerrimo militari & aqua, ferreis compendibus vincti, omnibusque miseriis subjecti, vitam morte tristiorem tolerabitis. „ Tali Evangelio convertere miseros primo impetu satagebat. Quos ubi ad abnuntiationem ejusmodi imperterritos videt, sine mora compedibus præsens senes Juvenesque, firmos infirmosque juxta constringi Turcico more curat. De innocentia sua protestantibus respondit: Equidem duplicis Rebellionis Ecclesiasticæ adversus Ecclesiam, & Politicæ adversus Regem crimine laboratis. Quod si maxime politice rebelles non essetis, uti credo, plures vestros de Rebellione ne cogitasse quidem: tamen ob Rebellionem Ecclesiasticam omne genus pœnarum commeruistis. „ Labores plus quam serviles & nunquam subinde ne diebus quidem Dominicis interruptos, obscœnissima quæque loca intensissimo æstu expurgandi, carceres, aggeresque effodiendi, fortalitii

Eberhardini.

& Leopoldopoli.

aream, uligine madidam, Lapidibus & arenis obducendi, aggeres circa muros congerendi, nives denſas ventilabris avehendi, profligatisſimorum denique mancipiorum occupationibus ſuetis defungendi ita exactores facibundi milites, mercede ad ſæviendum conducti, ſummo directore Kellione, perpetuis verberibus, adhibitis etiam haſtis, ſclopetis, & reſtibus aqua madefactis, induratis & in nodos colligatis, conculcatione per pedes, capillorum evulſione, aliisque dirisſimis ſævitiæ modis exaſperarunt, ut ſimile quid vix ulla Hiſtoriarum monumenta adverſus vilisſima Mundi Carcinomata & purgamenta patratum commemorent. Cum carcer effodiendus eſſet, his verbis haud poſtremus inter Paſtores, Vir præcipua authoritate ſpectabilis, apud Jeſuitas præſentes operis proteſtabatur. Coram Deo, Angelis & hominibus proteſtamur, quod crudelius longe nobiſcum agatis quam olim cum Apoſtolis crudeliſſimi perſecutores egerunt. Apoſtoli enim fuerunt in carcere ſed carcerem ſibi effodere nunquam coacti ſunt. Nos Apoſtolorum diſcipuli non ſolum in carcere ſumus, ſed etiam inaudito exemplo carcerem nobis effodere cogimur. Quamobrem ut vos, ceu authores crudelitatis tantæ, inexcuſabiles reddamus, en primus ego clavum infigam. Riſu profuſo hæc excipientes Jeſuitæ, reſponderunt: Laborabitis ergo tanto alacrius, quia cauſas impulſivas tam graves habetis. Labores iſtos duriſſimos & pene intolerabiles ſubeuntibus, panis nigri exiguum demenſum, tertio quoque die, ubi optime cum iis actum eſſet, cibum quatuor librarum præbitum eſt; noctu vero in Carcere degentibus nunquam aquæ tanta copia facta, ut ſitim ex diurnis laboribus contractum levare poſſent. Interdictum inſuper omnibus, ne iis interdiu extra carcerem occupatis, vel in carcere etiam agitantibus, ſive clam, ſive palam vel minimus cibus potusque offerretur. Quod interdictum violantes ex commiſerationis æſtu quidam tum vir, cæpas miſero offerens, una cum accipiente, inflictis verberibus pluribus graviſſimisque tum muliercula carnis & panis non nihil in tranſitu porrigens, à Jeſuitis deprehenſa collum manusque numellis meretricum incluſa & publice per compita, intenſiſſimo frigore circumducta, nefas expiarunt. Veſtimenta & Calceamenta ſemel attrita non reparabantur à quoquam, ita ut nudis pedibus ſe minudisque reliquum corpus in conſpectu omnium mandatis laboribus defungendum fuerit. In carceribus anguſtiſſimis, pluviis nivibusque perviis, inter homines maleficos ob capitalia delicta captos, maledictis continuis ſacro cultu defungentibus obſtrepentes, non raro cum ſerpentibus & bufonibus conflictandum fuerat, à reliquis vero infectis identidem quies ſomnusque turbati. Etiam in carceribus verbera horrenda ictusque inflicti non raro ob cauſas leviſſimas. Captivus enim, Vir egregius doctiſſimus, ex carcere ad amicum de calamitatibus ſuis nonnihil ſcripſiſſe compertus, hanc præſente & dictante Jeſuita Kallione, pœnam ſubiit, ut in terram projectus, à novem militibus percutientibus, baculis ſpiſſis & nodoſis ita cæſus, & Præfecti calcibus horribiliter ita impetitus conculcatusque fuerit, ut pro mortuo ſublatus ac mox reſpirans in novum carcerem ſolus, & enſe ſtricto cuſtoditus, ſine ulla corporis ſanguine fœdati dilaniatique cura conjectus fuerit.

LXXII. Innumeræ certe concatenatæque calamitates fuerunt, quas captivi incredibili robore ex alto inſtructi fortiſſime ſuſtinuerunt; quarumque apud poſteritatem fides propemodum laborabit. Singulas vero cum proſequi, inſtitutæ brevitatis ratione cohibitis non liceat: omittere tamen id unum adhuc, quod niſi fallor crudelitatis numeros omnes implet, non poſſumus. Cum nec authoritate ſua, nec ſuaſionum illecebris ullis, nec promiſſorum melle, nec comminationum cruciatuumque omnium felle id hoſtes impetrare à confeſſoribus conſtantiſſimis poſſent, ut vel ſponte muneribus ſuis abirent, vel exilium deligerent, vel Religionem mutarent, aliam quercum excutiendam rati, captivos ad Templa aliave loca quibus hoſtia conſecrata vel offerebatur vel adorationis gratia oſtentabatur, violenter pertraxerunt. Vidiſſes ibi contentionem furioſam impellentium cogentiumque, & ex adverſo certamina Confeſſorum ad ſanguinem uſque reluctantium. Singulis fere diebus Solis, Feſtis & Jejuniorum temporibus, Kellio per armatos milites, veluti prælium inituros, captivos, ſeu extra carceres laborantes, ſeu in carceribus deliteſcentes adoriri ſolitus, in Templi aream compellere conatus eſt. Reſiſtentes omnibus viribus ex carceribus raptatos bipennium & ſclopetorum ictibus plagisque horrendis, tanto

72. Violentia in cogendis iis ad cultum hoſtiæ adhibita.

tanto quandoque impetu, ut uno impulſu ad ſecundam uſque, quæ atrii carceris erat, januam jacterentur, protruſos eo redegerunt, ut humum proſtrati Terræ ſe affigerent. Mox igitur capillis erectos ſtantesque ſclopetorum ſtimulis lateri dorſoque infixis compungebant, propellebant, raptabant iterum, ita ut totum iſthoc templum verſus Tragicum iter non aliud, quam continua quædam cadentium ægre ſurgentium, ac denuo in Terram propulſorum miſerabilis jactatio, & provolutio fuerit. Demum feralium iſtorum raptuum pertæſi, conſilio inito captivi conſentiunt, ſe deinceps juſſos, non expectata amplius jactatione Templum intraturos, conciones audituros, preces pias ad Deum fuſuros ea tamen lege, ut mortem potius præſentisſimam ſubire, quam vel minimam partem cultus quem pro illicito ex ſuis principiis habebant, obire malint. Ita atrium Templi ingresſi acres Jeſuitarum Conciones audiunt, & hoſtibus ad altare uſque eos trahere atque ad Cultum hoſtiæ conſecratæ cogere molientibus, & tantum non ejus rei cauſa in atrio Templi bellum cum iis gerentibus, adeo fortiter, mortem etiam oppetere parati, reſiſtunt, ut violenta hoſtium molimina univerſa irrita ceciderint. In Feſto Ignatii, ut caſus Tragicos plures, qui in numerato ſunt, recenſere omittam, ſummo mane captivi ad labores ſordidos expulſi, inſtante miſſa, interruptis laboribus Templum adire jubentur. Obfirmant illi animum eo potisſimum die, quo ſe ad cultum illum adactum iri majori contentione metuebant merito, Templumque ſe ingreſſuros ſimpliciter negant. Obloquitur Kellio: Itane, boni Paſtores vim metuitis? Atqui, cum dæmonium habeatis, hoc, non alio modo, expelli illud debet. Accerſuntur milites, qui propere alios baculis feriunt, alios ſclopetis urgent, alios ſtrictis enſibus, bipennibus alios, propellunt, & inſtrumenta ejusmodi in dorſis obnitentium frangunt, tandemque feſſi & crudelitatis ſub dio inſpectante Hominum multitudine ingenti, patratæ pertœſi, abſiſtentes ulteriori ferocia, Jeſuitas deſtituunt. Tum Kellio in furorem converſus, duos venerandos ſenes corripi jubet, qui ab Eccleſiaſtico ſubornato verberibus plagisque contuſi, & ſemimortui, nullis ad reſiſtendum viribus reſiduis, unus ad atrium Templi, alter vero ad Altare uſque rapti, pedibus baculisque promiſcuæ multitudinis calcandi proterendique objiciuntur, qui humi, dum Miſſa celebrabatur, jacentes, & pene exanimes finita miſſa à reliquis captivis in carcerem deportati, nunquam poſt-hac valetudinem recuperarunt, continuisque artuum doloribus fracti, pias animas alter Neapoli, Curiæ Rhetorum alter, Deo Redemptori ſuo reddiderunt. Præterea ne unquam anſa ſæviendi deeſſet, Sacrificuli cum Sacramento ad ægros pergentes, ea plerumque loca quibus laboribus ſuis inſudantes captivi deprehenderentur, tranſibant. Atque tum iterum adverſus eos cultum prætenſum negantes, brutis verberibus, imo ardentibus quandoque etiam facibus ſævitum, neque ceſſatum ante eſt, quam bipennes, enſes, ſcloperi confracti, & captivi, ceu animalia mactationi deſtinata, in terram proſtrati, cernuique in ſanguine ſuo volutati miſere ſint; ſacrificio incruento, quod Kellioni unus ſanguine madens nuntiari petiit, in cruentum converſo ſic ſingulos quibus ad laborandum protracti ſunt dies ſupremas ſibi illuxiſſe rati, reditum in carceres pro beneficio ingenti reputabant; neque ſane precarium inter tot mala ſpiritum traxiſſent, niſi in infirmitate illorum Divina potentia perfici & velut triumphare coram toto Mundo geſti viſſet.

LXXIII. Quis vero talia fando audivit unquam? Caret exemplis diritatis immanitatisque tantæ omnis retro antiquitas, in qua perſecutores etiam ſævisſimos, veri etiam Dei prorſus expertes, flagitioſæ ejusmodi crudelitatis puduiſſet. Et puduit tandem ſævitiæ ipſum etiam Kellionem, poſtquam ejus crudelitas calamitate innocentum utcunque ſatiata eſt, atque ſi non vindictam præſentem Dei at infamiam certe apud Homines, quibus paulatim hæc facinora innotuerant, extimeſcere cœpit. Tum enim ad ſtropham prudentia Jeſuitica dignam ſe convertens, tot malefactis ſimulata quædam Beneficia miſcuit. Nam & amicos quosdam captivorum aliquando admiſit, & munera nonnulla illis conſecrata adminiſtravit in ſpeciem, at pesſima revera fide, partem majorem militibus aliisque diripiendam relinquens, uti poſtea captivis compertum eſt. Ut igitur apud exteros fucum quendam crudelitati ſuæ obduceret, à captivis die 15. Febr. Anno MDCLXXV. confeſſionem beneficiorum illorum propria ſingulorum manu ſignatam petiit. Suboluit ſatis ca-

73 Aſtutia Kellionis teſtificationem humanitatis ſuæ extorquentis.

captivis,quo tentatio illa tenderet.Neque tamen post longam gravemque cum Jesuita disceptationem, re mature deliberata, testimonium ejusmodi negandum plerique saltem duxerunt, veriti scilicet, ne in licita re repulsam ferens sæviret atrocius, cum atrociter adeo sævierit hactenus adversus detrectantes obsequium in rebus illicitis. Apochas igitur manu propria signatas exhibent, quibus testantur, gratos se agnoscere,quod Reverendus Pater Kellio peculiolam à suis submissam administraverit, quandoque etiam cibos à benevolis suppeditatos dispensaverit, denique adventantes propinquos subinde ad colloquia sua admiserit circumstantiis temporis personarumque additis. Acceptis ejusmodi distinctis apochis in sinu gaudens Jesuita, non tantum eas pro lubitu interpolavit,sed statim etiam divulgavit, simul fidem detracturus famæ,quæ ejus barbaram crudelitatem & captivorum horrendas calamitates in mundo propalaverat: simul gratiæ & commiserationis apud Regem & bonos omnes fontem vaferrima isthac techna obstructurus. Certe vix facta ipsi apocharum ejusmodi copia est,cum ad pristinam crudelitatem reversus atrocius, quam unquam antehac, miseros affligere perrexit.

74. Damnatio nova Pastorum & raptatio crudelissima ad triremes.

LXXIV. Necdum tamen persecutionis adversus tot Ecclesiarum Pastores, imo in eorum personis adversus universam Ecclesiam Hungariæ Evangelicam,æstus detumuit,quin imo efferbuit in dies magis. Cum enim Hostes parum adhuc apud constantissimos Confessores diversis cruciatuum calamitatumque generibus se profecisse sentirent, jam eos æternis triremium Hispanicarum, quorum toties terrore miseros percusserant,carceribus mancipare statuunt. Tantaque Clerum Hungaricum audacia transversum abripuit, ut horrendam illam ad triremes damnationem deportationemque non tantum Rege inscio, sed contra Mandatum etiam Regium susceperit. Etenim Captivorum Patroni jam à Clementissimo Rege Mandatum ad Colonitzium obtinuerant, quo is captivos dimittere jussus est. Mandatum isthoc Thomas Palfy Episcopus Nitriensis Cancellarius Regni, Judicii Posoniensis Assessor, Colonitzio exhibere jussus,ita adulteravit, ut in tergo ejus adscriptis verbis,ut orare (scilicet in triremibus) discant, insinuaverit, mentem Regis esse, ut ad triremes captivi ablegentur,cum tamen omnia & singula Mandati illius Regii verba non nisi gratiam liberationemque spiraverint. Colonitzius, qui non semel antehac Posonii Pastoribus in faciem dixerat. „Vos multum Regis Vestri Clementiæ confiditis,sed nihil Vobis ea proderit. Si enim vel decies clementissima de vobis mandata exhibuerit, ego centies Eadem mutabo;„ Accepto Mandato Regio, non dimissionem, sed ablegationem ad triremes eo contineri pertendebat. Cumque eo ipso tempore cohortes aliquot in Hungaria Austriaque conscriptæ, in subsidium Regis Hispaniæ adversus Messinenses mittendæ in procinctu itineris stetissent, occasione ea usus, die 18. Martii Anno MDCLXXV. triginta sex (duo enim ob infirmitatem ex vexationibus contractam, redditi inhabiles ad iter,relicti sunt) ex mediis laboribus sub vesperam abreptos,& per occultum foramen quoddam Arcis Leopoldopolitanæ eductos, Militiæ Austriacæ ductori Neapolin deportandos, ibique certo pretio vendendos, atque in triremium servitutem redigendos tradidit. Ita stipati cohortibus Equitum quadringentorum circiter totidemque peditum,curribus impositi per avia & ambages præter urbes & Oppida Hungariæ Moraviam versus circumvecti, Schotviennæ tandem cum captivis quinque Berentschino allatis, in amplexus mutuos lamentabiliter ruentes, tot miserias patienter toleratas sibi gratulantes, & ad constantiam invictam invicem animantes,conjunguntur. Reliquum iter pedites compedibus gravissimis utroque singuli pede onusti,inter furiosos Milites, perpetuis Verberibus, ensium & sclopetorum ictibus eos,sine ætatis,virium,viarum cultarum incultarumque & asperarum discrimine ullo, ad promovendum iter impellentes, maledictisque continuis eos obruentes lancinantesque, & obviorum quorumque horrendis ludibriis exponentes, ad oram usque maris Adriatici emetiuntur. Tanta fuit asperitas itineris, tanta miserabile isthoc agmen cingentium & abigentium crudelitas, ut captivi hiantia pedum nudatorum vulnera circumferentes, ubique vestigia suo sanguine cruentaverint. Ut pedes exulceratos & intumescentes Tergesti curare ipsi utcunque possent, coacti sunt ipsi saxorum & cultellorum adminiculo suos invicem compedes perfringere,quod sine cruentis vulne-

neribus, & distractis carnium frustulis fieri non potuit. Deprædatio ibidem miserorum, qui non nisi laceras vestes & forte absconditas pecuniolas, ægre hactenus à ruina defensas habebant, adeo exquisita fuit, ut truculentissimi Milites scrutandis partibus, quas natura erubescit, non pepercerint. Demum naturæ & gentis illius ornamentis capillis barbisque & mystacibus violenter privati, fœdissimeque tonsi, triste atque lacrymabile spectaculum præbuerunt, adeo deformatis illis, ut se invicem nisi ex lingua novaque velut consuetudine noscere amplius non possent. Accessit dira fames, ægre impetrantibus miseris, quantum ad trahendum precarium spiritum, nedum ad iter adeo difficile, totque Militum plusquam Scythica & barbarica ferocitate adversus Juvenes Senesque firmos & infirmos grassantium, vexationibus infestum, conficiendum satis esset, singulorum dierum stipendium tres teruncii erant; subinde etiam nihil omnino datum. Noctu pecorum instar in stabula, aliaque loca sordida coactis, vix quietem ullam ob cruciantia pedum, totiusque corporis vulnera capessere licuit. Duo non postremi, pietate & doctrina insignes, tot vexationibus illis confecti, in itinere mortui, & canum instar, seminudi insepultique abjecti sunt. Prior senex cum amplius pergere non posset, incudis instar, horrendis verberibus cæsus & contusus, moribundus à captivis duobus iter cum eo continuantibus, & altera manu ferrum, altera ægrum sustinentibus, utrinque à latere suffultus, & à lapsu aliquandiu prohibitus, in præcipiti loco neutro auxiliatorum sustinere valente, in terram prolapsus expiravit. Alter plaustro injectus & mortuus, ex eodem sine mora abjectus est. Accesserat pene tertius Vir spectatissimus & captivorum Princeps, qui Asello impositus, cum ob tardiorem ejus gressum subsequi reliquos non valeret, plagis adeo prægnantibus mactatus est, ut ex confractis naribus copiosissimo sanguine profuso, toto Corpore madens, parum à mortuo abfuerit. Accessit ad crudelitatis cumulum, quod captivi iidem Jumentis, ob defatigationem nimiam progredi non valentibus impositi, Jumentorum loco cæsi, & sic ad propellenda Jumenta adacti sunt. Sex itidem Fratres malis his prorsus enervati fractique in Carcere Theatino relicti sunt, ex quorum numero quatuor pias animas in eodem exhalarunt; duo reliqui post diram famem, aliaque mala tolerata sub ipsum liberationis tempus Neapolin deportati sunt. Quis vero talia & plura etiam non minus atrocia fando

> Myrmidonum, Pelopumve & duri
> Miles Ulyssis
> Temperet à lachrymis?

LXXV. Antea vero, quam Triremium Præfectis manciparentur, tentationem novam ad incitas jam fere redacti subeunt. Ductor Copiarum, cui à Colonitzio commendati fuerant, significaverat, Regem Colonitzio de captivis statuendi quidlibet, plenum arbitrium concessisse. Hunc vero Copiarum Colonello sub gravi amittendorum honorum fortunarumque omnium pœna injunxisse, ut in ea loca eos deducat, ex quibus nullus unquam liberari, nedum in Hungariam redire possit. Hæc autem mala uno modo evitari posse, si nomina sua Militiæ Hispanicæ dare vellent. Hoc demum modo miseros, tot jam exantlatis calamitatibus, penitus extingui, & æterna oblivione sepeliri, vel certe majori vi ad mutationem religionis cogi posse, Colonitzius, ex cujus præscripto cuncta gerebantur, arbitratus est. Sed captivi tot malis obruti licet, & majoribus mox obruendi, cordate responderunt, in militiam ejus modi, utpote à munere & vocatione, quin & virium suarum facultate prorsus alienam, nec ullo modo futuram Regi suo vel utilem vel honorificam, se consentire neutiquam posse. Captivi vestri, inquiebant, sumus. Statuendi de nobis quidvis plena vobis potestas est. Statuite pro lubitu. Militiæ vestræ nomen dabimus nulli. Sic repugnantes excipiunt verbera, correptusque unus ex robustioribus militaribus vestibus invitus induitur, qui mox easdem exuens, ab ipso Capitaneo calcibus feritur, pedibus truditur, fustibus pulsatur, militibusque exquisitissimis modis divexandus objicitur. In stabulum vero relegati omnes tridui integri spatio cibi potusve usura omni privantur, & tantum non inedia enecantur. Theatæ primum Colonellus in conspectum eorum prodiens interrogat: Vultis esse Catholici? Dabitur sic optio Vobis eligendi statum seu Ecclesiasticum, seu Secularem, seu Militarem. Tacentibus omnibus, verberum metu pergit: Nondum meliores ergo estis? Propediem triremes vos, quid sit fides Catholica, docebunt. Tunc Juvenis, parcens senioribus, reli-

75. Tentationes eorundem, ut militiæ nomen dent, fortiter excussæ.

quorum loco respondit & Symbolo Athanasiano allegato, quæ sit fides Catholica explicavit. Risu exceptus à Jesuita astante, denuo interrogatus est. Quid vero de Papa sentitis? Respondit idem: De eo sæpius mentem nostram explicavimus, nihil in præsentiarum addituri, quia ferro pedibus constrictorum linguam etiam constrictam esse oportet. Propulsi igitur amplius die 7. May. Neapoli ex numero quadraginta & unius residui triginta (nam duo in itinere mortui cœlestem Patriam cum imminentibus horribilibus triremibus commutarunt, sex ob infirmitatem Theatæ relicti fuerant, tres comoditate oblata, Capracotam inter & Capuam aufugerant) semimortui, utpote quorum vix ossa cutis amplius sustinebat, appellunt, ubi sequenti die pretio quinquaginta scutatorum in singula capita erogato, ad triremes venduntur; mox denuo tonsi palatia officialium Maritimorum, bini atque bini catenis constricti subeunt, & libro Captivorum seu mortis potius, certis in corpore, capite potissimum notis compuncti, neque expressa, uti alias fieri solet, captivitatis triremium causa inscribuntur, in variosque triremes distribuuntur. Cumque tardius venditionis pretium solveretur, Germanicæ Militiæ Duces die 20. Julii sanguinolentum consilium iniverant captivorum simul omnium repetendorum & sclopetis configendorum. Repetiissentque & confixissent miserè, nisi à Pro-Rege Neapolitano Petro Alvarezio, prohibiti, ne meditatum scelus exequerentur, fuissent. Nihil hic de horrendis, quas in triremibus per novem menses integros, graviores etiam iis, quas Turcæ, Æthiopes, Mauri bello capti, nec non malefici notorii legitime convicti, & capite damnati, in iisdem triremibus subire solent, fortissimo & constantissimo animo sustinuerunt, calamitatibus & miseriis, quibus fracti, quatuor ipso sub triremium jugo expirarunt: nihil de Divinis, quibus se affici senserunt, consolationibus; nihil de Evergetarum nonnullorum, quos inter unus, cujus nomen in cœlo scriptum, chartis hisce illinere supersedemus, principem locum obtinebat, charitate erga captivos incredibili: Nihil denique de Divina vere, & miraculo proxima eorundem ex fovea Leonum, fornace Babylonica, & utero ceti per incomparabilem Heroëm Michaëlem de Ruyter, alterum Belgii invictum, Periclem, seu malumus dicere Gedeonem vindicatorum liberatione dicam. Hæc singula enim paucis dici nequeunt: Dignissima etiam quæ spissiori quodam Volumine consignata, ad seram posteritatem, persecutionis inauditæ, & patientiæ plus quam adamantinæ exempla cum sacro horrore quodam admiraturam, transmittantur.

Venditio eorum ad triremes.

Vexatio horrenda in iis.

Et ex iisdem Divina liberatio.

LXXVI. Atque hæc series est afflictionum, hic eventus Confessorum Posonio Berentzinum, Comarinum, Eberhardinum, Leopoldopolin, ac tandem Neapolin ad infames triremes deportatorum. Neque vero mitioribus fatis reliqui viginti, tredecim scilicet Reformati, & septem Augustani, in carceribus Sarvvar, Kapuvvar, Tergesti, Istriæ, & Bucearis Dalmatiæ nefanda & plus quam Scythica crudelitate pressi, & nonnulli etiam sive morte tragica corporali, sive spirituali etiam oppressi, urgebantur. Et Posoniensi quidem carcere extracti postquam imperatam à Colonitzio subscriptionem abnuerunt, constringendi statim restibus, ipsomet Colonizio numerata pecunia eas comparante educti, & pars Sarvvarinum, pars Kapuvvarinum rapti ibidemque Turcicis compedibus constricti, in carceres stercoreos, soricibus, ranis, bufonibus serpentibus scatentes detrusi, fame, siti, frigore, laboribus durissimis, indignissimis, sordidissimis, contumeliisque nefariis ita discruciati sunt, ut & superiorum & horum Confessorum afflictiones ab uno eodemque Phalaride dictatas esse, liquido cognosci potuerit. Inde die 1. Julii Anno MDCLXXV. producti, triremiumque, dummodo Emptores inveniri potuissent (nam & Veneti & novus Pro-Rex Neapolitanus, cui Prædecessoris emptio displicuit, compellati, diserte negarunt, se tot jam miseriis confectos & forte innocentes mercari velle) servituti destinati, postquam quatuor mille, adeoque pro singulis ducentos florenos, ea lege oblatos, ut libellis subscriberent, respuissent, ductore Gabriele Kœver Colonitziani furoris satellite, campanarum, quocunque venissent, pulsu, ceu Dæmoniaci, uti latrones illi proclamaverant, excepti, ludibrioque habiti, Tergestum, in littore Adriatici Maris situm, adducti, atque ibi primo haris & stabulis inclusi sunt. Ibi propter unius fugam, cœteris insciis arreptam, innumeris plagis excarnificantur barbisque & mystacibus, quin & pilis omnibus violenter, non sine menti læsione evulsis, privantur cuncti, & fugiti-

76. Historia reliquorum pastorum.

-gitivus ex fuga reductus cum exquisitis quæstionibus & tormentis subditus, ut reliquos fugæ conscios fuisse confiteretur, induci non potuisset, ipsorum Fratrum captivorum verberibus ita objicitur, ut carnificum instar singulis diebus bis Fratrem suum, passionum hactenus consortem, percutere, multarum atrociumque plagarum renuentibus inflictarum metu, coacti fuerint. Non satis erat Harpyis istis, miseros turpiter spoliare omnibus, & seminudos, unico longiori indusio è tela crassissima præparato tectos, relinquere. Etiam alios eorum causa expilandi libido eos incessit. Pactum enim cum captivi iniverant, quo quinque illorum mille & centum, quindecim vero mille quingentorum Imperialium lytro soluto, se liberaturos receperant. Mittitur Captivorum unus Viennam, comitibus nonnullis, qui pro liberandis juxta pactum captivis quinque lytron, mille & centum Imperialium ab Amicis impetrat solvitque. Neque tamen nisi unus ille qui missus ab amicis, ut non Tergestum, sed in Hungariam reverteretur, monitus est, non tam volentibus Hostibus, quam consulentibus amicis, liberatur. Reliqui etiam soluto pretio in carcere plorant. Missus etiam Captivorum alius est Venetias, qui opera Viri Clarissimi, & de captivis meritissimi Nicolai Zaffii dimidiam lytri partem acquirit, eamque ipse certa residuæ partis mox ab amicis impetrandæ, Duci offert. Ipse quidem missus, at solus liberatur; reliqui vero in Carcere ac si nihil omnino solutum esset, attinentur, diriusque etiam exercentur. Tergesto mense octobri Anni ejusdem militibus Croatis cincti, per prærupta saxa, nudis pedibus diu noctuque inter continua à tergo & lateribus verbera & ictus, non tam erecti ambulantes, quam humi prostrati manibus pedibusque reptantes Buccarim, Dalmatiæ Castellum, ad mare Adriaticum situm, inde Jugo triremium Melitensium mox subjiciendi avehuntur, ibique Andreæ Godermanno, homini truculentissimo omnium mancipati, in carcerem sordidissimum, utpote qui non tam carcer erat, quam contigui carceris cloaca stercoribus humanis inde à quinquaginta Annis nunquam expurgatis, ex quibus etiam panem injectum & fœtore eorum jam infectum tollere & comedere coacti sunt, referta, compinguntur. Tũ fœdæ custodiæ traditi sine mora tredecim numellis ferreis, quib⁹ ob latitudinẽ mentũ sursũ sublatũ inclinare prohibebantur, per catenas durissimas, quibus vel currus onerati in præcipitio sustentari poterant, ordine constricti & miseris modis colligati; reliqui vero cippis ligneis & manicis ferreis supini coarctati, & per triginta novem dies integros in miserabili hoc statu detenti sunt. Atque ita concatenati, horribile spectaculum, nonnunquam extra Carcerem educti, ludibrioque protervorum quorumque expositi sunt, occasionem sic captantibus nonnullis, Monachis imprimis, Apostasiam, ob mala tum præsentia, tum imminentia suadendi. Neque omnino irritæ suasiones ceciderant. Nam decem numero, septem Augustani, & tres Reformati persuasi, totque inauditis calamitatibus fracti die 22. Decembris nomina libellis dederunt, & liberatione nihilominus procrastinata, sequentis insuper Anni Mensis Februarii die 19. à Religione sua defecerunt.

Quorum Pars Buccarici persecutioni succumbit.

Ex superstitum constantissimorum numero duo septimo Decembris, hora octava eadem consummato Militiæ & patientiæ suæ cursu, pie in Domino obdormiverunt, & à captivis reliquis effosso propriis eorum manibus in littore maris sepulchro & decantato ad tumulum Psalmi LXXXVIII. threno humati sunt. Die 13. Februarii Anni MDCLXXVI. superstites sex denuo in prius illud sordidissimum & obscurissimum ergastulum, ex quo, ob præsentissimæ mortis periculum (longioribus scilicet miseriis eos macerare placuit) aliquandiu relaxati fuerant, detrusi sunt, tanta cum sævitia, ut captivorum superstitum unus morti proximus, solis suspiriis, cum ne verbum quidem proloqui amplius posset, ex imo pectore gemebundam animam trahens violentis lictorum manibus correptus, per distortos gradus, saxa & ligna angustumque carceris foramen ita raptatus fuerit, ut ex nudo morituri entis corpore cutis & carnis frustra, copioso cum sanguine detritis lapidibus hæserint, qui paulo post in carcere fœdidissimo pie defunct⁹ omni sepultura caruit. Reliquis quinque in Cloaca illa denuo, uti prius constrictis, & cum intolerabili fœtore, infectis fame, siti certantibus obnunciatur rigide, fore, ut in sterquiliniis istis misere ita concatenati computrescant, nisi tandem prædictorum exemplo Evangelicam Religionem ejurent. Respondentibus Confessoribus se pro Christo lubenter subituros, quicquid impositum fuerit, panis hactenus usitatus

Pars ad extremum usque eandem sustinet.

Historia Hungar.

commutatur in panem ex milio & furfure coctum eumque modicum, quem à puerulis per angustum carceris foramen injectum, pedibus manibusque proreptantes, denuo ex stercoribus aliisque immunditiis tollere necessum habuerunt. Additum parum aquæ, sed turbidæ, quandoque etiam nihil, ita ut panem durissimum quo comedi posset urina sua macerare coacti fuerint. In statu isthoc continuisque tenebris manserunt dies octoginta, ita interea toto corpore corrupti, ut jam vix loqui vel loquentes invicem intelligere potuerint: sanguis & aqua continuo ex ore eorum, nihil etiam comedentium vel bibentium, quodque amplius claudere non poterant, copiose profluxerit, gingivæ & fauces putredinem totæ contraxerint; dentes non sentientibus cum sputo exciderint, denique os maxillare, & linguæ vitiosis humoribus tantum non consumptæ fuerint. Protestantibus contra inauditam Tyrannidem captivis, quantum fari poterant, de sua innocentia & Christi causa Vice Præfectus Stanko respondit: *Iacetis equidem in umbra mortis, doleoque ego vicem vestram. Sed vel invitus hæc facio, quia sub pœna capitis, ut facerem, à Godermanno mihi injunctum est: huic vero sub eadem capitis pœna Mandatum à Colonitzio est, ut his potissimum modis vos excruciet.* Dum vero in medio omnis immunditiei profunde demersi, misereque concatenati in sanguine suo, sputo & fimo volutabantur, non amplius se in hanc vel illam partem inclinare, vel capita extollere valentes, atque ita mortis hora non procul abesse visa est: nuntium liberationis, intercessione Illustr. Legati Belgici impetratæ allatum est; quod tantum non agonizantibus parum profuturum credebatur. Ex carcere nihilominus, compedibus & numellis soluti, à sanguine inquinamentisque purgati, à Militibus, cum ob infirmitatem incedere non possent, in honestius domicilium deportantur, tectisque puris linteaminibus stratis impositi, Sospitatori suo, cadavera potius, quam homines die 11. May A. MDCLXXVI. traduntur. Cumque post quindecim dierum inediam cibi offerrentur ob exulceratas fauces vesci iis, nisi ingestis leniter, non poterant, jusculi vel vini guttis injectis ita fauces urentibus, ut ægerrime cibum potumque admiserint. Exquisitissima acerbissimaque Medicina illis à Medicis Pontificiis Johanne Nonno, Anconitano & Francisco Rinaldi, (qui propria etiam manu, jurejurando interposito testati sunt, ita labefactatos, viribus destitutos, ob salsos acresque humores in fœtidissimo carcere ex capite descendentes, caloremque internum conficientes, in ore, palato, lingua, faucibus exulceratos, liberatos se invenisse, ut morituros potius quam convalituros crediderint,) adhibita, quatuor per Dei gratiam, stigmata sua, etiam à me non sine horrore visa, in exilio circumferentes convaluerunt, quintus vero die 24. May Venetiis ob deploratam valetudinem mortalitatis legem implevit.

Et vicina jam morti liberatur.

77. Examen Extractus Judicialis Tyrnaviæ editi.

LXXVII. Frustra vero inauditam omnique diritate immaniorem Tyrannidem suam coram Mundo utcunque tegi posse, Colonitzius & furoris ejusdem susceptores pessimi Jesuitæ sperarunt. Percrebuit ea mature satis in universo Orbe, & Architectis suis non apud Evangelicos duntaxat, sed ipsos etiam melioris notæ Pontificios infamiam incredibilem conciliavit. Hanc vero infamiæ notam ut abstergerent simulque cornicum oculos configerent, ferocissimi omnium Tyranni illi, Tyrnaviæ imprimis curant Libellum famosum, cum inscriptione ejusmodi: *Extractus brevis & verus, quo candide demonstratur Acatholicorum Prædicantium è Regno Hungariæ Proscriptio, & degradatio facta esse respectu Rebellionis, non autem Religionis; eosdemque Prædicantes non in genere, sed in specie convictos, judicatos, ac legitime condemnatos esse. Dedicatus regio delegato Iudicio Posoniensi, ab ejusdem Inclyti Iudicii Secretario, actorum singulorum conscio, & ex officio omnibus præsenti. Tyrnaviæ, mense Martio Anno 1675.* Erat equidem in Judicio Posoniensi Secretarius Regiæ Tabulæ Johannis Labsanzky. Forte etiam fœtui huic edendo obstetricatus est. Sed Jesuitas, Kellionem imprimis, ejus Authores fuisse verisimile prorsus est. Larvam mox Scripto illi detraxit captivorum unus qui ad triremes ductus fuga saluti suæ consuluit, edita *Funda Davidis contra Goliathum*, qua triginta crassissimorum mendaciorum reum personatum illum Labsanzky solidissime peragit. Excepit paulo post Apologia Ministrorum Evangelicorum Hungariæ ad innocentiam suam Orbi Christiano declarandam, opposita Judicio Tribunalis Posoniensis, à quo perduellionis crimine contra Majestatem Regiam iniquissime accusati & condemnati, non modo toto Regno pro-

proscripti sunt, sed exemplo à pietate & mansuetudine Christiana prorsus alieno, magnam partem ad triremes Hispanicas damnati; Operæ pretium autem fuerit, illius personati Labzansky argumenta quibus Pastores Rebellionis legitime convictos damnatosque esse, probare sustinuit, ad incudē revocare, eademque opera pastorum innocentiam ad liquidum perducere. Et primo quidem occasionem rebellandi sumpsisse Pastores arguit inde, quod stipendia à Rackozio in ejusdem ditione Saros Patakiensi maxime, sibi subtracta animo ægerrimo tulerint, imo Pastorum non nemo, compositione à Zerinio Rackozii Socero tentata, dixerit: Hodie Rackozius latus suum vicies mille acinacibus cinxit. Responderunt Pastores fuse ad isthoc. Summa huc redit: Cautum cum fuerit Regio Diplomate, ne Proventus reales ad Scholas & Parochias Evangelicorum, ab antiqua fundatione per Patronos Evangelicos facta, pertinentes, à quoquam occupari possint, Franciscum Rakozium mutata Religione, una cum matre violenter illos occupasse, ea occasione Rackozianos inter & Proceres Evangelicos subortam controversiam esse, quam cum Rex componere nec potuerit nec voluerit, Zerinius Rakozii Socer authoritate sua juxta tenorem Articulorum Posoniensium interposita sopiverit. Porro Pastores injuria affectos, jure suo controversiam movisse non Regi, contra quem fiat Rebellio, sed Rakozio raptori turbas eo nomine movisse nullas, Patronis Evangelicis jura eorum defendentibus: post transactionem nihil unquam cum Zerinio vel Nadastio Evangelicorum persecutoribus acerrimis, commercii iis fuisse: Pastorum illum nonneminem fuisse neminem: si enim nonnemo fuisset, nomen ejus editurum fuisse personatum illum haud dubie, non parcentem alias nominibus: denique id omne pertinuisse ad Hungariæ Ministros Ecclesiæ Evangelicæ non omnes, sed paucos, & quidem ad tales, qui pridem ante citationem violenter expulsi sint, nemine eorum Posonium citato, vel comparente unquam. Sic desperatæ causæ indicium initio statim turpissime Extractum illum prodidisse, liquet. Secundo allegat Personatus literas hieroglyphicas Stephani Wittnyedy, Nadastii Secretarii eo tempore defuncti, easque geminas, priores ad Ambrosium Kœzerum, posteriores ad Nicolaum Bethlen exaratas, & à ministro Rebellis cujusdam Pastoris Hungarici Filio, pretio mille Imperialium conducto, ex Transylvania allatas, quarum tenor fuerit, se Pastores in utraque Hungaria ad movendos auditorum ad conciendam Rebellionem animos rite præparasse. Atque in his literis Posonienses Judices judicii sui proram puppimque collocaverant. Tametsi vero Judices illi literarum illarum sinceritatem simpliciter credi (quod à Judice justo alienissimum est) præceperant; adulterinas tamen fuisse, non Pastores duntaxat Posonii coram Tribunali comparentes, suspicati sunt merito, sed postea etiam plane pleneque compertum est, postquam Nicolaus Bethlen in Transylvania Sedis Siculicalis Udvarhelyensis Supremus Capitaneus, ad quem posteriores scriptæ ferebantur, superstes adhuc eas penitius excussit, & supposititias esse irrefragabilibus argumentis publico scripto asseruit. Sed fuerint etiam literæ illæ vere à Witnyedio scriptæ. Itane vero ad unius & quidem jam tum demortui testis testimonium, tot homines Posonii comparentes, quorum ne unus quidem in testimonio illo nomine suo expressus fuit, rebellionis crimine arcessi, nedum condemnari potuerunt? Atqui tum Divina lex unius testis testimonium Deut. 19. 15. diserte rejicit, duorumque vel trium testium os exigit: tum civilis etiam Hominis mortui allegationem, adeoque testimonium adversus viventem ratum haberi, 2. Part. Tit. 23. vetat. Tertio Crimina horrenda Pastorum, velut quod fuerint incendiarii, cædium patratores, stercora sua Pontificiorum infantibus devoranda dederint, sacerdotes Turcis vendiderint, iisdem munimenta præcipua tradere conati fuerint, aliaque nefanda personatus allegat. Sed Diabolicis mendaciis innocentium famam ab eo proscissam esse, satis constat. Aliud enim certe, Cicerone sapienter observante, est maledicere, aliud accusare, nedum condemnare. Maledictio nihil habet propositi præter contumeliam. Accusatio vero crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet. Tu vero personate accusator Fratrum, quos homines notasti, quo argumento probasti, quo teste confirmasti? Quin potius centum cubitalia à Diabolo in inferno cusa esse, quæ protulisti, mendacia, accusati pertendunt: Si accusasse sufficit, quis in-

innocens erit? Quarto, fugisse Pastores, alios in Transylvaniam, in Turciam alios, cum Coppius in superiore Hungaria acie cum Rebellibus confligens, superior evasit, personatus ait, atque inde Rebelles fuisse infert. Egregia, si qua alia, prolatio! Rebellis igitur David, qui furorem sanguinarii Saulis evitaturus ad Regem Achis aufugit: Rebellis ipse Christus (absit dicto blasphemia) qui audiens captivitatem Johannis, ex Judæa, in Galilæam fugit, fuerit. Tot Apostolos, Sanctosque Patres omitto. Si qui igitur Pastorum fugerunt, non id sceleris conscientia, sed persecutorum immanitate adacti fecerunt, ante omnem quippe citationem & contra omnia Jura sedibus suis exturbati, bonis privati, solum vertere coacti, majorem apud Ethnicos, quam ipsos apud professos Christianos Catholicos humanitatem experti. An vero illi adversus quos ferro flammaque sævitum est, expectare citationem, hoc est, oves fugatæ & dissipatæ, luporum citantium Judicium ultro subire debuerunt? Alii etiam, ne citationi parerent, à potestate legitima prohibiti sunt: alios vestigia nimis proh dolor! sanguinolenta terruerunt. Sed fuerit levis causa fugientium: Quid vero id omne faciet adversus eos, qui non fugerunt, sed comparuerunt crudeliter oppressi? Sed Achilles personati est, quod tot Pastores libellis subscribentes, ultro Rebellionis crimen confessi fuerint. Atqui ut præjudicium nonnullum meticulosi illi, qui metu nimio subacti nomina sua libellis subsignarunt, bonæ causæ creaverint; at reos fuisse eosdem Rebellionis, neutiquam consequitur. Neque enim aliis argumentis vel testimoniis Rebellionis rei peracti sunt, quam quibus eos etiam, qui ad finem usque constantes permanserunt, ejusdem criminis convincere hostes tentaverant. Cum vero invalida prorsus hæc fuisse hactenus ostensum sit, invalida quoque illa fuisse conficitur merito. Non igitur Rebelles fuerunt libellatici illi, seu, uti vocantur, Reversionalistæ, sed meticulosi, externo hominum persecutorum, non interno conscientiæ, ob crimen objectum accusantis, terrore perculsi, tam leves plerique, ut nec dum auditis contra se accusationibus, ex præscripto Cleri quidvis subscripserint: inprimis cum subscribentibus etiam merces, præsentaneæ pecuniæ paratæ fuerint. Accedit, quod venenatæ formulæ libelli, quam Extractus recitat, quenquam comparentium subscripsisse, sceleste personatus in aperta luce mentiri ausus est. Omnes equidem libellatici quodammodo adversariis criminandi ansam dederunt. Et formulæ libellorum in prima citatione oblatorum duriores sane fuerunt. At in posteriori citatione formulæ insertæ plerumque à subscribentibus sunt verba: Quamvis non simus rebelliosæ complicitatis nobis conscii. Qua denique conscientia saltem Reformatis in Hungaria Pastoribus libellaticos ejusmodi personatus objecit? In tanto enim libellaticorum ducentorum triginta sex, quos ille, allegat, numero, non ultra duos Reformatos reperire est, qui sive in priore, sive in posteriore termino citationis munus suum se abdicaturos subscripserint. Constantioribus quin etiam Augustanis inconstantes jure præjudicare non potuerunt. Si qui enim inconstantium adversus Constantes testimonium perhibuissent, in judicio haud dubie allegatum iisdemque objectum fuisset. Cum igitur jam supra idoneis argumentis Pastorum innocentiam comprobaverimus, atque etiamnum personatus ille adversus innocentiam eandem imbellibus calumniarum potius ex puteo abyssi extractarum, quam probationum telis pugnaverit; Pastores eosdem non perduellionis ullius merito, sed puro puto Religionis odio, non aliam scilicet ob causam quam quia exemplo Divi Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, sicut ille Basilicas furioso Auxentio, sic hi Ecclesias Basilicas suas ob solius Dej timorem, furiosissimo Colonitzio tradere recusarunt, atrocissimam tempestatem isthanc subivisse concludimus.

LXXVIII. Longius, fateor, Hungaricæ persecutionis Historiæ, salutarium documentorum feracissimæ, & patientiæ constantiæque, si quando similis tempestas fideles Dei servos premet (quid enim inveteratis odiis & crescente in dies hostium Ecclesiæ sævitia, mitius nobis promittere ausimus) acerrimum stimulum infixuræ, pertexendæ æstus quidam calamum huncce provexit, quod interesse posteritatis, ne tristes memorabilesque imprimis ejusmodi Ecclesiæ casus ignoret, dubitaverim omnino nullus. 78 Concluditur Historia persecutionis Hungaricæ.

(*Explicit Historia persecutionis ferventissimæ Decennalis, ex scripto antehac typis publicato & prostante hic inserta.*)

LXXIX. Hæc de exilio, carceribus, vin- 79. Epitome persecutionis secularium Evangelicorum.

vinculis, tormentis, morte & si fas est eloqui martyrio, quod Pastores Evangelicorum & Reformatorum in Hungaria Anno Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo vel quarto & sequentibus subierunt, sufficiant. Cum autem persecutio Religionis tunc temporis & Annis, tam præcedentibus, quam subsequentibus, in Pastorum perpessione sola non substiterit, sed etiam ad alios Seculares Evangelicos & Reformatos sese extenderit, eorumque Templa, Scholæ ipsis ademptæ, & Universitatibus pariter ac privatis Evangelicis & Reformatis maximæ injuriæ illatæ fuerint, longum nimis foret singula persequi. Interea tamen Epitomen ultra illam, quæ præcedenti brevi Historia alius autoris sub initium tangitur, meliorem de his omnibus dare non possumus, quam Eam quæ in Memoriali Evangelicorum sub initium Comitiorum Sproniensium An. 1681. Cæsareæ Majestati oblato continentur quod licet in Appendice operis suo ordine in ipsismet actis contineatur, hic tamen loci subadnectere consultum visum est.

MEMORIALE

Statuum & Ordinum Evangelicorum Majestati Cæsareæ die 22. Junii An. 1681. exhibitum.

Augustissime Imperator ac Rex,

Domine Domine Nobis Clementissime.

SAcratissimam Cæsaream ac Regiam Majestatem Vestram benigne adhuc recordari non ambigimus, quænam gravamina Majestati Vestræ Sacratissimæ Status Evangelicus, multis injuriis in libero Evangelicæ Religionis exercitio, publicis Regni Constitutionibus, ac Sacratissimæ Majestatis Vestræ benigno Diplomate fundato, fatigatus, cum supplici Memoriali adhuc Anno 1662. Posonii demisse per suos Deputatos exhibuerit: humillime tunc quoque supplicando, quatenus Maiestas Vestra Sacratissima tam præterita ac in specie eorum repræsentata Religionis Gravamina authoritate Sua Regia clementissime, & omni meliori modo cum satisfactione injuriarum complanare, quam vero illos, qui posthabitis publicis Regni Constitutionibus, ac prælibato Majestatis Vestræ Sacratissimæ sacro Diplomate, pro lubitu in Evangelicos grassari, liberum Eorum exercitium interturbare, ac variis artibus opprimere nil pensi duxerunt, coercere dignata fuisset. Verum cum illæ res tunc non solum in priori turbato statu remansissent, sed & illi, sicut & eorum exemplo postmodum complures alii turbatores Religionis, latiorem & fere universalem miseros Evangelicos persequendi sibi licentiam arrogassent, eo devenit afflicti Evangelici Status calamitas, ut prioris felicitatis ac firmatæ per Constitutiones Regni & Regium Diploma, exercitii Religionis indemnitatis, vix quædam, eaque saltem deformia rudera jam superesse videantur. Templa enim, Parochiæ, Gymnasia, Scholæ, Xenodochia Proventusque eo pertinentes, paucissimis exceptis, omnia minis, Terriculamentis, Armorum strepitu aliisque exquisitis sub coloribus, imo inauditis institutis Processibus, in quorum pacifico usu Evangelici & legaliter & Diplomatice erant, via facti occupata, nonnulla ex illis funditus eversa, materialibus in stabula, ac alios profanos usus conversis: Mortui in Cœmeteriis, non nisi gravi taxa exacta, sepeliri permissi. Ministri Evangelici, prout & Scholarum Rectores, sub variis prætextibus omnibus substantiis per nonnullos Prælatos, Magnates Capitulares, Plebanos, Iesuitas, Confiniorum officiales, & alterius cujusvis conditionis homines, prout & extraneam Militiam emuncti, post è Parochiis pulsi, capti, Compedibus stricti, extra Regnum abducti, nonnulli parietibus & humo, catenis & ferro onerati, in formam Crucis alligati ac affixi, alii ad instar Turcicorum Captivorum percussi, alii non nisi Lytro mediante dimissi, posthac reliqui una cum aliquibus Rectoribus Scholarum, Studiosis, & reliquis mendicantibus ad insolitum Ius, & quidem sub prætextu Rebellionis citati: nonnulli in exilium acti: alii ad triremes & mare missi, ubi plurimi mortui, unus etiam post Carnificis trinariam torturam vivus combustus, reliqui vero ab officiis suis extortis ab iisdem Reversalibus remoti, ita ut plurima Templa sine Ministris, Populus absque ullo Cultus Divini exercitio ad instar pecudum vivere coacti fuerint, non pauci Infantum absque Lavacro Sacri Baptismatis diem suum clauserint, claudantque. Nobiles, ita & misera plebs, variis excogitatis sub prætextibus incaptivabantur; capti in Compedibus ad Sacra deducebantur, nonnullis per vim ori Hostia intrudebatur ex Bonis suis, uno porrecto Bacello,

cello, ejiciebantur, & plerubique integræ possessiones cum interfectione cujusdam Nobilis expilabantur. Alii à ministris Evangelicis copulati, vel aliter Ministerio eorundem usi ad Sacratissimam sedem citabantur, alii vero propterea mulctabantur, & sæpe Religionem mutare vi cogebantur: Ad solvendum Parochis Catholicis, militari etiam executione mediante, compellebantur, alii etiam Nobiles, dum in privatis ædibus ordinarias & domesticas suas ad Deum fundebant preces, vel sacros decantabant Psalmos, etiam per extraneæ Militiæ Officiales ritu malefactorum arrestabantur, & non nisi data fide jussionis cautela vel extorsione Lytri dimittebantur. In quibusvis Confiniis, quamvis speciales à Majestate Vestra Sacratissima de libero Religionis exercitio obtentæ fuissent Protectionales, per officiales tamen hujusmodi locorum Ministri Evangelici eum in finem introduci non permittebantur: Nobiles in Comitatibus nonnullis Evangelici ex judicatus officio omnes ejecti, unde nec ad generalia Regni Comitia Ablegati de medio Evangelicorum modo solito deputari quiverunt. In non nullis Civitatibus ac Oppidis Regiis & privilegiatis Magistratus locorum alibi totaliter, alibi vero, non nullis exceptis, ejecti, eoque intuitu Electiones Senatus, ac aliorum officiorum contra mentem Privilegiorum interturbatæ, dum non antiquo more libera Electione per Cives, sed per Cameræ Hungaricæ Commissarios, ac in confiniis per eorundem Officiales peragebantur. In aliquibus Civitatibus ac Oppidis privilegiatis & Regiis, Evangelici in suis publicis institutis Consultationibus exclusi, cum tamen Vestra Majestas Sacratissima benignas suas Regales non modo ad Senatum, sed ad totam Communitatem, Clementissime direxerit. Attamen saltem Catholici convocati, & ad Comitia Regni exclusis Evangelicis, contra morem solitum, tantum ex Catholicis Ablegati missi Evangelici, ut ut Indigenæ, in numerum Civium minime vel difficulter recipiuntur: Bona emere prohibentur. Non nullarum Civitatum Magistratus Evangelici ad instantiam Fisci Majestatis Vestræ Regii, ex eo quod Catholicos ad Officia Civilia non adhibuerint, licet Personas Civiles Catholicas ad id idoneas non habuerint, gravissime sunt mulctati: Aliarum Civitatum Templa cum Parochiis & domibus Civilibus, in præjudicium etiam Iuris Patronatus & proprietatis, Patribus Iesuitis sunt tradita, quæ iidem occupando se in iisdem stationibus firmarunt, Contradictionibus Civium interpositis vel suppressis, vel ad cassationem Contradictionis Cameraliter coactis. Mechanici ad insolitas Ceremonias adacti: Nonnullorum Mechanicorum privilegia vetusta ablata & dilacerata, nova ipsis in oppressionem Evangelicorum per vim imposita, unde non nisi mutata Religione in Consortium recepti. In multis locis Copulæ, Baptismata, aut Introductiones non peractæ, donec similiter Religio mutata, aut spes mutationis facta: Pia Legata Evangelicorum pro conservatione liberi Exercitii ejusdem Religionis destinata, per larvatos Processus, ac subsecutam vim abstracta, contra mentem Testatorum in alios usus conversa, aliaque quam plurima acta, quæ in specie hic exprimere eo respectu intermittere voluimus, ne Majestati Vestræ Sacratissimæ primo statim intuitu necessaria & prolixiori deductione in immensum excrescentes paginæ fastidium parere possint, parati primo quoque tempore, summa necessitate etiam ita urgente, generalitatem nostram specialius ac fusius humillime repræsentare. Quare repetitis quoque præmemoratis nostris prioribus Gravaminibus, iisdem adjunctis eorum supplicibus Memorialibus, ad Majestatis Vestræ Sacratissimæ Augustissimum Thronum demississime denuo confugimus, per Viscera Misericordiæ Divinæ orantes, dignetur Clementissime huic nostræ calamitati condignam medelam authoritate Regia stante adhuc hac Diæta, vi gratiosissimi sui Diplomatis adhibere, læsos & damnificatos in integrum restitui facere, ac Turbatoribus liberi Exercitii Religionis juxta meritum punitis, afflictum Statum Evangelicum in pristinam ac firmam securitatem, in qua Diplomatice & legaliter erant, collocare.

Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam, non solum ardentissimis pro incolumitate Majestatis Vestræ Sacratissimæ & Augustissimæ Domus Austriacæ perennitate, ad Deum fusis precibus, verum etiam perpetua fidelitatis subjectione humillime demereri omni studio contendemus, benignissimam quantocius à Majestate Vestra Sacratissima præstolaturi Resolutionem, tanquam

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Humillimi perpetuoque fideles Subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

LXXX.

80. Cancellarii Austriaci ingenua confessio.

LXXX. Memorabile est responsum, quod Aulæ Cæsareæ Cancellarius ab Hocher Ablegatis Evangelicis Hungaricis die 24. Junii occasione hujus Memorialis dedit his verbis: Injuriæ illæ in memoriali expressæ si per decem saltem dies ab Evangelicis toleratæ fuissent, admirari quis deberet patientiam, nedum cum per decem Annos exantlatæ calamitates fuerint, quod responsum infra in Actis Comitialibus suo loco videre est.

81. Catholici retorsione utuntur, quam non probant.

LXXXI. Cœterum dum Catholici ad hoc Memoriale replicarent, nihil de his exserte inficiati sunt aut refellerunt, sed omnia præcipue hoc quasi solo solitoque suo argumento excusarunt, quod olim paria & majora Catholici ab Evangelicis perpessa fuerint, quod ipsum tamen etiam generaliter allegatum & subinde recoctum nunquam satis probatum dederunt, cum vicissim Evangelici generaliter negassent & probationem postulassent.

82. Decennium persecutionis finitur A. 1681.

LXXXII. Tandem decennium illud infaustum persecutionis Evangelicorum truculentæ Anno 1681. evolutum est, cum in Comitiis tunc Soponii habitis persecutio illa per Articulos eam prohibentes sisteretur.

83. Post 19. annos Comitia demum indicta.

LXXXIII. Novendecim tunc Anni ab Anno 1662. excurrerant, quod neque universalia Regni Comitia celebrata, neque articuli pro abrogandis abusibus, qui irrepserant in puncto Religionis, vel pro vindicandis hac in re Legum Regni violationibus & transgressionibus, quæ cumulabantur quotidie, promulgati fuissent. In tanta ergo confusione & impunitate Clerus Catholicus eo magis animum sibi sumpserat Leges pragmaticas super securitate & libertate Religionis ipsomet consentiente latas, licentius conculcare, & ultimum Religionis Evangelicæ exterminium omni nisu promovere, quo magis artibus suis se id jam effecisse compererat, quod superioribus in diætis Religionis gravamina rejicerentur, & effrænatæ libidini Religionem illam plane delendi nullus plane obex hactenus positus fuerit. Cum autem præviderent & metuerent tandem, in aliis Comitiis licentiam illam qua Legibus Regni contravenire magis magisque audebant, retusum iri, omni molimine studebant, ut celebrationem Diætarum universalium impedirent.

84. Clerus Comitiorum celebrationem protrahere solet.

LXXXIV. Sane si Regnicolæ Hungariæ justas habent causas dolendi, quod nunc temporis Comitia Regni universalia tam raro habeantur, injuriam Clero Catholico non facere videntur dum ipsi imputant, quod sit mali istius autor & causa. Quemadmodum enim diu noctuque de eliminanda è Regno Hungariæ Religione Evangelica cogitat, inturbito piscari avet. Dum enim sibi & intentioni suæ obstare videt Pacificationes, pacta, & Leges publicas, licet se consentiente latas, adeoque bene perspicit, attentata sua neque tolerari, neque permitti posse, ubi ad discussionem Diætalem pervenerint, Comitia semper summo molimine impedit, eodem consilio, quo rei Judicia subterfugit, & quantum in illis est, plane tollere satagit, quo legum vindictam evitet.

85. Suam tantum utilitatem curat, non Regni.

LXXXV. Et quamvis probe sciat Clerus Catholicus, se totius rebellionibus & bellis intestinis, imo plerumque etiam Turcicis, per suas persecutiones Religionis Evangelicæ in propria Patria ansam dedisse, eoque ipso Regem suum in summum periculum amittendi Regni omnesque Regnicolas per cædes, incendia, & vastationes innumerabiles in summam miseriam præcipites dedisse, nihilominus zelo indiscreto & propria utilitate, nec non avidissima libidine ab exuviis & prædis Evangelicorum, ex sua sententia eliminandorum, ditescendi occœcatus adeo est, ut præferat privatum utile publico Regis & Patriæ Regnicolarumque saluti, neque eum pudet summa imis miscere & Patriam in extremam calamitatem protrudere, dummodo suam expleat avaritiam aut sævitiam nunquam explebilem.

86. Prætextus Cleri Comitia dissuadentis.

LXXXVI. Callet tamen scite obvelare utrumque finem suum prodictus Clerus pietatis fallaci prætextu, dum Aulam, imprimis pientissimum Imperatorem præoccupat admonitionibus suis, non sufflaminandum esse opus divinum, neque turbandos esse circulos pii ipsorum zeli, quo Hæreticos ad sanctissimum gremium Ecclesiæ, & ad ovile Christi palantes & oberrantes oves reducere allaborant; Et quia illud plerumque evenit, quando in Diætis universalibus Hæreticis tanquam majori Regnicolarum parti, libertas præbetur ad Leges Regni provocandi, & tandem vociferandi, donec reiterationem de servandis pactis & Legibus publicis libertatem Religionis sancientibus obtineant, proinde operose inculcant pientissimo Impera-

tori, injuste factas esse leges & pollicitationes illas, quibus Hæreticis securitas & libertas asserta est, adeoque non servandas, licet mille juramentis corroboratæ fuerint; Sin autem Sacra Cæsarea Majestas Religioni sibi ducat Jurisjurandi Sacramento proprio aperte contravenire, consultum tamen ad minimum esse, ut per indirectum idem tandem efficiat, & ipsi Clero, laxiori ad violandum pacta & leges publicas conscientia ex prærogativa Clericali præ cæteris Hominibus prædito, per mittat, ut pium opus ipse prosequatur, Comitiorum autem indictionem interea Aula quantum fieri poterit, semper protelet. Comitia enim pessimum populi inventum & subsidium esse, quo & dilatandæ Majestatis Monarchicæ pomœna & potestatis Cleri augendæ ambitus nimium coarctantur: Satius ergo esse nulla plane aut rarissima indici Comitia in quibus populus libertatem & privilegia Hæretici autem securitatem & libertatem Sectæ suæ continuo crepant, & importunis desuper clamoribus aures Majestatis Regiæ obtundunt.

87. Cur nulla hactenus Comitia indicta.

LXXXVII. Decimus octavus iterum jam volvitur annus, quod ab ultimis Comitiis Posonii Anno 1687. celebratis Diæta universalis indicta non fuerit. Neque dubium est, quin Clerus Catholicus denuo tantæ protelationis ex parte autor fuerit. Prævidet enim persecutiones & violentias exorbitantes, quas denuo intra illud temporis intervallum summa & inverecunda licentia contra Leges Regni impune patravit, ad incudem revocatum & abrogatum iri.

LXXXVIII. Aperiant ergo oculos cœteri Regnicolæ & videant tandem, si quidem ipsorum revera interest, crebrius & quovis triennio ex legum præscripto Comitia celebrari, quod Clerus Catholicus vel maxime Comitiorum indictionem semper dissuadeat & præpediat propter utilitatem & vindictam propriam, quam ex persecutione & exterminio sic dictorum Hæreticorum quærit, nihili existimans, si ea propter integrum Regnum & universi Regnicolæ Catholici æque ac Evangelici pessum eant, & in extremam calamitatem præcipitentur. Si hoc durius dictum videbitur, audiemus mox in proxime subsequentibus Paragraphis & Actis Diætæ Anni 1681. ipsummet Statum Catholicum secularem, idem hoc Clero Carholico aperte & in faciem exprobrantem. 88 Expergiscimini tandem ò Regnicolæ.

SE-

SECTIO SECUNDA
Periodi Tertiæ.

De novo consilio Cleri Catholici quo satégit, ut articulus Comitiorum de An. MDCLXXXI. & MDCLXXXVII. insciis Evangelicis clausulæ & expressiones nonnullæ aliaque insererentur, quorum sinistra interpretatione omnes præcedentes Leges Regni, quæ de Religione Evangelica agunt, inverti possent, quo ipso fundamenta ad novam persecutionem Religionis jacta sunt, eaque denuo adornata est.

CONSPECTUS SECTIONIS II.

PERIODI TERTIÆ.

89.

Diæta Anni 1681. urgente necessitate, tandem invito Clero indicitur. 90. *Artificium Cleri, quo Gravamina Evangelicorum excludere tentat à Comitiis.* 91. *In Comitiis Anno 1681. exclusionem gravaminum Religionis denuo tentat Clerus.* 92. *Clerus detrectat instantiam pro satisfactione Status Evangelici facere.* 93. *Clerus gaudet in sinu scissionem Comitiorum ab Evangelicis decerni, eiusque pro- & obtestationes nihil curat.* 94. *Catholicus Status secularis iniquæ Cavillationi Cleri indignatur, & cum Statu Evangelico contra illum causam communem faciens Clerum acerbe increpat, & publice objurgat.* 95. *Memorabiles exprobrationes Catholici Status Secularis, quibus Clerum Catholicum publice redarguit.* 96. *Memorabile Iudicium Palatini & Personalis Hungariæ de impertinentia & injustitia Cleri Catholici.* 97. *Agnoscant Catholici Seculares Regnicolæ, Cleri obstinationem causam magnorum malorum Regni esse.* 98. *Catholici Seculares Regnicolæ subolfaciunt Interesse Cleri Catholici, eumque amore ejusdem ruinam Regni nihil curare.* 99. *Catholici Seculares penetrant rationes cur Pastores Evangelici sudes sint in oculis Cleri Catholici.* 100. *Penetrabit tandem etiam Aula secretum Cleri.* 101. *Clerus præcipitat Colophonem Diætæ Anni 1681. ut excludat satisfactionem Evangelicorum.* 102. *Effecit techna sua Clerus, quod intendebat, cuduntur enim articuli in negotio Religionis ad placitum Cleri absentibus Evangelicis.* 103. *Evangelici desuper protestantur & Imperator protestationem pro justa agnoscit, eamque acceptat.* 104. *Testimoniales Regiæ super admissa acceptataque protestatione Evangelicorum contra Art. 25. & 26. Anni 1681. cum inserta protestatione.* 105. *Articuli Diætæ Anni 1681. de negocio Religionis.* 106. *Hi duo Articuli in scaturiginem novarum persecutionum pervertuntur.* 107. *Ex clausula salvo jure dominorum terrestrium evinci vult jus reformandi Religionem Dominis terrestribus competere.* 108. *Absurdissima est talis interpretatio, quia sic plus subdito Regis Nobili quam ipsimet Regi liceret. Talis interpretatio omnia pacta & leges de Religione frustratoria & illusoria redderet.* 109. *Bona fides respuit talem interpretationem.* 110. *Rex contra propria commoda laboraret, si admissa tali interpretatione cuilibet privato potestatem permitteret rebellionibus & bello regnum privato ausu involvere.* 111. *Quis verus sensus istius clausulæ esse posset.* 112. *Tale jus terrestre quod ius reformandi involvat, salvũ esse non potest, quia ante nõ exstitit.* 113. *Tale jus Evang. Dominis terrestribus nec permittitur nec ab ipsis prætenditur.*

Quanta absurditas sequeretur ex illo jure. 114. *Leopoldus Imperator contrariam intentionem Diplomate suo explicavit.* 115. *Objicitur Evangelicis , quod hæc clausula vetus & Catholicis obtrusa sit olim ab Evangelicis cum præpotentes essent in Hungaria.* 116. *Quam periculosam impressionem faciat hæc objectio in aula.* 117. *Falsa plane est hæc imputatio.* 118. *Si vetus esset illa clausula eo tempore inserta fuisset articulis, quo tres Palatini Hungariæ invicem subsequentes & Magnates tantum non omnes Lutherani vel Reformati erant.* 119. *At hoc falsum est.* 120. *Meram ergo calumniam continet hæc objectio.* 121. *Ex Diplomatibus regiis & pacificationibus probatur juri terrestri nunquam jus reformandi connexum fuisse, cum Dominis terrestribus toties vetitum fuerit turbare Religionem.* 122. *Si voluissent Evangelici Domini terrestres jure suo terrestri abuti, hoc ipsis prohibitum æque erat per articulos ac Diplomata.* 123. *Iesuitæ alios quidem terrestres Dominos Catholicos ad reformandum & expellendum subditos suos adegerunt.* 124. *Sed in proprius suis terris , in quibus jure terrestri gaudent Iesuitæ, per prudentiam œconomicam pepercerunt subditis Evangelicis , eorumque prædicantibus, ne quidè reditibus ipsis decedat, videntes aliorum pagos inhabitatos relinqui.* 125. *Si ergo pax & securitas in Hungaria stabiliri debet, clausula illa salvo jure terrestri expungenda vel restringenda est.* 126. *Anno 1606. inserta similis clausula : Absque præjudicio Religionis Catholicæ Romanæ &c. rejecta est & omitti debuit.* 127. *Facilius ergo & nunc omitti posset clausula illa salvo jure dominorum terrestrium.* 128. *Clero non indulgenda est insatiabilis libido exstirpandi Evangelicos.* 129. *Exstirpatio talis Deo non probatur , cum ille ne zizania quidem ante messem evelli velit.* 130. *Et exemplo Gabaonitarum ostenderit fidem datam non esse violandam.* 131. *Similia argumenta in oratiuncula proposita Augustissimo Leopoldo.* 132. *Gravamina Evangelicorum contra Articulum 26. de Anno 1681.* 133. *Eadem Diæta Anni 1681. alius articulus in favorem Religionis conditus est, ne à magistratibus & officiis excludantur Evangelici.* 134. *Artic. 41. Anni 1681. Ne Evangelici à Magistratibus excludantur.* 135 *Commendatur lectio Actorum Diætæ Anni 1681. quæ in appendice annexa sunt.* 136. *In Diæta ultima Anno 1687. libertatem religionis Evangelicæ à gratia Regis dependere statuitur.* 137. *Ratio sive prætextus hujus decisionis injustas, Leges enim Regni gravaminum Religionis complanationem jubent.* 138. *Imo præcedenti proxime Diæta promissum erat Evangelicis illos in hac ipsa Diæta à prosecutione prætensionum suarum non exclusum iri.* 139. *At dum Evangelici agunt, id quod præterita Diæta & legibus regni permissum erant , injustissime damnantur se excidisse beneficio legum.* 140. *Quanta miseria Evangelicorum si pro crimine habeatur , quod jure suo utantur!* 141. *Artic. XXI. de Anno 1687.* 142. *Status Evangelicus non defuit juri suo tuendo sed protestatus est contra hunc articulum & desuper Testimoniales Regias impetravit.* 143. *Testimoniales Regiæ.* 144. *Cur adeo parum de Religione actum sit in Comitiis Anni 1687. lector ad acta hujus Diætæ remittitur.* 145. *Digressio à legibus Regni de Religione ad modos , quibus Articuli de Anno 1681. varia interpretatione in persecutionem Evangelicorum detorti sunt.* 146. *Fons primus malarum interpretationum fuit quod prætensum fuerit à Clero Catholico, exercitium Religionis Evangelicæ à gratia Regia tantum dependere.* 147. *Secunda fallacia interpretationis fuit ignobiles omnes Exercitii Religionis libertate excidisse, adeoque ad mutandam Religionem cogi posse , nobilibus autem & civitatibus exercitium mediante ministro verbi divini negatum est.* 148. *Tertia fallacia interpretationis in eo commissa , quod miles præsidiarius exautoratus fuerit , quo loca præsidiaria libertate Exercitii Religionis exuerentur.* 149. *Quarta fallacia in impetratione Commissionum.* 150. *Prætextus talium Commissionum ex Art. XXVI. Anni 1681. petitus , sed perverso plane sensu.* 151. *Pro Commissariis infensissimi hostes Religionis Evangelicæ à Clero subornabantur.* 152. *Hujusmodi Commissarii crudelitatem pro medio promerendæ vitæ æternæ ex persuasione Cleri Catholici habuerunt.* 153. *Coram talibus Commissionibus Evangelicis nulla justitia administrabatur, sed per repetitas commissiones vel decreta ex Cancellaria omnia in detrimentum Religionis præcipitabantur.* 154. *Ex his fontibus scaturiere gravissima flumina persecutionum, quarum atrocitas vix credibilis videtur.* 155. *Multiplicia violentiæ genera , quibus Domini terrestres Subditos suos ad mutandam religionem suam coegerunt.* 156. *Processus contra illos, qui relicta Religione Catholico-Romana Lutheranam vel Reformatam amplexi erant.* 157. *Exempla in hanc rem afferuntur.* 158. *Ministri Evangelicorum*

eorum quam diris modis vexati, & quibus artibus seculares Evangelici excruciati fuerint. 159. *Nec Evangelicorum Dominorum terrestrium subditis licuit sine afflictione & cruce propter religionem nasci, mori, aut vivere.* 160. *Exemplum puerperarum à Parocho Catholico subdole Templo inclusarum, quæ tandem de fenestra prosilierunt.* 161. *Alia Exempla afflictionis ob mutatam Religionem Catholicam* 162. *Mortuis sepultura & campanarum usus denegatur, & puniuntur cognati, quod ad moribundos non vocaverint parochos Catholicos.* 163. *Iesuitæ jubent cadaver Evangelici effodi & projici sub Dio.* 164. *Nobilibus Evangelicis exercitium Religionis mediante ministro denegatur & parochi Catholici jura stolæ exigunt contra articulos Regni.* 165. *Liberi Evangelicorum invitis parentibus à Iesuitis Religione Catholica imbuuntur.* 166. *Quo prætextu templa, scholæ reditus, Ministri Rectores Evangelicis adimuntur.* 167. *Ad sedem Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis trahuntur causæ in Consistoriis Evangelicorum juxta sua principia decisæ.* 168. *Parochi Catholici propria etiam autoritate templa Evangelicorum occupant, quod tamen subinde non ex voto ipsorum successit.* 169. *Ridicula admodum historiola parochorum Catholicorum in pago Miava à mulierculis faceta comminatione expulsorum.* 170. *Scholæ Evangelicorum tantum ad rudimenta trivialia per contrariam legibus interpretationem restringuntur.* 171. *Ad juvandam pravam interpretationem Evangelici à Magistratibus arcentur.*

LXXXIX.

89. Diæta A. 1681.

QUemadmodum Rebellionum & bellorum Turcicorum summa necessitas sæpius Comitia, invito reluctante & dissuadente Clero Catholico, ut plurimum habenda esse suasit, ita etiam Anno 1681. contigit, quod tandem post 19. Annos Diæta celebrata fuerit.

90. Clerus gravamina Evangelicorum excludere tentat.

XC. Nunquam uno artificio exhauritur Cleri industria & vaframentum, quo medelam malorum publicorum, ubi proprio interesse adversatur, impedire callet. Impedit & dissuadet variis sub prætextibus simulatis, quantum potest (at quid non potest inprimis in Aula Cæsarea!) ne Comitia indicantur, sed ubi periculum, quod ipse plerumque suis persecutionibus & Legum violationibus regno accersit, dilationem amplius non admittit, ad alias technas refugit. Nam ubi Clerus Comitia universalia, eo quod metuat, violationes Legum de Religione latarum repressum iri, diutius impedire non potest, tunc discussionem gravaminum super Religionis Evangelicæ oppressione admittere non vult, causatus illa privata concernere jurgia; & impudentiam sapere, querimoniis privatorum deliberationes super urgentibus totius Regni necessitatibus interpellare, & ejusmodi rixis particularibus interrumpere, cum Diæta universalis indicta fuerit, ut de Bello Turcico vel Rebellione sedanda in medium consulatur; non ut tempus altercationibus futilibus Hæreticorum inutiliter teratur: quasi vero ad publicam Regni tranquillitatem conservandam pertineat negotium momentosius in universalibus Comitiis tractandum illo ipso, quod longe majorem partem Regnicolarum concernit, & in quo, quotiescunque major illa pars per Legum violationes læditur & opprimitur, semper novi motus & Bella intestina quacunque occasione favente accenduntur.

91. An. 1681. exclusio denuo tentata

XCI. Idem hoc Artificium succidaneum adhibuit Clerus Catholicus Anno 1681. in Comitiis eoque confidentius sperabat consilium hoc successurum esse, quod Anno 1662. bene ceciderit. Inde sub initium Comitiorum nihil de Gravaminibus Evangelici Status admittere volebat, sed eorum insertioni, in numerum gravaminum Regni juxta seriem conditionum Sacri Diplomatis more consueto faciendæ, præfracte obstrepebat. Tandem tamen cum Cæsarea Majestas ad toties reiteratas querelas Status Evangelici in scriptis pollicita fuisset, gravamina Religionis certo levatum iri, neque se ante discessurum ex Comitiis, Clerus invitis dentibus in insertionem gravaminum istorum consensit, & invitus per ablegationem etiam commembri sui cum reliquis inter alia pro medela tribulationum Evangelici Status, cujus maxime fax & tuba ipsemet fuit, supplicavit.

92. Clerus detrectat pro Evangelicis intercedere.

XCII. Ast ubi Resolutio Cæsareo-Regia non omnino ex voto Status Evangelici ceciderat, & hic apud Prælatos & Magnates urgeret, quo conjunctim cum reliquis Statibus pro uberiori satisfactione Status Evangelici apud Cæsaream Majestatem instarent, adjungendo ex suo etiam gremio membrum pro ablegatione desuper ad Majestatem suam decernenda, Clerus deputationem alicujus Commembri ex Prælatis

ad hujusmodi ablegationem obstinatissime denegabat, causatus conscientiæ & dignitati suæ & Romanæ Ecclesiæ præjudicare sanctitati & adversari, si pro Evangelico Statu, ut libertatem & securitatem Religionis suæ postliminio consequatur, intercederet.

93. Clerus scissis Comitiis protestationes non curat.

XCIII. Cum ergo Status Evangelicus apud Clerum Catholicum, maximum & infensissimū hostem suum precibus & obtestationibus, quibus surdo narrabatur fabula, nihil effecisset, emanere ex conventu Regnicolarum, imo re infecta à Comitiis discedere decernebat, prius tamen publice declarabat, sibi aliorum politicorum & temporalium gravaminum complanationem nullo futuram esse solatio, si illa urgentissima in negotio Religionis non corrigantur, paratos se esse, imo desiderare ipso facto, confestim cum dilectis Conjugibus, charissimisque liberis potius mori, quam in captivitate ista, tam conscientiæ quam corporali, ubi per Clerum vel propter quotidianas ad Deum fundendas preces carceribus manciparentur, caperentur, citarentur, mulctarentur, Bonis suis privarentur, & diversimode exagitarentur, vitam miserrimam diutius trahere.

94. Status Secularis Clerum objurgat.

XCIV. Tum demum universus Status Catholicus Secularis, Cleri cavillatione iniqua irritatus, indignabundus Statui Evangelico assurgit, & causam communem cum Evangelicis faciens acerbissime Clerum intercrepat & publice objurgat.

95. Exprobrationes Status Secularis.

XCV. Exprobat quippe Clero Catholico inter alia hismet verbis: *Frustra omnia tractari nisi prius negotium Religionis complanatum fuerit, nullique bono futurum, si summus apex modernorum tumultuum non complanatus missus fuerit: negotio Religionis non complanato & suspensa cætera parum proficere posse, inde enim conservationem aut interitum patriæ dependere: Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem in propositione sua Dictali jussisse, Status Regni, ut media & consilia pacificandi Regni suppeditarent, inter reliqua publica Regni Gravamina autem maxime præcipuum pacificandi afflicti Regni remedium esse complanationem Gravaminum Religionis, imo esse principalissimum sine quo non: Clerum non curare, etiamsi nunquam Diæta indiceretur, & nunquam complanatio injuriarum secularium sequeretur, Regnicolas vero æque Catholicos quam Evangelicos versari in periculo, Clerum, conglobatis & corrasis divitiis facillime Regno exire & aufugere posse. Seculares Catholicos & Dominos Terrestres fere similes persecutiones passos esse, quibus Evangelici pressi fuerunt, propterea quod ad nutum Cleri Prædicantes Evangelicos ex possessionibus suis ejicere, Templa occupare & subditos suos Evangelicos expellere domibus noluerint, se ergo nullo modo passuros, ut Gravamina Evangelicorum non complanata relinquantur, aut ut resiliat Clerus ab illo, quod semel ipsomet consentiente Gravaminibus insertum fuit:* Proindeque postquam Status Catholicus Secularis æque ac Evangelicus obtestatus fuisset Clerum per Deum, per sanguinem, per flammam in patria ardentem, totidem neces, deprædationes, spolia, Patriæ tranquillitatem, ut Diplomaticam Resolutionem super negotio Religionis conjunctim implorent, *tandem protestatur coram Deo, Angelis, & toto Mundo Christiano, se futuræ funestæ Regni cladis, & multarum Christianarum animarum interitus, cædis, & effusionis sanguinis, in tremendo illo Dei judicio innocentes futuros, totamque causam & reatum in boni publici pacisque & tranquillitatis Regni convulsores, quales Clerus Catholicus solus esset, redundaturum: iniquissimam etiam esse cavillationem Cleri redarguunt ipsimet Status Catholici, dum hic causatur Conscientiæ suæ adversari, ut omittantur persecutiones, ita enim omnes Leges Patriæ, Diplomata Regia, æque per Clerum ac secularem Statum Catholicum condita, conscientiæ contraria esse dictum iri cum tempore.*

XCVI. Improbat etiam Palatinus Regni, licet cœteroquin nimium Zelosus Catholicus, istam Cleri obstinationem, & fatetur, se juramento æque Evangelicis ac Catholicis esse adstrictum, adeoque probare modum procedendi Cleri non posse: *Ipsemet etiam Personalis Regiæ Præsentiæ, quamvis Catholicus, Clero hac in parte, mirum dictu, quantopere contrarius fuerit, in hæc Verba erupit: Nunc demum apparere, quisnam incendii hujus Patriæ autor sit, justam & æquam esse Evangelicorum instantiam: Cæterum si Clerus more hactenus sibi usitato etiam imposterum nil nisi reliquis Statibus & Ordinibus contradicere & resistere noverit, inque eo perrexerit, satius sibi esse deposito præsidis officio id ipsum Clero committere; verendum etiam esse, ne Clerus ob has & ejusmodi insolentias tandem Status pariter & suffragii privilegio privetur. Nam & Suæ Sacratissimæ Majestatis eam esse benignam*

96. Judicia magnatum de Cleri obstinatione.

gnam voluntatem , ut Clero pertinaciam suam exuere detrectante, reliqui status incumbentia agant. Habentur hæc verbotenus in subsequentibus Actis Diætalibus.

97. Pervicacia Cleri magnorum malorum causa.

XCVII. Liquet ergo ex hisce disceptationibus satis fervidis, quod ipsismet Secularibus fatentibus maxima, si non sola causa malorum Regni, ex oppressione Religionis Evangelicæ toties recrudescentium, sit Clerus, & quod non soli Evangelici, sed etiam ipsimet Seculares Catholici Regnicolæ de hac veritate convicti sint, eaque propter perdolenter ingemiscant, nec non aperte agnoscant, tranquillitatem Regni integram & perpetuam conservari non posse, nisi obstinationi Cleri Catholici obex ponatur.

98. Catholici seculares subolfaciunt interesse Cleri.

XCVIII. Sane quisquis cum secularibus Catholicis Hungaris cordatis familiarius consuescet & colloquetur, permultos reperiet, qui eadem cum Personali præsentiæ Regiæ sentiunt. Omnes enim emunctieris naris Seculares Catholici satis subolfaciunt privatum commodum & Interesse, quod Clerus Catholicus captat, ex persecutione Evangelicorum, juxta indiscretum nonnullorum zelum, verum illud & genuinum incitamentum esse, cur Clerus desistere à persecutionibus nolit, & quod amore privatæ utilitatis obcœcati Prælati non dubitent universos Regnicolas in extremam ruinam præcipites dare.

99. Iidem penetrant rationes cur pastores Evangelici odio sint.

XCIX. Fatentur etiam cordatiores Catholici Seculares, Pastores Evangelicorum propterea sudes in oculis Cleri Catholici esset, huncque illorum exilium & deletionem mordicus tentandam eapropter decrevisse, quod illi majori doctrina, eruditione, & scientia, nec non morum & vitæ exemplaris integritate plerumque præditi sint, quam Parochi vulgares sive Plebani pagorum Catholici, ut plurimum in Hungaria idiotæ, ignavi, & nihil minus quam sanctitatem vitæ plerumque cogitantes; ut ergo populo auferatur scandalum, quod in tam evidenti discrimine Pastorum Evangelicorum & Plebanorum Catholicorum nimis manifeste in oculos incurrit, omni nisu abigendos esse illos, persistit Clerus, ut ignorantia morumque dissolutio plebanorum Catholicorum, nec non avaritia & Tyrannis Cleri ipsiusmet, sine obstaculo illa incrementa sumere valeat, quæ in aliis provinciis, ubi dissentientis Religionis adversarii nulli adsunt, Clerus exercet. Hoc enim certe neutiquam negari potest, Clerum Catholicum infinitis parasangis magis eruditioni, morumque & vitæ probitati inprimis autem moderationi studere in illis Regionibus, ubi cum Evangelicis cohabitat, eorumque vitam & doctrinam, sicuti cos coteacui, & ad scandala evitanda adversariorum exemplo excitari & adigi. Fatetur ipse Clerus Galliæ, se Hugonottarum doctrinæ & moribus debere fastigium eruditionis, quod præ cæterarum Catholicarum Regionum Clero assecutus est. Et quis non perspiciat, prærogativam Cleri Germanici in vitæ doctrinæque moderatione præ aliis Ecclesiasticis ex eadem causa provenire?

100. Penetrabit tandem etiam Aulæ secretum Cleri.

C. Addiscet fortassis tandem aliquando etiam Aula Cæsarea, quod libidini Cleri Hungarici, bella ex arbitrio suo excitandi, connivendum diutius non sit, & quod Rex authoritate sua, qua pollet, retundere tandem debeat perennem illum pruritum obluctandi, & Legibus Regni Diplomatibusque Regiis, quæ pro conservatione Coronæ & Regni inevitabiliter necessaria deprehenderat Aula, contraveniendi. Utinam Ministri Cæsarei cordati & perspicaces eandem sententiam amplecterentur, quam Personalis Præsentiæ Regiæ Hungaricus paulo supra professus est, certe magna seges tumultuum intestinorum brevi rescinderetur, non adeo facile deinceps repullulatura.

101. Clerus præcipitat Colophonem Diætæ A. 1681.

CI. Tandem quidem post tot tantasque objurgationes Clerus Catholicus manus dedit, & ablegationi prædictæ ad Palatinum consensit, attamen cum Diætæ finis accelerares, ut optatam satisfactionem Evangelico Statui, quam adhuc tum urgebat, præscinderet, ipsemet Resolutionem Cæsaream ultro acceptat, & se in illa nil amplius desiderare declarat, eoque ipso Colophonem Diætæ præcipitat, novo hoc artificio impediens, ne Status Evangelicus Hungariæ majorem consolationem & prolixiorem satisfactionem accipere possit, insimul eo ipso etiam favorem Aulæ abiturientis captans.

102. Cleri technæ in cudendis articulis.

CII. Neque defecit eum successus: Status enim Evangelicus cum propter præjudicium, quod juste timebat, adesse exhibitioni gravaminum periculosum existimaret, neque communicationem aut consuetam prælectionem Articulorum, qui in negotio Religionis con-

confecti essent, obtinere potuisset, Clerus cum reliquo Catholico Statu Articulos pro suo lubitu & arbitrio tales concepit, & concinnavit, quales voluit, insciis & inauditis Evangelicis. Et hinc illæ lachrymæ, quibus truces illi morsus anguis istius quem destinato consilio sub herba clausulæ, de salvo Jure Dominorum terrestrium, astute & occulte nimis abscondiderant, hodienum ab isto tempore à statu Evangelico deplorantur.

103. Evangelici protestantur. CIII. Desuper tamen Status Evangelicus solenniter protestatus est, & publice declaravit, Articulos istos se inscio, absente, & plane ignorante, quid contineant, cusas esse, adeoque in illos consentire, illosve pro Articulis Regni agnoscere & acceptare non posse, exindeque ullum præjudicium sibi attrahi nequire. Quam protestationem tantum abest, ut Sacra Cæsarea Majestas injustam vel rejiciendam esse reputaverit, aut ægre tulerit, ut potius perbenigne & gratiose jusserit, solennes Testimoniales de exhibita sibi protestatione & Jurium reservatione expediri, & sigillo Regio impresso, Statui Evangelico dari, quo de præjudicio avertendo securi esse possint, sicuti ex ipsis Testimonialibus quæ hic sequuntur videre licet.

104. Testimoniales Regiæ super admissa protestatione.

CIV. Nos LEOPOLDUS &c.

„ MEmoriæ commendamus tenore „ præsentium significantes, quibus expedit universis. Quod fideles nostri, Spectabiles, Magnifici, Egregii & Nobiles, Prudentes item ac circumspecti Augustanæ videlicet & Helveticæ Confessionibus addicti, feria tertia proxima post Dominicam infra octavam Nativitatis Christi Domini, die videlicet trigesima mensis Dec. Anni modo labentis millesimi sexcentesimi octuagesimi primi, alias in libera Regiaque Civitate nostra Soproniensi & Comitatu nominis ejusdem adjacente, habitam, ad Generalia prælibati Regni nostri Hungariæ partiumque eidem annexarum Comitia, in diem vigesimum octavum præterlapsi mensis Aprilis Anni præsentis supra recensiti, Fidelibus nostris universis ejusdem Regni nostri Hungariæ & Partium præscriptarum Statibus ac Ordinibus pro pertractandis publicis, iisque perarduis ipsorum rebus ac negotiis, per Majestatem nostram Regiam clementer indicta & promulgata, simul congregati, convocatique & Ablegati Nuncii nostram personaliter venientes in præsentiam, per modum & formam solennis protestationis & contradictionis proposuerunt ac detegerunt, proponique ac detegi curaverunt, eandemque protestationem & contradictionem suam Eidem Personali præsentiæ nostræ Regiæ inscriptis etiam exhibuerunt & præsentarunt, hujusmodi sub tenore. Universi & singuli Status & Ordines Evangelici Regni Hungariæ pro præsenti Generali prætacti Regni Diæta, ad diem vigesimum octavum Mensis Aprilis Anni Millesimi sexcentesimi octuagesimi primi præteritum, in liberam hanc ac Regiam Civitatem Soproniensem, indicta, præsentes, per modum solennis protestationis & gravis querelæ proposuerunt in hunc modum. Qualiter sub decursu modernæ Diætæ, & quidem statim ab initio ejusdem, exulceratum inde ab An. 1649. pridem evoluto, mille modis turbatæ, ac tandem 1670. ab annis, fere ad totale exterminium conquassatæ Religionis Evangelicæ vulnus, Suæ Majestati Sacratissimæ Domino Domino & Regi ipsorum clementissimo, primum ad partem duntaxat non modo idem Protestantes humillime detexissent, ac benignam à tanto temporis tractu de uno in alium generalem Regni conventum dilatam, jam tandem tot malis clementer adhibēdam medelam anhelo spiritu implorassent; verum etiam id ipsum universi Status & Ordines Regni & partium eidem annexarum publicis suis gravaminibus accensendo, pro Diplomatica complanatione alte nominatæ Suæ Majestati serio ac iterato repræsentassent; utut autem bene memorata sua Majestas inter puncta benignarum suarum resolutionum, hoc quoque in passu iteratis, ac tandem ultimaria vicibus sese in sequenti resolvisset. „

„ Primo. Pacificatio Viennensis in totum & maxime in primo Articulo utramque Religionem concernente, in omnibus repetitur & confirmatur. „

„ Secundo. In supplementum &c. „

„ Tertio. Neque dicti &c. „

„ Quarto. Ultra libertatem &c. „

„ Quinto. In locis &c. „

Sex-

Sexto. Nullæ etiam &c.

Septimo. Propter bonum &c.

Octavo. Poſonienſibus &c.

Nono. Civitas Sopronienſis &c.

Decimo. Quoad reliquas &c.

Undecimo. In Comitialibus &c.

Duodecimo. Permiſſum etiam &c.

Decimo tertio. Cum Romano Catholicis &c.

Decimo quarto. Si quæ gravamina &c.

Decimo quinto. Sub gravi &c. (concluſio) Unde Sua quoque Majeſtas &c. (uſque ad) Regni Status, Ordines & Incolas Suæ clementiſſimæ Reſolutioni omnino acquieturos.

Quia tamen iidem Proteſtantes per præviam benignam Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis reſolutionem votis univerſorum Regnicolarum, tanto minus ipſorum Evangelicorum minime ſatisfieri, quin potius Sacris Diplomatibus & Legibus Regni præjudicare adverterent: Ut enim præcitatus Articulus primus alias ſuperioribus tēporibꝰ per Statum Catholicum in diverſum & exoticum ſenſum diſtractus, ac poſtmodum non ſaltem authenticis inſtrumentis, verum etiam Diplomate Regio Anni Milleſimi Sexcenteſimi quadrageſimi ſeptimi mediantibus, in ſuum genuinum & nativum ſenſum reductus & declaratus, ſimpliciter renovetur, taliterque tot indirectarum interpretationum, quæ hactenus Evangelicam Religionem aſperrime collidebant, fomes exſuſcitetur: Ut deinde Evangelicæ Religionis Exercitium alias vigore Sacrorum Diplomatum per univerſum Regnum liberum, ad certa loca duntaxat reſtringatur: Ut porro templa ab anno præſcripto milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo (ac etiam, uti manifeſtæ ſequelæ eſt, antecedenter) occupata præ manibus violentorum occupatorum remaneant, ac pro nonnullis loca duntaxat deputentur: Ut denique Dominis terreſtribus in negotio Religionis erga ſuos ſubditos, conſequenterque animas ipſorum jus & arbitrium quoddam ſupermaneat, & alia in prætacta benigna reſolutione contenta, ſacris Diplomatibus abſolute caverentur, ſed & alia ejusdem benignæ Reſolutionis Diplomati non repugnantia vim novæ conceſſionis præ ſe ferrent, & puncta eadem, quaſi nullo præexiſtente Diplomate, precario indulgeri videntur. Quæ æque ac alia acceptare citra reſultum à Sacro Diplomate integrum minime foret. His igitur ac aliis, præmiſſa puncta benignæ Reſolutionis inſpicienti, luculentiſſime apparentibus, prægnantibus ex rationibus, dum memorati Proteſtantes iisdem acquieſcere nequiſſent, inſtantia ad Statum Catholicum, ut negotium Religionis cum aliis adhuc eorum irreſolutis punctis, Suæ Sacratiſſimæ Majeſtati pro benigniori reſolutione denuo præſentetur, facta, eaque per Statum Catholicum non admiſſa, neceſſitati ſuperinde ſuam Sacratiſſimam Majeſtatem medio demiſſorum ſuorum memoralium interpellare; Interea vero Statu Catholico ad articulorum confectionem procedente, etiam ſeſe à communi conſeſſu Regnicolarum tantiſper, uſque tum finalis Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis reſolutio obtineri potuiſſet, abſentare. Verum ubi ultimaria benigna Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ, priorem per omnia repetens ſuperveniſſet reſolutio, toties fati Proteſtantes ſeſe in Articulorum ſuper aliis tractatibus Diætalibus edendorum confectione, exmiſſo è ſerie eorundem, Religionis, tanquam ad normam Diplomatum & Legum Regni, minime reſoluto, proceſſuros, reſolviſſent, prout etiam ad finalem diætalium laborum concluſionem, præmiſſa expreſſa cautela interjecta, proceſſiſſent: His tamen non curatis, Status Catholicus citra conſenſum eorundem Proteſtantium, & in ruinam ipſorum, favorem autem ſui, eosdem proteſtantes opprimentis, etiam in negotio Religionis certos articulos compilaſſet. Quo iisdem innoteſcente, ac tempore ſolitæ præſentationis Articulorum diætalium jam jam approximante, tam coram Excellentiſſimo Domino Comite Palatino, quam Domino Perſonali, ſeſe declaraſſent; quod Articulos in reliquis Regni negotiis concluſos, parati eſſent Suæ Sacratiſſimæ Majeſtati pro confirmatione humillime præſentare; dummodo aliquis in negotio Religionis conditus iisdem non annectatur, alioquin in hujusmodi præſentationem ſibi valde præjudicioſam & nocivam conſentire non poſſent: Unde prærepetiti Proteſtantes ſperaſſent fore, ut aliis diætalibus tractatibus & Articulis Suæ Sacratiſſimæ Majeſtati demiſſe præſentatis Religionem concernentes exmitte-

rentur; tantum tamen abest, ut hoc fieret, ut potius, ubi hesterna luce Generosus Dominus Valentinus Szenthe Vice-Palatinus (qui eo tum Domini Personalis, alias ob paroxismum quartanæ eadem ipsa die recurrentem absentis, munus obibat) præsentationis mentionem fecisset, ab antelatis Protestantibus, num Articuli Religionem tagentes inter reliquos contineantur, quæsitus; eosdem ne directo quidem responso dignaretur, sed dum prærepetiti Protestantes, quid in tali ancipiti rerum statu opus esset factu, animis hærerent, præ declaratis Articulis coram Regnicolis minime perlectis, cum tamen eosdem, ipso quo præsentarentur die perlegere antiquissimi & usitati moris esset; cum cœteris Dominis Catholicis ad Augustissimam Suæ Sacratissimæ Majestatis Aulam, Articulos præsentatum perrexerit, nobis in Domo Regnicolarum anxiis relictis, præjudicio Status Evangelici valde gravi & manifesto. Quamobrem præmentionati Protestantes, juribus suis mature prospectum iri volentes, cum prærepetita sua solenni protestatione, hujusmodi Articulorum Religionem tangentium compilationi, confectioni & ex post modo prævio subsecutæ præsentationi, ac iisdem etiam articulis tanquam citra consensum attactorum Protestantium confectis & subsecutis, juribusque eorundem nimis præjudiciosis, contradicunt protestando, & protestantur contradicendo; Declarassent se insuper, quod licet pro præsenti templorum, cœterorumque violenter occupatorum restitutionem, aliarumque infinitarum exantlatarum injuriarum complanationem consequi non licuisset: Prouti tamen innatæ Suæ Sacratissimæ Majestatis benignitati non diffiderent, quin eadem tot præfatorum Protestantium afflictiones sit cordi sumptura, oppressisque opem benigne latura; Ita etiam futuris semper temporibus sacris Diplomatibus ac Legibus Regni inhærere, ac iisdem uti, nec in minimo ab iisdem recedere velle: Prouti protestati sunt contradicendo, & contradixerunt, protestando, & sic sese declararunt:

Super qua quidem Protestatione & contradictione præsentes literas nostras, eidem Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis, jurium ipsorum futuram uberioremque ad cautelam necessarias, sub sigillo nostro judiciali & authentico apud memoratam Personalem præsentiam nostram Regiam dandas duximus & concedendas, communi suadente Justitia. Datum in prætacta Civitate nostra Soproniensi, die ultima prædicti mensis Decembris, Anno Domini millesimo, sexcentesimo, octuagesimo primo.

(L.S.)

Lecta & extradata per me Stephanum Orban, alte-titulatæ Suæ Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Personalis Præsentiæ in Iudiciis Locumtenentem & Consiliarium Mppr.

CV. Sequuntur duo Articuli Diætæ de Anno 1681. Religionem Evangelicam & Helveticam concernentes: 105. Articuli, 25. & 26. An. 1681. de negotio religionis.

Diætæ An. MDCLXXXI.

Artic. XXV.

De libero Religionis Exercitio.

ET quia propter bonum Pacis, tranquillitatemque Regni publicam in negotio Religionis quoque sua Majestas sese benigne resolvere dignata esset. Ideo eandem etiam Resolutionem Articulis Regni Status & Ordines inserunt, ac imprimis quidem cum liberum Religionis Exercitium, jam antea in Anno 1606. vigore Pacificationis Viennensis concessum, his motibus à parte nonnullorum interturbatum fuisset. Ideo confirmato hoc loci Articulo dictæ Pacificationis, idem exercitium omni-

mnibus & ubique per Regnum (salvo tamen jure Dominorum Terrestrium) juxta Artic. I. Anno 1608. ante Coronationem editum liberum permittitur, ac Prædicantibus quoque & Scholarum Magistris alias vel præscriptis vel propter certas Reversales munia suæ Professionis exercere non valentibus liber in Regnum reditus, liberaque Religionis suæ professio & exercitium cassatis eatenus etiam ipsorum Reversalibus conceditur: & nullus Regnicolarum in libero suæ Religionis exercitio à modo imposterum, quoquo modo turbetur. Sed neque Augustanæ & Helveticæ Confessioni addicti, ad ceremonias Confessioni suæ contrarias compellantur.

Artic. XXVI.

De Templorum & locorum pro iisdem ædificandis assignatione.

ADhæc Templa quoque per Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictos ædificata & ritu Catholico necdum reconciliata, per certos Commissarios eisdem assignanda, in aliis vero locis juxta benignam Suæ Majestatis Resolutionem Loca pro ædificandis Templis, Scholis & Parochiis erigendis, pro commoditate eorundem Augustanæ & Helveticæ confessioni addictorum per eosdem Commissarios designanda, ordine infra scripto decernuntur, quemadmodum etiam in omnibus Regni Comitatibus, & quidem signanter in Comitatu Castriferrei pro illis qui Augustanam Confessionem sequuntur, in Demock & Nemeschok: Pro Helveticæ vero Confessionis Incolis in Felsœ Eœr. In Comitatu Sopronienſi, in Vadosfalva & Nemesker. In Posonienſi in Rhete & Puszta Fœdemes. In Nitrienſi in Nitra, Szerdahely & Straza penes vagum. In Barsienſi in Simoyi et Szelezen. In Zolienſi, in Osztro-Luka Garamszegh. In Turoczienſi, in Neszpal, et Ivankafalva. In Liptovienſi, in Hybe et Nagy-Palugia. In Arvienſi in Felsœ Kubiny et Sztebnye. In Trenchinienſi in Szulovv et Zai Ugrocz. In Szepusienſi in Gergho et Potocz, vel Batiszfalva, non obstante quorumvis contradictione sunt permissa. In aliis vero Comitatibus veluti in Szaladienſi, Vesprimenſi, Iaurienſi, Comaronienſi, Abauvarienſi, Sarosienſi, Zeplinienſi, Vghocyenſi, Bereghienſi, Thornēſi, Gœmœrcenſi, Borsodienſi, Hontenſi, Neogradienſi, Szolnok et Heves, nec non Pest, Pilis et Soltdh, unitis. Item Szabolczenſi, Ungh, et Szatmarienſi, siquidem de præsenti essent in actuali usu omnium ferè Templorum ibidem habitorum, ideo eadem pro actualibus eorundem

STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG

dem possessoribus usuanda relicta sunt. Praeterea in confiniis Regni & quidem in Generalatu contra Canisam in Szentgrod. In Generalatu Jauriensi in Tihany, Vason, Papa, Veszprin Jaurini & Comaromii. In Generalatu antemontano Levae, Carponae & Fülekini. In Generalatu superioris Hungariae. In Putnok Onod Szendroe, Tockay, Kallo, Szathmar. In liberis vero Civitatibus, utpote Posoniensi Augustanae Confessioni addictis liceat aedificare suis sumptibus Templum unum in suburbio, in loco per eosdem Commissarios designando. Civitas porro Sopronienses maneat in possessione & exercitio suae Religionis, quam modo profitetur, nec in hoc turbetur. Ac tandem in liberis & montanis Civitatibus utpote Trenchiniensi, Modrensi, Cremniczensi & Novizoliensi, ac in superiori Hungaria omnibus itidem Civitatibus similiter loca pro aedificandis Templis, scholis & Parochiis assignanda conceduntur. Templa demum in quorum actuali possessione iidem Augustanae & Helveticae Confessioni addicti de facto sunt, modo praevio prae manibus eorundem una cum Parochiis & scholis Proventibusque eorundem, propter bonum pacis, ut nimirum quiete & pacifice vivant, relinquantur, usu sepulturae, & campanarum pro Catholicis ibidem degentibus aeque ac ipsis libero relicto. Interea vero nec Catholici Ministris Augustanae & Helveticae Confessioni addictis, nec vero horum sequaces Plebanis Catholicis ad mentem Artic. II. Anni 1647. solvere obligentur. Omnibus porro Magnatibus & Nobilibus in Regno degentibus, in arcibus & solitis residentiis suis pro ritu cujusque professionis, oratoria et sacella aedificare & dotare liberum sit. Posthac vero nullae Templorum, Scholarumque et Parochiarum occupationes, vel exercitii turbationes ab utrinque, sub poena in Artic. 8. Uladislai Decreti sexti expressa fiant. Per hancque Articulorum Concessionem iisdem Augustanae et Helveticae Confessioni addictis ulterior praetensionum suarum via in futuris diaetis instantias suas promovendi (non obstantibus Cleri, et aliorum secularium Catholicorum contradictionibus) minime praecludatur. Salvis semper eatenus Legibus Regni, Diplomate Regio firmatis.

CVI. Duo hi Articuli verbis quidem, in satisfactionem querelarum, quas integris voluminibus de gravaminibus & persecutionibus suis admodum truculentis ac atrocibus, Evangelici compilarant, conditi sunt, sed flagrans ille ac socialem discretionem aversans zelus Cleri Catholici, haud consultis nec consentientibus Evangelicis, qui tunc plenis instructi mandatis frequentes aderant, haud dubie praeter intentionem Regiam, ea machinatione astuque concepit & formavit, ut ipsimet Religioni nedum soli libertati ejus perpetuam insidiandi praeberent occasionem. Nam ut ut Articulo XXV. si

106. Hi duo articuli novarum persecutionum fomes.

si ad ſenſum priorum Legum, Pacificationum & diplomatum, quorum fundamento nititur, ut eo ſe exſertis verbis refert, examinetur & intelligatur (ſicuti publica bona fides expoſcit) nihil ſanctius in favorem Religionis Evangelicæ pacto jureque publico receptæ, nihil denique ſecurius libertati decerni optare videberis, attamen poſteaquam occaſione clauſulæ: *Salvo jure Dominorum terreſtrium* &c. huic articulo per parentheſin inſertæ, totus ille Articulus in eluſorium ſenſum torqueri à quibusdam cœptus erat, apparuit, eum in perennem ſcaturiginem malorum, in Religionem Evangelicam & ejus libertatem omnimode quidem, præprimis tamen in ignobilibus ſeu ruſticis opprimendam manantium, obtorto veluti collo mutatum eſſe.

107. Interpretatio clauſulæ ſalvo jure dominorum terreſtrium.

CVII. Nonnulli enim Domini Terreſtres, ad inſtigationem quorundam è Clero, depravato ſenſu clauſulam hanc in dominatum non ſaltem ſervitutis ac utilitatis corporeæ, quibus ſubditi obnoxii ſunt, ſed conſcientiarum tyrannidem detorſerunt, tanto rigore, ut non ſolum Ruſtici ſubditi huic torturæ ac carnificinæ conſcientiarum ſubjecti jam ſint, verum etiam in tantam impudentiam violentia interpretationis prolapſi fuerint, ut neque Barones neque Nobiles neque liberarum regiarumque Civitatum incolæ, tuti eſſe ac liberi queant.

108. Abſurda eſt & illuſoria.

CVIII. Abſurdiſſimam ſane eſſe hanc clauſulæ iſtius interpretationem exinde apparet, quod plus juris Dominis terreſtribus ceu Regis ſubditis tribuat, quam Regi ipſimet. Regi enim non licet ſubditos ſuos Proteſtantes in bonis Fiſci & terris domanialibus reformare, juxta pacta conventa Regni toties confirmata & jurata, quomodo ergo privato cuilibet Domino terreſtri attribui poteſt jus reformandi, quod alias merito ubique gentium inter ſumma Regalia & jura territorialia Principum, non jura terreſtria cujuslibet privati homunculi, cenſetur. Aut ſi tandem ſecreti conſilii intentio eo directa ſit, ut etiam jus reformandi in bonis Fiſci & domanialibus Regi contra jurata Diplomata Regum vindicare velit, omnia pacta conventa ſuper Exercitio Religionis fruſtratoria captioſa & illuſoria eſſent. Cum enim Ruſtici & Cives in civitatibus & vicis non legalibus, ſint ſubditi aut fiſci aut Cleri Catholici aut Nobilium: ſiquidem hi omnes vi juris Domini terreſtris reformare Proteſtantes poſſent, actum eſſet de Proteſtantium omnium libero Exercitio Religionis, quod illis tandem ſolis iisque paucis relinqueretur, qui in civitatibus liberis Regiis aut ſub Dominis terreſtribus Proteſtantibus, quorum exiguus plane eſt numerus, degunt. Iniqua autem talia conſilia in infinitum & ad non cogitata extendi compertum ſatis eſt ab hominibus, qui Spiritui caritatis, aſſumtis principiis contrariis, obluctari ſibi gloriæ ducunt, & ex perſecutionibus Chriſtianorum tantum meritum quærunt, quantum olim Ethnici perſecutores occœcati in extirpando Chriſtianiſmo ſibi imaginati fuerunt.

CIX. Fœda autem eſſet cavillatio, ſi poſtquam ſub fide publica exſertis verbis Decreti Sopronienſis de Anno 1681. omnibus & ubique per Regnum liberum Exercitium Religionis conceſſum eſt, illa conceſſio per iniquam interpretationem clauſulæ iſtius ita labefactari velit, ut aut nulli aut pauciſſimis proteſtantibus civitatum liberarum incolis, aut paucorum Dominorum terreſtrium Proteſtantium ſubditis illud relinquatur, ſane fides publica fraudulentas hujusmodi technas reſpuit. 109. Bona fides reſpuit iſtam interpretationem.

CX. Enormiter etiam impingeret Rex ipſe in prima principia ſanæ prudentiæ politicæ, ſi tali modo jus reformandi Dominis terreſtribus permitteret, eoque ipſo cuilibet privato arbitrium poteſtatemque tribueret rebellionibus anſam dandi & Regnum tumultibus concutiendi, nulla ſpe ſecuritatis ipſimet Regi relicta, cum ipſomet Rege regnicolas non gravante ſubditis ejus integrum eſſet, reformando eos ad deſperationem adigere. 110. Reſpuunt eam commoda Regis.

CXI. Verus ſenſus Clauſulæ iſtius alius certe non eſt, nec eſſe poteſt, quam ut ſalvum jus Dominorum terreſtrium ſeculare & quaſi corporale quoad exigendas ſervitutes, operas ruſticas, & reliquas præſtationes maneat, cum enim libertas ratione Religionis ſubditis aliam Religionem profitentibus, quam eam cui ipſorum Domini terreſtres addicti ſunt, conceſſa & confirmata fuiſſet, moveri potuiſſet dubium, ſubditos poſſe ſub prætextu hujusmodi libertatis articulis iſtis ſtabilitæ abuti, & eo abſurditatis uſque procedere, ut etiam dominium terreſtre excutere præſumerent, & prætenderent ſe obtenta libertate in Religione quam profitentur diverſam, liberos plane homines factos eſſe, neque amplius jugo dominorum ter- 111. Verus ſenſus clauſulæ.

terreſtrium, qui alia ſacra', quam ipſimet, ſequuntur ſubjacere. Ad præcavendum ergo hunc abuſum, Clauſula iſta ſuperabundantis Cautelæ gratia intelligi deberet, & ita ut pravæ inde detortæ conſequentiæ ſimul præſcinderentur explicanda eſſet. Tantum autem abeſt, ut conſenſiſſent Evangelici in novum plane jus in conſcientias & animas ſubditorum ratione Religionis reformandæ Dominis terreſtribus adjudicandum, ut potius omni niſu contradixiſſent inſertioni iſtius Clauſulæ, ſi deſuper cum ipſis communicatum, aut ſi interrogati fuiſſent, an velint ſibi ſuisque conſcientiis ejusmodi laqueos exitiales poni, fundamentumque ſtrui ad totalem exſtirpationem Religionis ſuæ brevi tempore ſubſecuturam, quale conſilium Catholici Cleri proximis temporibus præteritis inverecundo & crudeli invento novo in executionem dato erupit. Ea autem ſemper ſumenda eſt interpretatio, quæ cavet, ne actus in vanum & illuſionem recidat: & nemo credendus eſt, velle abſurda aut repugnantia voluntati & conſervationi ſuæ.

112. Jus terreſtre jus reformandi non involvit.

CXII. Deinde, ſalvum ſi cui jus ſervari dicatur neceſſum eſt, ut jus illud ante exſtiterit, at vero tale jus Dominorum terreſtrium, quo conſcientiis & animabus ſubditorum imperare, eosque ad ſuſcipiendam aliam Religionem cogere licuerit, nunquam antehac extitit, ergo novum eſt hoc jus, quod nuper tantum ex vatiniano odio erga Proteſtantes, excogitatum eſt, quodque ſub illo veteri jure Dominorum terreſtrium nullo unquam tempore nulloque modo comprehenſum intellectumve fuit.

113. Tale jus ab Evangelicis dominis terreſtribus nunquam prætenſum.

CXIII. Si jus Dominorum terreſtrium iniqua iſta interpretatione, quæ novo auſu nunc intenditur, jus reformandi & conſcientias cogendi involveret, idem competere etiam deberet Dominis terreſtribus Evangelicæ Confeſſionis, ſed neque principia Religionis illorum Imperium violentum in conſcientias ſubditorum admittunt, ut tale quid prætendant, neque Clerus Catholicus hoc admitteret. Cum autem ex paritate rationis idem licere debeat Dominis terreſtribus Evangelicæ Confeſſionis, quanta confuſio non exiſteret, ſi Domino terreſtri Catholico qui ſubditos Religionem ſuam ſequi coëgerat, alius Dominus terreſtris Evangelicæ Confeſſionis ſuccederet, & denuo ſubditos ad amplectendum ſuam Religionem adigeret, ita enim ſubditi aliquoties & ex parvo intervallo nonnunquam Religionem ſuam jejurare cogerentur, ſiquidem hoc ex mero arbitrio privati cujuscunque Domini terreſtris penderet.

114. Leopoldo longe alia mens fuit.

CXIV. Intentio certe adeo iniqua Auguſtiſſimi Imperatoris & Regis Leopoldi non fuit. Extantiſſimum & omni exceptione majus argumentum de contraria plane mente juſtiſſimi Imperatoris habetur in Diplomate Regio, tempore Inaugurationis Suæ Majeſtatis conceſſo & publicis Conſtitutionibus Regni inſerto, quemadmodum reperire eſt in Artic. I. Decreti Primi Leopoldiani Poſonienſi, de Anno 1659.

Inter ſeptendecim autem illas Leges fundamentales, quas ipſi Reges Hungarici conditiones vocare amant, conditio ſexta ita ſe habet: *Religionis negotium inter univerſos Status & Ordines Regni in ſuis ac Fiſci bonis propter Regni tranquilliorem permanſionem juxta Conſtitutiones Viennenſes, & Articulos ante Coronationem editos, maneat liberum, illæſum, atque illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus univerſisque Statibus & Ordinibus Regni in ſuis ac Fiſci bonis, item in confiniis Regni Hungariæ, nec non oppidis & villis illud ſponte & volenter acceptare volentibus ubique liberum relinquatur,* „ *nec quisquam in libero ejusdem uſu ac* „ *Exercitio Religionis à Serenitate Sua* „ NB. *& aliis quibusvis Dominis terreſtribus quovis* „ *modo aut quovis ſub prætextu turbetur aut impediatur.* „

Ecce per hoc Diploma Regium & Legem fundamentalem Regni exſertis verbis cavetur, ne vel Majeſtas Regia vel alii quivis Domini terreſtres quovis modo aut quovis ſub prætextu liberum Exercitium Religionis Evangelicæ turbent aut impediant. Damnatus ergo hic eſt frivolus iſte prætextus, quo Domini terreſtres Catholici, inprimis autem Clerus Romano-Catholicus, prætendunt, ſibi Jus cogendi conſcientias competere.

115. Objectio Cleri vana.

CXV. At cauſantur Clerici rerum patriarum ignorantiores aut malitioſiores clauſulam iſtam ſalvo jure Dominorum terreſtrium antiquam, & ab ipſismet proteſtantibus importunis ſolici-

licitationibus Regibus & Statibus Catholicis extortam, & ad solam istorum instantiam articulis insertam esse. Illis enim temporibus quibus maxima pars Magnatum & nobilium Hungarorum Religioni protestantium adhærebant, eo insolentiæ hos processisse ajunt, ut in perniciem Catholicorum Religionisque Romano Catholicæ exterminationem ab ipsis meditatam postulaverint, ut hæc clausula insereretur antiquioribus Regni legibus.

Cum ergo tunc temporis prævaleret factio Protestantium Magnatum, Nobilium & Statuum, obtinuisse dicunt illos, quod voluerunt. Vastum autem illud destinatum Statuum Protestantium eo collimasse ajunt, ut per abusum hujus clausulæ reformare possent omnes Catholicos, qui sub ipsorum jure terrestri tunc temporis degebant; Cum autem facies rerum jam eum in modum mutata sit, ut Magnatum & præcipuorum nobilium pauci amplius Protestantium Religioni sed Romano-Catholicæ addicti sint, injuste conqueri Protestantes de eo dicunt, quod tela, quæ ipsimet in Catholicos cuderant & torserant, in ipsosmet, mutato rerum statu retorqueantur.

116. Speciosa tamen. CXVI. Speciose satis hæc proferuntur, imo ad aures Sacræ Cæsareæ Majestatis summorumque ejus ministrorum deferuntur, & magna probabilitate animis insinuantur, ut indignationem non levem contra Evangelicæ Confessionis addictos excitent; indignæ enim & iniquissimæ querimoniæ esse creduntur illorum qui ferre nolunt, ut Catholici contra ipsos eodem jure utantur, quo ipsimet contra illos usi fuerunt.

117 Clausula illa noxia quando nata. CXVII. Sed plane novum & nuper tantum ab idiota aut à sciolo quodam malitioso excogitatum est hoc inventum, aut potius commentum re ipsa falsissimum, quod cordato nulli qui decreta Regni Hungariæ vel obiter tantum evolvit, imponere potest. Clausula enim illa: *Salvo jure Dominorum terrestrium*, omnium primo Decreto Soproniensi de Anno 1681. Articulis de exercitio Religionis tractantibus prima vice inserta est. At enim vero notorium est, isto jam tempore, Anno 1681. plurimos, Magnates Barones & potiores Nobilium in Regno Hungariæ Religioni Romano-Catholicæ jam addictos fuisse. Ipsemet etiam Articulus Decreti de Anno 1681. exserte sese refert ad Decretum de Anno 1608 hisce verbis:

„ Exercitium omnibus, &
„ ubique per Regnum salvo
„ tamen jure Dominorum
„ terrestrium juxta Articu-
„ lum I. Anni 1608. liberum
„ permittitur.

118. Clausula in anterioribus articulis non comparet. CXVIII. Si itaque Clausula hæc vetus esset, oporteret eam extare in isto Articulo Anni 1608. tanquam relato ad quod se refert Artic. XXV Decreti de Anno 1681. Sane, si ista clausula in modo dicto Artic. I. de Anno 1608. reperiretur, probabilitate assertum istud non careret. Tunc enim temporis maximam partem Magnatum & Nobilium Hungariæ Religionem Evangelicam coluisse, verum est; Imo etiam postquam in Articulis de Anno 1608. Articulo 3. sancitum erat, ut Rex ad officium Palatinatus duas personas ex Statu Catholico Romano, & totidem Evangelicæ Confessionis Hungaris nominet, & proponat, ut unum ex illis eligant, Stephano Illieshazio ipsimet Regi ob navatam in adipiscendo Regno operam præ cæteris commendatissimo, officium istud Palatinatus post regiam dignitatem secundum, quod ab obitu Thomæ Nadasti ad illud usque tempus 46. annis vacaverat, collatum est. At ille Iliezhazius Evangelicæ Confessionis, sive Lutheranus fuit. Si ergo unquam Evangelicæ Religioni addicti adeo enorme jus obtinere intendissent, nullo sane tempore illud cum majori fiducia prætendere & obtinere potuissent, quam hoc ipso tempore, quo Palatinus Evangelicæ Confessioni addictus, & intimiori admissione singularique autoritate, & gratia apud Regem præ cæteris præpollebat, maximaque pars Magnatum & Nobilium Confessionem Evangelicam profitebantur. Neque opus est altius indagare primam originem hujus Clausulæ, eamque in temporibus antiquioribus scíscitari. Anno enim 1606. & 1608. in Articulis Regni prima basis & fundamentum liberi Exercitii Religionis protestantis jactum est, cum anterioribus temporibus veluti Anno 1525. Artic. IV. Omnes Lutheranos igne comburendos esse jussum fuisset; neque ultra ire licet, quia demum post annum 1520. Religio Evangelicorum in Hungariam demum introducta fuit, & mirabili Dei providentia non obstantibus perquam trucibus persecutionibus summa & admiranda cepit incrementa, ita ut Hungaria pæne tota eam amplexa fuerit.

CXIX.

119. Irrepsit primum A. 1681.

CXIX. Falsissimum autem est Clausulam istam salvo jure Dominorum terrestrium, in isto Artic. I. Anni 1608. reperiri, quod cuilibet Articulum istum legenti, ad pudendam confusionem & ruborem eorum, qui inventum hoc novũ comminisci summa impudentia ausi fuerunt, patet. Neque etiam in subsequentibus Articulis clausula illa reperitur, sed omnium primo, sicut dictum est, in Artic. XXV. de Anno 1681. insciis plane Evangelicis, clandestino consilio Cleri Catholici, persecutoris illorum irrepsit.

120. Obie- ... cl...

CXX. Quanta autem quæso impudentia & malitia est, tanto, tamque Christiana conscientia indigno mendacio, innocentes Evangelicos in modum adeo nefandum & turpem apud Sacram Cæsaream Majestatem ejusque Excellentissimum Ministerium traducere, denigrare & calumniari! sed nihil non tale ab ejusmodi hominibus expectari debet, qui inhumanis plane & omnem societatem turbantibus & evertentibus principiis, quæ orcus evomuit, imbuti sunt.

121. Probatur juri terrestri nunquam jus reformandi connexum fuisse.

CXXI. Quemadmodum ergo sole meridiano clarius est, calumniam esse malitiosissimam quando imputatur Evangelicis, ipsos fuisse Autores hujus Clausulæ, aut juris terrestris nunc in jus reformandi & vim conscientiis inferendi detorti: ita etiam tantum abest, ut talis abusus juris terrestris in cœlestia involans antiquioribus articulis sit probatus, & annitentibus Evangelicis antehac potentioribus in ipsorum utilitatem introductus fuerit, ut potius contrarium ex omnibus Articulis Regni & Diplomatibus Regiis post Pacificationem Botzkayanam conditis, manifesto eluceat. Ferdinandus II. in Diplomate suo Regio edicit hisce verbis: *Religionis Exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus quam liberis etiam civitatibus universisque Statibus & Ordinibus Regni in suis & Fisci bonis ubique liberum relinquendum, nec quemquam cujuscunque Status & conditionis existentem in libero ejusdem usu ac Exercitio Religionis à Majestate sua Regia & NB. aliis quibusvis Dominis terrestribus quovis modo aut quovis sub prætextu turbandum aut impediendum.* Ferdinandus III. in Diplomate suo de 7. Novembris Anno 1625. conditione Sexta eadem identidem verbis reiteravit: *Religionis Exercitium nec non in oppidis ac villis illud sponte ac libere acceptare valentibus ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuscunque Status & conditionis existens in libero ejusdem usu ac Exercitio Religionis à Serenitate sua & aliis quibusvis Dominis terrestribus quovis modo aut quovis sub prætextu turbetur aut impediatur.*

In Pacificatione inter Imperatorem Ferdinandum III. & Georgium Rakotzium d. 16. Sept. Anno 1645. stabilita, postquam contradictionem Cleri cœterorumque Catholicorum nullum in perpetuum vigorem habituram in rebus Religionis, his verbis sancitum erat: *Contradictionibus Dominorum Cleri & aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus imo in perpetuum nullum vigorem habentibus &c. Art. II. de non impediendis aut turbandis rusticis, in sua Confessione Religionis declaratur; eos in quorumcunque Dominorum terrestrium & Fisci bonis in libero suæ Religionis Exercitio & usu modoque à Sua Majestate Regia vel ejusdem Ministris aut Dominis suis terrestribus quovis modo aut quovis sub prætextu non turbentur aut impediantur, hactenus autem impediti coacti & turbati liberum Religionis ipsorum usum reassumere, exercere & continuare permittantur, neque ad alias Religioni ipsorum contrarias ceremonias peragendas compellantur.* Conf. allegati, ubi Conditionem sextam Diplomatis Leopoldini, supra Paragrapho 4. Leopoldus I. eadem sancivit. Constat ergo ex his Diplomatibus anterioribus aperte satis, aut Catholicos reipsa prætextum ex jure territoriali ad reformandum subditos Evangelicæ Religionis dudum jam captasse, aut Evangelicos prævidisse, hanc captationem prætextus istius metuendam esse, indeque pro medela tantæ injuriæ tantique abusus juris territorialis communi, Regis & tam Catholicorum quam Evangelicorum consensu perquam provide talem prætextum & abusum condemnatum esse; tot iteratis vicibus: adeoque demum Anno 1681. primo omnium Clerum Catholicum arrepta occasione illa, cum absente & excluso statu Evangelico Articulus XXV. sub- & obreptitie cuderetur, clausulam istam salvo jure dominorum terrestrium novo ausu infarsisse,

&

& prætextum toties condemnatum & tot præcedaneis Diplomatibus nullum esse jussum reassumsisse.

122. Evangelici Domini terrestres jure suo abuti non potuerunt.

CXXII. Apparet etiam, quod si unquam Status Evangelicus Hungariæ superioribus temporibus cogitasset de abusu simili juris terrestris ad cogendum vi suos subditos Catholicos, ut amplecterentur Evangelicam Religionem, introducendo, omnis certe spes ad talia tentanda per ipsamet allegata diplomata ipsis præcisa fuisset; cum ejusmodi prætextus sive abusus juris terrestris Evangelicis æque ac Catholicis Dominis terrestribus per dictas leges prohibitus fuerit. Tantum ergo abest, ut vera sit illa calumnia, prætextum illum abutendi jure terrestri ad reformandos subditos violentia adhibita, per extensionem mediante clausula legis cujusdam introductu ab Evangelicis esse, & articulis Regni, his urgentibus eo tempore quo potentiores erant, in Regno confirmatum esse, ut potius & principia Religionis Evangelicæ omnem coactionem conscientiarum condemnantia, & omnis Diplomatum & Articulorum series contrarium plane evincat; neque enim unquam ex Legibus Regni demonstrari potest, ad instantiam Evangelicorum istiusmodi prætextum & abusum juris dominii terrestris approbatum esse, cum omnibus Diplomatibus & legibus loquentibus semper & continuo damnatus fuerit; donec demum Anno 1681. clausula illa prima vice, in sciis Evangelicis, per Catholicos Articulo XXV. inserta fuit.

123. Jesuitæ stimulant Catholicos ad reformandum.

CXXIII. Antequam discursum hunc de Articulo XXV. Diætæ Anni 1681. illique infarta clausula de Dominio terrestri, lerna illa tantorum malorum, finiamus, liceat obiter commemorare, quod Patres Jesuitæ proxime elapsis temporibus super abusu hujus clausulæ triumphantes, Cardinalis Collonitschii ipsis deditissimi, & cœco in Evangelicorum persecutionem zelo furentis, animum stimulaverint, ut quosvis dominos terrestres Catholicos Hungariæ ad ejiciendos sedibus suis Evangelicæ Religioni addictos subditos, imprimis ipsorum prædicantes adigeret. Horum equidem alii cœca non minus obedientia, quod jussi erant, protinus & seposita omni misericordia effecerunt, alii autem tenerioris conscientiæ tantam inhumanitatem magis exhorruerunt.

124. Sed in propriis terris parcunt Evangelicis

CXXIV. Cum autem Saulus ille sæviens inter alios apud magni nominis Magnatem & Coronæ Baronem instaret, & indignationem aulæ aliaque graviora, stimulantibus vel maxime Jesuitis, comminaretur, hic satis gnarus quid mali susurrationes Cleri in Aula accersere minus morigeris Clero soleant, nec immemor illorum de quibus Status Catholicus secularis in Universali Diæta Anno 1681. illis verbis, quæ supra §. 106. allata sunt, conquestus jam tum fuit: nimirum *Seculares Catholicos & Dominos Terrestres fere similes persecutiones passos esse, quibus Evangelici pressi fuerunt, propterea quod ad nutum Cleri Catholici prædicantes Evangelicos ex possessionibus suis ejicere, templa occupare & subditos suos Evangelicos expellere domibus noluerint*, tandem decreverat importunis exhortationibus zelosi Cardinalis obsecundare. Sed dum talia obluctante conscientia & disvadente dictamine propriæ utilitatis parat, forte comperit reverendum admodum Patrem Rectorem Collegii Jesuitarum Comaromiensis subditis pagorum Pakozd & Sokoru non procul Alba Regali, in via regia versus Budam sitorum, Religioni protestantium addictis, quia Ordini Jesuitarum subjecti sunt, parcere, ergo ipse Magnas etiam primam induciarum veniam, tandem integram pariter dedit suis subditis, quibus flebile emigrandi beneficium jam indixerat. In rationem enim tanti exempli venerabilis Rectoris Jesuitarum curatius inquirens compertus est, prudentissimum hunc Patrem ex vicinorum dominorum terrestrium detrimento sapuisse. Viderat enim perspicax hic & ad rem attentus Jesuita, in plurimis pagis vicinorum Dominorum terrestrium, qui ad Jesuitarum zelosam exhortationem prædicantes Reformatos ejecerant, quod maxima rusticorum pars turmatim pastorem suum exulem relictis ædibus secuti fuerant, & pagos quasi inhabitatos, dominisque terrestribus maximum redituum suorum decrementum relinquerent. Quapropter indignum prudentia Jesuitica ratus venerabilis Rector suo ordini, quippe exlegi, securim infligere, qua alii domini terrestres hortatu & importuno impulsu Jesuitarum præsciderant proventuum suorum copiam, consultissime non tantum pepercit subditis pagorum Pakozd & Sokuru, sed & Prædicantes ipsosmet bono animo & securos de exilio non tolerando esse jussit. Postquam ergo Magnus ille Catholicus expertus esset,

prudentia Venerabilis Rectoris in optimo flore prædictos pagos præ tantis aliis vicinis ab habitatoribus desertis, conservatos esse, imprudentiam fore supinam credidit, tanto exemplo non subscribere & minus sapere. Fortassis Baro hic Coronæ credidit Patres Jesuitas sibi dictum putare Epiphonema illud, quo Christus Parabolam de œconomo subdolo & vafro claudit: *Filii enim hujus mundi prudentiores sunt filiis lucis*, cum imprimis sciret, Jesuitas præ ceteris ordinibus Ecclesiasticorum Catholicorum politicam Aularum callidissimam operose affectare.

125. Clausula, salvo jure terrestri, expungenda. CXXV. Hæc sufficiant de Articulo XXV. eique inserta Causula, *salvo jure Dominorum terrestrium.* Nam ex illis, ni fallor satis intelligi poterit, quod, si tandem aliquando pacem & securitatem Regni firmam & constantem stabilire animus est, sique sisti debeat persecutio Religionis Evangelicæ, ad præscindendam querelam & subinde etiam tumultuum ansam, quam alias indiscretus zelus aut hypocrisis continuo suggeret, fatalem illam clausulam: De Salvo jure Dominorum terrestrium, aut expungendam, aut sano sensu explicandam & restringendam esse.

126. A. 1606. similis clausula omissa. CXXVI, Nec exemplo caret modus hic negotium hoc ad æquilibrium æquitatis reducendi. Anno quippe 1606. cum Viennæ inter Regem Rudolphum, ex una, ex altera autem parte inter Botskayum & Hungaros pax esset composita, Articulo de libertate Religionis ejusque Exercitii condito, inserta erat propemodum similis clausula: *absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis* &c. Quæ verba tametsi sano intellectui nihil nocitura videri potuissent, præsagiebant tamen sibi Evangelici Catholicos clausula illa, afflicto ei alieno sensu, in perniciem receptarum Religionum olim abusuros fore, adeoque incendium recens extinctum in longe atrociores flammas erupturum. Ægre itaque repetiti belli furor cohiberi poterat, nec evitari potuisset, nisi Matthias Archidux, non ita multo post Hungariæ Rex, conficiendæ tunc Pacis & Autor & primus Minister, cavisset & spopondisset, nihil inde Religionibus Protestantibus periculi imminere. Deinde autem in Diæta Anni 1608. Artic. I. ante Coronationem penitus omissa est illa clausula, & sic plena securitas præstita fuit, quo pacto disturbium tranquillitati cessit. Qua super re *Petrus Revay de Monarchia Sacra Corona Regni*, *Centuria sexta* testis est.

CXXVII. Quod si ergo tunc temporis, eum adhuc libertas ac securitas Religionis Evangelicæ novitas quædam in Regno Apostolico esse videretur, Rex omnesque Regnicolæ Catholici internæ Pacis amore Religiones Evangelicas admittere non abhorruerunt, quidni & nunc multo facili[9] ob easdem causas, quas proposui, fieri posset, postquam & libertas & securitas istius Religionis multo altius jam dudum animis hominum insedit, & à majori longe Regni parte retineri optatur. Certe jus & æquum nec non salus populi, quæ suprema Lex est, hoc omni modo suadet. Quemadmodum enim Catholico Statui publice datam servare fidem & utile & honestum, ita eam violare periculosum est, quod funesti sæpius casus hactenus satis comprobarunt. 127. Ergo & nunc omitti posset.

CXXVIII. Apage ergo disputacis Cleri Catholici scrupulos ex cœco zelo promanantes, quos securitati Religionis Evangelicæ stabiliendæ semper injiciunt, ut aperta semper ipsi maneat porta, qua in die nocteque meditatam exstirpationem istius Religionis quavis occasione, quam aucupantur, prorumpere possint. Salus & quies populi certe prohibent quo minus Clero Catholico permittatur illa insatiabilis libido persequendi & exstirpandi Evangelicos. 128. Coercenda libido exstirpandi Evangelicos.

CXXIX. Deo ipsi ne zizania quidem ante messem evelli placet, quomodo quæso credi poterit ipsum approbare posse, ut in eos sæviatur, qui se propemodum triticum pristinæ puritati, Dei ope, restituisse firmissime persuasi sunt & credunt, ne dicam, evincunt. Imo posito Evangelicos Zizaniam esse, quod tamen nunquam ostendi potuisse, nec unquam posse, illi in Domino gloriantur, præcepto tamen expresso Christi ad messem usque diei extremi sinendi, nec exstirpandi forent. Sane haud quaquam ejusdem sortis esse æstimari possunt Evangelici, quos Sanctus Rex Stephanus non ferendos & tolerandos in Regno in Lib. I. Cap. I. jussit, cum id omne apprime credant, quicquid in hoc Capite Rex ex Sacris Literis, Sanctorumque Patrum scriptis credendum esse tradit. 129. Nunc Deo non probatur.

CXXX. Præterea cum Deus exemplo Gabaonitarum comprobaverit, se violationem fidei etiam decipientibus per deceptos datæ vindicare, quanto minus multum relinquet, si violetur 130. Fides data non violanda.

quod

quod Rex prædeliberato jurejurando non saltem promisit servandum, sed insuper & publica Lege sanxit. Certe Gabaonitæ Josuæ imposuerant manifesta fraude, imo mendacio concepto, quod postridie deprehenderat. Quinimo Gabaonitæ Gens erant cum cœteris exitio à Deo destinata, unde ex utraque ratione illos duplicatas potius luere pœnas debuisse, quam impunes manere, errans ratio humana deciderat sed rectius Josua Deo approbante datam fidem esse servandam censuit.

131. Alia argumenta.

CXXXI. Hæc & alia argumenta huc tendentia Stephanus Szerdahel S. Cæs. Majestati in oratiuncula sua submisse proposuit, cum nomine Status Evangelici Memoriale die 9. Jan. 1688. humillime porrigeret, quæ ut hic inseratur, mereri videtur, licet in Actis Comitialibus Anni 1687. in Appendice suo loco recurrat. *Augustissime Imperator Domine Domine nobis naturaliter Clementissime! Humillima perpetuæ fidelitatis subjectione præmissa, felix, diuturnum, gloriosissimumque Imperium Majestatis Vestræ Sacrat. Status Regni Hungariæ Evangelicus cum profunda sui submissione apprecatur. Et siquidem ex benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ circa negotium Religionis, in ordine videlicet ad punctum 93. facta resolutione, eam fuisse Majestatis Vestræ sacratissimæ Paternam mentem & intentionem perspeximus, ut nimirum tam nostra, quam contra eadem porrecta Venerabilis Cleri gravamina, cum inclytis Statibus & Ordinibus, interque Eosdem nobiscum etiam fidelibus Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditis communicarentur, pro ea pientissima Majestatis Vestræ Sacratissimæ intentione, paternaque cura immensas humillime referimus gratias; Verum siquidem eadem Venerabilis Cleri Gravamina nec in publico, nec ad partem (qua de causa nos latet, nisi forsitan non satis sibi fida fuissent) ad iteratas quoque instantias nostras nobiscum communicata non fuerint. Itaque Augustissime Cæsar, ad eadem pro sui exigentia, in omnibus punctis reponere neutiquam potuimus. Verum tamen quæ eorundem rationes nobis innotescere potuerunt, ad eadem humillimam nostram Replicam conscripsimus, quibus jam coram Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis persona, hæc quoque cum debita submissione superaddimus: quod nimirum quæcunque pro rationibus Venerandus Clerus adferat, illa omnia Sacris Regni Diplomatibus cassata, ad quæ tamen vel si scripturarie respondere debeamus, unum Gamalielis exemplum sacris in literis expressum, ad omnia illa evertenda sufficeret, qui Iudæis, dum Apostolos exstirpare, aut etiam morte afficere intenderent, his verbis consuluit: Abstinente manus vestras ab hominibus istis, quoniam si est ex hominibus opus istud, dissolvetur, si à Deo est, non potestis, inquit, dissolvere, & videte, ne etiam cum Deo pugnare videamini. Si vero (uti quidam solent) Diplomata sacra nobis, ut prætendunt, Hæreticis non esse servanda asserunt, aliud hoc quoque in casu in sacris literis contentum persuadet Gibeonitarum exemplum, qui, quamvis plus quam Hæretici, quoniam Gentiles extiterunt, tamen propter fœdus cum iisdem initum in eadem Terra Canaan, ex qua omnes Gentes delere Deus iniunxerat, à populo Israelitico conservati sunt. Nec est quod afferant, uti quidam nobis objecerunt, vi extorta fuisse Diplomata, cum hoc probari nunquam potest, sed si etiam admitti possit, videmus similem, si non majorem in præcitato exemplo casum, siquidem Gibeonitæ fœdus illud maximo astu fraudeque ab Israelitis extorserunt, tamen cum contra idem fœdus quadringentis post circiter annis per Saulum Regem fuissent lacessiti, non solum in persona sua idem Rex propterea iram Divinam, verum post mortem etiam totus populus Israeliticus tempore jam Davidis Regis triennali propterea fame castigatus à Deo extitit, nec secus ira Divina complanari potuit, quam quod, ut sacra innuit Historia, septem viri ex stirpe Saulis oriundi, Gibeonitis, in quibus illatam sibi injuriam vindicare possent, à Davide assignati fuissent. Itaque Augustissime Imperator, nos contra omnes Venerabilis Cleri rationes nosmet ipsos pientissimo Majestatis Vestræ Sacratissimæ Zelo, Paternæque curæ submittimus, per Iesu Christi vulnera, per salutem animæ & si quid magis est Majestati Vestræ Sacratissimæ supplicantes, quatenus nos (hoc lætitiæ tempore, quo dulcissimorum suorum hæredum stabile in regno, totaque consequenter Christianitate Cæsareum Regiumque Solium, imo quoque præsenti pariter aliorum Majestatis Vestræ Sacratissimæ fidelium subditorum communi desiderio, promptitudine & applausu, fundatum est) spiritualis nostræ libertatis, qua nihil nobis dulcius est, securitate in futurum etiam destitui non patiatur: Verum in benignissime elargiendi Diplomatis serie specialem illam Clausulam, qua tam Majestas Vestra Sacratissima quam Prædecessores sui gloriosissimi nobis consultum esse voluerunt dignatique sunt, per expressum, propter tollendam tot millium animarum de sui securitate desperationem, inseri, ac moderna etiam gravamina nostra Autoritate sua Regia Diploma-*

tice complanare, cum reali & extensiva ademptorum à nobis restitutione clementissime dignetur. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam perpetua submissa fidelitatis promptitudine humillime demereri nusquam & nunquam intermissuri sumus.

132. Gravamina Evangelicorum contra Articulum 26. An. 1681.

CXXXII. Alter porro Articulus XXVI. de Anno 1681. longe periculosior ac libero exercitio sufflaminando eliminandæque pedetentim Evangelicæ Religioni accommodatior, ab his qui Religioni isti insidiabantur fabrefactus est: Licet enim liberum exercitium prorsus nemini, neque rustico denegare videatur, numerosa tamen templa: sive à prædecessoribus in successores, sive à Parentibus in Proles derivata, sive per Evangelicos ædificata, uti etiam sacella, capellas, oratoria, parochias, gymnasia, collegia, scholas, proventus, salaria, fundationes, & alia cujuscunque modi beneficia quæ omnia è possessione Evangelicorum, proxime ante hos articulos erepta fuerant, & in præsens ab adversa parte summa cum injuria detinentur, silentio suppressa fuere, adeoque restituenda esse non fuit decretum, nisi quod talia templa Sacella & Capellæ restitui Evangelicis oporteret, quæ necdum ritu Catholico consecrata fuissent.

133. Magistratus libera electio iterum asserta.

CXXXIII. Antequam commentatiunculam nostram de Comitiis Anni 1681. quoad ea, quæ Religionem Evangelicam attinent, finiamus, omittendum non esse videtur, quod ultra Articulum XXV. & XXVI. alius adhuc, qui vel maxime ad Religionem Evangelicam spectat, iisdem in Comitiis conditus sit: Cœperant jam Commissiones Camerales in Civitatibus Regiis liberis liberam electionem Magistratus turbare. Habent Civitates illæ Regiæ liberæ antiquissimæ sua privilegia, quibus à tot seculis usi erant in electione libera Magistratus. Camera autem Posoniensis aliquoties Commissarios suos in ejusmodi Civitates miserant, ut restaurationi Magistratus præessent, sed hi libertati isti multis modis derogabant. Præcipua intentio Cameræ Posoniensis & vel maxime Præsidis Collonitschii eo directa erat, ut per ejusmodi Commissiones Evangelici à muneribus publicis excluderentur. Sed cum simul etiam Civitates integræ earumque incolæ Catholici æque ac Evangelici advertissent, suis generaliter privilegiis præjudicium fieri per prædictas Commissiones, hinc in Comitiis prædictis licet Evangelicis exclusis tamen Articulus XLI. conditus est, quo antiqua Civitatum libertas privilegiata in constituendis Magistratibus vindicabatur & Commissionibus Cameralibus obex ponebatur. Quamvis enim Evangelicorum, qui, uti dictum est, exclusi à compilatione Articulorum erant, mentio nulla facta fuerit, in dicto articulo, nihilominus tamen ille ad eos vel maxime pertinet.

CXXXIV. Sequitur ergo tenor istius Articuli: 134. Art. 41. An. 1681.

Artic. XLI. de Anno MDCLXXXI.

Liberæ Regiæque ac Montanæ Civitates quoad electionem Magistratus Civilis, Iusque caducitatis in Bonis Civilibus, nec non quoad Ius Patronatus & Educilli, in suis libertatibus & Privilegiis conserventur.

Liberarum quoque ac Regiarum, Montanarumque Civitatum non exiguæ fuissent querelæ; quod in Jure liberæ Electionis Magistratus Civilis, nec non jure Patronatus, & liberi educilli, ac aliis suis immunitatibus partim à parte Cameræ Hungaricæ, partim vero ab officialibus Bellicis contra privilegia ipsorum, & leges

leges Regni turbatæ & impeditæ extitissent. Ideo confirmatis eatenus ipsorum privilegiis & immunitatibus in quantum Legibus Regni & Nobilitari prærogativæ non præjudicarent; Articuli etiam Regni ut sunt 1659. 129. 1649. 16. 1647. 83. 1638. 35. ac alii superinde conditi renovantur, & tam per Cameras, quam per Officiales Bellicos, ac alios quoscunque strictissime observentur, neque in libero electionis Magistratus Civilis jure ac aliis privilegiis ipsorum longo usu roboratis à quopiam quoquo modo turbentur. Judicatus quoque fundorum civilium causis aliorum Judicum, ad mentem Articuli 53. 1659. non involvatur, sed penes ipsos Magistratus Civiles maneat, atque quoad Nobiles impossessionatos, & suspectæ Nobilitatis Articulus 46. 1655. nec non quoad Executiones sententiarum in Comitatibus latarum, Articulus 20. 1649. confirmatur.

135. Legantur Acta A. 1681 in append. CXXXV. De cœtero iterum iterumque monere consultum videtur, quod omnino operæ pretium sit, Acta Comitiorum sæpius dictorum de Anno 1681. integra legere, in quantum illa Religionem Evangelicam tangunt, quæ in Appendice Opusculi suo ordine hunc in finem adjecta sunt.

136. Libertas religionis ex gratia Regis pendere cogitur. CXXXVI. Ergo post Comitia Anni 1681. Evangelici prædictis articulis nimium quantum coarctati Gravaminum suorum satisfactionem ac detentorum restitutionem submisse efflagitandam esse arbitrantur, tandem aliquando continuis ad Augustam Aulam effusis sollicitationibus supplicibus consequi se posse solatium aliquod sperantes. At vero non solum nec satisfactionem nec restitutionem octodecim circiter continuos annos supplicando, obtinere poterant, sed potius novissima deinceps in Diæta Anni MDCLXXXVII. libertatem exercitii, tot legibus Regni, tot Pacificationibus, Diplomatibus insuper & jurisjurandi Sacramentis regiis receptam ac corroboratam, non nisi ex gratia adhuc juxta Articulos 25. & 26. tolerandam esse, statuerunt Catholici, insciis denuo Evangelicis, idque solo hoc argumento, quod prioribus Legibus, Pacificationibus & Diplomatibus insistendo, ad quæ tamen se Articuli XXV. XXVI. Anni 1681. referunt, præcise istis posterioribus acquiescere se non posse, contradictione jure Regni recepta & licita Status Evangelici declaraverant.

CXXXVII. Enim vero Ferdinandus III. Diplomate Regio Pacificationis, quod supra periodo secunda §. 67. extat Art. 4. his expressis verbis statuerat: *Gravamina futuris temporibus in negotio Religionis emergentia tam Catholicorum quam Evangelicorum hominum, quam etiam alia Gravamina Regnicolarum tam Evangelicorum quam Catholicorum secundum 17. Conditiones à Rege singulis Diætis plenarie complanatum iri absque injuria Evangelicorum.* 137. Hæc ratio decidendi Legibus regni repugnat.

CXXXVIII. Imo & ipsomet Artic. XXVI. Decreti Leopoldiani III. de Anno 1681. Evangelicis plena libertas Gravamina & prætensiones suas ulteriores proponendi sancte promissa & concessa novissime erat, his verbis: *Per hancque Articularem concessionem iisdem Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis ulterior prætensionum suarum via in futuris Diætis instantias suas promovendi (non obstantibus Cleri & aliorum Secularium Catholicorum contradictionibus) minime præcludatur.* Ipsemet etiam Imperator Augustissimus Leopoldus testimoniales acceptatæ protestationis Evangelicorum contra illos Art. XXV. & XXVI. Anni 1681. solenniter expediri jusserat, quas supra §. 104 hujus periodi tertiæ exhibuimus. Hinc Evangelici, postquam toto intervallo sexenni quod inter Comitia Anni 1681. & ea quæ Anno 1687. celebrabantur intercesserat, nihil precibus suis continuis obtinere potuissent, lætabantur de optata & tandem per nova Comitia data occasione legaliter proponendi gravamina & prætensiones suas, rati se non modo secure & citra offensionem cujusvis hoc facere posse, sed & certissime levamen maximum obtenturos esse, cum utrumque Leges 138. Ut & promissis diætæ præcedentis.

Regni plenis buccis stipularentur.

139. Evangelicorum spes elusa. CXXXIX. At ecce! dum Evangelici in Comitiis Anni 1687. id præcise agunt, quod non modo miseriæ suæ necessitas, sed & Legum Regni autoritas suadebat, condemnantur, & ab ipsomet Clero reliquisque secularibus Catholicis, quorum contradictiones tamen nihili fieri Artic. XXVI. An. 1681. decretum erat, insciis Evangelicis statuitur, quod Evangelici eo ipso quod per contradictionem jure Regni licitam, qua conquesti erant Articulos illos XXV. & XXVI. Anni 1681. sub & obreptitie se insciis & inauditis à Catholicis cusos esse, ipso facto eorundem beneficii participes esse desierint, & quod à mera gratia & clementia Regis dependeat, ut libertate & securitate Exercitii Religionis ulterius gaudere possint.

140. Dierum est jure suo privari. CXL. Ecquis non videt quam duriter agatur cum Evangelicis in Hungaria? Postquam enim à Clero in exterminium Religionis Evangelicæ conclamatum est, Pacificationes, Leges & Articuli Regni pro libertate & securitate Religionis Evangelicæ sanciti manifeste ab ipso conculcantur, imo pro crimine habetur, si Evangelici jure suo Legibus concesso utantur, & Clerus inde frivolam ansam captat illos beneficiis & juribus suis privandi. Quænam quæso adhuc securitas pro Evangelicis in Hungaria superat, si Clero talia patrare impune licet? Sane apud exteras nationes fidem non haberet, quisquis tam iniquum procedendi & condemnandi modum narraret; Sed ut veritas facti constet, post citatas paulo ante leges inseritur hic Artic. XXI. Diætæ ultimæ Anni 1687. ut ex iis juxta se positis aperta contraventio eo magis elucescat.

141. Artic. XXI. de An. 1687.

CXLI. Artic. XXI.

Leopoldi Imperatoris & Regis Decretum IV. Poson. Anno MDCLXXXVII.

In negotio Religionis renovantur Articuli 25. et 26. Anni 1681. cum interjecta declaratione.

Licet quidem in negotio Religionis Augustanæ & Helveticæ Confessioni addicti Articulis 25. & 26. Novissimæ Diætæ Soproniensis oppositam iisdem per Reclamationem suam abutentes, ipso facto eorundem beneficii participes esse desiissent, propter bonum nihilominus domesticæ Unionis & Pacis internamque Regni tranquillitatem, cum sua Majestas Sacratissima ex gratia & clementia sua præcitatos Articulos adhuc ratos fore benignissime resolvisset, eosdem Status quoque & Ordines ad mentem Paternæ resolutionis (Cleri & aliorum Secularium Catholicorum contradictione non obstante) pro renovatis & priori firmitati restitutis censendos, ac si, & in quantum hactenus ineffectuati, vel vero per aliquos abusus ab una aut alia parte medio tempore introductos, violati fuissent, suæ debitæ Executioni, tempore & eorundem conditorum Articulorum, vel ex post occupatorum aut reoccupatorum impendendæ restaurationi, ut primum demandandos esse statuerunt.

CXLII. Non defuit Status Evangelicus etiam hac vice juri suo tuendo, sed declarationem & protestationem suam rite 142. Protestatio interposita.

rite interposuit & desuper consuetas testimoniales impetravit, quas hic sub annectimus:

143. Testimoniales Regiæ. CXLIII. *Testimoniales Regiæ super protestatione & declaratione Evangelici Status contra Artic. XXI. Diatæ Anni 1687.*

Declaratio Statuum & Ordinum Evangelicorum coram universis Statibus & Ordinibus Regni facta.

UNiversi & singuli Status & Ordines Evangelici & Regni Hungariæ pro præsenti. Generali Conventu ad diem 18. mensis Octobris Anni 1687. in hanc liberam & regiam Civitatem Posoniensem Regia autoritate indicto congregati, in forma singularis declarationis publice coram universis Statibus & Ordinibus Regni in domo sessioneque Regnicolarum ultima i.e. 24. Ianuarii sequenti modo proposuerunt. Quomodo ipsi occasione præsentis Diatæ ad mentem etiam in prædicta novissima Diata Soproniensi reservatæ, ac ipsorum & dictæ Soproniensis Diatæ Articulorum, eo tum Statuum & Ordinum Regni Evangelicorum Contradictioni involutorum Tenore admissæ Facultatis, non immemores paternæ erga se propensæ Clementiæ & benignitatis Regiæ, habitum sacri Diplomatis ratione negotium suæ Religionis, jam hinc à primis hujus Diatæ initiis publice cum Regno privatimque apud Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem jam tandem in priorem Statum Diplomaticum redigi, postliminiaq; occupatorum & ademtorum restitui solertissime petiissent, ursissent & indesinenter institissent. Cujus quidem modernæ Diatæ occasione tametsi iidem Evangelici in eam spem vel solus dictæ Soproniensis Congregationis Articulis eandem confirmantibus assurrexissent, fore, ut nimium afflictæ Religionis suæ opportunam & plenariam medelam sint consecuturi, tamen quia ingruentibus arduis aliis Curis & sollicitudinibus Cæsaream Regiamque Majestatem suam ad Apparatus bellicos advocantibus rem non ultra perduci potuisse, quam ut confirmatis iisdem Soproniensibus 25. & 26. Articulis, si qui hactenus irrepsissent abusus tollantur, intelligerent, ideo ne per simplicem præcitatorum Articulorum cum Sacro Regio Diplomate, non ex toto convenientium acceptationem, à dicto Sacro Diplomate recedere, perque hoc futuris etiam in Diatis Complanationem sollicitandi sibi facultatem præcludere videantur, quemadmodum in speciali benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ Audientia, ita prædicta quoque in sessione ultima coram universis Dominis Statibus & Ordinibus hujus Diatæ Articulum præmentionatæ Religionis confirmatorium, ut & Sopronienses Articulos in defalcationem seu diminutionem Gravaminum suorum diætalium complanari petitorum acceptare, illisque tantundem consentire, quantum cum sacro Diplomate coincidere viderentur, sese declarassent, solennem hoc reiterantes facultatem per præallegatos etiam Sopronienses Articulos concessam, Instantias suas, restantium item & non complanatorum Gravaminum complanationes, in futuris quoque diætis, imo, siquidem Suæ Majestatis Sacratissimæ extra Diatas quoque vulneribus medelas adhibere impossibile non est, etiam extradiætales conventus sollicitandi, urgendi postulandique. Super qua quidem eorundem Statuum & Ordinum Evangelicorum declaratione literas nostras Testimoniales futura pro cautela necessarias, sub sigillo nostro apposito Personalis Præsentiæ nostræ in Iudiciis locumtenentis & Consiliariorum habito clementer concedendas esse duximus & extradandas. Harum nostrarum Literarum vigore & Testimonio mediante. Datum in libera Regiaque Civitate nostra Posoniensi die 26. Ianuarii Anno 1688.

CXLIV. Cœterum in modo dictis ultimis Comitiis Anni 1687. de Religione Evangelica non licuit prolixe agere, cum Aula Cæsarea post peractam Coronationem Serenissimi Regis Josephi, abitum properaret, unde etiam illis diutius non immoramur. Nec licuit hactenus omnia documenta eorum, quæ in puncto Religionis Evangelicæ acta sunt in his Comitiis, habere, quotquot tamen durantibus his tumultibus haberi potuerunt, separato fasciculo inclusa in Appendice, si lubet, legere potes. 144. Causa neglecti negotii Religionis.

CXLV. Hactenus seriem illorum quæ per Pacificationes, per Diplomata Regia & per Articulos Regni, variis in Comitiis Regni in puncto Religionis Evangelicæ in Hungaria sancita sunt, & quomodo illis usque ad penultima Comitia Anni 1681. varie contraventum fuit, pertexuimus. Restat, ut breviter ostendamus, quibus artibus Articuli XXV. & XXVI. Comitiorum Anni 1687. varia interpretatione, & variis de- 145. Artes interpretandi articulos.

deductis sequelis in sinistrum sensum detorti fuerint, & quemadmodum latentes sub istis interpretationibus & sequelis insidiæ, in novam eamque dirissimam persecutionem eruperint.

146. Religio principis arbitrio permissa.

CXLVI. Ergo se ipsum unice amans & proximum odio habens malignus & nequam genius, solis nimirum reditibus, sub præcipitis in Religionem zeli pallio, augendis studens, ad premendos & cruciandos Evangelicos plures iniquas contorsit, non deduxit sequelas. Quorum omnium, quasi fontem esse volebant, quod videlicet Religiones hæ Evangelicæ jam jure & legibus receptæ esse desierint, & tantum à mera gratia, non autem ab obligatione Diplomatis & Juramenti Regii nec amplius à Legibus & Pacificationibus pendeant, sed ex mero beneplacito saltem soloque arbitrio imposterum tolerentur.

147. Ignobilioribus libertas ademta: Nobilibus negata.

CXLVII. Cum ergo clausula: Salvo jure &c. Artic. XXV. eo, quo explanavimus, modo detorta esset, inque posteriori XXVI. multa Templa suppressa detentaque retinerentur, adhæc in pluribus Comitatibus amplissimarum nempe terrarum Provinciis bina saltem ac in paucis Civitatibus paucisque præsidiariis locis, vix plura, quam singula Templa erigi concederentur, hinc in dolos & fraudes artifex & insidiosus quorundam animus delapsus est, ignobiles quidem promiscue omnes & singulos ubique, quasi istis per hos Articulos omnis esset derogata in Religione libertas, Pontificios fieri oportere: Barones porro & Nobiles, & eo magis Civitatenses, ne in privatis quidem domibus mediante Ministro habere posse libertatem suæ Religionis cultum exercendi.

148. Loca quædam præsidiis simul & religione nudata.

CXLVIII. Porro ut etiam loca præsidiaria ministerio liberi exercitii exuerent, maluerunt Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestati male consulere, ut fortassis non sine Regni periculo præsidiarium exautoraret militem, quo hoc facto averterent sensum Articuli ea inductione, quod quia locus confinis hosti adeoque præsidiarius esse desierit, cessare pariter debeat exercitium Religionis Evangelicæ. Cum tamen libertas exercitii non præsidio hujus vel illius loci, sed Diplomatibus Legibus & Pacificationibus quibuscunque per integrum Regnum liberum esse jussum fuerit.

149. Crebræ Commissiones impetratæ.

CXLIX. Cui exsecrabili torsioni sensus per se clari, cum Evangelici acquiescere non possent, ut vim Catholici atque insidias specie juris tegerent, in quemlibet, quem illi studiosè exquirebant casum, à Majestate Regia petere solebant Commissionem.

150. Prætextus Commissionum.

CL. Ne vero vel Diplomate Regio vel Lege 42. Anni 1649. vetitis damnatisque Commissionum modis uti arguerentur, arrogato in hos Articulos interpretationis abusu, ad alterum posteriorem nempe 26. confugerunt, qui, pro unico saltem ac peculiari negotio, jam non amplius explicando, aut deliberando, sed exequendo, nempe ad fundos pro Templis in locis ibi nominatis exscindendos & assignandos Commissariorum mentionem facit, atqui sic ex speciali universalem Legem privato ausu non minus temere quam arroganter de facto fecerunt.

151. Commissarii Evangelicis infensi subornantur.

CLI. Ut autem fine optato, quem in proximi & innocentis cujusvis miseriam acerbamque ærumnam proponebant, frui possent, suggerebant inimicissimos Commissarios ac flagrantissimo in Evangelicos odio æstuantes, ex animo pronos & ruentes in Religionis Evangelicæ exterminium, perfidia non minus ac sævitia (cum ab illis omnis misericordia exularet) præditos, unius alteriusve ex Clero non tam amantissimos, (nam certè hi ipsi adulatores modum agendi carpunt ac ceu insanum irrident) quam sordidi lucelli vel promotionis cupidissimos.

152. Crudelitate itur ad astra.

CLII. Tum demum itaque hujusmodi commatis Commissarii se invicem in injuria Evangelicis inferenda & cumulanda æmulabantur, imo aliqui cœco adeo furore inflammabantur, ut hujus illiusve Ecclesiastici Catholici placito non obsequi, scelus, pervicacem autem crudelemque explere cupiditatem, promerendæ vitæ æternæ virtutem ex institutione ac persuasione eorum, sua autem è contra rudi stupidaque juxta ac superstitiosa obedientia existimarent. Quod sane plerisque è Clero prudentioribus, tanquam vesani ac vecordis zeli opus non probatur.

153. Justitia Commissariis exosa.

CLIII. Tales dum ad libitum haberent Commissarios, quam quæso justitiam, quantumvis evidentissimam, credas consequi potuisse humi stratos & oppressos Evangelicos? Usu venit sæpissime, quod si qua parte hos Articulos, prima Commissionis occasione, nondum in exitium Evangelicorum, nec ad implendam cupiditatum adversariorum

rum

rum ſatis detorta interpretatione inflexiſſent, illico vel renovata Commiſſione, vel in Cancellaria Hungarica, (cujus Præſes ex Eccleſiaſticis acerrimus plerumque oſor Religionis Evangelicæ eſt,) error errore cumulatus fuerit, quo interpretatio, licet Evangelicis gravior juxta ac iniquior Catholicis, ad perſecutionem exaſperandam aptior eſſet.

154. Malæ Cleri fallaciis orta. CLIV. Ex iſtis ergo fontibus fallaciarum interpretationis & abuſus Articulorum ſcatuere flumina graviſſimorum tormentorum, tanto impetu, ut quia nemo ſceleſtiſſimum quemque & in Evangelicos immaniſſimum, ne coerceri quidem, nedum puniri videret, hinc viliſſimus quisque, nulla accedente vel infimi Magiſtratûs autoritate, ſolo ferocioris Plebani placito & inſtinctu promiſcue quosvis Evangelicos, Bonaque eorum impune graſſaretur, ut plurimum manu militari adſcita. Unde innumera propemodum mala, mirificæ fraudes, doli, technæ, artes violentæ coactiones, cruciatus, preſſuræ, torturæ, direptiones, captivitates, exilia, in triremes relegationes, vel inſtar pecorum venditiones, verbera, mulctæ, ignominioſa ſcommata & opprobria, ac hinc torrentis inſtar effluentes anxietates, mœrores, ægritudinesque animorum promanarunt. Quibus Evangelici cum contra manifeſtum Articulorum ſenſum ſine intermiſſione toto octodecim annorum à noviſſima Diæta Poſonienſi tractu in præſens uſque exagitati fuerint; quæ tametſi ſingula neque memoria comprehendere neque lingua effari quisquam poſſit, quasdam tamen ſpecies adjicere operæ precium eſſe videtur, idque cum ſaltem in finem, ut omiſſis illis quæ aut memoriam fugiunt, aut hic enarrare prolixum nimis eſſet, ex paucis quæ ſequuntur truculentam perſecutorum ſævitiam miſericors cujusque animus ſibi ob oculos vel levi imaginatione ponere valeat. Quamvis vero hæc ærumnarum genera eo, quod nedum Chriſtianam charitatem, verum barbaram etiam quamque ferociam excedant, audienti legentique incredibilia eſſe videantur, perpetrata tamen certè ſunt.

155. Multiplex convertendi modus. CLV. Domini Terreſtres, arrogata ſibi ex prava antedictæ clauſulæ interpretatione in conſcientias vi, ſubditos ſuos, vel diuturno carcere, ad amplectendam Catholicam, quam vocant, profeſſionem, vel gravi mulcta ad proceſſiones & ceremonias, ſuæ fidei contrarias, invitos coegerunt; conſtantiores immiſſis trucibus ac immitibus, vel Germanis, quos tamen benigniores experiebantur, vel Hungaricis Slavisvisque horribilibus ac implacabilibus Executoribus, qualibet addita crudelitate adigebant. Conſtantiſſimos, vel ſpoliatos, conviciis affectos, diris plagis afflictos dimittebant, vel carcere ac inedia exanimabant.

CLVI. Deinde non ſaltem Domini Terreſtres ſed & alii Catholici, ſi quis ſacra pontificia profeſſus ſive in illa Religione educatus, audiendo Evangelicorum Conciones, vel Lutheranam, vel Calvinianam amplexus eſſet Religionem eum, horrida præcipitique inquiſitione, animum torquente examine, captivitate, ſeparatione à matrimonio liberisque, ejectione turbi ex civitatibus aliisque locis, abreptione inopinata ſponſæ à ſponſo, & his ſimilibus affligebant. 156. Pœnæ religionem mutantium

CLVII. Et hic multa exempla ad præmiſſas poſitiones allegari poſſent, aliis tamen prætermisſis paucula peculiaria annectam; imprimis autem rarum ac ſtupendum afferre conſtantiſſimæ fæminæ exemplum libet, quod circa finem ſeculi elapſi contigit. Erat in Civitate Threnchinienſi Civis Evangelicus, qui Pontificiam uxorem duxerat. Hæc ſedula in precibus, quibus in nutrita fuit, vix ulla die ſacrum miſſæ negligebat. Cum autem maritum valde amaret, ſubinde etiam illum, licet nunquam (quis enim tam ferventi perſecutionum tempore auſus fuiſſet) cogentem, comitata lubens eſt in templum Lutheranorum. Intenta ibi pendebat ab ore verbum Dei prædicantis, ejusque facundia primum aures, tandem etiam veritate ac Dei verbo ipſum cor capiebatur, imo rapiebatur, hocque inopinato plane accidit, cum intuitu contempti Status Evangelicorum nihil minus, quam Religionis mutationem intendiſſet. Mox ergo deſerto Miſſæ ſacrificio, quia ibi nihil ſe diſcere poſſe ajebat, Lutheranis nomen dedit; Protinus ergo accerſitur in curiam Civitatis, & adhibito Plebano, rigidisſime examinatur, quid cauſæ? an maritus coëgerit? Illa rem omnem ſine fuco & imperterrito animo narrat, & genuinam rationem mutatæ Religionis intrepide allegat. Illi niſi redierit in gremium Matris Eccleſiæ triſtia expectaturam eſſe minantur, quibus tamen nihil movetur: Detruditur ergo in carcerem, quo damnati ſceleris & carnificis manu 157. Exempla.

è medio tollendi asservari solent. Exactis nonnullis diebus ac noctibus, addita post molliori ac blandiori cohortatione, sive datis fidejussoribus sive quocunque alio modo, domum dimittitur, dicto statim die quo redeundum. Illa vero sicut ab initio ita semper protestata est, quicquid etiam egerint vel tentaverint constantiam suam non superatum iri. Tum revocatam, ac etiam tertio imo fors pluries reductam, asperius habent. Tandem, ni ejuraverit, Hæresin (ut illis vocare placuit) per carnificem scopis publicæ cæsam relegatum iri indicant, sic enim jam Magistratui visum & Senatûs consulto decretum esse. Agerent, respondit, quod videretur, se jam dixisse & reiterare, se nunquam mutaturam religionem, quam veriorem esse agnovisset, imo institit, ut potius accelerarent destinatum quam tot molestiis ac ingratis angoribus excruciarent. Dato adhuc ultimæ pœnitentiæ tempore ab horis matutinis ad postmeridianas, interea honestiori loco includitur. Venit tempus, illa autem invicto animo ac imperterrito coram senatu sistitur. Patres conscripti per amorem mariti petere, per liberorum dilectionem obtestari, jam hortari, jam minari & incutere terrorem & quicquid cæcus sive zelus, sive vesanus furor, ex templo docuit, facere. Ista vero spretis & precibus & hortationibus & comminationibus, illos nec responso ulteriori dignata est. Ira igitur perciti eam è Civitate ejici jubent. Ejecta est protinus, & pia magnanimitate persecutionem hanc propter agnitam veritatem superavit. Tantum vero abest, ut hoc exemplum alias fœminas terruerit, ut potius plures eo excitatæ eandem exilii gloriam propter fidem certatim captaverint Matronæ Trenchinienses, Maritis liberisque adultioribus relictis, cum ab uberibus pendentes infantulos vix auferre liceret. Accedebat ad ægritudinem relegatarum augendam adhuc & illa asperitas, quod, cum viri relictis omnibus bonis cum residua prole, sequi uxores vellent, prohiberentur à persecutoribus lætantibus in sinu, eo ipso separatorum conjugum animos acerbius excruciari. Non semel in Augusta Aula, ad pedes Augustissimorum, dum præterirent in Palatio, ejectæ illæ Fœminæ, cum infantulis sese prostravere; sed vix auditæ nedum exauditæ. Neque compertum est posthac, quo jam loco sint quaque sorte utantur.

CLVIII. Sed redeamus ad plurium specierum narrationem. Ministri verbi divini capiebantur & conjecti in carceres, diuturno squalore macerabantur. Quorum nonnulli aut ibi moriebantur, aut liberationis omni spe præclusa, vel officio se abdicare cogebantur, vel exilio damnabantur, vel illico deficientes, vel defectionem pollicentes, secus non dimittebantur. Aliqui pretio venditi (quemadmodum nuper compertum est, Episcopum quendam Hazo dictum, Prædicantem Reformatæ Religionis venundâsse, cujus filius patrem suum occasione præsentis tumultus passim quæsivit, sed non deprehendit) aliqui relegati ad Triremes. Seculares publicis ejecti officiis, alii collegiorum Mechanicorum (cehas Hungari vocant) beneficiis ac privilegiis privati, alii vivendi mediis (ut apud fodinas & penes officia magistratuum Civilium ac alibi) spoliati, multi onerum publicorum iniqua distributione, solo Religionis odio, contra omnem proportionem gravati. Multi hospitatione militiæ, dum Catholici nihil sustinerent, per Magistratus onerati. 158. Evangelici diris modis exagitantur.

CLIX. Clausula illa: *Salvo jure Dominorum Terrestrium*, quam crasse abusi sint Catholici jam dictum est. Sed è converso Evangelicis Terrestribus Dominis pariter eadem abuti, haud quaquam concessum. Imo Dominorum Terrestrium subditos Evangelicos, prætextu arrogatæ interpretationis, Parochi Catholici pro arbitrio variis modis & occasionibus, vel invitos associabant suæ Ecclesiæ, vel largiori accepta mulcta Evangelicos esse sinebant. Neque enim sive matrimonium contraherent, sive nascerentur, sive morerentur, sine afflictione cruceque & miseria Evangelicos esse permittebant. Nam quemadmodum desponsatos, nisi aut desciscerent à Religione, aut (prout conventum esset) interdum trium, interdum duodecim, interdum pauciorum pluriumve florenorum, vel quovis alio pretio vexationem redimerent, non copulabant, ita recens natos quidem ægrè baptisarunt, Matres tamen puerperio egressas, laudem & gratiarum actionem, pro more ac ritu Christiano reddituras in Templum prius non admittebant, quam deserta priori Catholicam Religionem amplecterentur vel sæpius impositam, rarius conventam exsolverint mercedem. Per Evangelicos autem ministros has ceremo- 159. Subditi Evangelici à Parochis deglubuntur.

monias ſacras peragi non permittebant.

160\. Parochus puerperas affligit.

CLX. Inde Anno 1701. alicubi in Regno quidam Parochorum aliquot puerperas Evangelicas, licet illæ diu ſupplicaſſent, niſi unam alteramque conditionem præſcriptam præſtarent, in ædem ſacram introducere recuſavit; Illæ repulſam toties paſſæ apud Parochum ſæpius preces reiterarunt, hic autem pertinax perſtitit, additis minis, ne domo egredi auderent. Tandem Fœminæ, quia pauperioris ſortis erant, manibus propriis rem familiarem curare aſſvetæ, dum & mariti ipſarum ope mutua egerent, actis Deo domi vel ubicunque gratiis, multas ſeptimanas, huc illuc, ut neceſſitas ferebat, libere deambularunt, Parocho hoc ægrè ferente & vindictam meditante. Circumvenit tandem hic, datis verbis, fœminas credulas, ac jam ex more ſe illas introducturum ſimulavit: Illæ ergo Parochum uſque ad Altare Templi interius ſequuntur. Parochus tamen dolum animo volvens oportunè & ex improviſo inde ſe proripit, & fœminas ante meridiem Templo incluſit, nec fame ſitique vexatas ad ſeram uſque veſperam dimiſit, imo totam noctem captivas in templo ſe detenturum edixit. Forte fortuna erat aperta aliqua Templi feneſtra, & ſub ea ciſtæ poſitæ. Nox itaque imminens & inedia, inprimis autem infantum miſeratio, ſuaſit miſeris, ut ſe per feneſtram, vix plures quam duas orgias ſupra terram extus altam, demitterent. Fœminæ itaque ſeſe de feneſtra præcipites dedere, domumque ſe clam recepere, poſtquam infantes lodicibus, quas habuerant, colligatis involutos, in manus fœminæ, quæ prima proſilierat, demiſiſſent.

161\. Alia afflictionum exempla.

CLXI. Addi hic poteſt injuria, adverſus duas quaſdam Matronas, alteram in Cremnicienſi, alteram in Semnicienſi, liberis Regiis Montanisque (& illa quidem inter has primaria) Civitatibus patratum. Cremnicienſis quidem in Caſtello ſanctæ crucis, diu ſatis & parum honeſto carcere, non aliam ob cauſam, quam quod ad Pontificios redire recuſaret, detenta, Semnicienſis autem à latere ſponſi, dum à copulatione, è domo cultus Evangelici ad lares redirent, in publica platea abrepta & ad Patrum reſidentiam ducta, ibique diutius afflicta ac macerata fuit. Quarum utraque & Perſecutoribus mirandum, & quibusvis viris Evangelicis imitandum dedit conſtantiæ invictæ documentum.

CLXII. Porro futilis explicationis præſidio cadavera Evangelicorum à Cæmeteriis, à Templis, propriisque Cryptis ac ſepulchris arcebantur. Imo quædam è Cœmeterio repulſa, domum reportanda fuerunt, quemadmodum in Comitatu Trenchinienſi factum. Nec pulſus concedebatur campanarum, niſi moleſto ære ſoluto. Imo etiamſi mortui cadaver ritu ibi recepto, privatim ſepultum fuerit, tamen ſuperſtites horrendum in modum exagitabantur, cur ad mortuos ſuos, ab hæreſi ſcilicet ad Catholicam fidem convertendos, non vocaſſent Parochum? Hinc excogitata lytra & vexationum oneroſiſſimæ redemtiones pecuniariæ, quibus miſeri, cœteroquin publicis tributis exhauſti, ad inopiam & ad incitas redacti. 162. Mortuis ſepultura & campanarum uſus denegatur.

CLXIII. Accidit in fine ſeculi elapſi in Civitate Schemnicienſi, quod Jeſuitæ (Patres enim Societatis hujus Parochiam ibi, Clero licet contradicente, nunc uſurpant) Cadaver cujusdam Lutherani non ſolum in Domicilio communis ſepulturæ condi renuerint, ſed nec alibi ſepeliri conceſſerint, cum autem æſtivo æſtu cadaver fœteret & forte Catholicus ſepeliretur, Chriſtianæ Matronæ Catholicæ, non advertente Jeſuita, Lutheranum ſimul eidem mandarunt ſepulchro; quod cum poſtridie demum Chriſtiano Sacerdoti innotuiſſet, egeri è ſepulchro curavit cadaver heterodoxon ſub Dioque projici. Eædem tamen viciſſim Matronæ pietate huic Patri venerabili longe præcellentes, avertendæ, quæ à populo metuebatur, contagionis cauſa illud gremio terræ reddiderunt. 163. Cadaver Evangelici effoditur.

CLXIV. Nec in Ignobilibus ſaltem & civibus ſubſtitit hactenus expoſita violatio Articulorum, ſed etiam in Barones & Nobiles prorupit. Præterquam enim, quod cultum divinum Miniſterio mediante, in privatis domibus, imo etiam in oratoriis, quæ in ſuis Reſidentiis ædificaverant, fieri non concederetur, ſolutionem quoque ab his ſibi præſtari de- 164. Parochi jura ſtolæ exigunt contra articulos Regni

debere, ex infusa eidem explicationi sentina Parochi Pontificii pertenderunt. Nec puduit hos in isto genere vexæ insigniter impudentes esse, cum nullo neque jure solutionē, neq; labore meritam quamlibet etiā Stolarem in Parochiis solum torpendo & otiando se merere posse rati, per vim semper extorquebant. Igitur mandatis primum Decretisque regiis, quæ in ea intorta interpretatione fundata erant, contra Art. II. Anni 1647. per Articulum huncce 26. expresse renovatum ac confirmatum Evangelici Nobiles compellebantur. Hujus quippe Articuli ea summa est, ne quidquam Evangelicus Catholico solvat Plebano, & vicissim. Mox adhibita vis militum, quibus curiæ nobilium jure licet recusantium in prædam destinabantur & ipsi in captivitatem.

165. Liberi ad scholas Jesuitarum trahuntur.

CLXV. Huc pertinet licentia illa qua liberos Evangelicorum Jesuitæ ad Scholas suas trahebant, invitisque Parentibus sua imbuebant Religione, Visitationes Archidiaconi Catholici in eas Ecclesias Evangelicas, quas æstus explicationis perversæ necdum rapuerat, perperam ac solo violentiæ medio usurpabant, paulatim sui arbitrii jura in illas invecturi.

166. Templa & scholas auferendi prætextus.

CLXVI. Tam late autem grassabatur hæc interpretandi licentia, ut quicquid adhuc in manibus & potestate Evangelicorum erat, Templa scilicet & huc pertinentia omnia, Parochias, scholas, concionandi ac docendi libertatem, eoque destinatos reditus, ipsosmet denique Ministros ac Professores & Rectores Scholarum, & quicquid aliud de securitate & libertate Religionis residuum erat, id jam non amplius inviolabile ac jure stabilitum, liberumque ac legale, quod tangere & violare nefas esset, sed solummodo indulgentia quadam toleratum, adeoque à placito non Regis solius, sed & privati cujusvis pendere vulgo proclamarent. Igitur, ut Ministros verbi Divini premerent, nec tamen iis injuriam facere viderentur, comminiscebantur mira commenta, quorum velamine quoslibet, sed specialiter Prædicatores adhuc in locis perpaucis, ad cultum Religionis exercendum Dei peculiari bonitate conservatos & morantes, ad tribunal suæ sedis citabant. Quisquis ibi Legum Regni, Pacificationem & Diplomatum, quorum cunctorum vigore à jurisdictione Episcoporum adversæ Religionis immunes erant, fiducia nixus non comparuerat, excommunicationis fulmine feriebatur; id quod accidit Sextio Prædicanti Carponensi Evangelicæ Religionis. Equidem injustas hujusmodi excommunicationes jure divino humanoque fulgur ex pelvi esse dudum orbis Christianus cognovit, attamen quia Clero Catholico in Hungaria nunc temporis (quo omnis contra Religiones istas patrata violentia virtutis meritique præconium obtinet) tuta impunitas, non autoritatem justam, sed arrogatam & arreptam vim obstinaverat nimium, nemo innocentium ne hiscere quidem contra ausus est. Atque sic illegitime excommunicatis nihil aliud reliqui fuit quam sub onere gemere, cum nemo innocentiæ suppetias ferre auderet: Regiam siquidem authoritatem, innocentibus imprimis tuendis à Deo destinatam, Cancellariæ Hungaricæ post Regem capita (hæc viros Ecclesiasticos esse supra dictum) non nisi ad magis premendos, non vero in Religionis securitate tuendos Evangelicos, pro suo arbitrio, non legum dictamine usurpabant.

167. Causarum cognitio Evangelicis adempta.

CLXVII. Ita quidam alii fictitia seu factitia de causa ad sacrum illud Tribunal tracti erant, quod insimularentur adfuisse cuidam judicio, per consensum Augustanæ Religionis Ministrorum, multis ante annis circa casum, quo aliquem Nobilem virum ab uxore deseri contigerat, in Comitatu Thurochiensi celebrato. Istiusmodi causas autem Consistoria Evangelicorum dictante Artic. XV. Anni 1647. plena cognoscendi ac decidendi gaudebant libertate. Visum vero fuit Consistorio jure dissolvi illud Matrimonium attribuique marito facultatem aliam ducendi. Post multos annos, fœminam istam servitio Canonici Ecclesiæ istius Metropolitanæ applicari forte contigerat. Qua occasione favorem nacta, quem deseruerat virum, traxit in judicium. Mortuis ergo illis, qui judicium constituerant, istos Ministros impetebat Paulus Balassa vicarius & causarum Auditor, hac intensione, ut jurisdictione in Evangelicos paulatim extensa, velleret eos, quando & quomodo luberet; Qui tamen his tricis, Deo juvante

vante tandem ſeſe extricarunt. Sed acutum cernens ille Presbyter ſuæ Religionis Sacerdotes videre diſſimulavit, qui noſtra ætate cuidam adhuc viventi in ſuperiori Hungaria tertiam ſuperinducere uxorem promiſerunt, prioribus duabus ſuperſtitibus leviſſima ex cauſa amotis; quique ut in Comitatu Poſonienſi à priori ſeparata alteri nuberet, conceſſerunt.

168. Parochi templa occupant.

CLXVIII. Eo denique progreſſa fuit articulis abutendi licentia, ut & in illas Eccleſias Evangelicas, quæ templum cæteraque huc ſpectantia poſſidebant, ſine omni Commiſſariorum adminiculo Plebani Pontificii propria autoritate irruerent; Quibus ſemper fere ex voto ſucceſſit audax præſumtio, ſubinde tamen irritata Plebs, præſertim vetularum fœminarum alia frendens inſultavit, alia joco forſan etiam ſerio impudentem conatum eluſit.

169. Lepida mulierculárum comminatio.

CLXIX. Contigit in Pago Miava dicto, in Nitrienſi Comitatu, per Milites Germanos, quibusdam præter voluntatem ac mandatum Cæſareo-Regium id ſuggerentibus, abripi Prædicantem. Qui non diu vexatus in pedibus exilioque annuo, vel quod excurrit, quæſivit ſalutem, tandem tamen ſuæ Parochiæ reſtitutus. Interim venerunt duo Catholici Plebani, &, nemine ex primoribus Pagi ſalutato, conſident in Parochia (Incolæ ruſtici ſunt, plurium Dominorum ſubditi homines ſimplices quidem ſed tanto conſtantiæ in Religionem zelo, ut mori potius & exterminari malint, quam ab agnita veritate verbi ejusque puritate recedere, ſitu montium ac vallium frequentium muniti, & circum eorundem morum Religionisque Pagis fortaſſe ſex vel pluribus adeo ſuſtentati ut formidini eſſe poſſint) Fortaſſis alter alterum inſtallaturus erat; Sed ecce, viris minas vimque Dominorum metuentibus, mulierculæ, ſive ex condicto, ſive fortuna, ad Parochiam Templo contiguam pedetentim conveniunt; Ubi jam turba fœminarum numeroſa erat, irruunt in hypocauſtum ubi Patres duo erant, & vix cum illis ullus alius. Singulæ mulieres ſingulos cultellos (ubi quidem in hoc diſtrictu & mulieribus gerere cultros à cingulo pendulos ſolenne eſt) protrahunt, quos ſeu cote, lapideve quovis obvio ſeu ligno arrepto, aut proximo parieti attritos acuere præ ſe ferunt. Cum vero aliæ fremerent, aliæ lacerent, incipiebant Parochi præſagire, in tam inſolito tumultu, ſe correptum & caſtratum iri. Tanta autem mulierum multitudine refertum cubiculum erat, ut reſpirare conſtricti vix poſſent, hinc Patribus in angulum coarctatis, exitus, niſi prece, non patuit. Tandem vero anxii liberum diſceſſum pacti, cachinnantibus fœminis, abiverunt, pulveres quoque juxta Chriſti præceptum Apoſtolis inculcatum excutere obliti. Tantum terrorem exemplum hoc rabiei feminarum illarum, à Zelotypia maritorum ſuorum (propter ſuſpicionem, quam Parochi cœlibes optime nutriri ſueti eis præbere, veluti rebantur, poſſent,) nimium ſibi metuentium, incuſſit reliquis Apoſtolicis in converſionem ſic dictorum hæreticorum prurientibus, ut nemo Catholicorum plebanorum vel monachorum commoveri ſe paſſus fuerit ad ſimile periculum ſubeundum. Ita enim muliebres impetus & arma perhorruerunt omnes, ut zelum heroicum, quo martyrium propter fidem anhelare ſe cœteroquin ſimulant, protinus exuerint, adeo quidem ut etiam res ſibi plane inutiles, & quibus ne quidem legitime uti licet, imo quarum uſus ipſismet propter votum periculo ſalutis æternæ, aliisque ſcandalo eſt, amittere formidaverint; cum potius juxta præceptum Salvatoris, quo vel oculos, ipſismet ſacerdotibus certe magis neceſſarios, ſi ſcandalum dederint, eruere & abjicere ſuaſit, illo fomite & ſupellectile libidinis, otio & molliori victu non raro laſcivientis, ſemel ipſos privare, aut, juxta doctrinam Chriſti ſemet ipſos caſtrare propter regnum cœlorum, illis non indignum nec indecorum eſſet (ſic in proximo Pago, cui Tura-Luka nomen eſt, ante tempora Tœkœliani in Hungaria tumultus, quendam Protonotarium Barſen vocatum, Epiſcopo itidem Barſen adhærentem ſine ſociali diſcretione Zeloſum, armata Pagenſes manu invadentem ac perſequentem, dum Prædicantem amovere loco vellet, per tumultuarium Pagenſium concurſum occumbere contigerat.

CLXX. Inter pravæ illius interpretationis Gravamina non minimum illud eſt, quod, licet articulorum verba pla- 170 Scholæ Evangelicorum ad rudimenta reſtringuntur.

planam plenamque tribuant facultatem scholas erigendi, ac Magistros & Professores constituendi, hoc tamen vix ultra rudimenta trivialia intelligendum esse, abusu legis vique superveniente constitutum fuerit.

171. Evangelici Magistratibus arcentur.

CLXXI. Non videtur omittendum, quod inter gravissima primariaque onera numerandum est; Nempe omnia officia, maxima & minima, toto fermè in Regno, Evangelicis erepta fuisse. Vix quatuor Comitatus connumerare licebit, in quibus Evangelici aliquod officium retinuere. In Civitatibus liberis regiis & Montanis perpaucis, vix dimidia pars Magistratus permansit, in aliis, unus vel alter, ægerrimè autem plures admittuntur, quod maxime eo fine factum, ut & edax illa libertatis adulteraque interpretatio firmiori talo niteretur, &, si quid contra clarum Articulorum sensum judicandum occurreret, facilius tum alii quilibet Persecutores, tum præsertim locorum Plebani consequerentur. Attamen fuerunt semper etiam ex Catholicis Magistratibus, & potissimum infimis, qui teneriori sensu conscientiæ convicti, segnius & cautius obtemperavere instantiis primo etiam intuitu illegitimis, utpote non nisi ex fœda pravæ interpretationis lacuna promanantibus: quinimo etiam minas (solenne quippe præclaris istis Parochis est insultare justitiæ) contemnentes luere maluere, quam justitiam lædere, eo quod illam Ethnicis quoque & Judæis administrandam esse agnoscerent: id quod pressis utique non in efficaci solatio esse solebat. Et quis tandem omnia illa mala recensere posset, quæ fallax, trux, & invidus animus persecutorum in Evangelicos excogitavit, per impunitatis confidentiam obfirmatus & perversæ interpretationis abusu suffultus.

SE-

SECTIO TERTIA

Periodi Tertiæ.

De

Persecutione Protestantium in Hungaria post Comitia Anno MDCLXXXI. & MDCLXXXVII. habita, recrudescente & invalescente.

CONSPECTUS SECTIONIS III. PERIODI TERTIÆ.

172.

Recapitulatio contentorum Sectionis primæ & secundæ hujus Periodi Tertiæ. 173. *Quid hac Tertia Sectione exponatur.* 174. *Clero Catholico omnes persecutiones in Hungaria merito imputandæ sunt.* 175. *Clementissimo Imperatori Leopoldo enim nullatenus imputari quicquam potest, declaratio ejusdem toties repetita.* 176. *Persuasionibus & susurrationibus indefessis Cleri Imperator Leopoldus obrutus & obtusus fuit.* 177. *Clerus Catholicus ipsemet non negat se persecutiones tantas adornasse, sed de eo gloriatur.* 178. *Cardinalis Collonitschius inprimis & Iesuitæ incentores persecutionum fuerunt.* 179. *Collonitschius publice prædicans in Comitiis Evangelicos conviciis proscidit, & causam Iesuitarum defendit, frendentibus ipsismet Catholicis auditoribus.* 180. *Collonitschius Præsidio Cameræ Posoniensis abusus est ad persecutiones Religionis Evangelicorum.* 181. *Creberrimis Commissionibus Cameralibus vexavit Lutheranos & Reformatos prætextu ex Art. 26. An. 1681. sumto quamvis hic Articulus commissiones in favorem Evangelicorum ordinasset.* 182. *Civitates Montanæ, inprimis civibus Evangelicis & fossoribus metallorum hujus Religionis habitæ, ejusmodi Commissionibus divexatæ sunt, cum summo periculo redituum Cameralium & totius Regni.* 183. *Processus à Commissariis Cameralibus contra jus commune & leges Regni institutus: Commissarius Louvenburgicus exhibitionem Mandati Regii denegat & edicit se esse verbum regium, & se abrogare Articulum XII. Anni 1649.* 184. *Quid Commissiones Camerales contra Religionem Evangelicorum egerint Novisolii.* 185. *Civitates montanæ per privilegia à Bela IV. Rege semper deinceps confirmata libertate eligendi magistratus gaudent.* 186. *Commissarii Posonienses numerum Evangelicorum contra leges Regni imminuerunt, & Catholicos inhabiles in locum abdicatorum Evangelicorum intruserunt.* 187. *Lævvenburgius ministro Evangelico exilium indixit Chemnitii.* 188. *Idem stolares proventus Evangelicis ministris abjudicavit contra Articulos Regni.* 189. *Civibus Chemnicensibus, fossoribus metallicis & opificibus, exercitium Religionis Evangelicæ interdicitur contra Articulos.* 190. *Evangelicam Religionem amplexi crudeliter puniuntur & ad ejurandam eam coguntur, contra Articulos Regni: infantes patris vel matris Catholicæ aut à Parocho Catholico baptizati, ad Religionem Catholicam coguntur, licet in Evangelica educati.* 191. *Cremnitii & Neosolii senatores Evangelici è senatu ejiciuntur ex odio Religionis, è reliquis in vincula & carceres multi conjiciuntur.* 192. *Imperator Leopoldus Rescripto de 9. Decembr. 1702. prohibet, ne Camera Posoniensis amplius mittat Commissarios ad renovationem magistratuum in civitatibus montanis, nec Artic. XII. Anni 1649. contraveniat, potius condignam rationem Acatholicorum sic dictorum habeat.* 193. *Sed post inter-*

vallum 14. dierum ad instantiam ipsiusmet Cancellariæ Hungariæ Aulicæ, justissimum illud Rescriptum revocatum, & contrarium illi & dispositioni Artic. XII. Anni 1649. jussum est. 194. *Contrarietatis tantæ ratio est, quod ArchiCancellarius & Cancellarius Aulæ sint infensissimi hostes & persecutores Evangelicorum.* 195. *Summa miseria Evangelicorum hæc est, quod ab omnibus judiciis & tribunalibus Regni non adjuti, sed semper quam maxime oppressi fuerint.* 196. *Imo legum patriarum custodes, quia Clerici erant, contraventionem legum Regi ipsimet suaserunt, cum tamen officii ipsorum esset serio dissuadere, ne extemporanea pagina Articuli Regni infringerentur. Sed tanti est Clericos officiis secularibus & judiciis contra Articulos Regni præficere.* 197. *Cur Lœvvenburgius ausus fuerit jactare, se ipsum esse verbum Regium & vivum Cæsaris mandatum.* 198. *Camera Aulica Anno 1702. d. 8. Mart. Chemnicensibus rescripsit, Peterfianum decretum non esse attendendum, sed Exercitium Religionis Evangelicæ in pristino statu conservandum esse.* 199. *Anno 1703. Commissarii Posonienses Schemnicziensibus Evangelicis interdicunt plures uno ministro habere, in scholis ultra Grammaticam doceri Evangelicos, ex pagis ad oratorium admittere, festa decretalia profanare & Apostatas recipere.* 200. *Gunziensis Civitatis vexationes truculentæ, quas à Commissariis Posoniensibus & furente Abbate Szalavariensi perpessa est post Comitia Sproniensia.* 201. *Inhumana plane ferocia Abbas Szalavariensis in Civitate Gunziensi furit contra Evangelicos.* 202. *Schedulis Salvæ Guardiæ inter Catholicos distributis, Abbas fraude indigna Lutheranis panicum terrorem incussit, de imminente captivitate eorum per vicinas legiones Cæsareas perficienda, unde omnes aufugerunt.* 203. *Paveschizius nullo Mandato Cæsareo monstrato omnes Evangelicos ab officiis Günzii removet.* 204 *Idem tamen Abbatis Tyrannidem detestatur.* 205. *Cæsareus militiæ Præfectus ab Ittichen asseverat, Abbatem militia pro sua tantum comitiva impetrata contra intentionem Imperatoris abusum esse.* 206. *Catholicus Iudex Lutherano abdicato substitutus Gunzii Stephanus Fekkete, quanto furore & dominatu sævierit, in cives imprimis Lutheranos.* 207. *Talis furor & sævitia pro merito reputatur ad obtinendas promotiones, ut alii ad eadem excitentur.* 208. *Gunzienses 8. Ian. 1684. protectionales amplissimas ab Imperatore obtinent.* 209. *Anno 1701. ad instantiam Legatorum Angliæ & Hollandiæ Imperator injungit Cameræ Posoniensi ne Evangelici ad talia adigantur, quæ publicæ fidei & verbo Regio contrariantur.* 210. *In eo consistit tota summa querelarum Evangelicorum, quod contra fidem publicam verbum Regium & Regni leges divexentur à Clero, qui illa omnia magna pervicacia susque deque habet.* 211. *Non attentis illis decretis Cæsareis persecutio Evangelicorum Gunzii recruduit. Pecunias pro cultu divino collectas Clerus Catholicus Evangelicus summa injustitia cum fundis hypothecæ pro sorte innexis violenter abstulit.* 212. *Ausus periculosus Zetchenii Episcopi Iaurini, cum legionem militum Cæsareorum VVoppingeranam in civitatem Sproniensem introducere, & templa Evangelicis adimere vellet.* 213. *De persecutione Evangelicorum Sproniensium remissive.* 214. *Injuriæ & violentiæ, quas Commissarii Cameræ Posoniensis Evangelicis Trenschinii horrendum in modum per tot annorum cursum intulerunt.* 215. *Paucissimæ civitates in Hungaria sunt, quæ propter persecutiones Evangelicorum non sint in miserum statum redactæ, quod tamen Cleri zelus indiscretus nihili curat.* 216. *In Civitate Bartfa Commissarius Cameræ Posoniensis Superintendentem Zablerum cum filio in exilium mittit.* 217. *Solenne artificium Cleri Catholici est Pastores Evangelicos Rebellionis insimulare, & tunc accusasse sufficit, unde nemo innocens esse potest.* 218. *Iussit tamen Cæsar, ut ad docendam innocentiam admittatur Zablerus.* 219. *Utinam talis inquisitio ante executionem instituta esset. Utinam etiam tandem aliquando post longas moras instituta fuisset: Sed nihil horum factum est, artificiis Cleri impedientibus examen causæ.* 220. *Clerus semper impedit, ne innocentia Evangelicorum detegatur.* 221. *Quanto furore Anno 1701. Bartfæ alius minister Evangelicus è templo & ex altari abreptus, & in exilium protinus avectus, civesque Lutherani in compedes & carceres compacti fuerint.* 222. *Idem alii Ministro Bartfensi Sclavonico accidit.* 223. *Altare, Cathedra, Baptisterium, Organa evertuntur, & spolia templi asportantur.* 224. *In Civitate Carpona Minister Evangelicus in exilium mittitur, & Exercitium Religionis Evangelicæ sub prætextu, quod non sit amplius civitas confinaria & præsidiaria, interdicitur; cum Cives Articulos Regni allegarent Rebellionis insimulati sunt, unde severum Rescriptum sequens ex Cancellaria Hungarica emanavit.* 225. *Liquet ex præmissis, quod Commissiones*

Ca-

Cameræ Posoniensis, nec non decreta & Rescripta Cancellariæ Hungariæ contraria Articulis Regni præceperit. 226. *Sed ulterius adhuc processum est, dum generales tandem etiam declarationes & Resolutiones sub Nomine Augustissimi editæ sunt, quibus Articuli Regni in favorem Evangelicorum lati per contrariam interpretationem labefactare & tandem plane tollere tentatum est.* 227. *Intentio Cancellarii Hungariæ Aulici erat una generali Resolutione data præscindere omnes querelas Evangelicorum.* 228. *Resolutio Cancellariæ Hungarico-Aulicæ de 2. Aprilis 1691.* 229. *Quantas Novitates contineat præmissa Resolutio, & quam incompatibiles illæ sint cum Articulis Regni.* 230. *Ablegati Status Evangelici Hungariæ memorialia contra illam Resolutionem exhibent.* 231. *Et Imperatorem commonefaciunt superesse plurima, in quibus Resolutionem urserant.* 232. *Inclementior alia Resolutio ex Cancellaria Hungariæ Aulica emanata, qua Primo exercitium Religionis Evangelicæ Augustanæ & Helveticæ Confessionis restringitur, tantum ad partes Hungariæ, quæ Anno 1681. in potestate Cæsaris erant, in Neo-acquisitis à Turcis denegatur. Secundo locis Confiniariis, quæ post extensionem victoriarum confinaria esse desierunt, idem abjudicatur. Tertio, qui Religionem Catholicam mutant, tanquam Apostatas & perjuros puniendos esse statuitur.* 233. *Aliis decretis interdicitur, ne prædicante Evangelico demortuo alius substituatur sine præscitu Cameræ Hungaricæ, & visitationes templorum Evangelicorum permittuntur Catholicis Clericis.* 234. *Cardinalis Collonitschius Primas Regni Hungariæ factus, classicum belli sacri de exstirpanda Religione per literas circulares canit.* 235. *Arrogat sibi autoritatem tantam, ut credat abrogationem Articulorum Regni à se dependere solo.* 236. *Classico hoc cantato, quisvis odio erga Evangelicos æstuans, se ad persecutionem accingit.* 237. *Episcopus Radhonay imprimis furentem insigniter antesignanum egit.* 238. *Ejus literæ injuriosissimæ, quibus Reformatos Iudæis, Turcis, & prædonibus æquiparat, & exilium iis indicit.* 239. *Alia Epistola horrenda, qua Reformatis salutem æternam præ bobus, & asinis imo etiam præ Diabolo ipsomet temere abjudicat.* 240. *Binis aliis epistolis omnibus Reformatis exilium decernit.* 241. *Alia Epistola fatetur exstirpationem Evangelicorum decretam esse.* 242. *Alia Epistola Episcopali exstirpationem Evangelicorum exilio, vinculis, carceribus, & confiscatione omnium bonorum promovendam jubet, sub pœna excommunicationis.* 243. *Nova hæc Methodus abolenti Heterodoxas Religiones facillima omnium est, quia tribus tantum in punctis consistit.* 244. *Sed si hæc methodus obtinere debet, lictoribus, non Theologis amplius opus erit: Interest autem Cleri talia non credi.* 245. *Methodus illa vi cogendi Heterodoxos Christianæ fidei & Patrum doctrinæ contraria est.* 246. *Adjicitur Epistola Zablatsky Parochi Catholici ad Prædicatorem Evangelicum Trenschiniensem curiosissima propter insipida scommata cumulata.* 247. *Cardinalis Collonitschius Templa Evangelicis vi eripit, subditos vi reformat, & nolentes hereditatibus avitis omnibusque bonis privat.* 248. *Archi Abbas Sancti Martini montis & Iesuitæ idem faciunt.* 249. *Cardinalis jussu Pastores Evangelici ad judicium sedis Archi-Episcopalis Strigoniensis quavis de causa levissima citantur, non comparentes excommunicantur; comparentes & exceptionem fori juxta Articulos Regni allegantes rigide mulctantur.* 250. *Tantis exemplis excitati quicunque promiscue plebani & Domini Terrestres Evangelicos Ministros coadunatis hominibus abigunt, templa occupant &c.* 251. *Palatinus Hungariæ Princeps Esterhasius dispensationem Papalem pro matrimonio & reconciliationem Cardinalis Collonitschii expetens, secreto consilio devincitur ad vota pro exstirpatione Hæreticorum suscipienda, quæ summo cum rigore in maximo Hungariæ tractu exequitur.* 252. *Palatini Persecutio Evangelicorum maximum detrimentum rei Evangelicæ attulit & cur.* 253. *Præteritio reliquarum persecutionum.* 254. *Iesuitæ gloriantur de persecutione tanta Evangelicorum peracta, sed fallunt, & fallentur.* 255. *Iesuitæ Viennenses scriptis suis se produnt, sicuti sorices, quod sint incentores persecutionum, nec erubescunt Augustissimum Leopoldum Panegyri laudare, quod violaverit Pacta & Leges publicas, quod tamen Religiosissimus Princeps nunquam, sed ipsimet fecerunt.* 256. *Patris VVidmanni similis impudentia, cum parentaret Manibus Leopoldi.*

CLXXII.

172. Recapitulatio Sectionis primæ & secundæ.

PRima Sectione Tertiæ hujus Periodi expositum est, quanto conatu Clerus Catholicus Hungariæ & Aulæ, pietate Augustissimi Leopoldi abutens impediverit, ne Comitia Regni crebrius celebrarentur, & ubi Anno 1662. indicta essent, quanto nisu præcluserit Clerus Hungariæ Statum Evangelicum, quo minus ejus Gravamina Diætaliter examinari, & constitutionibus novis sublevari potuerint, & quem in modum deinceps obtenta hac exclusione crediderit, ex eo tempore omnes jam cataractas ad erumpendum in persecutionem & exterminium Religionis Evangelicæ, patere, & quemadmodum inde dira illa & cruenta persecutio decennalis subsecuta & horrendum in modum grassata fuerit.

Secunda Sectione Tertiæ hujus Periodi commonstratum est, quam callido denuo studio Clerus Catholicus in Comitiis Anni 1681. & 1687. inscio Statu Evangelico certas clausulas aliasque expressiones periculosissimas Articulis Regni infarserit; quam abusiva & iniqua interpretatione vel potius detorsione fundamentum novæ persecutionis, & tandem exterminii Religionis Evangelicæ in Regno Hungariæ jecerit, & quibus consequentiis, mala fide ex dictis Articulis deductis, hucusque persecutionem adornaverit.

173. Contenta tertiæ sectionis.

CLXXIII. Tertia ergo hac Sectione Periodi tertiæ restat exponendum, quomodo Clerus Hungariæ Catholicus, instigatis plurimis Dominis terrestribus, per abusum & perversam interpretationem dictorum Articulorum Anni 1681. & 1687. in maximam sævitiam novæ persecutionis ipso facto tandem eruperit, & quanto ausu, autoritate Cancellariæ Aulicæ Hungaricæ, nec non Cameræ Posoniensis, imo & Nominis Clementissimi Imperatoris ipsiusmet, quem tamen plurima latebant, abusus fuerit, & plurima proprio lubitu peregerit, contra intentionem & voluntatem Cæsareæ Majestatis toties iterato declaratam, nec non quantis artificiis tot decreta contraria sub- & obreptitie ex Cancellaria, Hungarica Aulica extracta, quibus sacra Diplomata Regum jurata & Articulos Regni, à sæculo usque & usque reiteratos & confirmatos, abolere inusitato in Hungaria modo tentatum ab eodem Clero fuerit.

CLXXIV. Errat quicunque credit odium aliquod contra Clerum Hungariæ Catholicum venerabilem præconceptum causam esse, quod ipsius instinctui & molimini tantarum persecutionum series soli imputetur. Errorem hunc, si cui is insidet, res ipsa sequentibus paginis facile eximet. Et cuinam alias quæso persecutiones tantæ imputari possunt? Certe Pientissimo, & in servando juramento & fide data longe Religiosissimo Imperatori quicquam imputare sacrilegium esset. 174. Clerus fax & tuba omnium persecutionum.

CLXXV. Augustissimus Leopoldus coram benigne admissis conquerentibus super persecutione deputatis Status Evangelici Hungariæ, non una vice his respondit verbis: *Non fuit, nec est, nec erit mea voluntas vos turbare in vestra Religione: quin imo bene memor sum eorum, quæ Ego & Prædecessores mei in Diplomatibus juratis, nec non in Articulis Regni verbo Regio & fide Christiana promisimus Religioni vestræ, unde omnia illa observare, neutiquam autem illis contravenire perpetua & immutabilis intentio nostra manet.* 175. Imperator in culpa non est.

CLXXVI. Aut si subinde Sacram Cæsaream Majestatem in compescenda persecutorum truculentia hæsitasse aut tardasse credi posset, quod tamen non licet, ad cujus quæso instantiam & persuasionem hoc fieri potuisset, nisi ad Cleri tum Aulici tum Hungarici susurrationes indefessas & operosas, cum uterque apud Augustissimum, pro singulari & innata ipsi in Ecclesiasticos affectu, summa gratia, familiaritate & autoritate polleret, sicut notum est. Certe supprimendo aut extenuando illa quæ agebantur, vel infinitis aliis glaucomatibus affusis, animum Pientissimi Principis præoccuparunt præcipue Jesuitæ Aulici, Cardinalis Collonitschius, Cancellarius Hungariæ Episcopus Nitriensis, & alii infensissimi Evangelicorum hostes, ita ut plurima ignorante justissimo Imperatore, multa etiam ipso prohibente & contra voluntatem præceptumque gesta, aut corrigi intermissa fuerint. 176. Interdum tamen Cleri clamoribus obtusus.

CLXXVII. Eo minus autem vereri quis debet Clerum Catholicum autorem persecutionum erga Evangelicos nominare, quia non modo id non negat, sed & de eo non obscure gloriatur, nec injuriam sibi hac imputatione fieri credit, de quo infra documentum publicum in superfluum afferetur. Quid? quod cordatus quisque secularis Hungaricus Catholicus hy- 177. Clerus ipse de persecutionibus gloriatur.

hypocryseos affectatione vacuus, idem ubique agnoscat & fateatur.

178. Collonitschius & Jesuitæ persecutionum flabella.

CLXXVIII. Minus errabit, quisquis imprimis CARDINALEM COLLONITSCHIUM cœco zelo contra Religionem Evangelicam, in qua enutritus prius erat, furentem, cum JESUITIS in quorum verba jurat, incentorem, facem & tubam omnium persecutionum, quæ regnante gloriosissimo Cæsare Leopoldo secutæ invicem sunt, reputaverit. Quantam rabiem furibundus hic Saulus in decennali illa persecutione prima exercuerit, & quanta cum ferocia etiam proprias manus à verberibus, quibus ministros Evangelicos dedolavit, non abstinuerit, & quomodo omnibus iis, quæ tunc pro extirpanda Religione agebantur, sese immiscuerit, totumque persecutionis filum direxerit, ex historia primæ suæ, vere suæ persecutionis, sub finem sectionis primæ hujus Periodi Tertiæ videre licuit.

179. Collonitschius Jesuitas defendit frendentibus Catholicis.

CLXXIX. Durantibus Comitiis Anni 1681. prædictus Collonitschius Festo Ignatii concionatus, Vatinianum odium erga Evangelicos, & immodicum in Lojolitas affectum compescere non potuit, quia convitia in illos publica ex Cathedra cumulavit varia, inter alia Lutheranos viles mercatores Augustanos, Reformatos autem Helveticos rusticos vocitans, & causam agens Jesuitarum, de quorum ejectione ex Regno Hungariæ Clerum Catholicum, quemadmodum plerisque antea in Comitiis, ita tunc denuo etiam institurum esse suspicabatur, exclamavit, bonos Catholicos potius omnia bona vitamque ipsam amittere debere, quam permittere ut Societas Jesuitarum regno eliminetur, pluraque talia frendentibus non modo Evangelicis sed & ipsis Catholicis tum declamavit. Videantur acta Diætalia A. 1681. die 31. Jul. in Appendice Operis.

180. Collonitschius Præsidio Cameræ Posoniensis abusus.

CLXXX. Comes hic Leopoldus Collonitschius Cameræ Hungaricæ Posoniensis Præsidem egit aliquot annos, etiam postquam Episcopatum Neostadiensem obtinuisset, donec in Comitiis Anni 1681. Regnicolæ amotionem ejus ab hoc præsidio Cameræ instantissime ursissent, & tandem obtinuissent, sustinentes per leges Hungariæ Ecclesiasticos ab hujusmodi officio arceri, neque post pacificationem Viennensem quempiam Prælatum ad illud admissum esse; conquerentes insimul, ipsum Repartitiones, accisas, aliasque infinitas nunquam antehac ne nomine quidem notas contributiones, introduxisse. Vid. in Appendice Acta Diætæ hujus d. 17. Octobr. & passim. Æstus ille persecutionis, quo in Evangelicos flagrat, ipsum maxime exstimulaverat ad ambiendum istud Cameræ Posoniensis Præsidium, sperabat enim, se nacturum esse occasiones autoritate istius officii abutendi, illamque in exstirpationem Evangelicæ Religionis impendendi.

181. Commissionibus Cameralibus vexavit Evangelicos.

CLXXXI. Quoniam ergo in Articulo XXVI. Diætæ Soproniensis Anni 1681. mentio facta erat Commissionum, per quas Templa ab August. & Helvet. Confessioni addictis ædificata, & ritu Catholico nondum inaugurata, Evangelicis restituenda, in aliis vero locis pro ædificandis Templis, Scholis & Parochiis erigendis designandæ areæ essent, inde ansam captavit Collonitschius *Commissiones creberrimas* per totam Hungariam *imprimis in Civitatibus liberis* aliisque instituendi, sed alio plane & prorsus contrario fine, nec ad juvandam rem Evangelicorum, quæ mens est dicti articuli, sed ad eam omnino evertendam Quo etiam civitates liberas opulentiores, & ab Evangelicis magis habitatæ erant, eo magis adversus illas consilium suum direxit, ut immissis Commissariis exercitium Religionis Evangelicæ ibidem non modo premeret, sed & plane opprimeret.

182. Civitates montanæ quoque commissionibus divexatæ.

CLXXXII. Inter CIVITATES MONTANAS LIBERAS CHREMNITIUM secunda quidem, sed ratione redituum qui ex aurifodinis ad Cameram Imperialem inde proveniunt, prima; præ cæteris in angustias maximas redacta est per sæpius reiteratas ejusmodi commissiones. Parum etiam abfuit, quin ad incitas redactis Evangelicis, quod intendebatur, aurifodinæ à fossoribus metallorum in omnibus civitatibus montanis derelictæ, & reditus Regii in summum decrementum delapsi fuissent, id quod in totius etiam Regni summum detrimentum cessisset. Anno enim 1793. computus factus commonstravit intra proxime præcedentes 8. annos ultra 1200000. fl. ærario Regis ex sola civitate Schemnicensi, non computatis multo majoribus adhuc summis, quæ Chremnitium & reliquæ civitates montanæ contulerunt, ex fodinis metallorum illatos fuisse, quamvis societas illa Civium Schemnizensium pro aurifodinis colendis inita eodem octennio duplum damni, scil. 2800000. fl. per

perpessa fuerit, benedictione montana, prout dicitur, ex voto tunc minus affluente.

183. Processus contra jus commune & leges Regni institutus.

CLXXXIII. In his ergo Civitatibus montanis toties reiteratæ Commissiones nihil aliud egerunt, quam ut contra Leges & Articulos Regni libertas & securitas Religionis Evangelicæ apertè minueretur, & totum tandem exercitium ejus aboleretur. Post tot alios Commissarios tandem etiam Comes à Lœvvenburg ex Camera Aulica Imperiali, Peterfius Hungaricæ Cameræ Consiliarius, nec non Administrator supremi Cammergraviat⁹ Mayerus, Anno 1703. Chemnitium venerunt, & associato sibi parocho Catholico Jesuitarum superiore, Ignatio Barmet, qui omnibus actibus etiam Electionis Magistratus in curia sedulo interfuit, & plura semper quam reliqui Commissarii magisque pro imperio peroravit; Hi pejora quam præcedentes Commissarii contra Evangelicos statuerunt, quæ cum Diplomatibus, privilegiisque Regiis nec non articulis Regni diametraliter contraria essent, Evangelici jura sua modeste quidem allegarunt, sed cum aliud reponere non possent, Commissarii mandata & jussa Cæsarea unice creparunt. Evangelici ergo edocti juris esse communis, quod L. 1. C. de Mand. Princip. extat. *Si quis asserat cum mandatis nostris secretis se venisse, omnes sciant, nemini quicquam, nisi quod scriptis probaverit esse credendum, nec ullius dignitate terreri, sive illi Tribuni sive notarii, sive Comitis præferat dignitatem.* Huic Juri communi innixi Evangelici reverenter petierunt, ut Commissarii Mandata sua Cæsarea illis exhibere non dedignarentur. Adeo autem indignati sunt Commissarii huic justissimo postulato, ut durissime increpuerint submisse petentes, causati speciem Rebellionis esse talia postulare, itaque in autores factionis inquirendum & exemplum statuendum esse; tandem etiam eo procaciæ delapsus est Comes Lovvenburgicus, ut non veritus sit exclamare: *Ego sum verbum Regium & vivum Cæsaris Mandatum, egoque ipse abrogo & annihilo Articulum XII. Anni 1649. una cum Decreto Cameræ Imperialis aulicæ.*

184. Puncta à Commissariis Novisolii præscripta.

CLXXXIV. Jam antea Anno. 1688. Erdœdiana (quæ abrogationem liberi Exercitii Religionis intendebat) nec non Borschitzkii postea commissio, per decreta sua varia constituerant, quæ Exercitium Religionis in civitatibus liberis Regiis nimium restringebant. In fasciculo nonnullorum actorum Camerales Commissiones attinentium, qui in Appendice reperitur, habentur PUNCTA, QUÆ BORSCHITZKIUS NOVISOLII DIE 17. JAN. ANNO 1699. PRÆSCRIPSERAT, quorum

PRIMO Ministris & Rectoribus Evangelicis Salaria, ex ærario communi Civitatis hactenus soluta, abjudicaverat;

SECUNDO, Prædicantium numerum, veluti verba ipsissima habent, restrinxerat, & supernumerarios Rectores & Ministros Evangelicos ad stivam & œconomiam exercendam relegandos edixerat, nisi severiori Mandato Majestatis Cæsareæ loco turbari velint. De cætero Scholas Evangelicorum non ultra Grammaticam inclusive extendendas, & extra Civitatis mœnia transferendas, pulsum campanarum ab Evangelicis civibus ad normam Catholicorum à parocho Catholico impetrandum esse;

TERTIO, in Xenodochiis vacaturis locis mendicorum Evangelicorum Catholicos, & in locum hospitis Xenodochii Catholicum substituendum esse:

QUARTO, Ministros Evangelicos, non nisi intra & extra civitatem, non autem per pagos & fundos Cæsareos officium exercere, neque auditores extraneos ad conciones suas audiendas admittere debere, Parocho autem Catholico integrum esse in Fide Catholica instruere incolas:

QUINTO, Contuberniis opificum cum vexillis processiones solenniter ex intimatione parochi celebrantibus, Evangelicos opifices consortes adesse debere præceperat. Super hoc Decreto Borschitzkii, licet Novisolienses apud aulam Cæsaream conquesti essent per memoriale humillimum, quod exstat in fasciculo, qui in appendice reperire est, nihilominus Cancellaria Hungariæ Aulica per severum rescriptum de d. 30. Jan. ejusdem Anni 1699. nomine Cæsareæ Majestatis confirmavit omnia Borschitzkii præcepta, & humillimum recursum Civium supplicantium temerariam præsumtionem & inobedientiam vocavit, quæ cum Cæsareæ Majestati summe displicuisset, debitam animadversionem mereretur.

CLXXXV. Quotiescunque ergo Commissiones Camerales Posonienses in Civitates Hungariæ, sub prætextu assi- 185. Civitates montanæ libertate eligendi magistratus gaudent.

assistendi restaurationi Magistratus, advenerunt, tam in Civilibus quam Ecclesiasticis Evangelicos gravarunt. Equidem montanæ & reliquæ civitates Regiæ liberæ, jam à Rege Bela IV. privilegiis semper deinceps à successoribus confirmatis, libertate eligendi Judices & senatores, nec non constituendi reliquos Civitatis officiales, gaudebant, proinde introducta Religione Evangelica sine discrimine Religionis maxime idoneos sive Catholicos sive Evangelicos hactenus elegerant, in quo etiam jure per Articulos Regni XIII. Anni 1608. ante Coronationem, Artic. 44. Anni 1609. Artic. 12. Anni 1649. Artic. 83. 1647. & novissime Artic. 41. Anni 1681. manutenti hucusque erant.

186. Commissarii Posonienses Catholicos inhabiles intrudunt.

CLXXXVI. Nihilominus tamen Comes Lœvvenburgicus Chemnitii Anno 1703. cum Judex Evangelicus eligendus esset, prohibuit ne hoc fieret, & Catholicum Exjudicem de novo constituit, & cum dimidia pars Senatus ex Evangelicis restituenda esset, jam antea à numero senario ad quaternarium reductus numerus Senatorum Evangelicorum denuo imminutus, & unus eorum depositus est (quemadmodum ante quadriennium Commissarius Petersius Matthiam Reuterum ab officio Senatorio detruserat) & cœteri omnes officiales civitatis Evangelici ab officio amoti, & in eorum locum imperitiores quilibet Catholici, ex solo odio erga Religionem Evangelicam suffecti sunt.

187. Ministro Evangelico exilium indicitur.

CLXXXVII. Idem Lœvvenburgius Ministro Evangelico Germanico secundario exilium indixit, concesso tandem in gratiam termino 6. hebdomadum, addita tamen comminatione, si intra terminum non abierit, ipsum canis instar raptatum & ejectum iri, relicto etiam decreto judici Civitatis insinuato de Ministro illo, qui interea aliorsum profectus erat, ubi reversus fuerit, protinus compedibus ferreis constringendo & in carcerem conjiciendo.

188 Stolares proventus Evangelicis ministris abjudicantur.

CLXXXVIII. Idem etiam proventus stolares Evangelicis Ministris abjudicavit, & totus parocho Catholico addixit, reclamante Articulo XII. Anni 1647. ubi dicitur: *Stolares autem proventus seu solutiones in quibusvis locis plebani Catholici & Ministri Evangelici à Suæ Religionis auditoribus totaliter percipiunt:* Refragante etiam penultimæ Diætæ Anni 1681. Artic. 26. in fine his verbis: *Interea vero nec Catholici Ministrus August. & Helvet. Confessioni addictis, nec vero horum sequaces plebanis Catholicis ad mentem Articuli XI. A. 1647. solvere obligentur.*

189. Civibus Chemnicensibus exercitium Religionis interdicitur

CLXXXIX. Postquam parochus Catholicus Chemnitiensis Jesuita Exercitium Religionis Evangelicæ Opificibus & fossoribus aurifodinis inservientibus denegasset, illos imprimis fossores & opifices, qui extra Civitatem in platea, quæ Banca vocatur, ut propiores aurifodinis essent habitant, arcere voluit à cultu divino in templo Evangelico, cum reliquis civibus Chemnitiensibus fidei consortibus peragendo, cum tamen & ipsimet cives Chemnitienses sint, reclamante iterum *Articulo VII. Anni 1647.* qui illis qui in loco Exercitium Religionis non habent, expresse permittit, hisce verbis: *Ut ad Conciones audiendas alio ire possint.*

190. Evangelicam religionem amplexi crudeliter puniuntur.

CXC. Imprimis autem Commissio Lœvvenburgica omnibus illis, qui dudum jam Religionem Evangelicam amplexi erant, aut qui hac relicta plerumque vi coacti Catholicam ad tempus professi, iterum pristinæ suæ Religioni accesserant, severe indixit, ut intra terminum usque ad Festum Paschale præfixum Religionem Evangelicam ejurarent, nisi in ferra & carceres conjici, & gladio aut patibulo pœnam pertinaciæ luere mallent: Protinus etiam nonnullos compedibus onustos in arcem Civitatis detrudi jussit, comminatione addita, illos ibi perituros, nisi jussis obtemperaverint, inter quos seniculus septuagenarius ægrotus ponderosissimis ferris præ cæteris oppressus est. Idem magno numero sæpius etiam in reliquis civitatibus liberis factum est. Qua tamen in re manifeste peccatum est contra sacra Diplomata Regia Condit. 6. ubi expresse habetur; *non modo Magnatibus & Nobilibus, sed & liberis Civitatibus & omnibus ordinibus, nec non oppidis & villis liberum esse Religionem Evangelicam sponte ac libere acceptare volentibus, exercitium Religionis imperturbatum relinqui debere.* Parochus Jesuita quoscunque infantes, quorum pater aut mater Catholici fuerant, aut hanc Religionem novissime amplexi erant, aut qui etiam tantum à Catholico Presbytero baptizati erant, vi cogere ad Catholicam fidem suscipiendam prætendit, licet in Evangelica educati fuerint.

191. Senatores Evangelici è Senatu ejiciuntur.

CXCI. Chemnitzii nec non Neosolii eodem rigore duo Senatores nobiles ex

ex odio Religionis è Senatu ejecti & Catholici suffecti sunt, ita ut Cremnitzii Anno 1703. duo tantum & Neosolii tres solummodo Evangelici superfuerint. Cremnitzii etiam ultra triginta mares & fœminæ ob eandem causam, quam paulo ante dixi, in carceres & vincula conjectæ sunt.

192. Leopoldi Rescriptum inhibitoriū ad Commissarios.

CXCII. Memorabile est, quod ad instantiam Civitatum montanarum Clementissimus Leopoldus per Rescriptum d. 9. Decemb. 1702. attentata Commissariorum à Camera Posoniensi delegatorum improbaverit quidem, & in posterum prohibuerit; sed ex 14. dierum intervallo benignam hanc inhibitionem protinus Cancellaria Hungariæ Aulica revocaverit. Prioris Rescripti hæc sunt verba: *Præterea volumus, ut ex adductis nobis rationibus & motivis in electione Iudicis & magistratus secundum Artic. XII. sub Ferdinando III. gloriosissimæ Reminiscentiæ An. 1649. editum procedatur, & quidem judices alternative eligantur, in Senatu autem Senatores mixti, absque tamen exclusione & diminutione numeri introductorum Catholicorum, constituantur, quo medio etiam Acatholici, qui maximam suæ substantiæ partem ad culturam fodinarum impendunt, & ideo ipsorum condigna ratio habenda est, ad prosequendos suos labores animari, & absque ulla prærogativa ulterius conservari possunt &c. &c. Eapropter fidelitatibus vestris ob hæc & plura alia in ratione fundata motiva, principaliter cum inde conservatio fodinarum dependeat, clementer præcipimus & demandamus, ut mandato hoc nostro obtento, in posterum ad renovationem Magistratuum dictarum Civitatum nostrarum montanarum nullum Commissarium ex gremio vestro exmittere, sed ab ejusmodi exmissionibus penitus supersedere velitis & debeatis.* Vid. integrum Rescriptum in Appendice.

193. Mox revocatum.

CXCIII. Nihil sane accidere potuisset quod magis consolari pressos Evangelicos valuisset, quam si juxta tenorem hujus Rescripti in juribus Regni & sana ratione, ipso fatente Augustissimo, fundati, à Commissionibus Cameralibus immunes manere potuissent. Sed solatio hoc gaudere non licuit, cum per aliud Rescriptum d. 23. Decem. ejusdem Comes Lœvvenburgius contraria plane jussus fuerit, hisce verbis: *Tibi constare nihil ambigimus quidnam ratione restaurationis Iudicis & Magistratus septem Civitatum montanisticarum in nostro Hungariæ Regno situatarum sub 9. hujus decurrentis mensis quidem resolverimus. Cum vero tam à Cancellaria nostra Hungarico - Aulica quam aliunde varia motiva & rationes in medium allatæ extiterint, quare pro hic & nunc ulteriorem nostram decisionem differre, & in specie in puncto Religionis non attento Articulo XII. Anni 1649. eo Commissarii nostri Cameralis Aulici Zelum & dexteritatem omni meliori modo impendi efflagitamus, ut non observata alternativa Religionis in eligendo Iudice, quantum fieri potest, numerus Catholicorum in Magistratibus civicis augeatur & conservetur. Tibi proinde ac prudentiæ atque experientiæ tuæ hanc spartam quantocyus peragendam committentes, serio hisce demandamus ut penes mandatum nostrum obtemperantiæ à Cancellaria nostra Hungarico Aulica sæpe fatis Civitatibus montanis sonans, te illuc quanto citius personaliter conferas, atque prædictorum Magistratuum restaurationem juxta hocce Mandatum nostrum Regium in omnibus punctis suis observandum perficere haud intermittas, facturus in hoc juxta voluntatem nostram Regiam.*

CXCIV. Si hanc contradictoriam diametralem & minus cito invicem se excipientem mutationem miraris, scias, quod illa non aliunde proveniat, quam quod inter Cancellarium Hungariæ Aulicum, & inter supremum Hungariæ Cancellarium Cardinalem Collonitschium Primatem Regni, nimium convenerit, uterque enim Episcopus Catholicus, hic quidem Archiepiscopus Strigoniensis, ille Nitriensis erat, uterque persecutionis zelo æstuabat, adeoque alter alteri ad nutum, communi persequendi studio manus sponte porrigebat, ad properandum exterminium Religionis Evangelicæ. Abunde constabit tibi, prius Rescriptum, si probe attenderis, in jure & dictamine rationis fundatum, justissimi & Clementissimi mentem & intentionem veram continere, alterum autem artificium Cancellarii Zelantis Clerici opus esse. 194. Contrarietatis tantæ causa est Collonitschii zelus.

CXCV. Et hæc certe summa miseria Evangelicorum huc usque fuit quod, cum à quibuscunque opprimerentur, nullibi auxilium repererint, imo cum ad asyla Judiciorum, quæ administrandæ Justitiæ & protectioni innocentium oppressorum sacrata sunt, recurrerent, tantum abest, ut adjuti fuerint, ut potius & Camera Posoniensis & Cancellaria aulica Hungarica & Camera Imperialis Aulica, & quodcunque tandem tribunal propterea vel maxime ipsis tremendum fuerit, quod gravissima semper fulmina ad deletionem & interitum 195. Evangelicis nullum auxiliū in Judiciis expectandum.

ritum ipsorum promovendum undique cumulaverit. Iidem enim illi præsides & Judices, qui in tribunalibus istis non adeo Ecclesiæ quam Justitiæ Sacerdotes ratione officii secularis esse, & Custodes jurium, Articulorum, & legum patriarum agere debebant, illi ipsi nihil inter miserunt, quod ad infringendas Leges Evangelicos tuentes quoquo modo convenire videbatur.

196. Legum custodes legum violationem suadent.

CXCVI. Imo quotiescunque Sacra Regia Majestas ad flebilem supplicantium repræsentationem articulis Regni debitum vigorem restituere decreverat, hi venerabiles Legum custodes flocci penderunt Majestati suæ contraventionem Legum suadere eoque inducere, ut simplici Rescripto Articulum diætalem tot sequentibus decretis comitialibus confirmatum invalidum esse juberet; cum tamen officii ratio rectius postulasset, ut potius Regem commone fecissent, non licere extemporanea pagina Articulum Regni sine totius Regni consensu abrogare. Sed tanti est ad officia secularia adhibere Clericos suo genio & zelo nimium indulgentes. Diu autem jam est, quod Status Hungariæ lege Regni caverint ut ab hujusmodi officiis Clerus exclusus maneret.

197. Cur Lœvvenburgius se vivum Cæsaris mandatum appellaverit.

CXCVII. Minus nunc miraberis, quod Comes Lœvvenburgicus supra dicto suffultus mandato, confidentius quam par videbatur ausus fuerit; semet ipsum Verbum Regium & vivum Cæsaris Mandatum appellare, & quasi privata autoritate sibi arrogata prædictum Articulum 12. Anni 1649. abrogare. Credibile est, ipsum erubuisse, cum urgeretur, ut Mandatum Regium produceret, eo, quod nimis durum visum fortassis fuerit abrogationem Articuli Regni solo Rescripto tentari, unde maluisse videtur odium populi in se potius suscipere, quam in Regem suum derivare, probe gnarus non deesse Civitatibus liberis viros juris patrii intelligentissimos, qui viso hoc Rescripto cognovissent tali modo Leges Regni abrogari non posse, sine eximio Regnicolarum gravamine.

198. Cameræ Aulicæ Rescriptum posthabitū.

CXCVIII. Miserta quidem nonnunquam oppressorum Evangelicorum est Camera Imperialis Aulica sub initium ejusdem Anni 1702. Cum enim à CHEMNITZENSIBUS durum decretum Commissarii Francisci Peterfii productum, desuperque lamentationes cum remonstratione Legali, quod omnia contra tenorem Articulorum Regni tentet, instituta essent, excelsum Consilium Cameræ Imperialis Aulicæ sub dato Viennæ d. 8. Mart. 1702. his verbis decrevit: *Siquidem Camera Aulica ignorat Cæsaream Majestatem pro hic & nunc mutationem aliquam resolvisse ea propter conclusum & civibus Chemnitzensibus significandum esse per hoc decretum, quod Peterfianum decretum nihil morari, nec attendere, sed in Exercitio Religionis, quo eousque gavisi fuerunt, inposterum imperturbati manere debeant, donec Cæsarea Majestas aliud in hoc passu mandaverit.* Extat hoc decretum in fasciculo de Commissionibus Cameralibus documentis in appendice inserto. Sed postquam Rescripta ex Cancellaria Hungarico-Aulica persecutoribus Religionis campum denuo reseravissent, nihil juvarunt favorabilia decreta anteriora.

CXCIX. Anno 1703. Commissio Cameræ Posoniensis Handlessiana Chemnitziensi Statui Evangelico d. 12. Febr. quinque puncta insinuavit, & ut ad illa responderet, jussit, quæ ita se habent: 199. Cameræ Posoniensis interdictum.

(1.) *Cur contra Commissionem Erdœdianam unum prædicantem admittentem, plures interteneant.*

(2.) *Cur Scholas ultra sibi indultum usque ad Grammaticam, doceant?*

(3.) *Non debent allectare ad suum oratorium ex pagis Lutheranos.*

(4.) *Decretalia Festa non observant.*

(5.) *Apostatas insuper recipiunt.*

Cum ad hæc Communitas Confessionis Evangelicæ respondisset, juraque Regni & quæ alia pro ipsis facere poterant, brevissime allegasset, solenni decreto 16. Febr. ejusdem Anni subscriptione Thomæ Handles munito, decisum est his verbis, *quod cum Cardinalis Collonitschii Archi-Episcopi Strigoniensis protestatio de non admittendo altero Ministro Evangelico intercessisset, idcirco Commissionem in petitum Evangelicorum condescendere nequire & unum tantum Ministrum admittendo, ab introductione & exercitio secundi Prædicantis eosdē sub gravi indignationis Cæsareo-Regiæ incursu inhibere. Ad secundum, de Scholis, non attendabunt August. Confess. sequaces limitatam classem Grammaticæ excedere, nam eo facto instructor arrestum incurret: Scholæ vero triviales hactenus licentiose practicatæ abrogantur, haud amplius per eosdem resuscitandæ & exercendæ: Cum pro exercitio Scholasticæ juventutis exactius instituendo,*

endo, in schola parochiali (Catholica) adjunctus moderno Rectori per commissionem hanc ordinatus sit. Ad tertium & quintum, ne fidei Catholicæ Apostatam in posterum quempiam recipiant iisdem serio injungitur.

200. Guntziensis civitatis vexationes. CC. Horrenda sunt , quæ libra ac Regia CIVITAS GUNTZIENSIS Ungarice Kcœszcoghiensis multis privilegiis & meritis clara, (inter quæ extat luculentissimum omnium, quod integrum exercitum Turcicum numerosissimum & tremendum, qui obsidione cinxerat civitatem, fortissima defensione repulerit, & memorabilem in secula victoriam inde reportaverit) post Comitia Soproniensia per infinitas truculentasque vexationes Commissariorum Cameræ Posoniensis, & furentis Abbatis Szalavariensis nec non Judicis Civitati obtrusi, aliorumque vexationibus, ex mero odio Religionis Evangelicæ perpessa est

201. Furor Abbatis Szalavariensis. CCI. Prædictus Abbas, cum pro itinere ad Palatinum securius peragendo, aliquot milites & equites Hungaros forte obtinuisset, his stipatus sine ullo mandato ex mera petulantia, odio erga Evangelicos æstuans civitatem intrat, equo vectus domum Johannis Simonis Senatoris intimioris accedit, excubiis illam circundat, & incolæ prædicto nec non Danieli Gombossio, alii Senatori, catenas injicit publice, & utrumque in arcem Palatini Forchtenstein mittit , unde Neustadium transvecti sunt , ubi 6. septimanas & tres dies carcere detenti sunt , donec reversalibus coacti fuerint promittere, se Guntzio procul exulaturos , neque Sopronii neque Rustii habitaturos esse. Præter hos duos alios cives Evangelicos, in vincula duxit, pluresq; alios defectu catenarum & funium Arresto constrinxit , donec fidejussoribus caverent. Imprimis Evangelicum Ministrum Güntziensem ferreis compedibus publice onerari curavit, neque prius eum dimisit, quam cautione mille thalerorum interposita promissum fuisset , illum intra 24. horas urbe excessurum nec rediturum esse, quod etiam protinus effectum est. Interea Equites Hungari, Hussari dicti, Abbatem comitantes , captivorum ædes & Evangelicos quosque in platea interioris Civitatis expilarunt , inprimis autem domus Evangelicorum in Civitate exteriori non paucas diripuerunt.

202. Fraus ejusdem Abbatis. CCII. Nondum satiatus hisce truculentus Abbas, impia fraude reliquos Evangelicos omnes ita terruit, ut aufugerent. Distribuit enim Catholicis incolis Civitatis schedulas salvæ guardiæ sua subscriptione & sigillo munitas, quas singulas 15. crucigeris vendidit. Tenor earum hic erat, *Salva guardia Suæ Maiestatis pro N. N. Matthias Ignatius Radonay Abbas & supremus Capitaneus Szalavariensis.* Quam audax abusus Cæsareæ Majestatis ! & quanta temeritas! Interea cum Evangelici percontarentur cur Catholici concives schedulis istis sibi prospicerent, fraudulentus Prælatus rumorem surdum ad eorum aures percurrere curavit, præsto esse duas Legiones militum Cæsareanorum mox advolaturas, ad exspoliandos & captivos abducendos quoscunque Lutheranos. His auditis, consternatos Evangelicos terror panicus quamvis vanus incessit, & protinus relictis penatibus suis periculum , quod fraude Abbatis sibi vicinum imaginabantur, fuga evitaturi , in proximis sylvis & specubus sese abscondiderunt , inter quos & Thomas Heritzius cum aufugisset, bona ipsius omnia confiscata sunt.

CCIII. Ante prædictum Abbatem, jam Guntzium advenerat Commissarius Cameralis Pavesitzius , & Evangelicos Senatores cœterosque officiales civitatis ex Senatu reliquisque officiis ejecerat, & in eorum locum Catholicos suffecerat. 203. Commissarii Cameralis audacia.

CCIV. Quamvis hic Commissarius nullum penitus Mandatum aliasve literas Credentiales Cæsareas produxisset, quibus docere potuisset, sibi tantas immutationes Articulis Regni & sacris Diplomatibus Regum contrarias demandatas esse , nihilominus tamen ipsemet indignabatur , prædictum Abbatem se pro Commissario Cæsareo sine mandato Regio gerere & tanta patrare. 204. Abbatis audaciam tolerare nequit.

CCV. Superveniens etiam paucos post dies Cæsareus militiæ Præfectus ab Ittichen obstupuit temeritatem Abbatis, cum inaudivisset quantopere contra Evangelicos grassatus fuerit , asseverans se optime nosse conductum illum militem pro sola securitate itineris , non autem ad tantam tyrannidem exercendam impetratum ab ipso esse. 204. Abbas militibus abusus.

CCVI. Interea præfatus Pavesitschius abdicato Judice Civitatis , Stephanum Fekkete, Cæsaream Regiamque Autoritatem fortassis mentitus, officio huic præficit. Hic ergo furentem Abba- 206. Sævitia Judicis Catholici.

batem imitaturus adversus Evangelicos non leviter insanivit. Se enim Regia autoritate judicem esse jactans ', non veritus est causari, sibi inde plus quam illis, qui juxta antiquissimorum Regum privilegia à Civibus ipsismet electi antehac fuerant, in cives licere. Unde ab executione incipiendo, nulloque juris ordine servato, Cives Evangelicos opulentiores à fuga prædicta reduces in vincula conjicit, quorum alterum sub cautione mille thalerorum, alterum bis mille florenorum sæpe dictum ad Comitem Collonitschium evocat, quamvis ipsemet & reliqui concives ante jurassent, se in prima instantia coram nullo alio nisi Civitatis Magistratu se stituros esse. Idem Judex stipendia militum, contributiones pro hybernis eorum, & reliquas sic dictas portiones inter solos Evangelicos distribuit, ut eo magis opprimerentur, & Catholicis parceretur. Sylva civitatis in lignando abutitur, & Cives etiam ad operas rusticas ipsi præstandas, & ligna invehenda cogit, se ex Judice Civitatis in Dominum terrestrem. Civium erigens. Durante præsentia Abbatis prædicti ipsemet Fekkete crudelitatis Abbatialis satellitum egit immanissimum, cum Equitibus enim Hungaricis Abbatem comitantibus per vicos & plateas, per tecta & areas Lutheranorum furibundus percursitavit, & quemcunque offendit, scelestissimis injuriis increpuit, durissimis verberibus ad sanguinem usque percussit, & captivos duci jussit. Tanto crudelitatis documento summum applausum, encomia & benedictionem venerabilis Abbatis, nec non promotionem ad officium Judicis civium meritus.

207. Honores, sævitiæ præmia. CCVII. Hæc enim sunt virtutes, hæc sunt merita, quæ apud Cardinalem Collonitschium & multos alios Ecclesiasticos Viros Catholicos digna habentur, ut eorum patratores ad dignitates & officia evehantur. Et hi sunt stimuli, qui arrogantiores ad exuendum humanitatis & charitatis Christianæ sensum, induendamque sævitiam ethnicam contra Evangelicos excitant.

208. Guntzienses, protectionales obtinent. CCVIII. Equidem Sacra Cæsarea Majestas protectionales Regias Guntziensibus Evangelicis, jam tum de persecutione cœpta libellis supplicibus conquerentibus, sub dato Lintzii 8. Jan. 1684. amplissimas, quas in appendice sub fasciculo Guntziensi videbis, eo tenore concesserat, *Ut neque in personis neque in bonis aut rebus quibusvis in pios etiam usus dicatis, quoquo pacto turbentur, molestentur, arrestationeque aut occupatione quapiam damnificentur, quin potius ut contra omnes eorum impetitores, turbatores, & damnificatores, tueantur, protegantur, ac modis omnibus defendantur.* Directæ erant hæ protectionales ad Palatinum Hungariæ, nec non ad Comitem Collonitschium Cameræ Hungaricæ præsidem, ad Militiæ Cæsareæ tam præsidiariæ, quam campestris officiales ad quorumcunque Comitatuum supremos & Vice-Comites aliosque cujuscunque Status honoris, Ordinis, ac Nationis.

CCIX. Itidem d. 24. May An. 1701. Sacra Cæsarea Majestas non modo ad infinitas preces Guntziensium, sed & ad intercessionem Ablegatorum extraordinariorum Regis Magnæ Britanniæ & Ordinum Generalium Fœderati Belgii, apud Aulam Cæsaream residentium, Cameræ Posoniensi his verbis injunxerat, *ut super Statu rei & querelarum adductarum genuinam informationem suppeditent, ac interea in eo, quod hactenus legitimo usu Regni & Regii fisci juribus initum comprobatumque stetit, nihil innovari aut querulantes Civitatis incolas ad id quod publicæ fidei, verbo Regio tranquillitatique diætalibus Decretis consolidatæ, obesse posset, adigi nullatenus permittant.* Ecce genuinam intentionem Sacræ Cæsareæ Majestatis denuo declaratam, *se serio velle, ut nihil eorum innovetur, quod hactenus legitimo usu Regnique juribus comprobatum stetit, imo se abominari si Evangelici adigantur ad talia, quæ publicæ fidei verboque Regio obstare videntur.* 209. Imperatoris mandatum in favorem Guntziensium.

CCX. Utinam & Præses Cameræ Posoniensis & Cancellarius Aulicæ Cancellariæ Hungaricæ, uterque Ecclesiasticus, & reliqui Judices, quos decet custodes Legum patriarum esse, justissimæ intentioni Regis adstipulati fuissent, eamque secundassent, certe Evangelici non haberent de quo conquererentur, illi enim nihil aliud expetunt, quam ut ipsis servetur quod Reges in Diplomatibus sacris & Articulis Regni verbo Regio, fide publica, & quæ solennis Diplomatum locutio est, *fide Christiana* imo jurisjurandi sacramento polliciti sunt. Sed proh dolor! sublimes illi Legum custodes sui muneris esse credunt, nihil aliud noctu diuque pectore volvere, quam ut intentio sincera Regis, fides publica, nec non Articuli & Leges Regni Evangelicos protegentes, quovis frivolo prætextu & fal- 210. Fides à Cæsare data à Clero semper violata.

falsis quibuscunque suggestionibus adulterentur! His ergo decretis Regiis, quæ fasciculo appendicis supradicto continentur, totque aliis emanatis mandatis Cæsareis, nihil actum est, cum Cleri pervicacia & intentionem Regis & Articulos Regni & fidem publicam susque deque habere, obdurato in persecutionem, Religionis Evangelicæ animo, nunquam hæsitaverit.

211. Persecutio recrudescit. .CCXI. Non attentis enim tot decretis, recruduit multoties persecutio Guntziensium Evangelicorum, nec respirare illis hactenus licuit. Pecunias quas ipsimet ad cultum suum divinum contulerant, imo etiam thesauriolum, quem consistorium Evangelicum per totum tractum cis-Danubianum pro adjuvando cultu Religionis Evangelicæ collegerat, & ex Imperio Romano-Germanico, nec non longinquioribus Regnis à Religionis consortibus per modum eleemosynæ comparaverat, & Guntzium majoris securitatis ergo asportaverat, ibique inter Cives suæ Confessionis pro censibus annuis distribuerat, & elocaverat, hypothecæ loco fundis Civium innexis, clerus Catholicus non sine Sacrilegio ad se rapuit, & cum contractuum & obligationum documenta habere non posset, omnes illos cives quos possidere fortis particulas suspicabatur, fundis suis hypotheca obligatis privavit, eosque una cum pecuniis quas extorsit adhuc dum detinet; Expulso etiam, sicut paulo ante dictum est ministro Evangelico, alios advocare aliunde, qui moribundos consolari possunt, etiam interdixit. Prolixum nimis foret, reliquas Guntziensium miserias, quas hactenus perpessi sunt, enumerare.

212. Temeritas Episcopi Jauriensis repressa. *CCXII.* IN CIVITATE SOPRONIENSI Guntzio 4. milliaria distante, Georgius Zetchenii Episcopus tunc Jauriensis non mitiora fortassis tentasset, & pejora sine dubio evenissent, si cohortes, quibus stipatus illuc alio tempore veniebat, intromissæ fuissent. Illo enim tempore, quo passim templa Evangelicis vi auferebantur, idem etiam contra Soproniensès Evangelicos variis modis tentatum est. Postquam autem nocturno tempore Lutherana Templa occupandi consilium, civium vigilantia irritum redditum esset, tandem prædictus Episcopus Jauriensis Architectis consiliorum Jesuitis ipsum stimulantibus, summo mane Sopronium venit, causatus se ex officio Episcopali Ecclesias omnes quæ in sua diœcesi existunt, adeoque etiam Lutheranorum Templa, cum à Catholicis exstructa essent, visitaturum esse. Intromissus quidem ille est in civitatem, sed Vopingianæ Legionis parte potissima, quæ eum sequebatur, tuendi, ut dicebat, causa, exclusa. Congregato mox Senatu & communitate cum acriter instaret Episcopus, ut sibi omnia templa visitandi solum causa aperirentur, milesque Cæsareus sui tutandi & stipandi ergo intromitteretur, responsum ei est: Evangelicos Episcopum visitatorum, utpote nullo jure tali in ipsos gaudentem minime admittere posse, intromittendi militis nullam esse causam, sat eum tutum esse cavere etiam velle ipsi Senatum & Communitatem de securitate. Cum vero ille conspiceret ex fenestris concursitantes ubiq; non modo cives, verum promiscuam etiam plebem arma corripere, quemadmodum etiam universi in suburbiis cujusvis conditionis sexus & ætatis arma, quæcunque essent obvia, corripuerant, ob tumultuantem & portas effringere minantem Cæsareum militem, cumque ob hoc eo vehementius urgeret Episcopus intromissionem militis, exprobratum illi est tam illegale & tam inconveniens attentatum, adjecta protestatione, si populus, quem Magistratus in potestate continere non posset, tale quid auderet, quod à pace publica alienum esset, id omne imputari debere tumultus istius incentoribus. Interea porta Potschensi suburbii effracta intrans miles Cæsareus cum armatam multitudinem ad resistendum conspexisset, in foro ad diversorium instructo ordine militari substitit tantisper, ratus se in ipsam Civitatem interiorem intromissum iri. Cum autem post moram aliquam spes vi intrandi milites deficeret, ductor Legionis ad fraudes confugit, & saltem petiit, se intromitti ad Episcopum uno tantum & altero milite stipatum, fideque data compromisit interea totam turmam, ne latum quidem unguem ex loco, in quo staret discessuram, & nihil turbarum excitaturam. Dum ergo per angiportum equo insidens intromissus cum duobus militibus & intra pontem versatilem esset, ibi substitit & turmæ signum dedit, ut sequeretur, quæ confestim advolare, cum inciperet, multitudo hominum circumstans pontem versatilem attraxit, totamque legionem feliciter exclusit, ipsumque ductorem cum stipatoribus duobus intra

valvas portarum, velut in muscipula, conclusit: ubi ille constitutus, cum ubique in mœnibus promiscuos homines, bombardas tenentes, conspexisset, ibi horrere illi summa cœperunt, valvasque reserari &, se in civitatem intromitti modestius petiit. Statim quidem Magistratus & communitas per suos Deputatos postulat, ut mandatum à Cæsare vel à Consilio bellico producat, ut cognoscere possent, an jussu Cæsareo susceperit, quod tentaverat, quod cum producere non posset, exprobrata est illi temeritas, qua tam periculosos tumultus excitasset, ut jam omnia ad seditionem & cædes spectare viderentur: plebem promiscuam non esse jam in Magistratus potestate, si quid pejus eveniat, autoribus & motoribus hoc imputandum. Ibi ille Jesuitarum perfidiam detestari & imprecari illis cœpit. quorum suasu se conduci ad hoc passus fuisset, atque hoc saltem petere ut sibi cum militibus excedendi statim è civitate viam aperirent, se nec permomentum diutius moraturum, sed cum in vesperam inclinaret dies, hospitia & lautia se daturum Magistratus obtulit, verum renuentem hæc, tandem in vicinos civitatis pagos pernoctatum dimisit, & quæ ad reficiendos milites necessaria erant, subministrari jussit. De his omnibus Senatus Sopronienfis Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem in instanti per humillimum Memoriale informavit, quæ temeritatem, audaciamque & Episcopi & Chiliarchæ minus, quam prudentiam & vigilantiam Soproniensium approbavit.

213\. De persecutione Soproniensium vid. Appendix.

CCXIII. Quanta cæteroquin Civitas Sopronienfis perpessa fuerit, cum post ademta templa, Exercitium Religionis Evangelicæ etiam in ædibus privatis tollere & Eisenstadium translocare cum majori periculo deberet, prolixum nimis foret hic inserere, eaque propter in Appendice subjunctus est fasciculus integer de his, quæ tunc acta sunt, ad quem Lector remittitur.

214\. Trenschinienses mirum in modum exagitantur.

CCXIV. TRENTSCHINIENSIUM in Comitatu Nitriensi Gravamina recensere nimis etiam longum esset. Jam enim Anno 1695. Johannes Fronck à Camera Posoniensi in Civitatem illam Trentschiniensem Regiam & liberam delegatus, reclamantibus privilegiis nec non Articulis Regni toties allegatis, Evangelicos ex solo odio Religionis è Senatu expulit, & citra solitam sic dictam candidationem & electionem eorum, ad quos illa pertinebat, pro lubitu suo Catholicos surrogavit & inhibuit, ne plures uno Ministri verbi divini alantur, quemadmodum etiam Anno sequenti 1696. alterum de facto expulit, alteri ne munere suo in administrando baptismate, introductione puerperarum, copulatione sponsorum, & sepultura mortuorum, amplius fungeretur, sub gravi carcerum comminatione interdixit, eoque ipso omnibus vivendi mediis ipsum privavit. Præceptorem Scholæ cum aliquot studiosis in exilium pepulit, Cantorem ac quosdam scholares carceribus inclusit, postquam baculis dedolandos cujusvis furori publice objecisset, studia Scholastica plane vetuit, fores Scholæ clausit, & clavis ferreis obturavit, cœmeterium per Commissionem Erdœdianam designatum violenter occupavit, Evangelicos contuberniorum opificum, Zechæ dictarum consortes, ad processiones Catholicas Religioni suæ contrarias coëgit, non comparentes carcerum squaloribus per aliquot septimanas maceravit, ex quibus non nisi soluto ære magno dimisit, honestissimos viros eo tantū nomine, quod Evangelici fuerint, spectante plebe alios compedibus stringi alios tempore nundinarum in publicis plateis concurrente populo fustibus contumeliose contundi jussit, & vociferationibus suis, concinente vehementissime parocho Catholico, omnes Lutheranos promiscue in curia coram communitate universa, rebelles, fures & mendaces appellavit, & talibus aliisque injuriis, dirisque vexationibus per integrum triennium continuatis, dirum in modum Evangelicos Trentschinienses anxit. Eadem in hac civitate fœminæ nobiles æque ac civiles, propterea, quod missa Catholica Religione Evangelicam sponte & libere amplexæ erant, exilii damnatæ, instar sceleratarum maleficarum per lictores civitate ejectæ sunt, comminatione addita redituras carnificis manu scopis cædendas esse. Ex quo exules à maritorum consortio separatæ reverti non sunt ausæ. Cum Anno 1700. Johannes Szunyogh à Camera Posoniensi denuo tanquam Commissarius Trentschinium venisset, tantum abest, ut prædictis Gravaminibus remedia tulerit, ut potius illa multis modis exasperaverit. Inter alia quæstoribus Evangelicis, qui nobilitari gaudent prærogativa, sub gravi pœna imposuit, ut vexilla in Processionibus Catholicis contuberniis opi-

opificum præferrent. Ægrotante Ministro Evangelico adscitum alium, ut illius vices perageret, vetuit, ne functionem aliquam Ministerii exerceret. Et quis reliqua omnia persequi potest.

215. Cleri zelus civitates opprimit & evertit.

CCXV. Ausim asserere, paucissimas esse civitates, liberas & Regias, multo maxime reliquas, quæ per Commissarios Camerales Posonienses, Clericos, aliosve quoscunque, similibus imo pejoribus persecutionibus divexatæ, imo in ruinam ipsammet præcipitatæ non fuerint: neque creditu difficile esse potest, detrimentum summum Civitatibus per hujusmodi persecutiones allatum esse, cum constat, quod fatente ipsomet Augustissimo in Rescripto supra citato de 9. Decembr. 1702. Evangelici & majorem longe partem Civitatum ubique fere constituerint, & opulentiores, multisque aliis reliquis nominibus præ cæteris magis conspicui, & utiliores culturæ fodinarum & publico bono fuerint. Sed hæc omnia, imo extremam Civitatem perniciem nihil curat vesanus Cleri zelus, contra Religionem Evangelicam irritatus, cui sufficit Hæreticos extirpari, licet cœtera omnia collabantur, & pereant: Ira enim principiis suis persecutionis in illos quos hæreticos temere appellat, in transversum abripitur, ut ubi supremam legem i. e. salutem populi violaverint, existiment se gratum Deo sacrificium adolere.

216. Zablerus expulsus à Commissario.

CCXVI. In civitatem Bartfensem cum Anno 1699. circa finem Januarii Stephanus Calmanczay tanquam Cameræ Posoniensis Commissarius advenisset, & restaurationi Magistratus pro more ejusmodi Commissariorum Cameralium interfuisset, citato in curiam Jacobo Zablero, Seniori Pastori & Superintendenti Evangelico, & filio ejus ministro quoque Communitatis Evangelicæ Ecclesiastico, exilium indixit tanto rigore, ut ante solis occasum utrique ex civitate abeundum fuerit. Tanto minus autem huic executioni immorari placet, quia pro ratione allegabatur Superintendentem apud Sacram Majestatem Imperialem per delatores accusatum fuisse, quod, cum Rebellibus Tœkelianis & officialibus militiæ Saxonicæ, quamvis non hostibus sed auxiliatoribus, cum ad bellandum pro Cæsare contra Rebelles ejus advenisset, intimiorem amicitiam & correspondentiam, si ita loqui licet, coluerit. Equidem Senex ille venerabilis Deum obtestatus est, se esse innocentissimum neque aliud petiit, quam ut criminis indicia & probationes proferrentur quo eas à se insonte amovere posset; Sed hoc nullo modo obtinere potuit.

217. Sola accusatio condemnat innocentes.

CCXVII. Attamen ne patrocinari illis, qui Rebellionis accusantur, videamur, miserum senem exulem mittimus, id tantum obiter monentes, in persecutionibus Pastorum Evangelicorum in Hungaria hoc solitū & solenne esse artificium Cleri Catholici, quod delationibus suis pessime fundatis illos Rebellionis insimulet, & quod tunc accusasse sufficiat.

218. Zablerus ad docendam innocentiam admittitur.

CCXVIII. Hoc tamen omittere non possumus quod Sacra Cæsarea Majestas tandem secundo Decembris An. 1699. Magnifico Domino Personali præsentiæ Suæ Regiæ in Hungaria Koluczitsky his verbis rescripserit: *Ne autem de turbatione liberi August. Confess. Exercitii ejusdem sequaces cives exinde (quod Zablerus amoveretur & amandaretur) querulari possent, alium Prædicantem, ibidem pro arbitrio permissive admittendum indulseramus &c. &c. Et quia mentionati Cives Lutherani Bartfenses pro sæpe fato Zablero, & ipse quoque medio iteratarum humillimarum supplicationum suarum Majestatem nostram, superinde quod innocentiam ejus comprobare, sinistramque & prætextuosam delationem remonstrare velint, instantissime solicitassent; Nos autem hoc in passu adversus dictum Prædicantem repræsentaturum querelarum pleniorem investigationem habere cupiamus, adeoque vobis hujusmodi provinciam delegendam benigne resolverimus. Ideo vobis harum serie clementer committimus & mandamus, quatenus acceptis præsentibus primo quoque tempore ad præattactas partes dicti Regni nostri Hungarici superiores vosmet contuleritis, eadem occasione in piæ declaratas querelas & excessus ac alios etiam (prævia informatione à præfata Camera nostra Szepusiensi eatenus acceptata) serio inquirere, ac ipsum quoque Prædicantem Szablerum & cointeressatos ac ejusdem Augustanæ Confessionis Cives sufficienter exaudire, genuinamque & fidelem super universis præmissis cum voto & opinione relationem vestram pro ulteriori benigna resolutione & ratificatione nostra nobis submittere debeatis & teneamini.*

219. Sed Clerus impedit examen causæ.

CCXIX. Utinam ab initio placuisset tale examen, an Zablerus ejusque consortes nec non reliqui cives Bartfenses rei, aut vero innocentes sint, in-

instituere, antequam inverso juris ordine si fas est eloqui, ab executione, nullatenus auditis nedum convictis partibus, judicium ita cœptum fuisset, ut Zablero nequidem diei unius induciæ ineundi exilii permissæ fuerint. Sed cum deinceps undecimo mense post proscriptionem ejus prædicto Rescripto inquisitio, an proscriptus reus sit, Personali Præsentiæ Regiæ injuncta esset, optandum ad minimum fuisset, ne illa intermitteretur; Sed frustra fuerunt & mandata Cæsarea & infinitæ sollicitationes exulis Zableri & civium Evangelicorum Barrfensium, nec unquam obtinere potuerunt ut audirentur, multo minus ut satis exaudirentur, quemadmodum prædictum Rescriptum Cæsareum præceperat. Camera Cassoviensis & Szepusiensis, quarum posterior jussa erat Personali suppeditare indicia contra expulsos civitate, nullatenus commissionem promovere volebant, utroque enim à Posoniensi ejusque Præside Cardinale Collonitschio retinebatur, quia hujus intereat ipseque malebat in suspicione relinqui exules, quam extricari.

220 Defensionem Evangelici, præcludit. CCXX. Hæc enim perpetua maxima persecutorum Evangelicæ Religionis fuit, ut Evangelici imprimis Prædicantes atrorum criminum accusarentur, nunquam vero ad defensionem vel exculpationem admitterentur. Istum ergo in modum hac vice iterum sicuti infinitis aliis, Rescripta & Mandata Regia pro administranda justitia in causis Evangelicorum, clanculum impediente Clero sine effectu manserunt, & elusa sunt; nec enim satis videtur hostibus Religionis Evangelicæ, falsis delationibus durissima quæque in capita & fortunas Evangelicorum provocare, sed etiam ubi innocentes justitiam Regis tandem exorant, ut inquisitionem an rei an insontes sint, jubeat, arcanis artibus juris cursum sufflaminant, & omnem occasionem defensionis, quæ, uti JCti loqui amant, ne Diabolo quidem deneganda esset, præcludunt.

221. Judicis Bartfensis effrenatus furor. CCXXI. Anno 1701. d. 10. April. Præpositus & Saarossorum Parochus Catholicus Tarnoczii cum duobus aliis plebanis & Judice Bartfensi Catholicis Paulo Korodnokky Templum Evangelicorum Bartfensium articulare ipsa die dominica, stipatus 16. satrapis armatis ingressus est, postquam portæ civitatis prius clausæ fuissent, & vix exspectato fine cultus divini in præsentia totius concionis Evangelicorum Eliæ Sartorio Ministro Evangelico munere suo jamjam functo præcepit, quem Evangelici ex permissu Clementissimi Cæsaris præcitato Rescripto contento in locum exulis Zableri vocaverunt, ut se protinus ex Civitate proripiat nulla plane allegata causa. Quo audito populus in clamores, fletus, singultus & ejulatus conversus est. Judex autem desuper excandescens, fremebundus in Ministrum invectus, & dira minatus, si tantillum tardaret, quem etiam cum se excusaret, quod circumstantem populi turmam transire non posset, manibus corripuit, ab altari per medium populi impetuose pertrusit ex templo ad cœmeterium, & inde ad pratum civitatis exturbavit, ubi armati Satrapæ & Ministro & civibus fœminisque, qui illum comitabantur ferociter satis insultarunt, donec Judex tandem exoratus sedato sævientium tumultu rhedam civitatis, quæ ibi in promtu erat, à raptationibus lassum & languidum Ministrum properè conscendere jussit, qua ex tumultu avectus est, sequentibus eum in alia rheda plebano loci & Judice prædicto. Interea redux Judex Clerum & Senatores Catholicos in parochia epulis triumphalibus jactanter convivantes reperit, & perpetratæ sævitiæ superpondium in illorum gratiam & amœnum spectaculum, quo recrearentur, additurus satrapas emittit, aliquot cives Evangelicos, qui Ministrum concomitati fuerant, vel ab ictibus satraparum sævientium defenderant, adduci & in vincula conjici jussit, alios ducentis florenis mulctat, & plura talia præcipit, eo sub prætextu, quod istis charitatis Christianæ actibus se mandato Cæsareo & Magistratui opposuerint, & se Rebelles probaverint.

CCXXII. Idem Judex alium Ministrum Evangelicum Sclavonicum Bartfensem Martinum Gundelinum die 10. May ejusdem anni in exilium abegit, & civem apud quem ille tantum pernoctaverat, carcere punivit. 222. Fatum Ministri Evangelici.

CCXXIII. Tandem idem Judex coadunatos rusticos civitatis Evangelicos coegit, ut sepem, qua oratorium Evangelicorum cinctum erat, demolirentur: postea in oratorio Evangelico altare, cathedram, baptisterium, subsellia evertere, organa duo, ornatum Ecclesiasticum, calices & reliquas 223. Aliud furoris Catholici exemplum.

res sacras, præsente & spectante Personali præsentiæ Regiæ abripi, & exportari curavit.

224. Carponenses rebellionis absque culpa insimulati.

CCXXIV. In civitate Regia libera Carponensi, cum Commissio Cameralis Ministrum Evangelicum intra triduum urbe excedere jussisset, & totum Exercitium Religionis Evangelicæ sub prætextu, quod Carpona antehac confinaria & præsidiaria civitas fuerit, sed dilatatis finibus regni amplius talis non sit, in totum inhibuisset, Communitas Evangelica ad Articulos regni submisse provocavit, & eos illum in sensum explicari, & detorqueri non posse remonstravit, sed desuper rebellionis apud S. Cæsaream Majestatem insimulati & delati sunt, unde severum Rescriptum Regium, quod sequitur, ex Cancellaria Hungariæ Aulica emanavit.

Mandatum Cæsareum ad Dominum Judicem Primarium, cæterosque juratos & Senatores liberae Regiaeque Civitatis Carponensis, quo jubentur inquirere in eos, qui sese Commissario Regio per Cameram Hungaricam exmisso, ejusque dispositioni opposuerint.

d. 26. May An. 1702.

LEOPOLDVS Dei Gratia Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniæ, & Hungariæ & Boh. Rex, &c.

PRudentes & Circumspecti Fideles nobis dilecti : Ex demissa nonnullorum Fidelium nostrorum informatione displicentes intelleximus : Quod, licet ex benigna dispositione ac Ordinatione nostra Regius Commissarius noster, per Cameram nostram Hungaricam, de more consueto exmissus, occasione proximæ præteritæ Magistratualis officiorum in hac quoque Libera & Regia Civitate nostra Carponensi Restaurationis, ad mentem benignissimæ Instructionis nostræ sibi datæ, complura puncta, tum ad promovendum Cultum divinum, tum incrementum fidei Orthodoxæ, ac emolumentum ac conservationem istius Regii Peculii nostri, mediante Decreto suo Commissionali vobis assignato, per Vos & quosvis Incolas & Concives titulo Confiniario, & prærogativa præsidiaria jam cessantibus, observanda & effectuanda commiserit, & hæc omnia Authoritate nostra, & verbo nostro Regio acta & facta sint. Tantum tamen abest, ut nonnulli inquieti genii novissimas Regni Constitutiones, ac subsecutas superinde benignas Resolutiones nostras, in transversum detorquentes, ejusmodi Ordinationibus & benignis dispositionibus nostris se accommodare cuperent, quin potius in evidens arrogantiæ suæ judicium, & supremæ Autoritatis nostræ Regiæ vilipendium praeattactis dicti Commissarii nostri Regii Ordinationibus è diametro se opponere & contravenire præsumerent, imo effective in nonnullis punctis tumultuario fere, & seditioso modo, jam contravenissent. Ne itaque benignæ Ordinationes & dispositiones nostræ taliter in contemptum veniant, supremaque Autoritas nostra, per nonnullos obstinatos prostituantur, & vilipendantur, & hi in se ipsis de sua arrogantia glorientur, alii vero exemplo horum in pejora quævis attentanda perperam inducantur : Vobis harum serie benigne simul ac formiter committimus & mandamus, quatenus in Authores & Concitatores eorum, qui prænotatis benignis Ordinationibus & Resolutionibus nostris, per memoratum Commissarium nostrum Regium prævio modo factis, temerarie contravenire ausi sunt, serio inquirere & investigare, ac tum de specie facti, tum vero nominibus eorundem Majestatem nostram quantocius genuine informare, interea vero prænotatas dicti Commissarii nostri Regii dispositiones, quas privata Autoritate nemini infringere competit, tam vos ipsi observare, quam & per reliquos Magistratuali Iurisdictioni Vestræ subjectos observari facere debeatis & teneamini, nisi gravem animadversionem nostram incurrere velitis, Gratia cæteroquin nostra Cæsareo-Re-

Regia Vobis benigne propensi manentes. Datum in Castro nostro Laxenburg die vigesima sexta May Anno Domini Millesimo septingentesimo secundo

Leopoldus.

Paulus Mednyantzliy Mpr.
Ladislaus Ihonyady.

(L.S.)

Titul.

Prudentibus ac Circumspectis N. N. Judici Primario, cæterisque Iuratis Civibus & Senatoribus Liberæ Regiæque Civitatis nostræ Carponensis & Fidelibus nobis dilectis.

Anno 1702. die 18. Julii In Curia præsenti benigno S.Maj. Sacr. Mandato publicato, ad Instantiam Dominorum Augustanæ Confessioni addictorum, exannuentia Amplissimi Magistratus, genuina ejusdem paria extradata sunt Per

Jud. Civitatis Notarium Mpr.

225. Rescripta articulis regni adversantur.

CCXXV. Hactenus ergo si attentius perlegisti supra suo ordine adductos Articulos regni, facile ni fallor animadvertisti, non modo Commissiones Camerales illis plane contraria ubique peregisse, sed subinde etiam Decreta & Rescripta Cancellariæ Hungariæ Aulicæ varia continere præcepta, quæ Diplomatibus Regiis & Articulis Regni aperte adversantur.

226. Collonitschius, egregius Legum interpres.

CCXXVI. Sed hic non substitit Cardinalis Kollonitschii supremi Regni Cancellarii, & Episcopi Nitriensis, Ladislai Mathiæsoosky, Cancellarii Hungariæ Aulici indiscretus zelus, exterminium Religionis Evangelicæ indesinenter intentans, neque satis ipsis visum fuit Decretis vel Rescriptis particularibus pro re nata verum sensum Articulorum Regni invertere, sed tandem ausus eorum eo usque processit, ut generales Resolutiones sub nomine Augustissimi Imperatoris Leopoldi ediderint, quibus Articulos Regni talem in sensum interpretati sunt, ut nullum amplius præsidium & tutamen contra violentas persecutiones Evangelicis supermanere, sed plenis velis in exstirpationem totius Religionis navigari posset.

CCXXVII. Postquam enim Evangelici infinitis modis per Commissiones Camerales Peterfianas, Lovvenburgianas, Kalczanchianas, Korodnoczianas, Palugyagyanas, Handleissianas, Fronckyanas, Koluczískianas & tot alias, nec non per tot Decreta & Rescripta sub- & obreptitia dirum in modum circumacti & exagitati, per Ablegatos suos in Aula Cæsarea permultis memorialibus opem & auxilium implorassent, & Articulos Regni, quibus contraventum hactenus erat, allegassent, Cancellaria Hungarica Aulica prædictos Ablegatos, sex menses ultra triennium integrum apud Aulam commoratos, & querelis suis Articulos Regni semper crepantibus Cancellarii imprimis Aulici aures, cum summa sua indignatione obtundentes, consultum duxit, una Resolutione illos in perpetuum amandare, & ulteriorem recursum ad Aulam præscindere, sequenti Resolutione die 2. Aprilis 1691. publicata. 227. Modus præscindendi querelas Evangelicorum.

CCXXVIII. *Resolutio.* 228. Resolutio Cancellariæ Hungarico-Aulicæ de 2. April 1691

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Domini Domini Clementissimi, Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis, in Hungaria degentibus data die 2. April, Anno 1691.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque „ Majestatis, Domini Domini nostri „ Cle-

Clementissimi Nomine, Augustanæ & Helveticæ Confessionis ad Augustissimam Aulam cum Gravaminibus, pro eorundem complanatione Ablegatis Plenipotentiariis & Agentibus, hisce significandum. Alte memoratam Suam Majestatem Sacratissimam Gravamina Hæreditarii sui Regni Hungariæ, Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictorum fidelium subditorum suorum circa turbationes, aliasque molestias, ipsis in Religionis Exercitio, contra Articulorum Diætalium tum Soproniensium de Anno Domini 1681. tum Posoniensium de Anno 1687. crebrius instanterque delatas, prouti alia etiam, quæ ad Religionem spectare videbantur, Puncta, eorumque Circumstantias, rite matureque pensitasse considerasse, ac benigne ita resolvisse, nimirum: siquidem universi præfatæ Augustanæ & Helveticæ Confessioni addicti Querulantes, præcitatis Articulis inhærentes, eorundem effectuationem, una cum Catholicis, Articulari Commissione mediante genuino prætactorum Articulorum sensu fiendam adursissent, ejusmodi autem Commissio actu etiam jam peracta esset, eidemque præsertim in cis-Danubianis ac Trans-Danubianis etiam Partibus districtibus, utraque Pars acquievisset, nihilominus aliqua contra sensum ipsorum Articulorum per dictos Commissarios facta aliqua non effectuata, alia denique ex post per abusum quorumvis ab utraque parte propria authoritate introducta fuisse exponeretur. Ideo de præsenti etiam eadem Sua Cæsarea & Regia Majestas eorundem Articulorum benigna reflexione habita, propter bonum Pacis, internamque Regni tranquillitatem, in eo, ubi publico exercitio se prorsus destitutos iidem Querulantes lamentarentur, ibi Sua Sacratissima Majestas ulterius Articulari Determinationi ita standum esse censuit, ut videlicet in locis articulariter pro libero publico Exercitio expresse denominatis, liberum ejusmodi publicum Religionis Exercitium iisdem Querulantibus admittatur, ita tamen, ne debitos limites excedere, & ad loca articulariter omissa excurrere præsumat, securè tamen Plebs talium locorum templa in ejusmodi articularibus locis assignata frequentare, Ministros suos accedere, publiceque exercitio suo ibidem uti possit, ac valeat. In quibus locis, veluti articulariter pro Exercitio eorundem expressis, Parochi Catholicorum ex Ærario communi, ad quod ipsi Querulantes contribuunt, non intertеneantur. Imo ibidem Xenodochiis, sepulturis, campanis, pro communi usu destinatis, cum præscitu Parochi & Æditui, uti, fruique permittantur; neque ad amplectendam fidem Catholicam ubicunque per totum Regnum cogantur, attamen Ferias & festivitates Catholicorum, quoad publicum & forum externum observare teneantur, & id tanto magis Opifices, seu Mechanici in quorum Privilegiis idipsum per expressum inseri assolet, ideoque, si placet in reliquo gaudere ejusmodi privilegiis, præscriptæ quoque conditionis onus subire, tanto minus displicere debet. De reliquo Ministri Augustanæ & Helveticæ Confessioni addicti, ab omnibus actibus Parochialibus, uti est, baptizare, copulare, sepelire, & similibus tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis ubi articulariter iisdem concessum non est, omnino supersedeant, neque eo excurrant, siquidem Plebi in ejusmodi locis degenti liberum esset eosdem Ministros, & templa in locis articularibus habita accedere, sesèque ibidem baptizari, copulari, sepeliri curare & alias devotiones facere, proventibus tamen stolaribus Parocho loci Catholico prævie depositis. Quibus Decimas, etiam in toto Regno Hungariæ à sanctissimis Regibus Deo & Ecclesiæ Catholicæ Ministris duntaxat ordinatas præstare sunt obligati, præter Decimas, si quas forsitan ipsi, aut suæ Religionis Prædecessores à terris & vineis suis propriis nobilitaribus & Decimis Regalibus minus antea subjectis, sponte & libera voluntate pro intertentione suorum olim ministrorum deputassent. Quod vero ad Generalia puncta, quæ universi Augustanæ & Helveticæ Confessionis sequaces diversimode interpretari videntur, & cum facultate in arcibus, castellis curiisque nobilitaribus, Capellas, & Oratoria erigendi in quovis tali loco Prædicantes intertenendi Authoritatem se habere; Præterea vigore Articularis Clausulæ (salvo jure Dominorum Terrestrium) de subjectione solummodo Jobbagionali, Jureque servitutis corporalis intelligi,

„ ligi, non vero ad Conscientias trahi debere putarent: Ea taliter intelligenda esse, altefacta Sua Majestas Sacratissima declaravit, & quidem quoad primum, Facultatem erigendi Capellas & Oratoria pro privatis duntaxat inibi habendis precibus, & sepulturis concessam, & in illis cum familia sua, prout & in locis articulariter omissis, cuivis in Domo sua orare, Postillas legere, nullatenus tamen alios vicinos vel proprios subditos, tanto minus Prædicantes eo tanquam ad privatum duntaxat Suæ Domus, aut Residentiæ Orationis locum, admittere integrum esse aut licere. Non secus quoad secundum & quidem prædictæ Clausulæ (salvo jure Dominorum Terrestrium) non obstante præmissa ipsorum Querulantium ratione, veluti in Articulis expressæ, omnino standum esse, & consequenter ipsos Querulantes eidem se submittere debere: siquidem omnis Clausula Regalis in eo sumenda censeretur sensu, quo debitum suum sortiri quiret effectum, in sensu autem eorumdem Querulantium effectu prorsus destitueretur: Nam jus Dominii Terrestris in subditos, quoad Servitutem corporalem, aliaque quæcunque temporanea, qualitercunque mutato Religionis Statu absque hoc salvum & immutabile semper manet, præsertim cum hoc ipso Clausulæ ipsius sensu ipsi quoque Augustanæ & Helveticæ Confessionis sequaces, olim, pluralitate & potentia Dominorum Terrestrium præpollentes, in ejusmodi effectum antea usi fuissent, adeoque quod semel iisdem placuit ac pro justo & æquo positiva Lege agnitum, recognitumque fuisset, id modo displicere, aut Catholicis iniquum reputari minime posset. Ad quorum nimirum debito modo fiendam Executionem rectificationem, & accommodationem, quam primum certos deputandos fore Commissarios, coram quibus particularia quæcunque alia Gravamina iidem Querulantes in facie Loci, & Parte altera præsente, producere poterunt. Juxta rei æquitatem resolutionemque hanc ipsis intimatam postulatorum suorum effectum præstolaturi, quibus de cætero Eadem Sacratissima Majestas Cæsarea & Regia Gratia sua propensa semper permanet.

Per Sacratissimam Cæsaream & Regiam Majestatem, Viennæ die secunda Mensis Aprilis Anno 1691.

CCXXIX. Vides ex hac resolutione ipsamet Evangelicos antehac multoties supplicasse, ut per commissionem Articulis Regni conformem, abusus & prava violentaque Articulorum Regni interpretatio abrogaretur, & cum præteritis Commissionibus id præstitum non fuerit, denuo de restituendo Articulis vero sensu per licentiosas interpretationes violato institisse. Sed tãtũ abest, ut id quod expectaverant impetraverint, ut potiꝰ vero sensui Articulorũ major vis illata fuerit. Vetitum enim est hac Resolutione Evangelicis ad loca articulariter omissa pro cultu divino excurrere, quo ipso confirmatus est abusus, quo nonnulli locis in Articulo XXVI. Anni 1681. omissis Exercitium Religionis Evangelicæ prohibitum esse causabantur, cum tamen ea mens Articuli esse non possit, si præcedentis Articuli XXV. universalis permissio, anterioribus Articulis, ad quos se idem refert, fundata, *quibuscunque & quacunque in Regni parte degentibus Evangelicis*, sano sensu perpendatur, & probe ponderetur, in Artic. XXVI. nominari illa præprimis loca, in quibus areæ pro ædificandis novis templis assignandæ erant, adeoque ab omissione reliquorum locorum aliud argumentum trahi non posse, quam quod in illis nova Templa erigere non liceat, & quod præmissa in genere mentione, liberarum & montanarum civitatum omnes hujus ordines eo ipso inclusæ sint, neque sequatur, quod in recensione nonnullarum, quæ pro exemplo majoris claritatis ergo per expressam illam voculam, UTPOTE nominabantur prætermissæ, pro exclusis habendæ sint. Deinde Opifices & Mechanici ferias & festivitates Catholicorum observare jubentur, addita nova ratione, quod hoc privilegiis ipsorum Evangelicis (ipsis sine dubio invitis) insertum fuerit. Ministris etiam Lutheranis & Reformatis prohibitum est extra locos articulares ad baptizandum, copulandum, sacram Synaxin administrandam, & alios actus ministeriales exercendum excurrere. Quod generaliora autem puncta attinet, Articuli, quibus Nobi- **229. Novitates præmissæ Resolutionis.**

libus in arcibus, Castellis & curiis suis nobilitaribus, capellas & oratoria erigere & dotare permissum erat, ita restringuntur, ut ibi tantum privatas preces cum familia sua peragere & postillas legere, nullatenus autem vicinos vel proprios subditos, multo minus autem Prædicantes, admittere liceat. Quod autem clausulam illam famosam, *salvo jure Dominorum Terrestrium*, attinet, decisum hic est, eam non de subjectione solummodo Jabbagionali jureque servitutis corporalis intelligendam esse, sed etiam ad conscientias trahi posse, addita nunc prima vice in hoc decreto ratione, quod olim Evangelici pluralitate & potentia Dominorum terrestrium præpollentes, hac eadem clausula & jure Domini terrestris ad cogendum conscientias usi fuerint, quod tamen falsissimum esse supra prolixius demonstravimus; nisi forte huc trahi velit, quod Domini terrestres Evangelici sub initium introductæ Religionis prædicari permiserint Evangelium & verbum divinum, neque impediverint subditos, ubi spontaneo assensu ad recipiendum illud se proclives sua sponte commonstrassent. Ejusmodi autem clausulam ante Articulum XXVI. Anni 1681. nunquam Articulis Regni & multo minus ad instantiam Evangelicorum, aut ea intentione insertum esse, supra satis superque demonstratum est.

230. Memorialia contra illam resolutionem exhibita.

CCXXX. Postquam hæc resolutio prædictis ablegatis Hungaris Evangelicis die 2. Aprilis ex Cancellaria Hungarica insinuata esset, hi confestim memoriali supplici Cæsareæ Majestati remonstrarunt, illa recentes in persecutionem fomites contineri, neque talem interpretationem cum Articulis Regni stare posse, allegantes prolixum memoriale, quod Anno 1688. Cæsareæ Majestati porrectum erat, quo deductum est, illam jam tum de facto multifariam tentatam interpretationem admitti non posse. Extat hoc memoriale, nec non illud ad quod se hoc refert, in Appendice Operis.

231. Puncta omissa urgentur.

CCXXXI. Iidem Ablegati humillime per memoriale modo dictum commonefecerunt Augustissimum, superesse & in prædicta resolutione omissa esse longe principaliora puncta, quorum executionem juxta Articulos hactenus submisse urserant, veluti de restituendis Templis ab Evangelicis exstructis, & ritu Catholico nondum inauguratis, aliisque, quæ contra tenorem Articuli XXVI. de recenti occupata erant, nec non de dimissione captivorum prædicantium, quorum unus tunc temporis sub prætextu homicidii, sed non auditus, neque convictus ad triremes novissime abductus erat, sicut modo dictum memoriale habet, nec non de ulteriori eorum incarceratione inhibenda, aliisque Gravaminibus, de quibus in prædicta Resolutione altum erat silentium.

CCXXXII. Anno 1701. inclementior multo Resolutio Evangelicis intra decennium post prædictam Resolutionem super Gravaminibus plurimis Memorialibus continuo querulantibus, ex Cancellaria Hungarico-Aulica publicata est, sequentis tenoris: 232. Inclementior alia Resolutio.

1. *Exercitium Augustanæ & Helveticæ Confessionis, supra-dicta ratione concessum est, tantum in iis partibus Hungariæ, quæ in Anno 1681. in actuali Suæ Majestatis Sacratissimæ potestate erant: unde in partibus hoc bello recuperatis, nullum jus est alterius à Romana Catholica fide Exercitii: Ideo Sua Majestas Ius Patronatus omnium Ecclesiarum in neo-acquisitis sibi reservavit in eo casu, quo illud ad Acatholicos devolvi deberet.*

2. *Cum Exercitium Augustanæ & Helveticæ Confessionis, compluribus in locis articulariter nominatis, solum ob eam causam concessum sit, quod confinia fuerint, clarum proinde est, ibi publicum Acatholicum Exercitium tolerari non debere, ubi confinia esse desierunt.*

3. *Quando, in quibusdam locis articulariter nominatis, concessum est Exercitium Augustanæ & Helveticæ Confessionis, non ideo censeri debet, esse concessum, ut ullus à Catholicis Apostatam agat, & ad Acatholicorum Confessionem transeat, maxime talis, qui ab Augustana vel Helvetica Confessione, per Fidei Catholicæ professionem aliquando recesserat. Contra tales enim, qui à fide Catholica deficerent, tanquam contra jurisjurandi violati reos, jure in Patria legibus præscripto, procedi poterit.*

CCXXXIII. Confer, quæ in Appendice extant, alia Decreta & Rescripta ex Cancellaria Hungarica Anno 1701. & 1702. emanata, quibus præceptum est, ne Evangelico Prædicante aliquo demortuo alius surrogetur sine præscitu Cameræ Hungaricæ, utpote cui peculiorum Regiorum, qualia sunt 233. Decreta alia Cancellariæ Hungaricæ.

Ci-

Civitates Hungariæ Regiæ & liberæ, inspectio incumberet, item, quod Abbati Sicardiensi & metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis Canonico liceat omnia templa Evangelicorum, in Archidiaconatu Honthensi sita, visitare, ita ut etiam Clenodia, ornamenta, & quævis Ecclesiarum bona & proventus à prædicantibus Lutheranis & Calvinianis detegi & indicari, & Abbati ab ipsis reverentia & obedientia haberi debeat.

234. Collonitschius classicum canit per literas Circulares.

CCXXXIV. His & infinitis aliis in oppressionem Religionis Evangelicæ in Hungaria præparatis, Cardinalis Colonitschius, Archiepiscopus Strigoniensis, adeoque Primas Regni factus, publice classicum belli sacri i. e. exstirpationis Religionis Evangelicæ cecinit, publicatis literis circularibus typo impressis, ex quibus paria illarum, quæ secundo Januarii 1700. Viennæ impressa erant, in Appendice adjecta sunt, quorum principium ita habet: *Procura quam in Ecclesiâ Dei per Hungariam emolumenta spiritualia, æque ac temporalia, ex legationis natæ Primatialis & respective Metropolitani muneris obligatione, dies noctesque impendere non cesso; Tria nunc potissimum occurrunt, quæ Dominationis Vestræ zelo, & industriæ, quanto celerius fieri poterit, in opus deducenda commendare debui.*

Primum quidem est, ut cum pace jam firmata Rei pariter Catholicæ in Regno hoc Apostolico promovendæ, facilior se offerat occasio, Dominatio Vestra, inito cum viris probis, gravibusq; consilio, ea mihi suggerat per quæ (salvis tamen adhuc hac vice Regni Articulis) Hæresis per Hungariam, & in specie per Iurisdictionum aut Dominium Dominationis Vestræ curæ commissum imminui possit, uti & media opportuna, quomodo Catholica fides promoveri, ac in pristinum florem sensim revocari possit? &c.

235. Cardinalis abrogat articulos Regni.

CCXXXV. Vides hic quantam autoritatem sibi in leges Regni arroget Kolonitschius, dum Articulos Regni tantisper & hac solum vice salvos fore edicit, quasi ab ipso Articulorum vigor aut abrogatio dependeat, cum neutrum nequidem à voluntate solius Regis in Hungaria pendeat. Vides etiam intentionem ejus, hæresin, quam ita vocat, per Hungariam i.e. Religionem Evangelicam imminuendi vel potius exstirpandi.

CCXXXVI. Quemadmodum literæ hæ circulares ad singulos Comitatuum Comites & Prælatos Hungariæ singulatim transmissæ erant, ita quivis Clericorum & Secularium odio Religionis erga Evangelicos æstuans, protinus sese ad bellum hoc, Evangelicis inferendum, accinxit. 236. Clerus se ad persecutionem accingit.

CCXXXVII. Inter Ecclesiasticos imprimis Matthias Radhonai Episcopus Quinque-Ecclesiensis, qui ni fallor, idem est, quem supra Guntziensi in Civitate petulantissime furentem vidisti, incredibili vehementia erupit, & strenuum antesignanum persecutionis egit. 237. Antesignanus fuit Radonai.

CCXXXVIII. Jam tum Anno 1690. 2. Martii addictis Helveticæ Confessionis in districtu Syklos habitantibus, hunc in modum rescripserat; *Deus benedicat & convertat vos omnes Calvinistas in districtu Syclos degentes!* Ut jam *antea crebro vos verbis & literis admonui, neminem hæreticum, prædonem, Iudæum, Calvinistam, Thracem schismaticum, scortum & scortatorem aut sceleratum ullum & in DEUM calumniantem in Episcopatu servaturum & perpessurum, eo magis, si quem invenero Prædicantem, profecto docebo, & interrogabo, ex cujus nutu & voluntate in Episcopatum meum venerit animas ad tartara dejicere, Filii Dei sanguine pretioso redemptas, idcirco scribo de novo, & demando, qui velit manere sub Episcopatu meo, Fidem Romano-Catholicam (sine qua impossibile salvari) amplectatur, & de omnibus suis peccatis pœniteat; omnes unanimi voce Deum laudaturi & adoraturi; qui autem ad hæc animam non induxerit, eo ubi hæresis tolerabitur, abscedat, reperiam ad parata obedientes, Deum timentes & veræ fidei homines, quos subsidere faciam in locum ipsorum qui in vera fide nolunt Deo servire; Prædicantes autem resipiscere nolentes, Episcopatu meo, eo facto excedant, si velint, ne cum ipsis more Prædicantis Nadasdiensis & Mohat-* 238. Ejus literæ injuriarum plenissimæ.

hatsiensis agatur. Actum Ocsard die 2. M. A. 1690.

Vestræ Conversionis
cupidus

(L. S.)

Matthias Radonaï,
Episcopus Quinque Ecclesiensis & supremus Comes.

239. Alia epistola ridenda. CCCXXIX. Exhorrescet procul dubio quisquis hæc legerit, sed magis obstupescet quicunque ex subsequenti nunc Epistola viderit Episcopum Christianum, Christianis in Deum triunum & Christum Redemtorem credentibus, salutem æternam præ bobus & asinis imo etiàm Diabolo ipsomet abjudicare. Ita vero habet horrenda Epistola:

Deus benedicat nobis omnibus!

Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Accedit Veres-Martiensibus, & aliis cis-Dravam Hæreticis Calvinistis propter tumultum & seditionem nuper excitatam, modo instruunt ipsos Szigetvvarini, quomodo debeant exsurgere in Episcopatum & Emissarios Cæsaris. Certe & ego docebo ipsos, qui mihi obtemperare noluerint, & qui in me tumultum excitaverunt. Persuadete vobismet ipsis, si quotidie viginti quinque cubulorum auri mihi effunderetis, non tamen vos sub Episcopatu meo tolerarem. Nam dico bovem, asinum, & omnia reptilia & aquatilia animalia, etiam Diabolum infernalem humilitatum citius salutem æternam adepturum, quam unum Calvinistam, qui novit quam periculosa sit Calvinistica Hæresis. Eum autem, qui verus Romano-Christianus nolit fieri, Episcopatu meo demando emigraturum, nullumque aut prædonem, aut Calvinistam aut schismaticum Thracem perpessurus sum.

Datum Quinque-Ecclesiis d. 17. Martii Anno 1690.

Bonus Dominus vester
terrestris

Matthias Radonai,
Episcopus Quinque Ecclesiensis & supremus Comes.

(L. S.)

Ecce omnino bonum Dominum terrestrem, bonum Pastorem Christianum & exemplarem Theologum, qui prædonem Thracem sive Turcam, scortum, quemvis sceleratum, Judæum, schismaticum & Christianum, perinde & pro eodem habet.

CCXL. Velitationibus hujusmodi præmissis Episcopus hic furibundus, postquam Cardinalis Colonitschius classicum cecinerat, ad Cladem Evangelicis ultimam inferendam, ferocior jam in arenam condescendit. Quid peregerit & quid intenderit sequentibus ex literis percipe: 240. Radhonai reformatis exilium indicit.

Deus cum omnibus nobis!

Libenter vellemus intelligere, quis te adduxit Prædicans Veres-marthiensis cum sociis tuis in Episcopatum nostrum, in infernum inducere, si quolibet die daretis centum ducatos nobis certe nullo modo vos cum Auditoribus vestris toleraremus, nisi ad veram Romanam fidem convertimini cum auditoribus vestris, sine qua nemo salvari potest, qui ratione utitur, scitis hoc vere, quod totius Regni Hungariæ, pulchra pristina libertas propter vos perdita est, in qua dulcissima Patria nullos ex vobis patiemur, neque Auditores, si conversi fuerint. Resolutionem expecto. Quinque-Eccles. d. 27. April 1700. Conversionem vestram exoptat

Matthias Radonai,
Episcopus Quinque-Ecclesiensis.

Deus

Deus vos convertat ad veram Romanam fidem, Veres-martiensis, Darociensis, & alii circum circa Prædicatores Calviniani.

Statim ablegate fideles vobis homines Vespreminum Papam, Iaurinum, Comarinum, & si placeat, ad superiorem partem Cassoviam versus, videbitis, aut poteritis audire & scire, ut adultus Senior vester Losonczi cum multis Prædicantibus & Auditoribus veram Romanam fidem amplexus est, & quicunque sive Prædicans, seu alius homo Calvinianus in tota Hungaria verus Romanus Christianus non erit, omnia ab ipso accipientur, & uno baculo emittetur ex Hungaria, quoniam vicissim ad Turcas confugistis, una cum multis auditoribus. Ego jam tertia vice scribo & appello vos Quinque-Ecclesias in conspectum meum, si voce pulchra non venietis, certe legatos vos adducam aut adduci curabo, si vero Germani iverint, pro vobis Auditoribus damna efficient ego statim bonos sacerdotes illuc mittam. Ego in propria persona fui apud Prædicantem Harsangiensem, Tochfalvensis locutus est mecum, si pulchra voce estis venturi ad me, qui in Episcopatu meo estis, non sum vos impediturus, imo qui ad veram fidem conversus fuerit, ad mortem usque habebit provisionem vel talem conditionem, ut pulchre se una cum uxore & pueris sustentare possit, qui vero converti non vult, est via sursum & deorsum, poterit ire quo voluerit, verum in Hungaria non habebit mansionem, neque Turca patietur, nam qui in uno Regno falsam habet Religionem, falsam etiam habet in altero.

Resolutionem expecto à vobis citissime. Datum Quinque-Ecclesiis die 6. May 1700.

Bonus vester Dominus,

Matthias Radonai, Episcopus Quinque-Ecclesiarum.

CCXLI. Deus vos convertat ad veram Romanam fidem sine qua nemo salvatur. Gyndiensis, Harsangiensis, Veres-martiensis Herczegsiclosiensis & alii circum circa in Episcopatu nostro existentes Hæretici, Calviniani Prædicantes. 241. Alia Epistola.

Nunc jam ipsi videtis & bene scitis, ut in tota Hungaria non habetis mansionem, quoniam DEUM Salvatorem nostrum & Sacra ipsius verba & leges negatis, ipsius sanctam virginem Matrem cum Auditoribus vestris, uxoribus vestris assimulatis, sanctis nullum honorem exhibetis, ne unum quidem Evangelium extat in toto anno quod contra vos non esset &c. Quapropter demandamus, ut vel convertamini ad veram salutarem Romanam Religionem, vel eatis illuc ubi vos patientur: sed nullibi in Hungaria habetis mansionem, propter nunc recenter factam Rebellionem penitus curabo vos capi, si non convertamini vel ex Episcopatu nostro non exiveritis. Partem vestram tuentes Viennæ capti sunt, & in carcerem Posoniensem ducti sunt, aliorum exemplo discite, & vos ipsos procurabitis, si quis Romanam fidem amplexus fuerit, is habebit provisionem: propter vos deserta & ad ultimam corruptionem perventa est, & ab omni justitia spoliata est nostra dulcis Patria, nec erit firma Pax in Hungaria, quousque Hæretici non exstirpentur. Quapropter miserrimas animas porro in infernum ne ducatis. Relationem expecto, Salutem exopto. Datum Quinque-Eccles. die 16. Iunii 1700.

Benevolus

Matthias Radonai, Episcopus-Quinque Ecclesiarum.

CCXLII. Postremo multis aliis epistolis omissis sequentem adjicimus, quæ epitomen continet modi procedendi violentissimi, quo Clerus & Domini terrestres Catholici ad exstirpandam Religionem Evangelicam usi sunt novissimis temporibus. 242. Epistola exstirpationem Evangelicorum promovens.

Ejusdem Episcopi Quinque-Ecclesiensis Matthiæ Radonai ad Clerum Symontorniensem Epistola de dato Viennæ d. 8. Jul. 1702. qua, laudato ipsius zelo, Reformatum Vesprimiensem Episcopum si Prædicantem ab Archi-Episcopo Colocensi captum esse scribit, simulque quibuscunque Catholicis Excommunicationis pœnam minitatur, qui Reformatos quocunque modo defendere ausi fuerint.

Admodum Reverendi in Christo Patres P. & Fratres F. Nobis addictissimi.

Salutem plurimam & fraternam. Servitiorum meorum commendationem.

Peramanter rogamus prætitulatos Dominos Fratres, indefesse discreto zelo laborare non intermittant, ut Deo, Cæsari, Sacræ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ, dulci patriæ, & saluti animarum Rebelles Calvinistæ Pseudo-prædicantes ex Symontornisa, cæterisque vicinis locis immediate extirpentur, & si quispiam officialium Romano-Catholicorum hoc in passu paternitates Vestras præpediverit, & rebelles prædicantes protexerit, immediate excommunicent, & nullo modo ad templum Catholicorum, neque ad Sacramenta percipienda ingredi permittant. Pseudo-Calvinisticus Episcopus Veszprimiensis per Celsissimum Principem Archi-Episcopum Colocensem captus est, & incarceratus. Capientur & reliqui, per universam Diœcesin & immediate Paternitates Vestræ inhibeant, ne Calvinista Prædicans Symontornyensis in futurum ullo modo suos hæreticos Auditores audeat copulare, baptizare, sepelire, neque perfida sua Doctrina ad æternam damnationem præcipitare. Sed si converti noluerit, abeat, quo placeat, & si non abiverit, ferro cingetur, & in captivitatem ducetur. Sacri Romani Imperii Princeps Palatinus absolutæ nullum hæreticum nec schismaticum in bonis suis Pynzchelyensibus, Ozora, Tamasi, Dombovaniensibus, & reliquis permissurus est habitare vel incolam agere: Sed qui bono modo non fuerint conversi, bona eorum omnia, mobilia & immobilia Officiales Palatinatus sunt confiscaturi, & similes refractarios rebelles hæreticos & schismaticos ex bonis Serenissimi Domini Principis Palatini extirpaturi; Idem etiam facturus est Dominus Magnificus Baro, Adamus Viczai & reliqui boni Catholici Domini Terrestres, & qui non fecerit, ipso facto excommunicabitur, & tanquam Protector hæreticorum Rebellium & schismaticorum bonis suis privabitur.

Viennæ die 8. Julii Anno. 1702.

Servus addictissimus & in Christo Frater

Matthias Radonai.

CCXLIII. Quis non miretur novam plane Theologiam, novamque hæreticos convertendi methodum tanti Episcopi? Simpliciores & magis stupidi ipsi sine dubio visi fuerunt sancti Patres primitivæ Ecclesiæ, & tot alii summi Theologi, qui totam vitam in refutandis ex Sacra Scriptura erroribus, omnesque vires ingenii impenderunt. Quam ipse cum reliquis Zelantibus ex Clero Hungarico adinvenit convertendi methodum, illa sane facillima omnium & expeditissima est. Tribus enim Articulis totum negotium perficitur. Primo enim jubendi simpliciter sunt Acatholici, ut accedant ad Ecclesiam Romano-Catholicam, addita promissione proselytas obtenturos esse pensiones annuas pro se, uxoribus & liberis suis largissimas, quoad vixerint. Secundo: Si prædicantes & ipsorum auditores Catho- 243. Radonai methodus convertendi facillima.

tho-

tholicam Religionem sine ambagibus amplecti tergiversati fuerint, protinus utrisque exilium indicendum est. Tertio; Si non obtemperaverint, capiendi, & bonis omnibus privati extra Regni Hungariæ limites ejiciendi sunt. Quid quæso facilius excogitari potest ad hæreses abolendas?

244. Lictores magis decet quam Theologos.

CCXLIV. Sed si hæc methodus Hæreticos convertendi introduci debet, unicus saltem scrupulus consilium morari posse videretur. Etenim ad conversionem hujusmodi milites ferociores, lictores & carnifices magis apti, quam Theologi videbuntur, ita, ut Theologis & tanto Clero tanta beneficia opima possidente plane non opus esse amplius videri posset. Viderit ergo Clerus Hungariæ, an non hoc consilio suo contra Evangelicos adhibito sibimet ipsi perniciem & abdicationem accersere posset.

245. Religio non vult cogi.

CCXLV. Sed cuilibet Christiano bonæ mentis abominabilis hæc convertendi methodus videbitur, unde operæ pretium non est, ut pro ejus absurditate demonstranda prolixi simus. Sufficiat *Lactantium* Lib. V. divin. instit. cap. 20. audire:

> *Non est opus vi & injuria, quia Religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res est agenda, ut adsit voluntas: longe diversa sunt carnificina & pietas, nec potest aut veritas cum vi aut justitia cum crudelitate conjungi. Defendenda Religio est non occidendo sed moriendo, non sevitia, sed patientia, illa enim malorum sunt hæc bonorum. Et necesse est bonum in Religione versari non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo Religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur. Nihil est tam voluntarium, quam Religio, in qua si animus aversus est, jam tota sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio suadet, ut Religionem patientia vel morte defendas, in qua fides conservatur, & ipsi Deo grata est, & Religioni addit autoritatem.*

Tertullianus in Lib. ad Scapulam Præsid. Carthag.

> *Humani juris*, ait, *& potestatis est unicuique, quod putaverit colere: nec alii abest aut prodest alterius Religio. Sed nec Religionis est cogere Religionem, quæ sponte suscipi debeat non vi.*

Sed tantorum Patrum Ecclesiæ doctrina Ecclesiasticis Catholicis nonnullis in Hungaria anilis videtur, cum credant se præ illis eo magis sapere, quod Cardinalicia purpura Archi-Episcopali & Episcopali tiara aliisque dignitatibus eminentioribus præ ipsis fulgeant. Sed viderint, an carnificina & crudelitate autoritatem Religioni suæ concilient.

Facillimum esset sexcenta alia Documenta nova Theologiæ quorundam ex Clero Hungarico similia illis, quæ allata sunt, longa serie attexere. Sed quæ adduximus, satis ostendunt, qua methodo sic dicta Conversio hæreticorum in Hungaria ut plurimum peracta fuerit. Neque enim ipsiusmet Cleri proprium Testimonium scriptis & Typis publicatum dubium relinquere potest, negotium eo, quo ipse fatetur, modo, peractum esse.

CCXLVI. Juvat tamen animi ergo Theologastrum adhuc Catholicum in Epistola sua ad Samuelem Michaelidem Trentschiniensium Ministrum Evangelicum perscripta, & horrendis convitiis repleta audire, & animum ejus impotentem deridendum hic propinare: 246. Epistola insulsa Parochi Catholici.

Petri Pauli Gabrielis Zablatsky, Equitis de Tuleschitz, Parochi Wizovvizii Catholici Plebani, literæ ad Samuelem Michaelidem Ecclesiæ Evangelicæ Trenschiniensis Ministrum, sub dato Wizovvizii mense Augusto &c.

Gratia Salvatoris nostri IESU Christi illuminet tenebras mentis tuæ et emolliat duritiem cordis tui, Prædicantie sceleratissime.

Sex

Sex effluxerant menses, quo Wizovicii curam animarum ex gratiosissimo mandato Reverendissimi Venerabilis Episcopalis officii susceperam, & pro augmento sanctæ Orthodoxæ Romanæ omnium Ecclesiarum vere Matris Ecclesiæ parochiam administrare amore Christi, & proximi exorsus sum, plurimum his in montanis asperitatibus laboriosam, quia confusioni, & quidem tanto majori confusioni, periculo, & labori obnoxiam, quo majori conatu niteris nebulo nebulonum, & impostor perversissime falcem mittere in messem alienam, meosque ad te contendentes falso dogmate imbuere, eos ab obedientia & lege sacratissima Ecclesiæ Sanctæ Dei Catholicæ & antiquissimæ avertere. Infernalis furcifer & senecio, nec dum à via pravitatis, & falsitatis discedens adhuc alios pervertere non desinis? Sat tibi hisce nunciatum sit, ni pœnas luere velis, num non noveris zelum Leopoldinum in tuenda pura & Sancta Romana, & Apostolica Fide? devorabit te zelus Sacer Majestatis Augustissimæ ad quam mihi accessum parare cogito, & tuam denunciare versutiam draco tartaree possem, si aliter fieri nequiverit.

Vel doctum te reputas, vel stolo es etiam in tua Canicie. Si posterius, mille es meritus fustes, quod ut Stolo Naviculam Petri gubernare, & regere cupias, quo te duce, tot Christi sanguine redemptæ animæ patiantur naufragium irreparabile; si doctum te credis, quis te non peritorum rideat? qua enim base firmas doctrinam tuam Doctor (scilicet) egregie? monstrum abominabile, membrum resectum, membrum fœtens, membrum putridum, membrum mortuum, membrum vivum te dixerim? absit à me, ut id de te asseram, quod si enim vivens membrum esses, Christi corpori junctus esses, sed corpori Christi nusquam junctus es, ergo fœtens, scatens, resectum abjectum, abscissum, mortuum membrum es. Multi unum corpus sumus in Christo ad Rom. Cap. XII. 5. sed non omnes, & tu quidem minime, nisi te forte, monstrum fateri velis. Quomodo enim unum corpus sumus, nisi unitate visibili & collectione Deo placenti? Quid enim est Ecclesia Christi, nisi collectio fidelium fide firmata, visibilis, quæ nobis visibilibus unitis mortalibus in unum constat? Unde Ecclesia Sancta comparatur tanquam visibilis, Civitati supra montem positæ, quæ utique conspicua & visibilis est, Matth. V. v. 15. idem à Propheta David prædictum est Psalm XVIII. vers. 6. in sole posuit tabernaculum, suum, i. e. ut ibidem explicat Augustinus: in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Numquid Christus visibile caput Ecclesiæ, olim visibilis, per ascensum suum ad Patrem Cœlestem, caput invisibile effectus, Ecclesiam suam visibilem in mundo relinquens, necessario Caput aliud sui loco visibile, quod corpus Ecclesiæ visibile regere deberet, substituere voluit? negabis credo, quia non vis capere, vel non potes: quod autem id oportuerit, patet sole clarius, hoc modo: Qualia membra tale corpus, quale corpus tale caput. Sed membra Ecclesiæ, quæ nos homines sumus, visibiles sum⁹, ergo Ecclesia per membra visibilia unũ corp⁹ visibile sum⁹, ergo caput visibile habemus, utiq; non Christum visibiliter, qui nobis invisibilis est, ergo aliud hic in terris, visibile caput, quod à Christo invisibiliter regitur, Vicarium Christi successorem Petri, Pontificem infallibilem, quoad fidei Articulos, qui Spiritu Sancto præter sua merita regitur, ne simus tanquam parvuli fluctuantes, à quo cum ad cœlum nobis misellis accessus non pateat, absque periculo haurire queamus veritatem dogmatum credendorum; Unde, cum te necessario visibile membrum Ecclesiæ jactare debeas (si quid evincere cupias) te monstrum & portentum ridiculum nuncupo, corpus mutilum, absque capite, qui caput Pontificem in Christi vices mordicitus repudias, quale enim corpus est, cui caput invisibile est? vel cujus caput in Concavo Lunæ est? Christum cui omne genu curvatur, Caput, revereor sed invisibile, qui ideo necessario præterea aliud sui loco visibile in terris caput instituit nobis, quo recurrere valeamus, videlicet Petrum, cui dixit: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non super Petram intelligendo se ipsum Christum, sed Petrum, alias enim non bona constructio foret, hoc est clarum. Cui Christus dixit pasce oves meas & alia plura.

Tu quis es? Sacrilegus es, Idolatra

Idolatra es, hoc indubitatum est, omni sano homini: Quis enim te non sacrilegum, & Idololatram appellat omni veritate', qui panem simplicem & vinum simplex adorat, & ad adorandum rudi plebi exponis? Calix tuus pro opinione vel nequitia tua sacratur (cujus consecratio nulla est) ex parte falsæ consecrationis tuæ talis est, ut mereatur excrementa pleni alvei solidi agricolæ: unde enim tibi consecrandi facultas, qui laicus es? quis te sacravit, ut sacrare & consecrare præsumas? Nam sacerdotium rides qui præter 2. sacramenta alia non admittis? si ordo Sacerdotalis Sacramentum uti doces non est, Sacerdos nec sacer es, nemo autem dat, quod non habet, ergo tu non sacer, non sacras quidquam Matrimonium non esse sacramentum procul dubio mordicitus tenes, ergo te & hædos tuos Acatholicos, quos eadem lege imbuis, omnes meretricarios sine exceptione, cum vestris prolibus spuriis bene & juste nuncupo, & uxores vestras meretrices. Quis enim vos honestaret? nisi Sacramentum matrimonii, quod Apostolus ad Ephesеos Sacramentum magnum nuncupat. Quod Deus conjunxit homo non separet, idem est, ac quod Deus sanctificavit, quod Deus rati-habuit quod Deus benedixit, omnia enim quæ à Deo procedunt sanctificantur, & sic honestantur.

Epistola S. Jacobi Apostoli tibi non placet pro Sacramento extremæ unctionis, infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini, ast tua tuorumque asseclarum oppositio parum militat, verbum Dei manet in æternum: Hic Apostolus non intelligit commune oleum, nam alias non prærequireret introductionem presbyteri, nec preces & alia, si oleo hæc vis insita foret sanandi, ergo intelligit oleum sacratum singulari ritu Ecclesiæ & Ceremonia pro salute animæ conferendum, uno verbo, sacramentum speciale, unum ex septem ab Ecclesia nostra sola salutari dandum.

Liber Macchabeorum, uti forte præcedens Epistola, tibi pro authentico vel Canonico non est? bene: Saltem te sciam Hebræo multo deteriorem esse, qui hunc librum veneratur, vel Purgatorium admisso hoc Machabeorũ libro infallibiliter admittere debet, lege bene 2. Lib. Machabeorum Cap. XII. v. 43. vel, Nebulo, certo certius concesserim pro te purgatorium non extare, qui mittendus es in stagnum ignis ardentis unde nulla redemptio, ad profunda inferni, qui non vis agnoscere salutare esse, orare pro mortuis, ut à pœnis purgatorii ignis solvantur.

Venerationem Sanctorum, & implorationem, ad nobis miseris in hac lacrymarum valle succurrendum, nec non sacra Lipsana, & reliquias honore tentas cachinnis explodis, quid mirum, quia demens es, nam stultis risus proprius est. An non legis Abraham SS. Angelos sibi comparentes curvo poplite veneratum fuisse, ut alia exempla taceam. An non recordaris quæ Libro Tobiæ Cap. XII. continentur? An non me mineris verborum Lib. Job, ite ad servum meum Job, & ille orabit pro vobis? Lege Lib. 4. Reg. Cap. II. Num non ope Eliæ Elisæus pallio Eliæ tanta patravit, quia pallium Eliæ erat, cur non nos sacra Lipsana & reliquias Sanctorum contra mala ingruentia debita reverentia asservaremus? ô stolo!

Ast ante omnia sumptio sub utraque specie radicata est cordi tuo, quo autem præcepto? vere nullo. Illud nisi manducaveritis & biberitis Johannis tibi non suffragatur, quia est præceptum non quoad modum, sed quo ad substantiam, sumimus itaque vere corpus & sanguinem, licet una sub specie, quia una sub specie totum Christum cum corpore, sanguine & anima & divinitate accipimus, illud καί &, idem valet ac vel ut multi doctissimi interpretantur, vide biblia Græca, an non idem invenies? quæ tuis vetustiora sunt bibliis, toto hoc capite semper mentio fit unius speciei videlicet panis non vini. Fateor equidem præceptum extare pro magis expressa memoria Mysterii Eucharisticæ institutiones sub

„ utraque specie in Ecclesia, sed ne-
„ go id præceptum esse Laicis, sed
„ solis Presbyteris & Sacerdotibus a-
„ pud Cœnam ultimam mensæ assi-
„ dentibus, solis Presbyteris ordinan-
„ do, videlicet XII. Apostolis, non
„ assidente nec sacra Virgine Maria
„ Matre Christi, nec domus hospite,
„ nec alio Laico, quibus SS. Aposto-
„ lis præcepit Christus, tanquam Sa-
„ cerdotibus, & quidem illis solis, per
„ τὸ omnes, ut omnes ita sub utraque
„ specie consecrarent, & in sacrifi-
„ cio sumerent, minime vero Laici;
„ bene scimus 2. discipulos Christum
„ pavisse solo pane, hic pii interpretes
„ traditionem Eucharistiæ intelligunt,
„ quia cognoverunt eum in fractio-
„ ne panis: Etiam populo Israelitico
„ sola una species videlicet Manna de
„ Cœlo rorans, figura fuerat Euchari-
„ stiæ: Claudo, quis enim tecum tem-
„ pus tereret, hoc solum tibi satis sit.
„ Cave esto, ne præsumas meos alios-
„ que vicinos seducere, ipsis calicem
„ sacrilegum porrigere, scio enim quid
„ mihi faciendum restet, ne seduxeris
„ Christi cruore redemtas animas, cui
„ tibi sanguis Christi erit in æternam
„ & perpetuo duraturam damnatio-
„ nem,

Scelesle nebulo,

Dabam VVizovicii in domo Parochiali Mense Augusto 1702.

p. t. Parochus & curator animarum

Petrus Paulus Gabriel Zablatsky, Eques de Tuleschitz Mpr.

P. S. Argumenta mea tibi valde levia videbuntur, ponerem tibi alia magni ponderis & claritatis, si mihi aliunde non forent irremissibiles labores, qui totam confusam & valde populosam nec non distantem regionem habeo, ubi uno labore occurrente nec perfecto, alios novos & novos labores acquiro, ut viribus impar sim tanta onera portare.

CCXLVII. Nec impiger in debellandis Evangelicis ipse Cardinalis Kolonitschius cum Classicum primus cecinerit, fuit. Sed exemplo suo venerabili fideliter præivit reliquo clero. Templa in oppidis Bath, Maros & Borsenii Evangelicis vi eripuit, & incolas reformavit, senioribus, quia à Religione in qua consenuerant, deficere nolebant, per Provisorem Strigoniensem domibus & hæreditatibus avitis privatis, expulsis, solumque vertere coactis: Reliqui enim cives Anno 1702. circa Festum purificationis B. Mariæ Virginis, injecta ipsis vi per Patrem Ignatium Jesuitam Strigoniensem, Stalhagiensem, Tolgnyessiensem plebanos, sine sexus discrimine inter planctus & ululatus & reluctationis anxietates, ad amplectendum Religionem Catholicam adacti fuerunt, successu temporis etiam libellis precum & cantilenarum devotarum Evangelicarum è manibus excussis. 247. Collonitschius impiger in persequendo miles.

CCXLVIII. Ad hujus exemplum Archi-Abbas Sancti Martini sacri Montis Pannoniæ, & Pater regens Jesuitarum Jauriensium, sub prætextu Juris Dominorum Terrestrium, literas præceptorias de persequendis Prædicantibus per tractum Jauriensem Ersek, Vivariensem, Comaromiensem, Veszprimiensem, aliosque publicant, & ejectionem Ministrorum in Pagis sub mulcta 100. aureorum indicant, neque attendunt, quod in nonnullis Pagis aliisque locis non ipsimet sed alii Terrestres Domini adessent, qui in talia non consentiebant, In oppido Zolna Jesuitæ incolas Evangelicas manu militari ad mutationem Religionis coëgerunt, constantioribus exilium eligentibus, & vacuis manibus fuga sibi consulentibus. 248. Ejus satellites strenui, Jesuitæ.

CCXLIX. Cardinale ceu Archi-Episcopo Strigoniense ita ordinante, ju- 249. Pastores Evangelici à Cardinale mulctantur.

jurisdictio in Evangelicos Ministros à judicio Sacræ Sedis Evangelicis obtruditur. Quavis de causa Ministeriali, levissima subinde, ad sedem illam citantur Ministri Evangelici; si non comparent excommunicantur, si comparent & de foro incompetenti exceptionem modeste opponunt, allegantes se non Sacræ Sedi Strigoniensi, sed suorum Evangelicorum Præpositorum, (juxta Articulum I. Anni 1608. omnibus subsecutis Comitiis confirmatum, Regiisque Diplomatibus, quorum verba hanc in rem ita habent: *Ut qualibet Religio suæ Professionis superiores seu Superintendentes habeat* roboratum) subjectos esse graviter mulctantur, quemadmodum Chemnitienses 300. Florenis, & alia vice propterea, quod ministeriales actus, ad quæ ex officio tenebantur, peregissent, 3000. Thaleris mulctati sunt.

250. Ejus exemplum sequuntur alii.

CCL. Ad tanta exempla insolescunt quicunque parochi sive plebani Catholici in pagis, & autoritatem Sacræ Sedis Strigoniensis, abusivumque Jus Dominorum Terrestrium sibi vindicantes omniaque sibi licere existimantes Ministros Evangelicos coadunatis hominibus abigunt, Templa occupant, & omnia peragunt, quæ superiores Prælatos ex Principiis novæ Theologiæ ad conversionem Hæreticorum sic dictorum, adornatæ patrasse, viderant.

251. Esterhasius, Palatinus, Secreto consilio devinctus ad persequendos Evangelicos.

CCLI. Quemadmodum intererat Cleri Catholici potentiores Dominos Terrestres Catholicos in suas pertrahere partes, ita vel maxime apud Palatinum Regni laborabat, ut illum ad persecutiones Evangelicorum incitaret. Ille enim non tantum incredibilem numerum Dominiorum sive Dynastiarum, Pagorum & Prædiorum ultra avita & hæreditaria novis contractibus emtionis, reluitionis aliisque acquisivit, ut inter Magnates Seculares vix alius Dominio Terrestri latius dominetur. Præterea autoritate Palatinalis dignitatis post Regiam secundæ, opus illud arduum exstirpationis Evangelicæ Religionis plurimum adjuvari posse præviderat Clerus. Hic ergo dum omnes occasiones inducendi Palatinum ad persecutionem Evangelicorum captat, opportune ipsi accidit, quod Palatinus Fratris sui consanguinei filiam ducere decreverit, ad quod cum Pontificia dispensatione opus esset, Clerus Summo Pontifici insinuat non hæsitandam esse super dispensatione concedenda, dummodo Neo-Sponsus hac conditione severe imposita obligetur omnem operam pro ea, qua in Regno pollet autoritate navare, ut Hæretici sic dicti è Regno Apostolico eliminarentur. Arrisit Apostolicum hoc concilium vices gerenti Principis Apostolorum nec sponsus conditionem hanc impositam detrectavit, sed ejus executionem pro obtinenda omnium peccatorum remissione meritoriam firmiter credens summo nisu, quod sanctissime imperatum autumat, peragit. Prædictus etiam Kolonitschius, antequam Cardinalitiam purpuram acciperet, proedriæ litem Palatino movit, primumque locum post regem ante Palatinum, tanquam Primas Regni prætendit, qui cum cedere nollet & prærogativam Palatinalem sustineret, odium Kolonitschii incurrerat. Postquam ergo Kolonitschio purpura honorato tanquam Cardinali cedere debuisset Palatinus, gratiam etiam hujus inire ambivit, sed Jesuitæ pararios reconciliationis agentes adæquatius remedium pro devinciendo sibi Cardinale non adesse asseverarunt, quam si pollicitaretur ipsi, se exstirpationem hæreticorum omni ope promoturum esse: neque fefellerunt illum Patres isti, sed reconciliationem hac cum conditione confestim procurarunt. Memor ergo Palatinus iteratorum promissorum Curiæ Romanæ & Cardinali factorum voto se devovit totum in persecutionem, qua certe vehementiores Ecclesiasticos superavit. Nam non modo in suis longe lateque patentibus & in plurimis comitatibus sitis dominiis & terris, prætenso jure terrestri abusivo Evangelicis templa eripit, Ministros fugat, incolas reformat integrorum Pagorum habitatores, quod Religionem Evangelicam ejurare nollent, retentis ipsorum domibus & facultatibus in exilium profligat, aliosque in carceres conjicit & variis tormentis excruciat. Præterea etiam extra Dominia sua autoritate Palatinali abutens, omnibus supremis & Vice-Comitibus Comitatuum pellere sedibus suis Ministros Evangelicos, eorumque auditores præcipit, & Articulorum Regni interpre-

tationem sibi arrogans varia jubet, quæ illis contraria sunt, & ad meditatam exstirpationem Religionis Evangelicæ vergunt, inter alias hanc in rem scriptas literas annectimus sequentes:

Literæ Principis Palatini Pauli Esterhasi d. 16. Iun. Anno 1702. ad Vice-Comitem Comitatus Vesprimiensis datæ, quibus vetat ne sublato ex urbe Papa præsidio Exercitium Reformatæ Religionis aut aliquis Prædicans amplius ibi toleretur, &c.

Generose Domine & Nobis Observande.

Salutem & Nostram benevolentiam.

Cum per Suam Majestatem Dominum Dominum Nostrum Clementissimum præsidia jam sublata sint, consequenter etiam Papense præsidium sablatum est. In hoc autem præsidio tantisper concessit Sua Majestas Exercitium Religionis Hæreticorum donec præsidium staret: hoc autem jam sublato, exercitium quoque eorum tolli debeat: Quamobrem voluimus Dominationi Vestræ Autoritate Nostra Palatinali, serio mandare, quatenus correspondendo cum Domino Archi-Episcopo Vralockensi, virtute præscriptæ rationis Calvinistas prædicantes amoveat, ita quidem, ut nulla eorum permansio, & Exercitium Papæ amplius fieri possit: Scripsimus hoc in passu Domino Antonio Esterhasi fratrueli Nostro, ut mandet Suis Officialibus, quatenus hanc Nostram intentionem secundent. Ipsi autem Radonay noluimus scribere, quia & ipse Hæreticus est. Interim tamen Dominatio Vestra has Nostras Literas Dominationi Suæ poterit ostendere, quod secundum hoc debet fieri. Sua Dominatio quoque his se accommodare non intermittat. In hoc autem Vestra Dominatio secus non faciat, dantes eatenus Dominationi Vestræ, quasi Vice-Comiti plenariam potentiam. Desiderantes in reliquo, Deus conservet Dominationem Vestram in bona salute.

Datum Kismartonii die 16. Iunii Anno 1702.

Generosæ Dominationis Vestræ

Benevolus

Paulus Esterhasi Palatinus.

CCLII. Quam graviter persecutionem & miseriam Evangelicorum auxerit vel solius Palatini accessio ad Cleri studium persequendi facile intelligit, quicunque novit quantarum possessionum Dominus terrestris est, aut qui oculis suis usurpavit pagos istos numerosos, qui expulsis Evangelicis subditis vel minus adhuc habitantur vel Colonia ex colluvie Catholicorum rusticorum, quibus possessiones ejectorum Evangelicorum addixit, redintegrati sunt. 252. Palatinus multa damna infert Evangelicis.

CCLIII. Longum nimis foret numerum inire cœterorum Hungariæ Magnatum & Dominorum terrestrium Catholicorum, quos Clerus Catholicus imprimis Cardinalis Kollonitschius & Jesuitæ ad similes persecutiones contra Evangelicos tamdiu totque artibus stimulare sategerunt, donec finem suum assecuti fuerint. 253. Præteritio reliquarum persecutionum.

CCLIV. Habent ergo omnino de 254. Jesuitæ gloriantur de persecutione Evangelicorum.

quo

quo triumphent Jesuitæ, quemadmodum faciunt apud curiam Romanam & ubique gloriantes, suo studio suisque artibus persecutionem contra Evangelicos ad tantum gradum se provexisse, ut parum absit, quin totalis exstirpatio brevi sperari possit. Sed fallunt in eo, quod dicant parvulum tantum numerum infimæ plebeculæ in Hungaria superesse, quæ Evangelicæ Religioni adhuc adhæreat, cum certe indubitatum sit, longe majorem partem Regnicolarum ei adhuc dum adhærere. Fallentur etiam ipsimet fortassis, cum Deo visum fuerit misereri oppressorum Evangelicorum, mentemque Augustissimi Imperatoris eo dirigere, ut Articulis Regni & Diplomatibus Regiis pristinum vigorem restituat, conservationemque Regni sui libidini Cleri, qua toties Rebelliones & tumultus provocati sunt, præferat.

255. Jesuitæ Viennenses scriptis suis se produnt.

CCLV. Jesuitæ Viennenses Anno 1699. in festivitate promotionis Academicæ librum typis editum publice distribuerunt, qui etiamnum prostat, & Phosphori Austriaci sive compendiosæ Historiæ de Augustissimæ Domus Austriacæ Origine, Magnitudine & potentia titulum præfert. In Capite 31. lib. 2. pag. 250, & 251. Triumphum de oppressa Religione Evangelica, sed adhuc fortassis ante victoriam cantant his verbis:

Zelus item propagandæ fidei Catholicæ Leopoldum impulit ad reducendam Hungariam in verum Christi ovile, cui animo infracto cum maximis fortunarum profusionibus aliquot jam annis Rex vere Apostolicus insistit, & vero jam multa millia animarum Romanæ Ecclesiæ vindicata gloriari potest: adeo ut unico duntaxat Anno numerata sint 18000. ad Romanæ Ecclesiæ gremium reductorum. Lutheranos Ministellos Divini Verbi depravatores proscripsit, amovit è Senatu publicisque Magistratibus qui supererant in iis Hæreticos, quamvis ætate autoritate & opibus primos. Denique in pluribus jam locis sancitum ne jus Civitatis ulli deinceps detur, nisi Catholico. Quis Deo, Deique Genetrici magnæ Dominæ aliisque cœlitibus olim dicatas AEdes enumerabit, quas iam à compluribus annis, imo ultra seculum gloriantis in malitia & potentis in iniquitate sua turpissimæ Hæreseos mentita pietate & errores disseminandi licentia sacrilege profanatas, Apostolica fortitudine eripuit & Catholicis h. e. Veteri Religioni consignavit. Denique vastissimum Hungariæ Regnum fere totum ex errorum tenebris in lucem veritatis forti manu, & Evangelicorum præconum ac Apostolicorum operariorum indefessa opera felicissime adduxit.

Elucet ex hac panegyri quam apertissime genius Jesuiticus. In eo quidem imponunt publico, quod tot millia animarum ad Ecclesiam Romanam deducta sint, & quod totum fere Regnum Hungariæ ad illius fidem pertractum sit. Cum ut dictum est, fatentibus etiam Clericis Hungaris Catholicis multo minor pars Regnicolarum hodienum Catholicam profiteatur religionem. Ad minimum ex tanto numero qui Religionem Catholicam amplexi sunt, paucissimi certe sunt, qui opera Apostolicorum Præconum conversi sunt, cum tot millia omnino manu forti & quovis coactionis genere inviti ad illud adacti sint. De cetero autem verissima sunt reliqua, quæ perorat. Lutherani Ministri proscripti, Evangelici, qui supererant è Senatu publicisque Magistratibus, quamvis ætate, autoritate & opibus omnino primi essent, amoti sunt; in pluribus locis sancitum est, ne Jus Civitatis ulli deinceps detur, nisi Catholico: vix etiam numerari possunt templa, quæ Evangelicis erepta, & Catholicis consignata sunt. Sed quis hæc fecit, Jesuitæ ipsi & Cardinalis Kollonitschius, aliique Catholici Ecclesiastici, & seculares istorum instinctu & stimulatione indefessa. Injuria fit Sacratissimo Imperatori LEOPOLDO, cum ipsi hæc imputantur. Religiosior erat in servandis pacificationum pactis, reliquisque verbo Regio suo fideque Christiana imo jurisjurandi sacramento roboratis promissis, & legibus Regni suo consensu, suaque autoritate latis manutenendis, quam ut illa omnia violaret. Non erat bilinguis justissimus Imperator, nec vanæ erant ipsius sincerationes, quibus Evangelicos ablegatos Hungariæ coram sæpissime certiores fecit, nunquam fuisse, nec esse, nec fore intentionem suam, ut adimantur ipsis, quæ ipsemet promiserat, clam se fieri, quæ in persecutionem eorum peragantur, perpetuam constantemque voluntatem sibi esse, omnia illa servare, quæ publicis Legibus Religioni ipsorum promis-

ſa eſſent. Quanta ergo impudentia eſt, dum Jeſuitæ propria facta glorioſiſſimo Imperatori impingunt, & in ejus ſimulatas laudes convertunt. Annon Auguſtiſſimus Leopoldus Lutheranis Miniſtris, eorumque Auditoribus libertatem, & ſecuritatem Religionis juramento caverat? Annon tot Articulis Regni pollicitus erat Evangelicos ab officiis publicis non amotum iri, neque quenquam ob diſſidium Religionis, jure Civitatis cœterisque omnibus excluſum iri? Annon ipſemet toties prohibuerat Templa Evangelicis non amplius ereptum, ſed occupata reſtitutum iri. Quis ergo niſi Jeſuita ex his panegyricum Imperatori vel maxime refraganti contexere audet? Quod Lutheranos Miniſtros proſcripſerit, Cives è Senatu publicisque Magiſtratibus amoverit, jus civitatis abjudicaverit & innumera templa eripuerit?

256. Widmanni Jeſuitæ impudentia.

CCLVI. Parili impudentia Jeſuita Concionator Aulicus pater Widmann, defuncto Leopoldo glorioſæ Memoriæ parentans in exequiis, indignante Auguſtiſſimo JOSEPHO & frendente toto Auditorio, perpetravit, ſimilia, & plura talia in encomium convertit Glorioſiſſimi Imperatoris, cujus laudes in rebus vere laudandis ne ſummi quidem Oratores ſatis deprædicare unquam poterunt.

De his quæ in Tranſylvania in cauſa Religionis acta ſunt, adhuc aliquid addendum foret, ſed his vacare per occupationes non licet. Adjecimus tamen Appendici faſciculum ſeparatum de rebus Tranſylvaniæ, ubi etiam documenta nonnulla recentiora, & brevis narratio quædam reperiuntur, quam ob vehementiorem ſtilum, noſtram non facimus.

Quæ durante bello civili in Hungaria nondum exſtincto, in cauſa Religionis geſta ſunt, ignorantur adhuc: incertum ergo eſt, qua ſorte Religio Evangelica finito iſto bello pernicioſiſſimo uſura ſit, quæ omnia ſuo tempore per modum continuationis hujus operis deſcribere operæ pretium eſſet, ſed hoc aliis quibus magis vacat, relinquitur.

F I N I S.

HISTORIA

HISTORIÆ DIPLOMATICÆ
De
STATU RELIGIONIS EVANGELICÆ IN HUNGARIA,
APPENDIX.

Qua continentur Acta Comitiorum Hungaricorum An. 1647. 1649. 1662. 1681. & 1687. integra quoad punctum Religionis Evangelicæ.

Lit. A. Acta Comitiorum anni 1647. quoad punctum de Religione Evangelica, una cum ordine coronationis Ferdinandi IV. in Regem Hungariæ.

Lit. B. Acta Comitiorum de Anno 1649.

Lit. C. Acta Comitiorum Posoniensium de Anno 1662.

Lit. D. Georgii Barzoni, Episcopi Varadiensis, tractatus anno 1671. editus sub rubro: *Veritas toti mundo declarata.* (classicum belli sacri continens.)

Lit. E. Tractatus antehac etiam typis excussus & priori oppositus sub titulo: *Falsitas veritatis toti mundo declarata.*

Lit. F. Extractus Actorum Diætalium anni 1681. in causa religionis: cui inserta est descriptio coronationis Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ in Reginam Hungariæ.

Lit. G. Acta Diætæ Anni 1687.

Lit. A.

Acta Diætæ Posoniensis in negotio Religionis Evangelicæ, primùm ad diem 1. Maji Anni M. DC. XLVI. indictæ, deinde ad diem 24. Aug. Anni ejusdem dilatæ, ac tandem ad diem usq; 17. Junii, Anni M. DC. XLVII. protractæ & continuatæ:

In quibus Actis occurrit quoque Ordo Coronationis FERDINANDI IV. in Regem Hungariæ.

Sacratissimus Princeps ac Dominus,

DOMINUS FERDINANDUS III.

Dei gratiâ,

Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex &c. ad Diætam sive Conventum generalem Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ in Regiam Liberamque Civitatem Posoniensem, primò ad diem 1. Maji indictam, deinde verò propter Imperatricis die 13. Mensis ejusdem subsecutum è vivis excessum, ad diem 24. Aug. prorogatam, die 11. Septembr. Posonium appulit, Regnicolis jam ante ibidem congregatis, adventumque Suæ Majestatis opperientibus, quorum seriem sequentes paginæ exhibent:

Series ac Nomina Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, ad Comitia in Anno 1646. ad diem 24. Augusti Posonium indicta, convocatorum.

PRÆLATI.

ArchiEpiscopus Strigoniensis, Georgius Lippay.
ArchiEpiscopus Colocensis & Bachiensis, Johannnes Telegdij.
Episcopus Agriensis, Georgius Jakusith.
Episcopus Jauriensis, Georgius Draskpuith.
Episcopus Nitriensis, Johannes Piskij.
Episcopus Wespriraiensis, Georgius Szelepchenij.
Episcopus Quinque Ecclesiensis, Georgius Szechenij.
Episcopus Vaciensis, Ladislaus Hossutotij.
Episcopus Varadiensis, Benedictus Kisdij.
Episcopus Chanadiensis, Sigismundus Zongor.
Episcopus Transylvaniensis, Stephanus Smiandij.
Episcopus Sirmiensis.
Episcopus Tiniensis.

PRÆLATORUM ABLEGATI.

ArchiEpiscopi Colocensis, Georgius Telegdij.
Episcopi Vaciensis, Thomas Boberij.
Episcopi Zagrabiensis, Martinus Bogdan, & Nicolaus Dienesevith.

CAPITULORUM.

Strigoniensis,	Stephanus Rohoncij.
	Paulus Hoffmann.
Agriensis,	Joannes Palvalvay, Præpositus Major.
Jauriensis,	Joannes Benij, Abbas de Siklos.
	Georgius Cyriacus, Præpositus Sanctæ Mariæ Virginis de Lipto.
Nitriensis,	Joannes Schinckler.
	Joannes Soosij.
Castri Ferreij.	Franciscus Tolnaij
Posoniensis,	Georgius Rezenij.
	Georgius Suella.
Scepusiensis.	Thomas Boberii.
	Emericus Luther.
Wesprimiensis.	Joannes Zalaji.
Zagrabiensis & Chasmensis.	Martinus Oboreczkij. Nicolaus Diesnesevith.

Simigiensis.
Segniensis.

Præpositurarum.

Strigoniensis.	Stephanus Rohonczy.
Agriensis.	Johannes Palvalvay.
Scepusiensis.	Thomas Bobery.
Jauriensis.	
Veteris Budæ.	
Castri Ferrei.	
Wesprimiensis.	
Albæ Regalis.	Johannes Zalay.
Zagrabiensis.	Martinus Oboreczky.
	Nicolaus Dienesevith.

Conventuum.

De Jaszo.
S. Crucis de Leless.
Beatæ Mariæ Virginis de Thuroch.
S. Benedicti de juxta Gran.
B. Johannis Baptistæ.

Abbatum.

Archi Abbas S. Martini.	
Abbates S. Petri de Tapolcha.	Joannes Palsfalvay.
Trium funtium de Beel.	Johannes Aytay.
S. Laurentii de Pasztovv.	Franciscus Somogoy.
	Johannes Palfalvay.
Szekssardiensis.	Georgius Tegledy.
De Fœdvar.	Nicolaus Posgay.
Pechvaradiensis.	Stephanus Michaly.
S. Andreæ de Wiszegrad.	Paulus Hoffmann.
De Raik.	Ambrosius Husveth.
De Batka.	Petrus de Berkos.

Ordinis S. Pauli Eremitæ.
Domini Generalis Ordinis S. Pauli Eremitæ.

Pater Georgius Petrovvicz.
Pater Paulus Jvanovvicz.

Titulares Præpositi & Abbates è medio Statuum amoti sunt hi:

Præpositus Quinque Ecclesiensis Andreas Pechy.
Præpositus Hontensis.
Præpositus Thuroczensis Jesuitarum Stephanus Rohoncy.
præpositus S. Eustachij de Chuth Georgius Mohacy.
Præpositus S. Stephani de Promotorio Varadiensi Andreas Lonyay.
Præpositus Tiseliensis, Franciscus Barotty.
Abbas de Siklos, Johannes Beny.
Abbas S. Andreæ de Viszegrad, Paulus Hoffmann.
Abbas S. Margarethæ de Bela, Georgius Dosseteczky.
Abbas de Porno Jesuitarum, Paulus Hoffmann.

Baro-

Barones Officiati.

Comes Johannes Draskovith, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, in his autem Comitiis in Palatinum Regni Hungariæ Electus.

Comes Paulus Palffy, Judex Curiæ Regiæ

Comes { Adamus de Battyan, Dapiferorum. / Nicolaus de Zrinio, Agazonum. / Georgius Erdœdy, Cubiculariorum. / Ladislaus Chiaky, Janitorum. / Adamus Forgach, Pincernarum. / Franciscus de Nadasd, Curiæ. / Stephanus Chiaky, Tavernicorum. } Regalium Magistri.

Consiliarii.

Comes { Nicolaus Therzaczky de Frangepanibus. / Casparus Illyeshazy. / Gabriel Erdœdy. / Franciscus Weselyeny Generalis. }

Thomas Mikulich personalis præsentia.
Daniel Ezterhazy.
Ladislaus Barkoczy.
Ladislaus Revay.
Casparus Szunyogh.
Johannes Kery.
Casparus Lippay.
Ladislaus Forgach.
Valentinus Czobor.

Comites.

Petrus à Zrinio.
Dionysius Szechy.
Ladislaus Ezterhazy.
Nicolaus Palffy.
Ladislaus Rakoczy.
Nicolaus Erdœdy.
Thomas Erdœdy.
Simon Erdœdy.
Casparus Draskovith.
Wolffgangus Erdœdy.
Nicolaus Erdœdi Junior.
Gabriel Jllyeshazy.

Magnates.

Georgius Priny.
Franciscus Forgach.
Franciscus Revay.
Emericus Czobor.
Simon Balassa.
Adamus Karoly.
Franciscus Priny.
Christophorus Gyulassy.
Johannes Listius.
Franciscus Keglevith.
Petrus Keglevith.
Sigismundus Keglevith.
Stephanus Keglevith.
Ludovicus Nyary.
Johannes Pongracz.
Daniel Pongracz.
Wolffgangus Eszterhazy.
Sigismundus Zay.
Ladislaus Zay.
Stephanus Forgach.
Georgius Forgach.
Ladislaus Listius.
Stephanus Revay.
Andreas Revay.
Nicolaus Malakoczy.
Johannes Jakusith.
Gabriel Horvath de Palocza,
Nicolaus Osztrozith, Custos Coronæ.
Paulus Osztrosith.
Michael Vizkelethy.
Leonardus Amade, mortuus sub Diæta.
Franciscus Eszterhazy.
Emericus Priny.
Georgius Majteny.
Christophorus Ferdinandus à Kolonicz.
Nicolaus Ratkay.
Petrus Melith de Briber.
Georgius Melith de Briber.
Nicolaus Malakoczy, Junior.
Franciscus Horvath de Vegla.
Sigismundus Horvath de Vegla.
Johannes Amade.
Franciscus Pograny.
Franciscus Sennyey.
Adamus Ghiraky.
Michael Konsky.
Nicolaus Joo.
Stephanus Kohary.
Franciscus Czikulin.
Stephanus Petœ de Gerzè.
Sigismundus Petœ de Gerzè.
Johannes Petœ de eadem.
Honorius Ludovicus à Rottal.
Adamus Viczay.
Johannes à Rottal.

JUDICES & ASSESSORES Tabulæ Regiæ.

Dominus Thomas Mikulich, personalis præsentia, sedet in capite Mensæ, cui assident ad latus mensæ.

Dextrum.

Prælatus. Benedictus Kisdij
Baro. Adamus Czirakij.
Assessores Dn. ArchiEpiscopi Strigoniensis, { Stephanus Rohoncij. Michael Majtenij.
Assessores jurati. { Balthazar Egresdij. Stephanus Morocz. Andreas Uyfalusij.

Sinistrum.

Vice-Palatinus, Stephanus Ordodij.
Vice-Judex Curiæ, Ladislaus Keresztурij.
Proto-Notarius Palatinalis, Stephanus Assalaij.
Proto-Notarius Judicii Curiæ, Georgius Barna.
Proto-Notarii Personales præsentiæ, Stephanus Baras.
Andreas Kerekes.
Assessor Juratus, Franciscus Nagy Michalij.

ABLEGATI Principis Transylvaniæ.

Georgius Chernely de Chernelyhaza.
Paulus de Zemere.
Andreas Klobucziczkij.

Magnatum Absentium.

Comitis Stephani Bettlen.
Paulus Pongracz.
Nicolaus Janchovvith.
Comitis Stephani Chiakij
Laurentius Fekete.
Stephanus Meray, Secretarius.
Comitis Gabrielis Erdœdij.
Leonhardus Lindamarij.
Comitis Gabrielis Illyeshazij.
Joannes Ilavaij Notarius.
Comitatus Barsiensis.
Sigismundi Lonyaij.
Stephanus Lœveij.
Nicolaus Apagij
Francisci Zaij.
Johannes Raymannus.
Bernhardi Nyarij.
Georgius Janchovith.
Franciscus Koronthalij.
Kaspari Szünyogh.
Andreas Krusper.
Stephani Tœkœly.
Sigismundus Feigelij.
Casparus Kœsseghij.
Stephani Kun.
Joannes Mandy.
Joannes Morvaij.
Sigismundi Johannis Balassa.
Andreas Draskoczij.
Franciscus Iglo.
Sigismundi Prenij.
Fabianus Farkas.
Petri Melitho.
Laurentius Zatureczkij.
Stephani Bochkaij.
Andreas Zeckelij.
Petri Ratkaij.
Martinus Zupanich.
Stephani & Sigismundi Paloczaij.
Matthias Nomessanij.
Stephani Revaij.
Johannes Zatureczkij.
Sigismundi Dochij.
Nicolaus Maleykovich.
Ladislai Dochij.
Matthæus Jaszenskij.
Melchioris Dochij.
Johannes Benchihc.
Nicolaus Dolinaij.
Valentini Balassa.
Petrus Krih.
Sigismundi Megyerij.
Franciscus Zegedij.

Reli-

Relictarum Viduarum.

Relictæ Comitis Johannis Drugeth de Homonna.
Nicolaus Sandor.
Andreas Uyfalusy.
Mosis Szunyogh.
Franciscus Zennyey.
Emerici Balassa.
Casparus Baranyay.
Georgius Rassay.
Pauli Ratkay.
Michael Janchocz.
Johannis Christophori Listy.
Caspar Lanzer.
Michael Chitary.
Andreæ Balassa.
Georgius Benjovvsky.
Sigismundi Forgach.
Sigismundus Tœrœk.
Nicolai Forgach.
Idem
Johannis Palffy.
Franciscus Bornemissa.
Stephani Balogh.
Michael Meytheny.
Michaelis Dochy.
Nicolaus Malejkovvicz.
Blasij Apponij.
Johannes Rakicza.
Pauli Eszterhaz.
Nicolaus Pazmany.
Franciscus Zatureczky.
Stephani Hedervary.
Andreas Kerekes.
Pauli Revay.
Franciscus Zatureczky.
Samuel Mikootny.
Caspari Konsky.
Johannes Thornay.
Michaelis Thurzo.
Franciscus Turansky.
Wolffgangi Erdœdy.
Michaelis Karoly.
Nicolai Keglevith.
Johannis Pograny.
Georgii Pograny.
Michaelis Czobor.

Comitatuum.

Wesprimensis.
Stephanus Daras, Proto-Notarius.
Franciscus Botka.
Simigiensis & Zaladiensis.
Franciscus Per[illegible]essy.
Stephanus Bes[illegible]enyey.
Castri Ferrey.
Balthasar Nadasdy.
Franciscus Kaldy.
Sopronensis.
dictus Stephanus Daras.
Stephanus Kisfaludy.
Mosoniensis.
Melchior Kerekes.
Jauriensis.
Petrus Benkovvicz.
Joannes Szeghy, Vice-Comes.
Comaroniensis.
Casparus Jarffas, Vice-Comes.
Johannes Pestii, Notarius.
Pest Pilis & Sold.
Johannes Batick, Vice-Comes.
Nicolaus Darogffy.
Posoniensis.
Stephanus Morocz, Vice-Comes.
Andreas Kerekes, Proto-Notarius.
Nitriensis.
Ladislaus Keresztury Vice-Comes.
Balthazar Egresdy.
Barsiensis.
Sigismundus Tœrek, Vice-Comes.
Georgius Emœdy.
Hontensis.
Paulus Palasty, Vice-Comes.
Casparus Bartakovvicz.
Neogradensis.
Andreas Raday, Vice-Comes.
Johannes Madach, Notarius.
Zoliensis.
Petrus Zolnay.
Casparus Gyerky.
Andreas Dubecius.
Liptoviensis.
Petrus Pongracz, Vice-Comes.
Raphaël Szent Jvany.
Petrus Szerechiani.
Johannes & Franciscus Kubiny.
Thomas Farkas.
Arvensis.
Georgius Zmeskal.
Casparus Abaffy.
Johannes Koniczky.
Turocensis.
Georgius Draskoczy, Notarius.
Gabriel Beniczky.
Scepusiensis.
Johannes Mariasy.
Georgius Horansky.
Tornensis.
Andreas Horvath, Notarius.
Abauyvarensis.
Georgius Barna.
Petrus Hamvay.
Zemplinsis.
Petrus Sirmay, Vice-Comes.
Jacobus Tuzay.
Borsodiensis.
Andreas Zakany.
Stephanus Aszalay.

Gœmœ-

Gœmœrienſis.
Johannes Jvvocz, Aſſeſſor.
Stephanus Dœrij, Notarius.
De Ungh.
Ladiſlaus Gœhœckzy
De Beregh.
Georgius Komloſy.
Ugocza.
Chriſtophorus Fejerpataky.
Zatmarienſis.
Franciſcus Zilagyi, Vice-Comes.
Stephanus Bornemiſſa.
Zabolchenſis & exterioris Zolnock.
Georgius Nyakas, Vice-Comes,
Heveſienſis.
Stephanus Wamoſſi, Vice-Comes.
Strigonienſis.
Franciſcus Szazady.
Stephanus Joſa.
Stephanus Soos.
Paulus Kœmœdy
Trenchinſis.
Stephanus Ordody.
Jonas Mednjansky.
Saroſienſis.
Stephanus Devenny.
Ludovicus Melczer.

Liberarum ac Montanarum Civitatum.

Caſſovienſis.
Stephanus Pattantyus.
Nicolaus Soporny, Notarius.
Poſonienſis.
Martinus Schœdl.
Nicolaus Hromada.
Epperies.
Jacobus Quæſtoris.
Johannes Klein.
Johannes Seredy.
Leuchovienſis.
Matthias Goznovicer.
David Gnerſich.
Joſephus Alauda.
Bartphenſis.
Leonhard Huldreich.
Abraham Chriſtiani.
Jacobus Klœcz.
Cibinienſis.
Thomas Holczer.
Andreas Kaſſo.
Tyrnavienſis.
Johannes Pexa.
Johannes Kis.
Paulus Santa,
Nicolaus Bellaſy.
Johannes Künigh.
Sopronienſis.
Stephanus Vitnedy.
Georgius Grad.
Jacobus Steiner.
Jacobus Andreas Breiningh.
Fekete Schwartz.

Zakolczenſis.
Michaël Bogatti.
Petrus Vaſarhely.
Johannes Rakolubsky.
Andreas Ribensky.
Carponenſis.
Johannes Kuſztra.
Gabriel Podmaniczky.
Trenchinienſis.
Michael Sujansky.
Paulus Tekency.
Georgius Melko.
Novizolienſis.
Fridericus Grebner.
Elias Zaladinus.
Nagy Banya.
Albertus Nagy.
Stephanus Petri.
Kremniczenſis.
David Zaladinus.
Schemnicenſis.
Julius à Lanſe.
Vetuzolienſis.
Johannes Zemberi.
Stephanus Alberti.
Andreas Huditius.
Modrenſis.
Valentinus Veres.
Johannes Kempius.
Johannes Martius.
Samuel Schreiber.
Bozinienſis,
Johannes Wieſer.
Johannes Chernack.
Szent Gyorgy.
Nicolaus Vaczy.
Chriſtophorus Fiſcher.
Stephanus Moticzka.
{ Bakabanienſis Lubetbanienſis.
{ Belobanienſis Regiomontanæ.
Andreas Rozenavver.

Regnorum Croatiæ & Sclavoniæ.

Johannes Zakmardy.
Thomas Malenich.
Caſparus Orehoczy.

Civitatum Sclavonicarum.

Varasdienſis.
Georgius Zambar.
Nicolaus Modrich.
Zagrabienſis,
Martinus Zupanich.
Petrus Ratkay.
Criſienſis,
Johannes Zakmardy.
Segnienſis,
Idem
Caproncenſis.
Georgius Zambar.

Ab

AB adventu Imperatoriæ Regiæq; Majestatis ad diem usque 19. Septembris nihil publicè actum. Die autem jam dicto 19. prima congregatio generalis in domo Regni habita, in qua Domino Personali cum aliis nonnullis Negotiorum Diætæ ab electione Palatini initium facere adnitentibus- vicit pars alia, quæ à propositione Suæ Majestatis, velut omnium Negotiorum Diætalium, adeoque ipsius etiam electionis Palatinalis capite & fundamento, initium fieri debere contendebat, conclusumque, ut eadem propositio Suæ Majestatis expectaretur, ac si opus fuerit, etiam expeteretur à sua Majestate.

Quæ quidem propositio per suam Majestatem Regnicolis universis ad Arcem convocatis die 22. Septembr. exhibita, horis pomeridianis in domo Regni ad calamum dictata sequentis est tenoris.

Propositio Suæ Majestatis exhibita die 22. Septembris Anno 1646.

NOtum esse ac perspectum fidelibus Statibus ac Ordinibus hujus Regni Hungariæ, non ambigit sua Majestas Cæsar. & Regia, non stetisse penes Eam tantam celebrandorum Comitiorum dilationem, quæ non modò sæpius ac magnopere desiderasset fidelibus Regnicolis præsentiam suam exhibere, eorum necessitates ac difficultates percipere, ac de salute Patriæ florentique Statu unà cum ipsis in commune consulere, quin etiam publicam indicere Diætam, Statusque in unum congregare non prætermisisset. Verum arduis iterum & inevitabilibus difficultatibus intervenientibus, & curis ac bellorum fluctibus, quibus Christianam Rempublicam graviter laborasse palam est, orbi universo, secutis mox etiam intestinis motibus, quibus hoc Regnum agitari contigit, in eo salutari conatu impeditam fuisse ac retardatam.

Quanto verò affectu & amore hoc suum Regnum Hungariæ & Nationem Majestas Sua semper prosequuta fuerit, vel ex eo innotuisse, quod omne studium & conatum adhibere dignata fuerit, quo pacto excitata flamma restingueretur, neque ad interitum patriam depasceretur, maluit periculoso vulneri paterna manu, & suavioribus lenimentis, quam alio quovis modo asperiori mederi, qua demum pace divino beneficio conclusâ & constitutâ, acceleravit etiam Sua Majestas Comitia clementer indicere ac promulgare, ad reducendum omnino & stabiliendum in hoc Regno quietis optatæque tranquillitatis Statum, exoptans benignè Status & Ordines, impenseque desiderans, ut concitatos præteritis motibus animos, seu quovis alio modo in transversum actos affectus penitus abolere, mutuâ sese charitate animorumque unione complecti, ac sepositis quibusvis privatis studiis, uno corde & pari conatu iis decernendis ac statuendis incumbere velint, quæ saluti propriæ, afflictæ Patriæ permansioni, bonæque Reipublicæ constitutioni maximè congrua & opportuna videbuntur.

Porrò cum salutem & permansionem Regni hujus Hungariæ, Antemuralis utpote Christianitatis, à bona constitutione confiniorum dependere, in eaque sitam esse constet, paternè requirit ac desiderat, Sua Majestas, præcipuum conatum ac studium eò intendant ac dirigant Regnicolæ, ut afflicto & pene prostrato Confiniorũ Statui erigendo & conservando etiam de proprio succurrant, memores quid non sua Majestas, Majoresque Domûs suæ Augustissimæ, Provinciæ itidem Hæreditariæ ac Regna, ipsumque Sacrum Romanum Imperium, melioribus temporibus pro eorundem confiniorum, atque adeò Regni hujus defensione præstiterint, quantam expensarum molem profuderint, quantum sanguinis sparserint, non parcentes vitæ ac fortunarum suarum dispendio pro ejus conservatione, id ipsum deinceps quoque pari affectu & promptitudine reassumere & facere parati, ubi primum, discussis nonnihil modernis fluctibus, quies aliqua ac tranquillitas eisdem affulserit; Quod etiam Dei benignitate brevi futurum confidit Sua Majestas.

Nunc verò devastatis tot belli calamitatibus Oppidis & Urbibus, hominibus rebusque consumptis, nec minus Hæreditariis Provinciis præter gravissimas contributiones, militumque condescensiones, etiam ab hostibus non parva ex parte occupatis, ærario demum suæ Majestatis nimium attenuato, eò res devenit, ut quod ejus facultatum ac sumptuum acerbitas temporis reliquum fecit, in sui defensionem adversus hostes in ipsis visceribus Imperii grassantes convertere, & in propriam veluti cordis aut capitis tuitionem conferre habeat necesse, tantisper ergo de proprio Status & Ordines subvenire, salutique Reipublicæ consulere, neque pro dulcissima Patria rebus ac fortunis suis parcere velint, pro qua sanguinem & vitam prodigere esse consueverint, paratissimi, non intermissura interim sua Majestas, quicquid ex tantis necessitatibus decerpere, Hæreditariarum Provinciarum censu elicere, signanter autem etiam ex proventibus hujus Regni, quàm fieri poterit, liberalissimè providere.

Ad quas quidem Confiniorum necessitates non ambigit sua Majestas, ipsos primùm quidem exactionem mediæ Tricesimæ continuaturos; Deinde ultrà solutionem ac stipendium etiam de Annona utriusque Ordinis militibus subventuros. Siquidem hæc Regio Dei benedictione victualium dignoscitur esse feracissima. Et quia experimento proprio compertum est, quàm exiguum ac tenue sit illud minimeque sufficiens, quod misera plebs & Porta conferre & contribuere valent, potissimum his disturbiorum temporibus multum attrita, Status & Ordines de proprio confiniis succurrere, aliosque modos exquisitos & aptos juvandi ex parte sua invenire & excogitare laborent.

Illud etiam afflicto Confiniorum Statui officit plurimùm, quod passim non tam apud subditos, quàm ipsos perceptores, Dicatores, similesque Comitatuum Officiales multum restantiarum hærere perhibeatur, quin & in proprios usus converti, de quibus inquisitionem exactam fieri, debita exigi, rationesque commodius deinceps, more antiquitus consueto, Cameræ committi, prout non minus etiam de gratuitis laboribus oportere existimaret.

Constituto & in meliorem Ordinem redacto Confiniorum statu ac solutione, id quoque Regnicolis utilitatis emergeret, ut nec Turca novos semper & alios pagos occupando ulterius serperet, Regnumque sensim usurparet, nec ab ipsis Confiniariis fame ac nuditate pene confectis misera plebs continuis afflictionibus vexaretur, sed in meliorem quietis ac tranquillitatis statum Regnum effloresceret universum.

Non defuissent alia quoque complura, quæ ex parte suæ Majestatis fidelibus Statibus & Ordinibus proponenda meritò censeri potuissent, noluit tamen Majestas sua Cæsarea & Regia eosdem ad præsens aliis præter hæc publicum & commune Regni bonum, ipsorumque omnium salutem ac permansionem concernentibus onerare, benignè confidens fore, ut in iis, tanquam amatores Patriæ & optimos Cives decet, quam maximè necessariam & salutarem deliberationem instituant, opemque suam & operam libenter & ardentissimis animis conferant.

In reliquo Majestas Sua Cæsarea Regiaque fidelibus Regni Statibus & Ordinibus, conjunctim omnibus & cuique seorsim gratiam suam, & propensum voluntatitis affectum clementissimè offert.

Acceptâ propositione Suæ Majestatis in Congregatione generali proximè sequenti, die videlicet 25. Septemb. habita, licet Principis Transylvaniæ Comitatuumque imprimis Regni partium superiorum ablegati vehementer urserint, Diploma suæ Majestatis ante electionem Palatini confirmandum esse, utpote cujus rei gratia præsens Diæta potissimum indicta fuisset, eo tamen non obstante electio Palatini eod. die 25. Septembr. peracta honorque iste amplissimus Illustrissimo Comiti, Domino Joanni Draskovith, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Bano, centum & viginti suffragiis Regnicolarum delatus est.

Ab Electione Palatini inter Status Cath. & Evang. in Congregationibus Generalibus diebus 26. & 27. Septembr. habitis, acriter quidem, attamen sine fructu disputatum, Dominis Catholicis ab electione Palatini ad compilationem gravaminum more antiquitus recepto progrediendum, Evangelicis autem Religionis negotium prius componendum, Diplomaque suæ Majestatis confirmandum, eumque in finem paria ejusdem Diplomatis à sua Majestate postulanda esse contendentibus; cumque Principis Ablegati sibi, etiamsi decennio huic negotio immorandum esset, à sententia recedere integrum non esse asserent, re infectâ discessum, sequentique triduo nulla congregatio habita, donec tandem die 1. Octobr. sua Majestas concertationis Regnicolarum haud ignara, Regnicolis in Domo viridi congregatis per Dominos Comites à Kevenhiller, & Dominum Prikelmaix suâ sponte motuque proprio misit sequentia paria Diplomatum.

Die 1. Octobr. horâ 2. pomeridianâ dictatæ sunt ad Calamum continentiæ Diplomatum suæ Majestatis & Principis Transylvaniæ sequentis tenoris.

Paria Diplomatis Suæ Majestatis publica Regni negotia concernentis.

NOs FERDINANDUS III. Dei gratia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Comes Habspurgi, Tirolis & Goritiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod cum superioribus proximè elapsis temporibus certi motus intestini & hostilitates in Regno nostrò Hungarico exortæ fuissent, exindeque pax & tranquillitas Regnique quies perturbata extitisset, Nos paterna & benignâ affectione moti, ejusmodi suscitatos tumultus, ut Christiani sanguinis effusioni parceretur, sublatisque quibusvis dissidiis, indigenæ quiete & tranquillitate perfruerentur, placidioribus potius transactionis mediis, quam armorum vi sopitos & compositos esse cupientes, ad postulata & prætensiones Illustrissimi Georgii Rakoczi, Principis Transylvaniæ, quarundam partium Regni Hungariæ Domini, & Siculorum Comitis, ac eidem adhærentium Hungarorum Nos clementer declaravimus. Quarum etiam benignarum concessionum nostrarum series (quemadmodum tam in Tractatu Tyrnaviensi, quam etiam ultimate medio Ablegati ad præfatum Principem Transylvaniæ, fidelis Nostri Egregii Joannis Tœrœs, aliàs Cameræ nostræ Hungaricæ Consiliarii, conventum est) sequitur in hunc modum:

Primò, quantum ad negotium Religionis attinet, Artic. 1. Anni 1608. ante coronationem edito & Diplomatum Regiorum conditione 6. aliisque subsequentibus superinde Regno Statutis in vigore relictis, diversisque hactenus impedimentis & interpretationibus non obstantibus, declaratum & conclusum est. Quod omnes Status & Ordines Regni, ipsæque liberæ Civitates, nec non oppida privilegiata & milites Hungarici in confiniis Regni liberum habeant ubique suæ Religionis exercitium, cum libero templorum, campanarum, & Sepulturæ usu, nec quisquam in libero suæ Religionis exercitio à quoquam quovis modo, aut quovis sub prætextu turbetur aut impediatur.

Secundò de non impediendis seu turbandis rusticis in sua confessione, declaratum & conclusum est, ut illi quoque propter bonum pacis & tranquillitatis Regni, sive sint confiniarii, sive oppidani, sive villani, in quorumcunque Dominorum Terrestrium & Fisci bonis, juxta vigorem præscripti Articuli & conditionis, in libero suæ Religionis exercitio ac usu, modoque, ut supra, simili à sua Majestate vel ejusdem Ministris, aut Dominis suis Terrestribus, quovis modo aut quovis sub prætextu non turbentur aut impediantur, hactenus autem impediti, coacti & turbati, liberum ipsorum Religionis usum reassumere, exercere, & continuare permittantur, neque ad alias Religioni ipsorum contrarias ceremonias peragendas compellantur.

Ter-

Tertio concordatum etiam est inter Nos, ut imposterum ab eorundem Oppidanorum & Villanorum Parochiis, Ecclesiæ Pastores sive Concionatores per quoscunque amoveri & exturbari neutiquam possint, qui autem hactenus amoti fuissent, liceat ipsis reducere, vel alios loco ipsorum substituere.

Quartò, Quæstiones verò circa Gravamina negotium Religionis & occupationis Templorum concernentes, tam quæ in Anno 1638. Suæ Majestati exhibita sunt, quam post subsecuta in futura primitus celebranda Diæta, propter Regni tranquilliorem permansionem & unionem animorum, ut vel amicabili Dominorum Regnicolarum compositione sopiantur, vel authoritate suæ Majestatis finaliter complanentur cum satisfactione Evangelicorum, ac pro quibus usus Templorum determinabitur, proventus Parochiarum quoque ad eos pertineant, nec ultra occupationes Templorum fiant: Ea autem Templa, quæ hoc disturbiorum tempore violenter utrinque occupata fuerunt, statim post permutationem, Diplomatum prædictis Evangel. restituantur, prout etiam Catholicis. Gravamina futuris quoq; temporibus in eodem negotio Religionis emergentia tam Catholicorum, quam Evangelicæ Confess. hominum, etiam alia gravamina Regnicolarum tam Evangelicorum quam Catholicorum, secundum septendecim conditiones sua Majestas singulis Diætis plenariè complanabit, absque injuria Evangelicorum.

Quintò, Accordatum quoque, ut vel Sua Majestas contra Transgressores Statutorum etiam in negotio Religionis in futura Diæta vel Articulum octavum Decreti Sexti Wladislai Regis renovandum & observandum curabit, vel etiam condignam pœnam cum certo executore statuere dignabitur.

Sextò, Præmissa autem omnia pro uberiori declaratione Statutorum, tollendisque ulterioribus Regnicolarum dissensionibus, ut in primitùs celebrandâ Diæta confirmentur, publicisque Regni statutis inserantur, conclusum est.

Septimò, Cœtera sub hac pacificatione utrinque agitata & tractata, utpote sedis spiritualis, status, Patrum Jesuitarum personalis à Regno abstinentia, Decreti Andreæ Secundi per Ludovicum primum facta confirmatio, de Arendationibus Decimarum Articuli 61. Anni 1548. renovatio & cum effectu observatio, de non abalienationibus bonorum aviticorum per Ecclesiasticos sive seculares factis vel fiendis, de personarum ad Diætam convocari solitarum discretione, atque vocum in eadem Diæta collectione & suffragiorum examine, de Militis extranei juxta Articulum 24. Anni 1525. è Regno eductione, similiter de non eductione Militum Hungaricorum de confiniis Regni, de distributionibus honorum & officiorum Regni Majorum vel minorum, sine Religionis discretione, de administratione Juris & communis Justitiæ, nec non omnium Tractatuum ratione Hungariæ, cum Turcis vel aliis quibusvis vicinis nationibus per nativos Hungaros seculares institutione, ac aliis etiam omnibus Libertates Patriæ atque defensionem & conservationem Regni & Regnicolarum concernentibus negotiis, ut primis statim Comitiis aliquid certi de iis statuatur, vel jam statuta ibidem de facto effectuentur, simili modo conclusum est.

Octavò, Eandem autem Generalem Regni Diætam, ut sua sacratissima Cæsarea & Regia Majestas, intra spatium trimestre à die finiti præsentis Tractatus & commutandorum Diplomatum, sedatis Tumultibus cum Principe Transylvaniæ clementer promulgare, & sine ulteriori dilatione seu rejectione ita celebrari facere dignabitur, ut cum omnibus ad Diætam Regni juxta Artic. 1. Anni. 1608. post coronationem editum vocari solitis, tutè ibidem comparendi & agendi potestas, cum solita ab antiquo libertate Diætæ fiat. In qua etiam cœteri Articuli bonum Regni concernentes, hactenus non effectuati, juxta Articulum 72. Anni 1638. realiter effectuentur & observentur.

Nonò, Amnistiam generalem omnibus & singulis Regnicolis sua Majestas sacratissima, juxta formam Amnistiæ prioris Pacificationis Viennensis concedere dignabitur ita, ut etiam Bona universa & Jura possessionaria, sub his disturbiorum temporibus, per suam Majestatem vel Dominum Palatinum Regni vel alios quibuscunque donata, collata & inscripta, vel quoscunque fideles suæ Majestatis quovis modo occupata & adempta, prioribus possessoribus, vel eorundem Hæredibus statim & de facto remittantur & restituantur. Similiter etiam ex parte Regnicolarum supplicantium reddantur. Et super hujusmodi Amnistia peculiare Diploma sua Majestas sacratissima concedere dignabitur.

Nos itaque præscriptas universas & singulas Concessiones & Articulos, ac omnia & singula in eis contenta, prout iidem tractati conclusique sunt, atque hisce literis nostris de verbo ad verbum inserti, acceptamus, approbamus, & ratificamus, assecurantes præfatos, Principem Transylvaniæ, eique adhærentes ac etiam universos & singulos Status & Ordines Inclyti Regni nostri Hungariæ in verbo nostro Regio & bona fide Christiana, quòd eos omnes & singulos Articulos in omnibus eorum punctis & clausulis tam nos ipsi sanctè & inviolabiliter observabimus, qaam etiam per alios omnes subditos nostros, quorum interest vel intererit, cujuscunque status & conditionis sint, observari faciemus. Ad quod observandum etiam Successores nostros, legitimos scilicet Hungariæ Reges obligatos esse volumus: Harum nostrarum manus nostræ subscriptione roboratarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum in Arce nostra Lincensi Austriæ superioris die 16. mensis Decemb. Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani nono, Hungariæ & reliquorum vigesimo, Bohemiæ verò Anno Decimo Octavo.

Concordat cum originali

GEORGIUS SZELEPCHENY
Electus Episcopus Wesprimiensis.
GEORGIUS OROSI.

Coeterum quoniam post prælectionem præmissorum Diplomatum, discessumque

Ablegatorum suæ Majestatis, Dominus ArchiEpiscopus Strigoniensis suo, Clerique universi nomine, cumque sequuti nonnulli Seculares Magnates Catholici, Diplomati, quatenus idem Religionis negotium concerneret, publicè contradixerant, novam id ansam disputandi Evangelicis præbuit, ubi Evangelici quidem urgebant, ut illi, qui publicè contradicere ausi fuissent, publicè itidem eidem suæ contradictioni renunciarent, id quod à Dominis Secularibus contradicentibus obtineri fortè potuisset; Verum ArchiEpiscopus cum Clero aliam sui hac in parte rationem esse dicentes, obstinatè detrectabant. Tandem ig. mediantibus Suæ Majestatis Consiliariis intimis eò utrinque condescensum, ut ratione abolendæ contradictionis Articulis Diætalibus sequens formula (quæ die 22. Octobr. in domo Regni prælecta fuit) insereretur. *Contradictionibus Dominorum, Cleri & aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus*, Diploma Regium per universos Status & Ordines Regni acceptatur, approbatur & confirmatur.

Quia verò puncto ejusdem Diplomatis quarto conclusum fuit, ut Templa disturbiorum tempore utrinque occupata statim post permutationem Diplomatum restituerentur; in Exemptione autem Commissariorum per suam Majestatem ad id deputatorum & exmissorum, multi defectus deprehenderentur; idcircò conveniens & necessarium esse ajebant Evangelici, ut ad defectus illos rectificandos alii commissarii ex utriusque religionis statibus pari numero, cumque pleniori & ex consensu Statuum Evangelicorum concipiendâ instructione expedirentur. Quorum desideriis posteaquam hac in parte satisfactum fuisset, (uti ex paribus Instructionalium & relationum sub finem horum actorum appositis, Num. 1. videre est) de modo ulterius tractandi, ejusdemque puncti quarti vigore per viam amicabilis compositionis Gravamina Religionis complanandi disputatum fuit ad finem usque mensis Octobr. Et licet Domini Catholici oretenus per certos Deputatos agere maluissent, tamen Evangelicorum, qui scriptotenus felicius & expeditius agi posse solidis demonstrabant argumentis, sententiâ prævalente die 2. Novembr. sequens Evangelicorum scriptum Domino Personali præsentiæ exhibitum fuit.

Postulatum Status Evangelici ratione quarti puncti Diplomatis Statui Catholico exhibitum 2. Novembr.

Miserabilis Regni Hungarorum sors vix satis deplorari poterit, utpote quod olim inter reliqua Christiani Imperii Regna florentissimum habitum est, hodie totum fere discerptum concipiatur & laceratum, quodque antehac ad admirationem aliorum cœteras gentes Imperio suo subjicere & debellare solebat, jam modo Turcarum immanium nominis Christiani hostium prædæ expositum patet. Cujus mali causas si nostro seculo altius repetere liceat, inter reliquas principem obtinebit locum Religionis turbatio: ex hac enim solâ interna orta sunt dissidia & bella civilia, quæ si per conservatum liberum Religionis usum aversa fuissent, tam deformem Hungarorum tot vulneribus lacerata, & plus quam dimidia parte virium detracta miseriis & macie perempta speciem, qualem hodie cernimus, non videremus, neque infelices & attriti populi reliquias tot annorum cladibus exhaustas, & ad tantas rei familiaris angustias, tantamque rei inopiam redactas cum lachrymis contemplaremur. Ac quamvis Status Evangelicus in advertendis hisce intestinis malis, solerter ac cum suspiriis desudando, sæpius & sedulò apud Statum Catholicum institisset, & juxta Pacificationis Viennensis Articulum 1. item Articulum 1. Anni 1608. ante coronationem, aliosque passim in Constitutionibus Regni superinde extantes, & conditionem 6. Diplomatum Regiorum, liberum, illæsum & illibatum Religionis Evangelicæ relinqueretur Exercitium, nec quivis cujuscunque conditionis existens in libero ejusdē usu à quovis quovis modo, aut quovis sub prætextu turbaretur & impediretur, hac tamen querulosâ sua instantiâ quid aliud nisi repulsam, & quandoque simplices duntaxat oblationes obtinuit? quarum contrarii effectus per subsecutas, (vix solutâ Anni 1638. Diætâ) novas templorum occupationes non exiguam materiam nuper extincto igni ad concipiendam flammam præbuit.

Quæ omnia sapienter & planè paternè sua Majestas, Dominus Dominus noster Clementissimus etiam pensitando, postquam præteritos motus ob impeditum Religionis Evangelicæ Exercitium in visceribus Regni exortos esse clementer animadvertisset, stabilito per salutaria puncta Diplomatis sui Regii, jam per universos Status & Ordines Regni confirmati & acceptati; Religionis ejusdem libero usu, motus eosdem propriâ & paterna sollicitudine sopivit, ac pacem & concordiam summis votis desideratam postliminio benignè reduxit.

Quia verò vi Diplomatis ejusdem quæstiones circa gravamina occupationes Templorum concernentia, tam quæ in Anno 1638. essent exhibita, quàm etiam post subsecuta propter Regni tranquilliorem permansionem, primùm amicabili compositione inter Regnicolas sopiendæ essent. Nihil quicquam ex parte sua Status Evangelicus Diplomati ejusdem Majestatis Suæ sacratissimæ Regio desideratum esse vellet, ac proinde circa negotium idem ita mentem suam explicaret, ut videlicet universa Templa ab Anno 1608. ab Evangelicis per Dominos Clerum, vel alios quosvis Seculares Catholicos quovis tempore & ubicunque ac in quibuslibet partibus Regni Hungariæ occupata, & qualitercunque ademta, unà cum Parochiis, Scholis & aliis requisitis, bonis, ac possessionibus earundem proventibus quartis, quintis, octavis, sedecimis, & id genus quibusvis aliis emolumentis, ad easdem antehac spectantibus, iisdem Evangelicis, publico Regni superindecondendo statuto, simpliciter & de plano ac cum reali executione redderentur,

Nec abs re quidem Status Evangelicus hoc ipsum postularet. Cum enim occupationes eorundem Templorum contra constitutiones Regni præscriptas & Diplomata Regia factæ essent, super-

superindeque semper per eundem statum Evangelicum conquestum extitisset, neque alia Templa, verum duntaxat ea, quæ ab Evangelicis occupata fuissent, restitui postularetur. Rectè omninò factum existimabitur, si propter averruncandas animorum dissensiones, extremam ruinam Regni secum trahentes, per statum Catholicum huic justo & super Diplomate Regio fundato postulato Evangelicorum satisfactum fuerit: hoc modo inter regnicolas facta animorum reconciliatio toti Regno saluti fiet. Et quemadmodum idem, per dissidia interna ob turbatam Religionem, & occupata Templa, ad extremum ferè discrimen est redactum: ita per hanc concordiam non solum labans ejus fortuna sustinebitur, verum de erigendo etiam statu ejusdem afflicto spes certa esse poterit. Ad quod quidem postulatum qualemnam Status Catholicus considerationem haberet, eandem Status Evangelicus prout intelligere vellet, ita etiam expectaret.

Ad concipiendum scriptum hoc sequentes Deputati sunt:

Dominus
- Paulus Osztrozith.
- Paulus Kisfalvay.
- Jonas Mednyansky.
- Balthasar Egresdy.
- Franciscus Tœrœk.
- Stephanus Vittnedy.
- Paulus Szemere.
- Andreas Klobucziczky.
- Georgius Barna.
- Andreas Zakany.
- Johannes Sirmay.
- Johannes Mariasy.

Ad quod scriptum Evangelicorum Dominis Catholicis respondere differentibus, Status Evangelici sequentem Libellum Suæ Majestati exhibendum conceperant.

Paria conceptæ supplicationis, quam Status Evangelici in facto contradictionis Diplomatum Regiorum contra Statum Romano-Catholicum, si in eo negotio concordatum non fuisset, Suæ Sacræ Majestati humiliter repræsentare intendebant:

Sacratissime Imperator, Domine Domine nobis Clementissime,

QUòd Majestas Vestra Sacratissima, tanquam Pater indulgentissimus satagens antevertere Regni istius conquassati ultimam ferè ruinam, dignata sit clementer, non solùm nuperos intestinos motus Regno in eodem exortos pro paterna cura & sollicitudine componere; sed & pacis conclusæ Diplomata Statibus & Ordinibus Regni repræsentari, ac eosdem omnes & universos ad colendam mutuam animorum unionem, confirmandaq; & observanda eadem Diplomata Sua Regia, medio Excellentissimi ac Illustrissimorum Dominorum, Comitis à Kevenhiller & Doctoris Prickelmair, intimorum & secretorum suorum Consiliariorum admoneri facere, pro ejus Majestatis Vestræ Sacratissimæ paterno planè & piissimo affectu ingentes non desinimus agere gratias, nihil omninò ambigentes, quin de cætero quoque Majestas Vestra Sacratissima ex parte sua omni curà & studio, in constitutæ pacis conservatione sit invigilatura, eaq; remedia adhibitura, quæ ad conciliandam inter fideles suos subditos mutuam concordiam necessaria fore videbuntur, & maximè proficua.

Verùm acerbissimo animi dolore persentiscimus, quod declaratis per eosdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareæ certos Consiliarios Pacis constitutæ justissimis causis & rationibus, factaq; paterna & pia planè Majestatis Vestræ Sacratissimæ nomine ad Universos Status & Ordines, ratione amplectendæ mutuæ concordiæ & observandorum Diplomatum admonitione, licet eandem Illustrissimus Dominus Comes Palatinus nomine eorundem Dominorum Statuum & Ordinum humillimè acceptando, debitum etiam obsequium, ac omnimodam ad Majestatis Vestræ Sacratissimæ benignam voluntatem, accommodationem obtulisset: Post recessum tamen eorundem Dominorum Majestatis Vestræ Sacratissimæ intimorum Consiliariorum, Illustrissimus & Reverendissimus Archi-Episcopus Strigoniensis, præter omnem opinionem nostram, suo & totius Cleri nomine eidem Diplomati contradixit, & super inde solenniter protestatus est.

Eundem secutus Comes Dominus Ladislaus Chaky cum Dominis Francisco Revay, altero Francisco Balassâ, Adamo Vitzay, Michaele Maytiny, ac nonnullis aliis similem contradictionem & protestationem publicè instituit, non sine evidenti præjudicio Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regii, & pacis publicæ derogamine, nostrumq; omnium commotione gravibus & manifestis. Cùm tamen hactenùs inauditi exempli res fuerit in publico loco Diætali Diplomatibus Regiis (in quibus videlicet salus & permansio communis Patriæ fundaretur) ad confirmandum & acceptandum Statibus & Ordinibus Regni exhibitis contradicere, sed & contradictiones ratione particularium duntaxat quarundam (prout hoc in Anno 1618. contigisset) non verè ratione Diplomatum Regiorum per Statum Catholicum præmissas, per subsecutas Templorum occupationes & turbationem Religionis, funestos & infelices exitus semper (quod ipsum elapsorum annorum miserabilis domestica experientia testatur) habuisse, super exstantibus talibus contradictionibus nullam tranquillitatis publicæ securitatem sperari posse. Ob id, ut jam tandem semotis omnibus impedimentis sincera pax inter Universos Status & Ordines coalescat, stabiliaturq; Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquam Patri & Imperatori benignissimo, supplicamus humillimè, dignetur Majestas Vestra Sacratissima in præmissis benignè succurrere, ac ut præscripti Domini contradicentes confirmationi & effe-

ctuationi Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regii, per publicam cessionem & annihilationem contradictionis per ipsos factæ, (juxtà conceptam, & cum præsenti Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè exhibitam formam) annuant pro autoritate Sua Cæsarea & Regia clementer providere; alioquin per hanc solennem & apertam contradictionem iidem Domini contradicentes se ab omni obligatione observandarum continentiarum Diplomatis immunes esse prætendent.

Quod quàm maximè securitati Pacis publicæ præjudicaret, Majestas Vestra Sacratissima benignè considerare poterit. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam humilium & fidelium servitiorum nostrorum constantia demissè demereri enitemur. Clementissimum expectantes à Majestate Vestra Sacratissima responsum.

Eandem diu & felicem imperantem bono Christianitatis bene valere animitus desideramus.

Sacratissimæ Majestatis
Vestræ

Humillimi & fideles subditi

Status & Ordines Evangelici Regni Hungariæ.

Quo intellecto Dominus Personalis, accitis ad se Domini Principis Transylvaniæ Ablegatis, Evangelicos ab exhibendo Suæ Majestati libello dehortatus est, exhibitâ eisdem sequenti Catholicorum responsione.

Responsio Dominorum Catholicorum, exhibita die 5. Novembris.

Florentissimi quondam Regni Hungariæ Statum in eas calamitates redactum esse, ut majori ex parte luctuosa Christiani nominis Hosti præda fieret, ac medium, quod nuper erat, avulsâ Nobilissimâ parte lacerum plane & miserabile redderetur, Catholicis nullatenus imputari debet, utpote qui admissam semel diversam Religionem opprimere, aut suam promovere, nunquam armis & sanguine Civium, neq; adscitis in societatem belli immanissimis Christiani Nominis Hostibus, aut exteris, longeq; dissitis Nationibus cum extrema totius gentis ruina fuerint conati, quin potius avitam Sacrosanctam Religionem Catholicam Romanam, à Sancto Stephano, gentis hujus Apostolo, è tenebris gentilitatis ad lumen fidei, & verum DEI cultum eductore, acceptam per tot secula, per tot divos hujus Regni Hungariæ Principes ac Reges, totamq; Nationem ad nostra usq; tempora piè non minùs, quàm constanter & sincerè profectam & custoditam, plurimisq; Legibus & Articulis quovis tempore sancitam & stabilitam illibatè semper conservare & tueri studuerint.

Æquum sanè esset, ut eidem avitæ fidei sanctisq; legibus & statutis Regnum Universum ac Natio Hungarica perpetuâ stabilitate & constantiâ adhæret. Verùm injuria temporum, & gliscente non minùs in proximis Regnis & Provinciis, quàm in hoc Regno diversarum in fide opinionum, vi motibusq; intestinis, ne fortissimum hoc Antemurale Christianitatis, cum universali forte ruina in manus Turcarum deveniret, facileq; Nationem Universam deleri contingeret, ad ea evitanda primùm in Anno millesimo sexcentesimo sexto, Pacificationis Articulo primo libertatem Religionis concedi oportuit; Quæ quidem concessio priùs tantùm Statibus & Ordinibus, oppidis privilegiatis & militibus facta, in Anno millesimo sexcentesimo octavo, ad villas quoq; & oppida extensa fuit.

Porrò eædem concessiones in Anno 1618. ampliatæ, postmodùm verò 1622. Diplomati Regiæ Coronationis Articulo sexto insertæ fuerunt, ac deinceps quibusvis ferè Comitiis, addito Articulo confirmatæ. Quibus non agnoscunt Catholici sese contravenisse, aut occasionem turbandæ quietis pacisq; publicæ præbuisse, neq; concessiones semel factas extinguere aut abolere conatos, quin potiùs Articulo præsertim Viennensis Pacificationis, quæ fundamentum est ac robur totius Status admissæ Religionis, prædictis Articulis, atq; adeò præsentis ultimi Diplomatis Regii Articulo primo sese accommodare studuerint.

Ad Templa quod attinet, quæ ab Anno 1608. Evangelicis erepta queruntur, eorumq; restitutionem postulant, non sunt conscii sibi Catholici, ullum Templum Dominorum Evangelicorum cum injuria eorundem, aut in præjudicium factarum concessionum eripuisse, quin potiùs se optimo jure suo in bonis propriis usos fuisse.

Et hæc erant, quæ Domini Catholici ad postulata Dominorum Evangelicorum respondenda habuerunt.

Die 6. Novembr. Electi sunt Custodes Coronæ Magnifici Domini

Johannes Kery, &
Nicolaus Osztrozith.

Animis calamisq; partium tam longè ab invicem dissidentibus, Evangelici desperato amicabilis compositionis successu ad Suam Majestatem pro complanatione eorundem Gravaminum Religionis ex præscripto sæpe dicti quarti Puncti Diplomatis fienda recurrentes, die 8. Novemb. toto agmine ad Arcem profecti per Dominum Georgium Barna (cui adjuncti erant Dominus Ludovicus Nyarii, & Andreas Klobucziczky) sequentem Libellum Suæ Majestati exhibuerunt.

Oretenus prolata 8. Nov. 1646.

Sacratissime & Augustissime Imperator,
Domine Domine Clementissime,

Ad Augustissimum Majestatis Vestræ solium & Cæsareum conspectum attraxit & compulit

pulit nos nonnullorum Dominorum, Status videlicet Catholici, & præsertim Cleri in observandis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomatibus Regiis disconveniens voluntas, quorum acta & mens, nostraq; superinde querimonia, ut Majestati Vestræ Sacratissimæ innotescerent, placuit eadem hoc scripto supplici breviter comprehendere, & Majestati Vestræ porrigere & exhibere, humiliterq; supplicantes Majestati Vestræ Sacratissimæ, dignetur Majestas Vestra Sacratissima id ipsum clementer perlegere, jacturamq; inæstimabilem inaniter fluentis temporis clementi suâ resolutione per confirmationem & effectuationem Diplomatum Suorum Regiorum per Status & Ordines Regni fiendam resarcire. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ paternam & Regiam Clementiam humillimis officiis nostris demereri nullatenùs prætermittemus.

Scripti autem porrecti tenor hic erat:

Sacratissime & Augustissime Imperator, Domine, Domine Clementissime.

PRetiosi temporis inæstimabilem jacturam tam nos, Illustrissimi ac Celsissimi Principis Transylvaniæ Ablegatos, quàm etiam reliquorum Evangelicorum huc congregatorum Statuum nuncios, ægro & difficili animo ferre neutiquam negamus.

Utpote cùm præsentia Comitia per Majestatem Vestram Sacratissimam juxta novissimi Diplomatis Sui Regii conditionem octavam pro confirmandis & assecurandis rebus Regni per præteritos motus intestinos convulsis, in pacem optatam reductis sint indicta. Majestas Vestra Sacratissima in propositionibus etiam suis paternâ planè animi affectione ad eandem pacem conclusam & constitutam sectandam, abolendosq, præteritis motibus concitatos animos, seu quovis alio modo in transversum actos affectus, nos universos clementer & impensè hortari dignata sit.

Verùm contrarium omninò intendi ex parte Status Catholici, & præsertim Cleri, non sine maximo animorum dolore intelligimus, Templa videlicet sub his disturbiorum temporibus occupata, juxta Diplomatis ejusdem conditionem quartam restitui Decreta, Imò quæ nuper per Majestatis Vestræ Sacratissimæ Commissarios, ex Tractatu Tokaiensi eo fine evocatos, restituta fuerant, iterum reoccupari, plebem miseram in Religione sua, prout in bonis Domini Comitis Nadasdy fieret, absq; ulla remissione diversis sub prætextibus turbari & impediri. At cum Diploma illud super conclusis & determinatis, juxta conditionem ejusdem Diplomatis quintam in præsenti Diæta confirmari deberet, eosdem Dominos Statum Catholicum, & præsertim Clerum assensum ad confirmandum idem contrariari.

Quæ omnia quàm maximè Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareæ, tanquam Patris indulgentissimi, Regniq; exitium & desolationem ejus extremam pientissimâ sollicitudine, & paternâ curâ avertentis juribus derogent, Majestas Vestra Sacratissima sapientissimi sui judicii trutinâ clementer & ponderosè considerare potest. Ut itaq; omnibus gentibus almam pacem desiderantibus, clarè innotescat, quantâ sollicitudine, quamq; vigilanter intendat Majestas Vestra Sacratissima Cæsarea oblationibus suis Regiis sanctis satisfacere, quâve industriâ Diplomata sua Regia observare: Ob id Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquam justissimo & Clementissimo Imperatori, nomine ejusdem Celsissimi Principis humillimè supplicamus, dignetur ea, ad quæ sanctè præstanda se obtulit, clementer effectuari, Diplomata Sua Regia per Status & Ordines Regni Universos, (siquidem præcipuè ob ejusdem causam Comitia hæc indicta essent) confirmari, & Articulis Regni inseri facere.

Hac pace Majestas Vestra Sacratissima Illustrissimum Dominum Principem, Dominum nostrum benignissimum, cujus nomine nos eorum, quæ adhuc ex parte ipsius effectuanda manerent, plenariam effectuationem constanter promittimus, ad quævis sincera & Christianum Principem decentia servitia devinctum & paratum reddet. Clementissimum Majestatis Vestræ Sacratissimæ ad præmissa expectantes responsum.

Eandem diu & feliciter valere, ac feliciter imperare, animitus desideramus.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ

Fideles & Humillimi subditi

Illustrissimi & Celsissimi Principis Transylvaniæ ad præsentem Diætam Regni ablegati Nuncii.

Ad quem Libellum nullo accepto responso Status Evangelici die 11. Novembris Gravamina Religionis, in quibus in ordinem concipiendis hactenus velut ἐν παρέργῳ laboraverant, sequenti Libello comprehensa Suæ Majestati ad complanandum porrigunt, supplicantes, ut, quoniam amicabilis compositio nullum successum habere, multoq; minus exitum aliquem invenire posse videretur, Sua Majestas vigore sæpe tacti Puncti quarti Diplomatis, authoritate Suâ Regiâ cum satisfactione Evangelicorum easdem Gravamina complanare dignaretur.

GRAVAMINA

Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum.

Sacratissime & Augustissime Imperator, Domine Domine nobis Clementissime,

TOt & tantarum, earumq; amarissimarum calamitatum exemplis divexatæ Patriæ nostræ charissimæ ultimum periculum (nisi id DEus

DEus optimus maximus ex singulari bonitate sua avertat) imminere, facilè persentiscere possumus, utpote quæ non cum hoste externo, sed cive, non cum Atheo, sed Christiano hactenus miserè confligans, tantum perdidit bellis Civilibus sanguinis, tot consumpsit semel atq; iterum millia hominum, ut ad extremam ferè redacta desolationem, jam ad defensionem sui contrà immanissimos nominis Christiani hostes, proh dolor! per se nullatenus sufficiat, cujus mali proximam causam, etsi quis nolit, invitus tamen etiam fateri debebit, esse impeditum Religionis exercitium, ob quod licet ab Annis 38. vel ampliùs etiam, in singulis ferme Comitiis & Regni Conventibus inter Regnicolas de communi duraturâ, & constanti Pace variæ disputationes & discursus instituti, imò in aliquibus tractatibus & Comitiis conditiones & Articuli, etiam super libertate Religionis Evangelicæ, propter bonum pacis, & communem permansionem conditi extitissent; Illis tamen ad conservationem tranquillitatis parùm facientibus, Regnicolisque porrò in perpetuis dissidiis atq; diffidentia permanentibus, ex aliis atq; aliis subinde factis templorum occupationibus, Concionatorum Evangelicorum ignominiosis ejectionibus, Compatronorum ad sedes spirituales citatorum divexationibus, plebisq; miseræ in sua Religione turbationibus, coactionibus, & aliis his similibus irrecuperabilia planè damna toti Regno provenisse, ipsa experientia testis est.

Proximè extincta fax etiam, annon ob Religionem solam, totam ferè ejusdem Patriæ nostræ charissimæ faciem, fumigantibus incendiis, miserabili desolatione, & deplorandâ plebis pauperculæ afflictione, ad eliciendas cujusvis hominis Christiani lacrymas deformavit? Utinam hæc experientia nos edoctos fateri non cogeret, facilius certè, quamvis & ita acerbè audita, quam oculis visa & manibus palpata tolerare possemus, quæ omnia Majestas Vestra Sacratissima, tanquam Pater pientissimus altiùs & clementer considerando, ut parceret tot cladibus exhausto, & jamjam frigescenti sanguini Hungarico, utque fomite discordiarum sublato, indigenæ Regni ruentis pace ac tranquillitate mutuâ congaudentes, insidiantibus externis hostibus, fortunam labentem firmius sustinerent, sedatis per certos Tractatus & subsequuta Diplomata Regia intestinis tumultibus, stabilitaque libertate Religionis Evangelicæ, pacem pristinam Nobis propriâ & paterna sua curâ postliminio revocavit, ejusque & Diplomatum confirmandorum gratiâ indictis præsentibus Comitiis, posthabitis gravioribus Imperii (à cujus videlicet pace aliorum etiam Regnorum quies & auxilium expectaretur) curis quamvis acerbissimo dolore, ex nupero luctuosissimo Augustissimæ Imperatricis, aliâs Dominæ, Dominæ Clementissimæ, obitu concepto pressa, sola tamen in persona eadem Majestas Vestra sacratissima peresse clementer voluit; Quam Majestatis Vestræ sacratissimæ erga hoc Regnum afflictissimum paternam clementiam cum humillimis servitiis (prout quidem justum & æquum esset) recognoscere deberemus, tantum tamen abest, ut id faciamus, ut potius pretiosissimi temporis intervalla de die in diem inaniter extrahendo, ac si non commodo nostra hæc omnia per Majestatem Vestram sacratissimam acta essent, illud præ nobis ferre & sentire videamur.

Inde factum ut, cum jam Diætæ præsentis (cujus fundamentum Diplomata confirmata essent,) negotia & Tractatus terminari hactenus debuissent, in primis tamen adhuc quasi principiis ejusdem Diætæ hæremus, nunc in confirmatione, nunc in avertendis obstaculis Diplomatis, & aliis his similibus identidem subsistendo Vestræ Majestati sacratissimæ remoram intendimus, eamque à provisione Imperii (cujus concludendæ paci universali invigilaret) absque omni respectu avocamus. In hunc certè obicem Status Evangelicus prout non consensit hactenus, ita eum ponere pro se nequaquam studuit, utpote qui per omnia Diplomatibus Majestatis Vestræ sacratissimæ confirmatis, & per universos etiam Status & Ordines Regni acceptatis insistens, non nisi puncta & conditiones eorundem effectuanda semper & sedulò urserit. Ast Status Catholicus quantas difficultates ab initio circa hæc omnia habuerit, quamve cunctanter facta publica contradictione in conclusa Diplomata, atque inde conservationem pacis communis consenserit, recensere hìc copiosiùs operæ pretium esse non existimavimus.

Quartum Diplomatis ejusdem Majestatis Vestræ sacratissimæ Regii punctum esset, ut gravamina ratione occupationis Templorum, in Anno 1638. Vestræ Majestati sacratissimæ exhibita, & post subsequuta primum inter nos amicabili compositione tollantur, quæ si non succederet, tandem authoritate Majestatis Vestræ sacratissimæ cum satisfactione sopiantur.

Cui quidem puncto nosmet ipsos accommodantes, etsi sincerè (proposita certâ generalitate postulatorum nostrorum) cum iisdem Dominis Catholicis tractare voluissemus: iteratis tamen vicibus per duram & à concordia planè abhorrentem eorundem replicam à mutua compositione rejecti, cum Gravaminibus iisdem, juxta idem punctum Diplomatis, ad Majestatem Vestram sacratissimam, tanquam Pientissimum Principem & justissimum Judicem, recurrere necesse habuimus. Quæ quidem gravamina in hunc sequuntur modum.

Gravamina Statuum & Ordinum Regni Evangelicorum in negotio Religionis suborta, & S. Cæsareæ Regiæq; Majest. Domino, Domino eorundem Clementissimo, demissâ animi subjectione repræsentata Anno 1638.

ETsi, Augustissime Imperator iidem Fideles Majestatis vestræ sacratissimæ Status & Ordines Evangelici nihil magis in votis habuissent, quàm ut sub hujus primitus indictæ Diætæ celebratione, felicisque Regni ingressu gratiosissimam Majestatis Vestræ sacratissimæ præsentiam, eo, quo decuisset hilaritatis vultu, faustisque congratulationibus excipere, ac Tractatus, Actaque

Diæ-

Diætalia pari omine aggredi, ficque Benignæ Majeftatis Veftræ facratiffimæ expectationi, fine ulla quærimoniarum interpofitione fatisfacere potuiffent; quia tamen fumma & prætiofiffima eorum libertas, liberum nimirum Religionis Exercitium non modò contra Pacificationem Viennenfem, ac Diploma Domini quondam Imperatoris Matthiæ declaratorium, verum etiam contra iteratas publicas Regni Conftitutiones, notanter autem contra feptendecim conditionum Sextam, tam per beatæ reminifcentiæ Auguftiffimum quondam Imperatorem, Genitorem Majeftatis Veftræ defideratiffimum, quam per Majeftatem quoq; Veftr. facratiff. tempore felicis ejusdem inaugurationis benignè acceptatas, approbatas & roboratas peffundari, ac in dies magis magisque labefactari deprehendiffent: Vel inviti ad Majeftatem Veftram facratiffimam confugere, benignasque ejusdem aures querulofis lamentationibus laceffendo, pro fublatione gravaminum in libero Religionis exercitio emerforum, debitâ humilitate folicitare coguntur, ea omnino fpe freti quod Majeftas Veftra facratisfima ex innata fua clementia, affectuque plus quàm paterno, eadem non modo gratiosè intelligere, verum in maturiorem deliberationem asfumendo, effectivè complanare quoque dignabitur.

Licet verò ea & numero plurima & magnitudine graviffima effent, ex iis tamen, nonnulla recentiora duntaxat perftringere, Majeftatique Veftræ facratiffimæ repræfentare, operæ pretium effe duxerunt; quo cœtera etiam, quæ confimili modo ac præjudicio ab Anno 1608. huc ufque contigiffent, hoc exemplo tolli & complanari poffent: Et fequuntur in hunc modum:

In Comitatu de Ungh Reverendus Dominus, Samuel Kalmanzay Plebanus Poffeffionis Gyeren, fedecimam oppidi Unghvar, alias femper loci ejusdem Concionatori Evangelico cedentem, non modo occupavit, quin imo, ex quo eadem juxta veterem confuetudinem hoc Anno collecta, in domum Nobilis Johannis Gyonngyoffi, ante fatum Concionatorem, adeoque etiam ipfum Judicem loci ad fedem fpiritualem Venerabilis Capituli Agrienfis, (Caufarum quippe Decimalium ex publicis Regni Conftitutionibus omnino incompetens forum) citari & evocari curavit.

In Comitatu Zemplinienfi, Generofa & Magnifica Domina Catharina Palffy, Templum poffeffionis Garany occupavit ufumque ejus ita interdixit, ut ad hodiernum usque diem omni cultu divino deftitutum, imo defertum effet, pari ratione eadem Domina Concionatorem Vilakienfem Proventibus Parochialibus ex prædicta Garany ipfi cedentibus privavit. Non abfimili modo Illuftriffimus Dominus Comes Johannes Prugeth de Homonna Templum Oppidi Tereber occupavit.

In Comitatu Abauyvarienfi, Reverendus Dominus Johannes Che Præpofitus Mislienfis Templum ejusdem poffeffionis adempto Campanarum ufu (comminationibusqus fuperadditis, quòd fi Concionator loci ejusdem ufum earum ufurparet, eundem in frufta concidi curaturus) unà cum Filialibus eodem pertinentibus Eccle- fiis occupavit, ac dicto concionatore violenter & ignominiosè amoto proventus quoque Parochiales ademit. Eodem modo Reverendus Blafius ficulus Templum Poffesfionis Sczomoyt occupavit, incolasque à frequentatione vicinorum Templorum gravi fub pœna prohibuit.

In Comitatu Zabolch Egregius Francifcus Horvat de Gleffenœ Sanctuarium Templi posfesfionis Kenüz ademit, ab ufuque & ingreffu ejusdem Concionatorem ac Incolas arcere non eft veritus.

In Comitatu Saros prænominata Domina Catharina Palffy in tantum procesfit, ut non tantum Templum poffesfionis Sz. Peter, effractis januis & feneftra, occupaverit, fed & concionatori loci ejusdem primum quidem igni & aquâ interdixerit, poftmodum autem Parochiam, quam inhabitabat, tegulis domus decusfis, trabibus parietum excifis, devaftari, ad habitandumque prorfus inutilem effici curaverit: Et cum idem Concionator nec fic fefe ab officio demoveri paffus fuiffet, eademque Domina publicis Comitatus fumtibus eundem concionatorem fuftentari animadvertiffet, tandem apertâ vi Parochiâ extractum intenfisfimi brumalis frigoris tempore una cum uxore Liberisque currui impofitum, evehi, atque in campo non fine fingulari crudelitate, præfentiffimoque vitæ periculo depofitum ibidem relinqui jusfit, miferos infuper Incolas captivitate, birfagiis, minisque interpofitis ad tam gravem fasfionem compulit, ut non fine manifefto perjurio fateri debuerint, fe Romano-Catholicum potius quam Evangelicum Concionatorem habere velle.

In Barfienfi admodum Reverendus Frater Paulus Jvanoviez Ordinis S. Pauli, Primi Eremitæ, Vicarius in Elephant, Concionatorem Evangelicum tum contra ftatuta Regni, tum contra continuatum ufum, Jurisdictionemque Compatronorum, Parrochiâ poffesfionis Velikapolya Incolis & Compatronis prorfus invitis fub publicatione præfentis Diætæ exclufit. Pari ratione Concionatores Ponemonum, Kis Tapolczan & Marod, invitis Incolis, ex Ecclefiis pulfi fuerunt. Prænominata Domina Catharina Palffy Concionatorem poffesfionis Nagy Kerezten amovit, ac non folum Templum Parochiamque communem Vicinis Compatronis Nobilibus ademit, verùm & fepulturâ ufuque Campanarum, eisdem Compatronis ab antiquo licito, ipfos prohibuit: unde idem Templum in præfens usque tempus defertum manet. Admodùm Reverendus Dominus Præfectus S. Benedicti de juxta Gran Incolas poffesfionis Semler adeò plagis, birfagiis, & incarcerationibus vexavit, ut concionatore privari debuerint, ac de præfenti quoque nullibi Religionem fuam exercere permittantur. Ex poffesfionibus S. Georgii, Nagy Sarlo, Fernad, Olved & Martos pari modo Concionatores pulfi funt. Ita in bonis Levenfibus omnes fedecimæ Concionatoribus Evangelicis cedentes ademptæ, agri & vineæ poffesfionis Lodan decimatæ, prout & Molendinum Levenfis Parochiæ occupatum eft.

Sed nec templum Evangelicorum Helveticæ Confesfionis, extremæ ruinæ fubjacens, in eodem præfidio Levenfi reftaurari permittitur. Auguftanæ verò Confesfionis loco Templi, per

Patres Jesuitas simul cum proventibus ipsis adempti, tantum abest, ut aliud extruere sinerent, ut Concionatorem quoque Officiales Levenses ab ingressu oppidi arcere, nihil pensi ducerent. Quocirca supplicant idem Status & Ordines Evangelici Majestati Vestræ Sacratissimæ quam humillimè, quo pro amovendis similibus inconvenientiis iidem Patres Jesuitæ coërceantur, Articuloque in Anno 1608. ad octavum super ipsis de non posſidendis in Regno bonis, (quod jam passim fit) satisfiat.

In Comaroniensi Concionatores Evangelici ad forum sedium Spiritualium, abrogata eisdem consueta authoritate, attrahuntur, sedecimæque eisdem adimuntur.

Templum possessionis Apacza Szakalos, industriâ Incolarum, sumptibusque ædificatum, Virgines sanctimoniales Posonienses occuparunt. Ex possessionibus Hetenü, Baiekts Utvar, nec non Macza, Concionatores Evangelici per Thomam literatum Provisorem Bonorum ArchiEpiscopalium, invitis incolis pulsi. Possessionis autem Balvany Szakalos Templum propriis Incolarum expensis extructum, Concionatore quoque per dictum provisorem amoto, ademptum est. Dominus Kolonicz Capitaneus Comaroniensis Possessionis Sz. Peter, Concionatorem ejecit Incolasque ejusdem Romano-Catholicam Religionem sub birsagio amplecti coëgit. Non absimili modo Dominus Stephanus Balogh, Præsidii Tata Capitaneus, Concionatorem Evangelicum eodem præsidio amovit, militesque Romano-Catholicam Religionem acceptare vi & carceribus compulit.

Nobiles æquè ac ignobiles Possessionum Nagy Magyar & Jsaac templo propriis & emendicatis expensis extructo, per Dominam Nagy Mihalyanam privati injuriosè & violenter, adeoque contra conscientiam Plebano Romano-Catholico parere, pensionemque ipsi præstare adiguntur.

Jn Jauriensi Milites Evangelici Præsidii Majestatis Vestræ Sacratissimæ Jaurienses, tantum absint, ut vel in Civitate vel suburbio locum templi à Romano-Catholicis potuerint obtinere, ut etiam Domus pro exercenda Religione communibus ipsorum sumptibus in possessione Patohaza, empta ab eisdem, abjudicata extiterit, quæ in præsentiarum non sine notabili Evangelicorum præsidiariorum detrimento ad Patres Jesuitas translata est.

Insuper & Concionatores ab ordinario Civitatis ingressu, sacrorumque exercitio arcentur, si quando verò contingit aliquem Evangelicorum humanis excedere, non nisi substrictissima custodia (ne Domus Patronorum suorum ingrederentur) transitus dictæ civitatis eisdem permittitur. Sicut & venerabile Capitulum Jauriense omnibus Incolis ejusdem Civitatis, Nobilibus pariter ac ignobilibus (præter Milites Præsidiarios) sub pœna 12. Imperialium interdixit, ne in Baptismatis, Copulæ, aliorumque Sacrorum rituum administratione, opera Evangelicorum Ministrorum utantur.

Ad eundem modum Reverendissimus Episcopus modernus Jauriensis duas fundas Curiarum Nobilitarium in prætacta possessione Patahaz, per legitimum earundem possessorem, quem iidem Præsidiarii communibus subsidiis ex captivitate Turcica liberaverant, pro exercenda Religione Evangelicâ testamentaliter legatas, sub prætextu quodam vicinitatis jure ab iisdem Præsidiariis adimere, cursumque exercitii inhibere nititur. Incolas autem possessionum Szigeti & Revfalu eodem Religionis exercitio de facto prohibet.

In Posoniensi Magnificus Dominus Franciscus Keglovicz temporaneus Possessor Oppidi Recze, Templo ibidem occupato Concionatorem invitis incolis ejecit. Nobiles in Oldgya, Czenke, & Vajasvatta, Nagy & Kis Magyar per Moniales Claustri veteris Budæ, contrà legitimum ipsorum usum & libertatem, certasq; adjudicatorias, exactis ab iisdem florenis centum (deinceps quoque pari modo, nisi iisdem succurratur, exigendis) damnificati sunt.

Cives & Incolæ Evangelici in Libera ac Regia Civitate Tyrnaviensi degentes, licet vigore constitutionum Regni non modò libertatem Templi restaurandi habuerint, verùm etiam specialem deliberationem ac resolutionem in novissima Sopronienſi Diæta superinde acceperint: nihilominùs tamen scitur, quibus ducti respectibus Romano-Catholici Concives suos, posthabitis Statutis Regni, ac prætactâ intimatione Soproniensi, ab ulteriori Templi restauratione impediverunt, ac tandem manu aggressos, muratoribus Capitis pœnam, nisi supersederent, interminantes, totaliter ab opere desistere coëgerunt. Sed non locum pro conficiendis lateribus virtute præmissi publici indulti, iisdem Concivibus permiserunt, quin in ò postquàm summâ adacti necessitate in usum Structuræ Templi Domum quandam ruinosam aliisq; pretio expositam pro certa summa à Civitate emissent, potioremq; partem ejusdem partem deposuissent, iidem Cives Tyrnavienses non modò bonam partem dictæ domûs ad placitum asportârunt, verùm memoratos Emptores à residuis ruderibus etiam inhibuerunt.

Parem violentiam in aliis etiam contrà Evangelicos exercere non verentur, dum Opifices Evangelicos in Collegia Zeharum accitos citrà voluntatem ad offertoria, processiones, & similes Romano-Catholicos ritus exequendos urgent, inobedientesq; post unam atque alteram admonitionem iteratis birsagiis onerant, refractarios autem contuberniis Zehisq; suis excludunt, ab exercitioq; artificiorum suorum penitùs arcent. Quæ cùm non sine singulari scandalo & præjudicio fiant, inq; vilipendium constitutionum Regni & Libertatis vergere dignoscantur: Idcircò demissè supplicant iidem Status Evangelici, ut hujusmodi manifesti Decretorum Regni Contemptores in exemplum aliorum severè puniantur. In Nitriensi quantam persecutionem injuriamq; patiantur Evangelici Zakolozienses, nemini ignotum est, dum Incolæ Romano-Catholici eosdem à restauratione Domûs propriis sumptibus comparatæ, casuq; publici incendii exustæ, in qua ante hac multis Annis exercitium suæ Religionis habuerunt, arcent.

Sepulturâ præterea solita, omniq; cultu Divino privantur, usque adeò, ut nec in toto Civitatis territorio locum sepulturæ à Concivibus suis obti-

obtinerere possint, & cùm terra publica, (quæ nec maleficis & bestiis ullibi locorum denegatur) ullâ ratione ipsis esset libera, necessitas Christiana, Corpora mortuorum ad extera remotioraq; loca, non sine notabili contumelia, insignique dolore natali Solo evehere, ibidemq; terræ mandare urget. Prælibata Domina Catharina Palffi Templum Oppidi Komiati ademit, ac Concionatorem Evangelicum currui impositum contumeliosè evehi curavit.

Relicta quoque Egregii, Balthasi Bossani, Dotalibus in bonis Templum possessionis Suranka ademit, sedecimæ Oppidi Oszlyan simul cum proventibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus occupatæ sunt. Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus Collocensis Incolas Possessionis Puspeck falva, à solitâ frequentatione Templi Czörment, exercitioq; Religionis prohibuit, ac proventus ejusdem vi birsagiorum à prætacta Ecclesia invitis Incolis avulsit. Idem fecit in aliquot locis in Comitatu quoque Trenchiniensi, subditos Evangelicæ Confessionis ad amplectendam Romano-Catholicam Religionem variis excogitatis pœnis & birsagiis, incarcerationibusque compellendo. In Neogradiensi, crudeliter & inhonestè, adeoque præjudiciosè Concionator possessionis Déven per Reverendissimum Dominum Stephanum Bosnyack, ac Generosam & Magnificam Dominam, relictam quondam Magnifici Domini Emerici Balassa, occupatis Templo & Parochiâ, contrà manifestissima jura & prærogativam compossessorum & Hæreditariorum Dominorum ejusdem Parochiæ, fuit ejectus.

Multa hic ponderosa forent commemoranda, verùm sicut præmissis, ita pariformibus præjudiciis, Templorum utpote ablationibus, Concionatorum Evangelicorum, invitis auditoribus & Compatronis, expulsionibus, sedecimarum, & id genus proventuum Parochialium, ac Jurium Ecclesiasticorum abalienationibus, notanter autem in Trenchiniensi & Nitriensi comitatibus, adeoque bonis Thurzonianis nunc apud manus Cameræ Vestræ Sacratissimæ Majestatis Hungaricæ existentibus, prout & ultrà Danubium Lanseriensibus, Dominorum item Comitum Battyani & Zrinio, passim in Regno patratis, nolentes Majestatem Vestram Sacratissimam longâ serie onerare, hic subsistimus. Quàm humillimè exoratam esse petentes Majestatem Vestram Sacratissimam, quatenus præmissa universa & singula non modò gratiosè in integrum restituere, verùm in tam manifestos præspecificatarum Regni Constitutionum violatores & eversores, severam quoque animadversionem instituere dignetur, idque vel ex sequentibus rationibus: Constat siquidem Majestati Vestræ Sacratissimæ, sicut ex Pacificatione Viennensi, ita & conditione sexta liberum Religionis exercitium propter publicum bonum, tranquillamque Regni permansionem communibus Regni Statutis stabilitum esse.

Cæterùm idem liberum Religionis exercitium ex contextu Constitutionum Anni 1608. Articulo primo antè Coronationem, ad eradicanda animorum dissidia & intestina odia, non modo ad Status & Ordines Regni, verùm Incolas etiam Oppidorum & Villarum pertinere. Unde perspicuè liquet, Status Evangelicos, dum restitutiones Templorum ab Anno 1608. præmissô modo ablatorum, juxta prænotatum Domini quondam Imperatoris Matthiæ Declaratorium Diploma, iteratasque Constitutiones, urgent, à Majestate Vestrâ Sacratissima nihil novi, quod Constitutionibus, statutisque & Decretis Regni repugnare videretur, tam impensè sollicitare, Constitutiones namque illæ, Diploma item, & Articuli, dudum per Illustrissimum quondam Comitem Georgium Thurzo, Palatinum, nemine tunc, sed nec postmodum longo satis tempore contraveniente, passim per Regnum pluribus in usu fuerunt & roborati.

Qui quidem usus, (Articulis in vero sensu suo usurpatis) in præsentiarum usque passim viget. Pari sensu & per Augustissimum quondam Imperatorem, Genitorem Majestatis Vestræ Sacratissimæ desideratissimum, beatæ reminiscentiæ, tempore felicis suæ inaugurationis, sicut & per Majestatem Vestram Sacratissimam itidem, cùm in Regem & Dominum eorundem Soproni Anno 1625. inaugurata extitisset, eædem Constitutiones & Articuli limpidissimè declarati, benigneque acceptati & confirmati fuerunt.

Etsi verò hujusmodi Templorum, Parochiarum, & Proventuum occupationes, Concionatorum Evangelicorum expulsiones, subditorum coactiones, vel maximè ab Anno 1608. subortæ, hactenùs complanari non valuerint, id ipsum tamen nullam vim præmissis constitutionibus inferre potest, quippe cum abusus, & violentiæ interventæ à nemine usque tam manifestè fuerint approbatæ, tantum abest consensu vel minimo roboratæ.

Dilatio autem complanationis eorundem gravaminum potissimùm ad instantiam, obque singularem respectum defunctæ Imperatoriæ Regiæque Majestatis facta fuerat. Super qua eadem Majestas, Status & Ordines Regni, primùm quidem per benignas literas & solennem Legationem in Anno 1634. hic Posonii institutam, postmodùm autem in immediatè subsecuta Sopronienſi Diæta, cum spe indubitatæ satisfactionis & realis effectuationis, gratiosè assecuratas reddiderat.

Cùm autem Majestas Vestra Sacratissima, sicuti tempore auspicatissimi moderni sui in medium fidelium suorum Regnicolarum adventus, gratiam suam specialem eisdem palàm polliceri, ita dum feliciter inaugurata extitisset, conditione secundâ Status & Ordines in eo clementer assecurare dignata fuerit, quòd videlicet gravamina, si quæ usque ad tempus suscipiendi Regiminis sui qualitercunq; emerserint, statim in initio Regiminis ejusdem in Diæta primitùs intrà spatium sex mensium publicanda penitùs tollet.

Proinde Majestatem Vestram Sacratissimam præmemorati Status & Ordines Evangelici per viscera misericordiæ DEI iterum atq; iterum orant, obtestanturq; ne permittat in libero hoc Regno Status Romano-Catholicos prætextu Dominii & potestatis in subditos habitæ Dominium (quod solius DEI proprium est) in con-

scientias quoque sumere, liberumque exercitium Religionis in tristem servitutem redigere, quin potiùs ut æquali & proportionatâ Libertate cum Evangelicæ Confessioni addictis gaudeant, dignetur gratiosè efficere. Quò & Majestas Vestra Sacratissima hujusmodi molestiis liberari, expediriq;, & Acta publica, Salutem Hungariæ æque ac aliorum Regnorum, Provinciarumq; Majestatis Vestræ Sacratissimæ concernentia, felici progressu continuari, ingentes insuper expensæ melioribus Regni usibus accommodari valeant, neque tempus pretiosissimum (sicut jam aliquot Diætis accidit) cum gravi animorum exacerbatione, perniciosoq; dissensionum fomite, adeoq; displicentiâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ perdatur; quam gratiam æquissimamq; & Libertati Regni consentaneam satisfactionem iidem Status & Ordines Evangelici omni occasionum genere pro viribus demisse demereri contendent.

GRAVAMINA

Quæ sequuntur, pertinent ad præcedentia quæ etsi tunc non specificata, tamen in generalitate eorum, prout ex Conclusione præsenti patet, comprensa erant.

IN Comitatu Zaladiensi in bonis Dominorum Comitum à Zrinio per totam Insulam Muraköz, signanter ex Ecclesiis Oppidorum Strigo, Szoboczisсza, Szenicze, Szerdazely, Berlagh, Sz. György, Sz. Mihalii, Negyucze, Sz. Márton, Bellécze, Czirkolan, S. Mariæ, S. Viti, S. Margarethæ de Kanocz, Also-Kiralyocz Felsô, Pusztakotz, cum aliis ad easdem Ecclesias pertinentibus Filialibus, circà 1625. Annum, per Illustrissimum quondam Dominum Comitem Georgium à Zrinio Concionatores Evangelici exturbati, ac earundem Ecclesiarum Templa cum Parochiis, Scholis, & proventibus Parochialibus occupata sunt.

In bonis olim Domini Comitis Christophori Banffii, ad Arces Also Lindva & Belatnitz, signanter in Oppido Also, Lyndva, & possessionibus Dobronak, Turnicza, aliisque universis bonis circà 1624. & 1625. Annos, per eundem Dominum Comitem Banffy Concionatores Evangelici exturbati, ac templa, Scholæ, Parochiæ, cum proventibus maximis, miseræ plebis cum oppressionibus occupata sunt.

Templum Confinii Tyhany post Annum 1635. per Egregium Joannem Somodi, supremum Capitaneum ejusdem loci, exturbato Concionatore Evangelico unà cum Parochia & proventibus occupatum est. Templum possessionis Cziczo circa 1630. Annum per Reverendissimum Dominum Franciscum Ergyelium, alias Episcopum Wesprimiensem, cum Parochia & proventibus occupatum est. In Wesprimiensi Templum possessionis Vassar circa Annum 1630. Reverendissimus Dominus Nicolaus Dallos, Episcopus Jauriensis, una cum Schola & Parochia, ejecto Concionatore Evangelico, occupavit.

In Castri ferrei, in bonis Domini Comitis Ladislai Chaky sancti Gotthardi possessionum Gyarmat & Gardon-Falva Templa cum Parochiis, exturbatis Concionatoribus Evangelicis idem Dominus de Chak, circa Annum 1629. occupavit.

Illustrissimus Dominus Comes de Battyan ex universis Oppidis & possessionibus ad Arces suas Német Vyvar, Szallonock, & Rohoncz pertinentibus, Concionatoribus Evangelicis ejectis, Templa cum Scholis & Parochiis circa 1633. Annum occupavit.

In bonis Comitum Dominorum Erdödi ad Arces Monyorokerek, Veresvár, Vép, & Castellum Schûz pertinentibus, Oppidis & possessionibus Templa universa per eandem familiam post 1608. Annum circa 1616. una cum Scholis & Parochiis occupata sunt.

In Sopronienſi, in bonis Domini Comitis Eszterházi, ad arces Lansér, Lacombak, Frakno, & Kis Marton, Templa Oppidorum & possessionum Nyegh, Ritzingh, Sz. Márton, Terecz, Also & Kôzep, Pulja, Martz, Nagy Márton, Rórback, Sándor, Szarazván, Drasburgh, Hefflan, Margaretha, Ocha, Sziroz, Feyeregyhár; Fekete Város, Széléskath, cum aliis reliquorum Oppidorum & possessionum Templis, Scholis & Parochiis, partim per Illustrissimum Comitem Nicolaum Eszterhazi, Palatinum, partim per Officiales Fisci Regii post Annum 1608. ab Evangelicis occupata sunt.

In bonis Arcis Sarukû post Annum 1608. per Officiales ejusdem Arcis Templa universa occupata sunt.

Oppidani Rusztenses ad Arcem Suæ Majestatis Sacratissimæ Altenburgensem, sive Ovar pertinentes, inter quos duo duntaxat, & non plures sunt numero Cives Romano-Catholici, reliquique omnes Evangelici, ante tumultus Boczkayanos Concionatorem Evangelicum habuerunt, eodem per officiales ejusdem Arcis amoto, tempore tandem tumultus Bethlehemiani Religionis ipsorum Evangelicæ exercitium reassumentes, in eodem Oppido Concionatorem Evangelicum intertenuerunt, & Religionem suam liberè exercuerunt. Anno tamen 1621. Illustrissimus Dominus Comes ab Harack, pro tunc Possessor ejusdem Arcis & per consequens Oppidi etiam Ruszt, Concionatorem ejusdem abhinc exturbavit.

Templum verò, tanquam filiale templo Oppidi Rakos appli ando: constitutoq; ibidem Ministro Romano-Catholico, Incolas ejusdem quotannis florenos quadraginta solvere coëgit. Pædagogum nihilominùs Evangelicum pro instituendis Filiis ipsorum, sepeliendisque mortuis, intertenere, & Concionatores etiam Evangelicos in Oppidum pro administrandis quibusvis ritibus Sacris introducere, ac quo placuit ipsis ad Conciones exaudiendas exire, nemini impedire licuit. Posteaquam Sua Majestas Sacratissima idem Oppidum Reverendissimo Domino Episcopo Jauriensi Anno 1633. impignorasset, idem sub pœna quadraginta florenorum, eisdem Oppidanis Civibus

bus seorsim & sigillatim mandavit, ut Pædagogum Evangelicum dimitterent, & Romano-Catholicum loco sui constituerent, à præmissisque Religionis suæ hactenùs libere continuatis exercitiis consimiliter sub pœna supra scripta, seorsim & sigillatim abstinerent, & sic diversimodè iisdem impeditis & divexatis proprium Ministrum Romano-Catholicum, cui ducentos florenos solvere coguntur, in idem Oppidum Oppidanis invitis introduxit. Quia verò iidem omnes Evangelici existentes, Religionis suæ Concionatorem Evangelicum libentissime, sponte & libere acceptarent, & exturbatum ipsorum Concionatorem reducere: prohibitum Religionis suæ exercitium reassumere, eodemque pacifice juxta continentias Diplomatis frui possint & valeant, dignum est.

In Mosoniensi. In bonis Arcis Ovár Anno 1624. Dominus Comes ab Harak, Templa duo, unum Hungaricæ, alterum Germanicæ Nationis in Oppido Ovár, item Nereder, Nyulas, Szologh, Sz. Peter, & Sz. Janos, Oppidorum & possessionum Templa, ejectis Concionatoribus Evangelicis, una cum Parochiis & proventibus occupavit.

In bonis ejusdem Ovar Domina Catharina Palffi, Illustrissimi quondam Domini, Sigismundi Forgacz relicta vidua, Templa Oppidorum & possessionum Rayka, Nemet-Jagendorff, Beszonye, Czundorff, Miklosdorff, Hegyeshalom & Level cum Parochiis in Anno 1635. occupavit, concionatoresq; ex Parochiis ignominiose ejecit; Libros Evangelicorum colligi, & publicè in cineres redigi curavit. Templa possessionum Lebel, Sz. Miklos, Meczer, Egregius quondam Paulus Szeczy circa annum 1630. ignominiosè ejectis concionatoribus Evangelicis, una cum Scholis, Parochiis & proventibus earum occupavit.

In Jauriensi. Circà annum 1608. concionator Evangelicus in Præsidio Jauriensi constitutus, per certum tempus Liberum Religionis exercitium eidem exercitui & communitati Jauriensi Evangelicæ liberè continuavit. cùm tamen exturbato exinde concionatore iidem Milites confiniarii pro audiendis concionibus Sacris in possessionem Pathahaza non sine maximo vitæ & fortunarum periculo transvehi soliti fuissent; Modernus Dominus Episcopus Jauriensis, nescitur quibus respectibus, Templum in eadem Pathahaza extructum, non sine dolore & commotione animorum christianorum dirui & disjici fecit, eosque Milites libero exercitio Religionis privavit.

In Comaroniensi. Templum S. Andreæ in eodem confinio Comaroniensi situm, in cujus coemeterii & sepulturæ usu Catholici pariter & Evangelici tam Hungari quam Germani, usque ad annum 1627. æqualiter fuissent, sed posteaquam Petrus Gall pro tempore Vice-capitaneus Comaroniensis Templi ejusdem desolata tecta velari curasset, ab eodem tempore usus sepulturæ eodem coemeterio Evangelicis interdictus est. Item Templum possessionis Macza, licet non sit occupatum, & quamvis potiori ex parte ejusdem Incolæ sint Nobiles, qui una cum ignobilibus Incolis sunt Evangelici: nihilo minùs ab intertentione concionatoris Evangelici per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Strigoniensem tam modernum, quam ejusdem Prædecessores post annum 1608. sunt prohibiti & vetiti.

In Posoniensi, Templa Dominii Detrekœ per familiam Balassi per Annum 1615. sunt occupata, & Concionatores ejecti, Templa Dominii Arcis Posoniensis tam in Insula Czalokœz, quàm extra eandem per Dominos ejusdem Terrestres post Annum 1631. potiori ex parte occupata, & Concionatores expulsi. Civitatis quoque Modrensis Templum circa Annum 1635. ab Evangelicis occupatum est. Templa Dominii Sempte universa, partim circa Ann. 1634. partim circa Annum 1612. per Dominos Terrestres ab Evangelicis, una cum Scholis & aliis pertinentiis sunt occupata & Concionatores ejecti. Sic in oppidis Szenez & Czekloz circa Annum 1630. per eosdem similiter in Nagy, Lœts, Galantha, Hedi, Dioszeg, Szerdahelu, Bar, Czalokœz, Kœrt, Szavar, Teven, Grinova, Nagyszegh, Nemet, Gurab, Neboysza, Sul, & alia per varios Dominos Terrestres post Annum 1630. sunt ab Evangelicis occupata, & Concionatores ejecti.

In Nitriensi, in Bonis Arcis Sempte Templa Oppidi Sempte ac possessione Sopornye & Gatta cum Filiali Pusztakurt per Magnificum quondam Michaëlem Thurzo, partim verò per illustrissimum Dominum Palatinum Nicolaum Eszterhazi post 1630. Annum occupata sunt.

Templum Oppidi Sellye per Reverendissimum Petrum Pazmany circa Annum 1618. unà cum Parochia, Schola & Filiali, occupatum est, exturbato Concionatore Evangelico à Parochia possessionis Aszakurt, duas filiales Sul, & Czap, Ecclesias, unà cum certis Terris arabilibus, ab antiquo ad eandem Parochiam pertinentibus, Reverendissimus Dominus Johannes Telegdi circa Annum 1630. occupavit, & ad Ecclesiam possessionis, Lakaczi applicavit. Hujus etiam Possessionis Lakaczi Templum post 1608. Annum per Reverendissimum quondam Valentinum Leppes fuit occupatum. Templum possessionis Neded per Reverendissimum Dominum Johannem Telegdi post Annum 1608. cum Schola & Parochia est occupatum. Templa Oppidi Surany & possessionis Bankeszi per Magnificum quondam Thomam Bosnyack, post Ann. 1608. cum filialibus sunt occupata. Templum possessionis Deaki post Annum 1608. per Reverendissimum quondam Dominum Georgium Himmelreich, ArchiAbbatem S. Martini, exturbato Evangelico Concionatore occupatum est. Possessio Apati filialis Ecclesiæ Oppidi Baynocz per Episcop. Nitriensem post An. 1608. est occupata, prouti etiam in possessione Alsolelloez filialis Ecclesia ab Ecclesia Fœlsœ Kamenecz est occupata.

Templa possessionum Nagy Hind Ghymez & Kosztolyan per præfatam quondam Catharinam Palffy circa 1630. Annum cum Parochiis & Scholis sunt occupata. Possessio Zire ad Ecclesiam possessionis Kolon ab antiquo pertinens, per Reverendissimum Dominum Valentinum Lepess post 1608. ab eadem Ecclesia Kolon est avulsa. Templum Oppidi Sarfœ post 1608. Annum occupatum est cum Parochia & reditibus per Dominos Terrestres. Templum possessionis Hinoran per Reverendissimum quondam Pe-

trum Pazmany circa 1618. Annum unà cum Parochia & proventibus fuit occupatum. Templum possesſionis Nagy Sultzin per Magnificum quondam Ladislaum Pette cum Parochia circa 1618. Annum eſt occupatum. Templum possesſionis Kovarez per Magnificum quondam Dominum Nicolaum Forgacz ante 1638. Annum eſt occupatum. Templum Oppidi Nagy Tapolczan cum reliquarum possesſionum ad arcem Nagy Tapolczan cum reliquarum possesſionum ad Arcem Nagy Tapolczan pertinentium, Templis, ſcholis & Parochiis occupata ſunt poſt 1608. Annum per Dominum Sigismundum Forgacz, Palatinum, & ejusdem relictam.

Templum possesſionis Nagy Jacz in præjudicium Compatronorum Evangelicor. per Relictam prælibati quondam Dn. Sigismundi Forgacz poſt 1624. Annum eſt occupatum cum Parochia & proventibus. Templa possesſionis Moczonok, Uregh. & Czapor poſt 1608. Annum per Reverendisſimum Dominum Valentinum Lepeſs, Epiſcopum Nitrienſem unà cum proventibus & Parochiis occupata, Concionatoresque ejecti ſunt. In Dominio Arcis Korlatkœ univerſa Templa, partim circa 1618. partim circa 1635. Annos per posſesſores ejusdem Domini occupata, & Concionatores ejecti ſunt.

In Trenchinienſi. In bonis Arcis Bicze duo Templa in eodem Oppido Bicze, unum majus alterum minus, non ſolum ab incolis, verum etiam à Compatronis Nobilibus Posſesſionum Hlinik, Nemes & Kis Kottyoſſœ; Egregiis videlicet, Georgio, Joanne & Stephano Rabovska, Raphaële & Georgio Hliniczky, & Franciſco Stupiczky, & aliis Nobilibus ibidem exiſtentibus, qui certas terras arabiles, ad eandem Eccleſiam Biczenſem contuliſſent, per Illuſtrisſimum quondam Dominum Comitem Nicolaum Eſzterhazy, aliâs Regni Hungariæ Palatinum, ſunt occupata.

Majus quidem Templum circa Ann. 1630. minus verò circa 1632. Annum: Templum posſesſionis Gefrenicze per eundem Comitem Palatinum, unà cum filialibus Eccleſiis in præjudicium reliquorum Compatronorum Magnatum & Nobilium, circa 1632. Annum eſt occupatum. Templum posſesſionis Alſo-Hriczo ſimiliter per eundem Dominum Comitem Palatinum in præjudicium aliorum Compatronorum, Magnatum, & Nobilium, circa præmiſſum tempus eſt occupatum.

Templa duo in posſesſionibus Kis Suczan & Predmir, ad Kis Suczan per eundem Dominum Comitem Palatinum, unà cum filialibus Eccleſiis ad easdem pertinentibus circa præmiſſum tempus ſunt occupata. Templa posſesſionum Ribny, Dric, Toma, Apati, Jſtebnicz, Piſpekfalva, utraque Apatfalva, cum filialibus Eccleſiis circa annum 1618. per Reverendisſimos quondam Dominos, Petrum Fazmany, & Valentinum Lepes ſunt occupata.

Templa in bonis Oroſzlanykœ cum filialibus Eccleſiis per Reverendisſimum Dominum Georgium Jakuſith, Epiſcopum Agrienſem, circa 1630. Annum ſunt occupata. Templum Oppidi Domanicz per Magnificum Dominum Danielem Eſzterhazy in præjudicium reliquorum Compatronorum circa 1630. Annum eſt occupatum.

Templum posſesſionis Szlopna in præjudicium posſesſorum Evangelicorum per Reverendisſimum Dominum Georgium Jakuſith., Epiſcopum Agrienſem circa 1634. Annum eſt occupatum.

Templum posſesſionis Cziczmany per Magnificum Dominum Paulum Sereny circa 1632. annum eſt occupatum. Templum Tepliczenſe ad arcem Streczen pertinens, non ſolum ab Incolis, ſed etiam à Compatronis, utpote Posſesſoribus posſesſionis Nedecze cum reliquis filialibus Eccleſiis per Magnificum quondam Dominum Stephanum Veſeleni circa 1624 annum eſt occupatum.

In bonis arcis Lictava Magnificus Dominus Franciſcus Revay in præjudicium nonnullorum posſesſorum Evangelicorum prætactæ Arcis Lietava, Templa cum posſesſionibus Viſnove, Drnove, Stranske, cum filialibus ad easdem pertinentibus occupavit. Item in posſesſionibus Kinezova Lahotta ſub arce Lietava Subditos ad Eccleſiam Lietavienſem pertinentes, idem Dominus Franciſcus Revay ab eadem Eccleſia in proprium uſum ademit.

Ad Parochiam Oppidi Beczho ab antiquo ſpectantes tres Subditos in eodem Oppido commorantes, ſplendidi ac Magnifici Domini, Daniel Eſzterhazy, & Ladislaus Revay circa 1634. Annum occupârunt, quos etiam de præſenti posſident.

In bonis Arcis Ovar & posſesſionibus Streczen & Belany, proventus ad Eccleſiam Varinienſem pertinens, per Dominum Franciſcum Veſeleny ſunt occupata, & eadem Terra arabilis Egregio Nicolao Horvath eſt per eundem collata.

In Barſienſi Templum posſesſionis Kis Kezzu per posſesſores Arcis Leva circa Ann. 1630. cum Parochia & ejusdem Proventibus occupatum: ac Incolæ posſesſionis Solmos, quæ erat filialis Eccleſiæ Vyſalvenſis, ab eadem Eccleſia avulſi & ad Parochiam dictæ posſesſionis Kis Kezzu per eosdem posſesſores ſunt applicati.

Templa posſesſionum Szikava, Kereztur, Fenœkoſztolan, per posſesſores Caſtri Kis Tapolczan ante 1638. Annum, unà cum Parochiis & proventibus occupata ſunt.

In Hontenſi. Templum Oppidi Bad per Posſesſores Arcis Leva poſt 1618. Annum cum Parochia & ejusdem proventibus occupatum eſt. Templa Oppidi Zebechleb & posſesſionis Nemeti, unà cum Parochia, Schola & proventibus per præfectum S. Benedicti de juxta Gran, Capituli Strigonienſis, poſt 1618. Annum occupatum eſt.

Templum posſesſionis Leſzenie cum Parochia, Schola, & proventibus circa 1618. Annum eſt occupatum.

In Neogradienſi. Templum posſesſionis Gaczalya per Illuſtrisſimum quondam Comitem Sigismundum Forgacz, ſeniorem, poſt 1608. annum unà cum Parochia & Schola eſt occupatum.

Templum posſesſionis Maskfalva cum Parochia & iisdem proventibus per præfatam quondam Dominam Catharinam Palffy circa 1625. annum occupatum.

Templum posſesſionis Roſa lehota per Illuſtrisſimum Dominum Comitem Adamum Forgacz occupatum eſt. In uſu continuo pulſus Cam-

Campanæ Evangelici Inhabitatores Arcis & Confinii Tilkiensis ante 1638. Annum fuerunt, ita videlicet quando aliquis præcipuorum Nobilium ac Militum è vivis excessisset pro facultate quorumvis pulsabatur Campana Arcensis tempore deductionis funerum ad sepulchra eorum. Nunc nescitur, sub quo prætextu usus ejusdem Campanæ non conceditur iisdem.

In Zoliensi. Templum possessionis Selnicze per possessores præposituræ Turocziensis circa 1618. annum, cum Parochia & Schola, excluso Evangelico Concionatore occupatum est.

In Liptoviensi. Templum Possessionis Kvaczan cum Parochia, Scholis & Proventibus post 1608. Annum occupatum est.

In Scepuziensi, Templum Oppidi Mind Szent, unà cum parochia & ejusdem Proventibus, ejecto Evangelico Concionatore per Relictam Viduam Illustrissimi quondam Comitis Christophori Thurzo ante 1638. Annum est occupatum. Proventus Parochiales possessionis Leuchopsh, alias ad Ecclesiam Farkas falva pertinentes per egregium quondam Georgium Hoffman post Annum 1608. adempti sunt.

In Gyomœriensi Templum possessionis Krasna Hurka, Varalia per Generosam quondam Dominam Sophiam Becz Petri Andrassi relictam Viduam, & Nepotem ejusdem Matthiam Andrassi, una cum filialibus Ecclesiis & proventibus Parochialibus post Annum 1618. occupatum est.

In Tornensi. Templum possessionis Torlœ cum Parochia & ejusdem proventibus per possessores Arcis Krasna Hurka post 1608. Annum occupatum est.

In Sarosiensi. In bonis Hertnekiensibus Templa ferè omnia cum parochiis & proventibus parochialibus per dictam quondam Dominam Catharinam Palffy, post 1625. Annum occupata sunt.

In Zempliniensi. Templum Oppidi Homonna per Tutores Illustrissimi quondam Comitis Johannis Drugeth de Homonna circa 1628. Annum, una cum filialibus Ecclesiis, schola & proventibus occupatum est.

In Comitatu de Ungh Templum majus Oppidi Ungh Var ab Illustrissimo quondam Domino Comite Georgio Drugeth de Homonna, unà cum antiqua parochia & Proventibus ex arce ad eandem pervenire solitis circa 1618. Annum occupatum est. Præfatus Dominus Comes Homonnay & Plebanus pro tempore Gerenyensis Samuel Kalmanczai ex possessionibus Fœlsœ & Alsó Domonya dictæ Ecclesiæ Ungh Variensis filialibus Evangelicum Concionatorem exturbaverunt, easdemque possessiones à prætacta Ecclesia Ungh Variensi cum universis earundem proventibus avulserunt, ubi etiam de præsenti Monachus quidam intertenetur.

In possessione Doboruszka, Magnificus Dominus Franciscus Daroczi ab Evangelico Concionatore ejusdem possessionis ex propriis segetibus Allodialibus ab Antiquo eidem dari consuetum proventum post 1628. Annum ademit. Pari ratione successor ejusdem Ladislaus Kubini in hunc usque diem à tempore apprehensionis eorum Bonorum nullum hujusmodi Proventum eidem Concionatori reddi curavit.

GRAVAMINA.

Annum 1638. Subsequuta.

IN Comitatu Senigiensi Templum Oppidi Kiskomarom per Reverendissimum Dominum Georgium Jakusith pro tunc Wesprimiensem, nunc vero Agriensem Ecclesiarum Episcopum, in An. Dn. 1638. ejecto Concionatore Evangel. est occupatum, ac insuper pro non dimissione Cōcionatoris Evang. aliquos civium incaptivando & incarcerando eosdem eò usque nondimisisset, donec primum septingentos & post ducentos florenos Hungaricales ab eisdem Oppidanis extorsisset, demum sub quadraginta florenorum Hungaricalium mulctâ eosdem Incolas seorsim & singillatim ab intertentione Concionatoris Evangelici prohibuisset, extorquendo literas reversales à prætactis Oppidanis super præmissis.

Et nunc etiam Reverendissimus Dominus Georgius Szelpcheny Episcopus modernus Wesprimiensis Plebano Romano-Catholico in prætactam Arcem constituto & collocato ad proventus parochialis restitutionem eosdem Oppidanos compellit.

In Comitatu Thurocensi Templa oppidorum Sz. Marton Moschocz & Duran, ac possessionis Bela cum Parochiis, scholis & proventibus per Magnificum Dominum Franciscum Revay contra conditiones tempore suæ inaugurationis in supremum Comitem Comitatus Thurociensis, ab universitate Magnatum & Nobilium ejusdem Comitatus super protectione Evangelicorum Concionatorum eidem præpositas, ac solido juramenti sacramento deposito per eundem benevolè acceptas, ejectis & exturbatis Concionatoribus Evangelicis cum præjudicio cæterorum Compatronorum, Magnatum & Nobilium in anno 1639 occupata sunt.

Templum possessionis Blatnicza, cum Parochia, schola & proventibus per eundem Dominum Franciscum Revay in præjudicium reliquorum Compatronorum anno 1639. occupatum est.

Subditos insuper ad prætactas Ecclesias pertinentes, variis comminationibus ad amplectendam Religionem Romano-Catholicam coëgit, à frequentatione Templorum Evangelicorum eosdem, erectione patibuli, prohibuit, ab usu Campanarum & loco sepulturæ tam in Templis quam Cœmeteriis Nobiles Compatronos æque ac miseros Incolas prædictorum Oppidorum & possessionum privavit, & cum demortuorum corpora ex præscriptis Oppidis & possessionibus more Christiano Cantionibus ruri sepelienda exportarentur, propterea etiam eosdem carceribus inclusos detinuit; Quorum verò corpora in Cœmeteriis sepeliri permisit, ab eisdem Plebanus Romano-Catholicus non exiguam pecuniæ mulctam exegit. Ad hæc ab Ecclesia Oppidi Szuczan idem Franciscus Revay possessionem Styavniczka & Kleczin occupavit, ac prætactæ occupatæ Ecclesiæ Duraniensis, cum cunctis suis proventibus ad eandem dari consuetis applicavit.

Similiter terram cum prato Rovna nuncupato ab Ecclesia Nobilium Patronorum Divæ Hele-

Helenæ avulsit, & Ecclesiæ Oppidi Sz. Marton occupatæ contulit. Insuper proventus tam ab Allodio suo Borová, quam etiam ab Arce Sklabina, sicut & per certos suos subditos ad Ecclesiam præfatorum Nobilium semper, & à memoria hominum præstari consuetos, præstare denegavit & prohibuit, Ministrumq; Ecclesiæ ejusdem ab usu liberi pascui, & lignorum succisionis, in quibus semper liberum usum habuit, prohibuit; prælibatos verò Nobiles Patronos in ipsorum Jurisdictione, quam in dicta Ecclesia, Schola & Parochia haberent, diversimodè impedivit, non curatâ transactione cum iisdem ratione ejusdem Ecclesiæ initâ. Pari ratione Patres Jesuitæ ab Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis, quæ plurium Nobilium possessorum est, in bonis ipsorum certos proventus occupaverunt, ac per subditos eorum dari denegaverunt.

In Comitatu Wesprimiensi, Templum possessionis Dobron per Reverendum Patrem Alfonsum Ordinis primi Pauli Eremitæ, Papensem Vicarium, ejecto Concionatore Evangelico, una cum Parochia & ejusdem proventibus est occupatum.

In Comitatu Castri ferrei post occupationem Templi Vép à Familia Erdödi, quædam Domus pro Auditorio Evangelicis fuit concessa & collata, eandem etiam Domum Dominus Comes Georgius Erdôdi in anno 1642. ejecto Concionatore Evangelio, occupavit.

In Comitatu Comaroniensi, Templum Oppidi Comarom, Magnificus quondam Dominus à Reifenbergh, alias ejusdem confinii supremus Capitaneus, una cum Turri, Parochia & Domo Scholari Anno Domini 1621. funditus destrui curaverat. Loco ejusdem Templi Incolæ prætacti Confinii ex materia lignea dum alterum extrui curassent, idem Templum jam brevi collapsurum muro lateritio renovari volentes, per Dominum Martinum Spatzay ejusdem Confinii Vice-Capitaneum impediti sunt, non curato eo, quod Raszciani in eodem Confinio propiùs ad fortalitium Templum lateribus extructum habeant.

In Comitatu Mossoniensi, Templum possessionis Ranock filiale, à Templo Oppidi Mosson in Anno 1643. per possessorem ejusdem possessionis occupatum & avulsum est.

In Comitatu Nitriensi, in bonis Arcis Baynocz Templa ejusdem Oppidi Baynocz, ac possessionum Koss, Penlova, Lazan, Kanianka & Boruba per Officiales Illustrissimi Domini Comitis Pauli Palffi ab Erdôd, judicis Curiæ Regiæ &c. cum Parochiis, Scholis, & earum proventibus, exturbatis Concionatoribus Evangelicis, circa 1638. & 39. Annos sunt occupata. Templum possessionis Beletz per Magnificum Dominum Ladislaum Forgacz circa Annum 1643. est occupatum. Templum possessionis Kraszna per Officiales Arcis Hrusso, exturbato Concionatore Evangelico una cum Parochia & proventibus circa annum 1639. est occupatum.

Templum possessionis Nagy Repen cum filialibus Ecclesiis per Magnificum Dominum Miachaëlem Wiszkeleti post 1638. annum est occupatum.

Templum Oppidi tot Vyhely ad Vagum per Dominum quondam Comitem Joannem Drugeth de Homonna in reversu suo ex Comitiis Posoniensibus 1638. celebratis, una cum possessionibus Andet, Pobedin, & Bashotz, contumeliosè ejecto & exturbato Superintendente, Evangelico Concionatore, cum Parochia, Schola, & proventibus earum est occupatum.

In bonis Arcis Galgocz, Pistyen, Udvarnock, Sz. Peter, Bayna & Vilnak, ac Possessionum Mandonitsh, Szerdahely, Banka Radnocz, & Barto, Templa, cum Parochiis, Scholis & proventibus, exturbatis Evangelicis Concionatoribus, per splendidos ac Magnificos quondam Dominos Adamum Thurzo, & Dominum Comitem Adamum Forgacz, nec non relictam viduam Magnifici quondam Domini Emerici Berstmi, partim post 1630. partim verò post 1638. annos sunt occupata.

Posteaquam Templum Oppidi Holitsh, quod olim communibus Oppidanorum ac nonnullorum adhuc superstitum expensis fuerat restauratum, ab Evangelicis est occupatum, qui quidem Evangelici de altero noviter extruendo Templo in loco Coemeterii jam necessariò providere coguntur; Dignum itaque esset, ut hoc ipsum Templum communibus Oppidanorum expensis extruatur, & materia necessaria per Dominos Terrestres ejusdem suppeteretur, ratio enim ipsa dictaret, ex quo prius Templum communibus expensis est ædificatum, huic ut quoque similiter provideatur.

Eadem ratio esset Evangelicorum Zakoloziensium Augustanæ Confessionis, quibus Domus deserta pro exercitio Religionis eisdem collata, non solùm ab iis erat occupata, sed nec dum extrui eisdem permissa, imò ab exercitio Religionis quoque arcerentur. Ut itaque iisdem quoque vigore Diplomatis integrum & licitum sit, super fundo domus istius desertæ communibus expensis Civitatis Templum exædificare; consimiliter etiam Nobilium ac Civium aliorumque Helveticæ confessionis Evangelicorum in eadem Civitate Zakolczensi degentium status requirit, ut ii quoque liberum suæ Religionis exercitium habeant, & tam ipsi, quàm eorundem Ministri, absque quovis impedimento ibidem manere possint, vis Diplomatis & ratio communis æquitatis dictat. Proventuum Parochialium & sedecimæ medietas tam per Civitatis Zakolcza, quam Oppidi Holits Plebanos hactenus concionatoribus Evangelicis fuit denegata. Essent etiam quædam Domus & Vineæ in prætacta Civitate Zacolzka, testamentaria dispositione quorundam Evangelicorum Concivium hisce temporibus pro usu & sustentatione concionatoribus legatæ, ut in iis Evangelici sub quovis prætextu ne turbentur, prætactique proventus Evangelicis Concionatoribus restituantur, postulat Status Evangelicus. In possessione quoque Kato exercitium Evangelicæ Religionis est sublatum.

In Posoniensi. Cives Regiæ ac liberæ civitatis Tyrnaviensis Evangelicæ confessionis conqueruntur gravissimè, quod ad ceremonias Religioni ipsorum contrarias peragendas per Magistros Czehæ & contuberniorum cogantur; ac à Templo quoque eorundem ad instar aliarum

rum Domorum Civilium, omnes censusannuatim præstare adigantur, cùm & alias Templa ubique locorum ab hujusmodi censibus profanis privilegiata esse deberent. Accederet etiam, quod ex quo Plebanus Tyrnaviensis Romano-Catholicus ex communi proventu Civitatis suum Annuale salarium haberet, & alias Cives quoque Evangelici æqualiter cum Catholicis tales contributiones præstarent, ut Minister quoque ipsorum Evangelicus, ex communibus hujusmodi proventibus Civilibus annualem solutionem habeat, Templumque illorum ab hujusmodi censibus liberum & immune reddatur, Civesq; Evangelici ad nullas Religioni ipsorum contrarias ceremonias peragendas, juxta continentias moderni Diplomatis, per quosvis compellantur, dignum judicaretur.

In Liptoviensi, Templum possessionis Teplá una cum Parochia, Schola & proventibus per Magnificos Dominos, Franciscum & Sigismundum Horvath, de Viegla, & Egregium Ladislaum Cubini, cum gravi præjudicio reliquorum Evangelicorum Compatronorum Nobilium post 1638. annum occupatum est. Hi Compatroni Nobiles & Incolæ Evangelici post Templi & Parochiæ occupationem in propriis ipsorum fundis Concionatorem Evangelicum detinuerunt, qui quidem Concionator per Servitores Domini Francisci Horvath, quotidiè molestiis turbatur & vexatur.

In Scepusiensi, Templum Oppidi Doman falva cum Parochia & ejusdem proventibus per officiales Arcis Scepusiensis post 1638. annum est occupatum. Templi Oppidi Kaposzta falva Sanctuarium & Templi Oppidi Czetertekhely sacellum Templo contiguum splendidus ac Magnificus Dominus Stephanus Chak post 1638. annum occupavit. Templa possessionis Kaczinghely, Fôlsô lapis Krampack Fridman, Nyedecze, Mattyasfalva, & Blandek una cum Scholis & Parochiis, earumque proventibus per Magnificos Dominos Stephanum & Andream Palocz, post 1638. annum occupata sunt.

In Barsiensi Templum Oppidi Sarnocza, cum Parochia, Schola, & proventibus, exturbato per Dominum Magnificum Melchiorem Dochi Evangelico Concionatore post 1638. annum occupatum est.

In Hontensi, Templum possessionis Fôlsô Almás per spendidum ac Magnificum Dominum Comitem Ladislaum de Chak post 1638. annum, una cum Parochia & proventibus occupatum, & ad Parochiam possessionis Beczenicz, quæ Præpositurae de Sagh esset, applicatum est. Templum possessionis Wiszoka, similiter per præfatum Dominum Comitem Ladislaum de Chak, post 1638. annum cum Parochia & proventibus decimalibus occupatum est, ac Concionatoris Evangelici possessioni Fôlsô Tot Baka proventum sedecimalem, ex Territorio & Promontorio possessionis Alsó Toth-Baka ab antiquo eidem provenire debentem, ademit. Templum possessionis Brinofalva per Magnificum Dominum Stephanum Kohari, exturbato Concionatore Evangelico, una cum Parochia & proventibus post 1638. Annum occupatum est.

In Saarosiensi. Templa possessionis Fôl & Alsô Sebes per præfatam quondam Comitissam Dominam Catharinam Palffi post 1638. annum occupatum est.

In Abauyvariensi. Templa Oppidorum Fôlsô & Alsô, Meczenzeff, per Reverendissimum Dominum Georgium Jakusith, Episcopum Agriensem, ac Præpositurae Conventus Ecclesiæ Jaszoviensis Administratorem post 1638. annum occupata sunt.

In Szempliniensi. Templum Oppidi Varrano, una cum Schola & Parochia, proventibus ac duabus possessionibus ad eandem Parochiam per Illustrissimum quondam Dominum Stephanum de Bathor, alias Judicem Curiæ Regiæ Majestatis, præfatus quondam Comes Johannes de Homonna, & Consors ejusdem, Domina Comitissa Anna Jakusith, post 1638. annum occupaverunt. Templum possessionis Kutsin per Egregium Stephanum Duka, excluso Concionatore Evangelico in præjudicium reliquorum Compatronorum post 1638. annum est occupatum.

Cùm itaque Sacratissime & Augustissime Imperator, Domine Domine nobis Clementissime,

MAjestas Vestra Sacratissima præscripta universa & singula Gravamina, vigore Diplomatis sui Regii, cum satisfactione nostra se complanaturam clementer obtulerit, nec alienum aut novi quidpiam, sed incolumitatem Patriæ duntaxat nostræ charissimæ & conscientiarum libertatem, etiam id tantum, quod ab Evangelicis occupatum esset, restitui justè expetamus. Ob id eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquam justissimo Judici & Pientissimo Imperatori, humillimè supplicamus. Eandemque etiam per viscera misericordiæ DEI Altissimi obsecramus, dignetur Autoritate Suâ Cæsareâ & Regia controversiam hanc præscriptorum occupatorum Templorum, Parochiarum & bonorum ad easdem pertinentium, modo & formâ in Diplomate præscriptis, ac cum satisfactione nostra clementer complanare. Nisi enim plenaria complanatio controversiæ hujus in præsenti instituatur, & omnimodè Articulus iste ita componatur, ut utraque pars scire possit, quid in posterum una ab altera sibi polliceri debeat, neque Status ipsi, neque plebs afflictissima, firma certaque securitate frui poterunt, sed continuò de imminente periculo hærere debebunt. Ad quod malum tollendum, & ad revocandos Statuum & subditorum, ad quietem & concordiam mutuam animos, Majestatem Vestram Sacratissimam juxtà benignam suam assecurationem clementer assecurari, Patriamque nostram charissimam ab extrema dissipatione ac interitu vendicaturam spe certâ & humiles confidimus. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam Paternam DEus maximus, qui ipsissima est veritas, largiter rependet, nosque omnes & singuli etiam humillimis nostris servitiis demereri nullatenus omittemus. Eandem Majestatem Vestram Sacratissimam diu & fe-

& felicissimè valentem victoriosè imperare animitùs desiderantes, benignum ad prædicta justa postulata nostra supplices expectamus responsum.

Sacratissimæ Majestatis
Vestræ

Fideles Humillimi & perpetui subditi

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

NOn tamen placuit Dominus Catholicis ista, mediante authoritate Suæ Majestatis, Gravaminum Religionis complanandorum via. Quapropter eadem repudiatâ, compositionis amicabilis media amplectendi ratio potior visa fuit, quem in finem posteaquam Sua Majestas Dominos Comites à Kurtz, Martinecz, & Dominum Prickelmair pro Mediatoribus inter Status Catholicos & Evangelicos ordinasset, obtinuit Dominus Palatinus, ut Evangelici quoque è medio sui, cum quibus tractari posset, deputarent. Ii autem fuerunt Domini, Ludovicus Nyarii, Paulus Osztro, Zith, Paulus Szemere, Andreas Klobucziczky, Barra, Zakary, & alii nonnulli, quo tractatu durante Status Evangelici ad Instantiam Catholicorum die 15. Novembr. Resolutionem suam sequenti scripto declaraverunt.

Resolutio ultimaria Dominorum Statuum & Ordinum Evangelicorum ratione quarti Puncti Diplomatis, exhibita Suæ Majestatis Consiliariis Intimis die 15. Novembr. Anno 1646.

QUandoquidem Sua Majestas Sacratissima per speciale suum Decretum Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelicos anno 1638. clementer assecurasset, quod videlicet ratione Templorum ab Oppidanis & Villanis ab anno 1608. usque ad annum 1638. occupatorum, inquisitionem clementer instituere dignabitur, ac ut etiam particulæ Conditionis sextæ Diplomatis Regii (eandem spontè & liberè acceptare volentibus) per omnia satis fiat. Itaque postulant iidem Status & Ordines Evangelici, ut Vice-Comites Comitatuum eorundem, in quibus videlicet talia occupata Templa vel Auditoria adjacere dignoscuntur, assumptis secum è Statu Catholico & Evangelico pari numero personis, potioribus videlicet Nobilibus & Juratis Assessoribus Comitatuum, per eosdem Comitatus deputandis, & soluta præsenti Diæta statim intra spatium duorum Mensium inclusivè, sub amissione honoris, officii, eorum videlicet Vice-Comitum, & sibi adjungendorum ad necessitates confiniorum Regni immediatè & irremissibiliter exequendorum & applicandorum, ac non nisi condignâ æstimatione mediante redimendorum, ad facies ejusmodi Oppidorum, Villarum, imò etiam Confiniorum, accedere, factaque fideli (non admissis tamen locorum eorum Dominis Terrestribus, Capitaneis, vel eorum Officialibus (super numero sessionatorum, indigenarum Inquisitione, si plures reperirentur in ejusmodi Oppidis, Villis & Confiniis, tales sessionati Indigenæ Catholici, quam Evangelici, eisdem Catholicis, sin autem Evangelici, Evangelicis ejusmodi Templa & Auditoria occupata, una cum Proventibus Parochialibus, exceptis tamen solutionibus personalibus (quas quælibet pars suæ Confessionis Ministro pendere debeat) immediatè restituere debeant & teneantur.

Parti tamen alteri licebit Parochum suæ Confessionis seu Ministrum intertenere, ac in fundo Confinii, Oppidi vel Villæ communi pro exercitio Religionis Suæ aliud Templum, Parochiam & Scholam, communibus expensis omnium indegenarum exstruere, vel ruinosa restaurare, pro quibus quidem extruendis illi iidem Vice-Comites cum sibi adjungendis Personis, tempore ejusdem Inquisitionis & Executionis, certum locum etiam idoneum demonstrabunt: Hoc tamen expressè declarato, quòd si in talibus Oppidis, Villis & Confiniis bina vel plura reperiantur Templa, extunc alterum eorum parti alteri assignandum foret, ac usus sepulturæ utrique parti ubique communis maneat, bonaque & Proventus à Templis & Parochiis Evangelicorum, quæ de præsenti etiam per eos possiderentur) quandocunque & qualibuscunquen viis abstracta, abalienata, iisdem Evangelicis restituantur.

Quæ autem templa ab anno 1638. usque ad disturbia fuissent occupata, quandoquidem Majestas Sua Sacratissima eodem speciali suo decreto clementer cavisset, ne per ejusmodi occupationes Templorum ad dissidia & dissensiones Regnicolæ ad invicem occasionem darent, ac per piè Defunctum Dominum Palatinum etiam, de non occupandis in posterum Templis, iidem Status & Ordines Evangelicæ aliquot vicibus firmiter assecurati extitissent, unde propterea nullæ omninò occupationes Templorum fieri debuissent.

Ob hoc talia Templa & Auditoria, unà cum Parochiis, Scholis, Bonis & quibuslibet attinentiis eorum simpliciter, & absque ulla inquisitione per prædictos Vice-Comites, & sibi adjungendas Personas, sub pœna præscripta, terminoque præfixo, eo facto restitui deberent.

Quantum autem ad Templa sub præteritis disturbiis occupata, ac Dominis Catholicis vi Diplomatis Suæ Majestatis Regii restituta attineret; quia ratione nonnullorum ex iis Gravamina per Evangelicos in præterita Anni 1638. Diæta Majestati Suæ Sacratissimæ exhibita, nonnulla autem post ejusdem Anni 1638. Diætam per Dominos Catholicos occupata extitissent, eorundem etiam Templorum negotium, non obstante restitutione præmissâ, modo per omnia, ut supra, simili per eosdem Vice-Comites Comitatuum cum sibi adjungendis rectificetur & complanetur effectivè, ita videlicet, ut quæ ante annum 1638. essent occupata, mediante præmisso modo fiendâ inquisitione, quæ autem post essent adempta, simpliciter termino in præfixo, & sub præ-

prædeclarata pœna, iisdem Evangelicis restituantur.

Sed nimis dura resolutio ista Dominis Mediatoribus visa fuit, adeo ut perlecto mox libello impossibilia petere Evangelicos exclamaverint, die autem 18. Nobembr. insuper causam iniquitatis fovere eosdem dixerint, assignato eis sequenti Scripto, ad Evangelicos cœteros pro tunc in Domo Regni congregatos perferendo.

PUNCTA.

Per quæ fortè posset deveniri ad Concordiam, per Dominos Catholicos Evangelicis exhibita die 18. Novembr. Anno 1646.

PRimò, Statibus & Ordinibus liberum Religionis exercitium juxta primùm hujus diplomatis punctum permaneat, non modò cum usu Templorum, sed & Jure Patronatus eorum, qui tamen propter Bonum pacis, excepto loco Residentiæ, in aliis Templis diversæ Religionis exercitium non introducent invitis Oppidanis & Villanis.

Secundò Templa Catholicorum, quæ hodie in manibus eorum sunt, ita permaneant, exceptis iis, quæ hisce disturbiorum Temporibus adempta, juxta Diploma restituenda sunt.

Tertiò, ut vero partes majori sinceritate & certitudine fruantur, neque in prædictis Concessionibus impediantur, statuitur pœna in eos, qui deinceps adversus præsentes Constitutiones delinquerent, ita videlicet, ut Judex sit tabula Regia in quibusvis Regni Comitiis, & qui templum contra statuta occupaverit, primâ quidem vice in Thaleris 500. cum restitutione Templi, secunda vice, si reoccupaverit, in mille Thaleris, si tertio idem fecerit, in ammissione Pagi aut possessionis ad Coronam Fiscumque Regium devolvendæ, convincatur, & per executorem à tabula constituendum, protinus exequatur. Ecclesiastici, loco amissionis possessionum, 1000. tandem Thalerorum pœnam incurrant.

Sub hoc tempus prodiit in lucem aliud Scriptum Catholicorum ejusdem generis, pridem quidem conceptum, nec tamen publicatum, sequentis tenoris:

Scriptum Catholicorum non publicatum.

DE Templis verò conclusum est, ut Jus Patronatus penes Dominos Terrestres juxta leges patrias maneat, cum Rusticos in fundo Domini sui nihil præter mercedem &c. Porrò Domini salvô alioquin Jure Patronatus ipsorum, propter bonum Pacis eò condelcendent, ut deinceps exceptis illis, quæ in locis residentiæ usui proprii exercitii Religionis necessaria sunt, alia non occupent. Templa verò utrinque accepta & occupata in Pagis & Oppidis in eo statu, in quo nunc sunt, permaneant. Proventus Ecclesiarum à Templis non avellantur. Ut verò de observatione prædictorum securitas sufficiens præstetur, in singulis Regni Comitiis primo quovis anno celebrandis, Suæ Majestatis Tabula Regia delinquentium adversus Concessiones Religiosorum judex esto. Et si quis contra Constitutiones Templa ademisse convictus fuerit, primum quidem pro singulis in quingentis Thaleris Imperialibus, secundò reoccupans in mille, tertio in amissione Villæ ad Viscum Regium devolvendæ convincatur, & reali executioni demandetur. Quoniam in Civitatibus Soproniensi, Posoniensi, Tyrnaviensi & aliis, Status Evangelicus suæ Religionis Exercitia cum requisitis habet; Statutum est quoque in Civitatibus Montanis, Leuchoviensi, Cassoviensi, Epiriesiensi, Bartphensi, Cibiniensi, ubi plura Templa habentur, & aliàs per Catholicos Romanæ Ecclesiæ ædificata, ut ubique pro bono pacis unum Templum prædictis Catholicis pro exercitio illorum Religionis assignetur.

Exhibita per Magnificum Dominum Mikulich Gravamina Universorum Clericorum 8. Octobr. Anno 1646. Statibus Regnicolarum.

COeterùm dura ista per Dominos Mediatores tam Scripto, quàm & jam oretenùs Statibus Evangelicis data responsio, eosdem mirum quantum offendit, desperatoque amicabilis compositionis successu, ad suam Majestatem denuò recurrere coëgit: quâ in re Libellus die 20. Novembr. suæ Majestati Cæsareæ & Regiæ exhibitus sequentis fuit tenoris:

Supplicatio Statuum Evangelicorum die 20. Novembris Suæ Majestati porrecta, medio Domini Ludovici Nyarij, Georgii Barna, & Jacobi Quæstoris.

Sacratissima Cæsarea, Regiaque Majestas, Domine Domine nobis Clementissime.

MOestos sanè & ferè lacrymabundos ad Majestatis Vestræ Sacratissimæ solium accedere nos Status & Ordines Evangelicos, coëgit Diætæ hujus modernæ tam inaniter extractæ hactenus impeditus Processus. Cujus rei etsi innocentes Nos insimulemur esse in causa: diversum tamen ratio, & æquus in tractatu ejusdem Diætæ per nos hactenus observatus modus indicant. Nunquam Nos vel diplomatibus Majestatis Vestræ Sacratissimæ præjudiciosè contradixisse, vel effectuationem eorundem cum tanto dis-

to dispendio temporis prætiosissimi retardâsse, quis est, qui non sciat? Amicabilem etiam compositionem ratione Quarti Puncti Diplomatis cum Dominis Catholicis, tam ante exhibitionem Gravaminum nostrorum Majestati Vestræ Sacratissimæ nuper factam repetitis vicibus, quam etiam post, ad benignum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Mandatum medio Excellentissimorum & secretorum suorum Consiliariorum nobis declaratum inire, eademque nos gaudere voluisse, ipsorum Dominorum Consiliariorum sincera recognitio testis esse poterit.

Ast dum ea, quæ Diplomatis virtus nobis facienda proponit, exequimur deque summo jure postulati nostri, ratione repetitionis Templorum ab anno 1608. usque ad disturbia ab Evangelicis occupatorum porrecti, (ut videlicet & conscientiæ salvarentur, & benignis Majestatis Vestræ Sacratissimæ assecurationibus satisfieret) remittendo partem duntaxat eorundem Templorum simpliciter alteram autem partem mediante Inquisitione, valido nixi fundamento repetimus, causæ injustæ patrocinari, per hocque Injustitiæ Fautores, audire non sine magna animorum acerbitate cogimur, cum tamen nihil aliud, quàm hactenus impeditæ Religionis usum, aliàs per pauperculam plebem in templis continuatum, ejusdemq; Exercitii reassumtionem, secundum clara & expressa Diplomatis verba, (quæ videlicet rusticos etiam, modo simili, ut status Religionem suam exercere posse & permitti debere, salutariter præscriberent) sollicitemus.

Desperata itaque prorsus cum iisdem Dominis Catholicis ratione illius Puncti concordia, cum & antiquæ interpretationes, quas Diploma non admitteret, circa eadem adducantur ac novæ Quæstiones & Tractatus (per Juris Patronatus reservationem, templorumq; etiam de futuro, ubi videlicet Dominis Terrestribus Residentiæ essent, ulteriorem occupationem fiendam) Diplomati omninò præjudiciosè institui clare videantur, nec quicquam eorum, quæ à tot annis cum tanta conscientiarum oppressione occupatum esset, restitui intendatur, verùm potius iniquis planè judicatis postulatis Nostris, (ad quæ tamen Majestas Vestra Sacratissima cum satisfactione nostra tollenda se in Diplomate clementer obtulisset) ab amicabili Tractatu cum iisdem Dominis Catholicis, modis & formis, quibus hactenus factum est, ulterius continuando, penitùs rejiciamur: ad Majestatem Vestram Sacratissimam, tanquam Patrem & Regem nostrum Clementissimum, vicissim confugere necessum habuimus, eandem Majestatem Vestram Sacratissimam humillimis exorantes Votis & precibus, dignetur jam tandem discordiarum Civilium tabem, per quam tot mala & calamitates in dulcissimam Patriam nostram invectæ essent, benignè tollere, injurias & gravamina nostra antehac in singulis Comitiis sine fructu, nunc demum ad assecurationem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiam sub spe firmissima, virtute Diplomatis eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè repræsentata, cum satisfactione nostra complanare, ut hoc modo stabilita inter subditos concordiâ Majestatem Vestram sacratissimam paci & tranquillitati communi studere, totus Orbis Christianus resciat, ac tali paterna sua Clementiâ Majestas Vestra Sacratissima nos omnes certatim ad præstanda sibi humillima fidelitatis officia alacriores reddat & efficiat.

Clementissimum Majestatis Vestræ Sacratissimæ expectantes responsum, Eandem diu & felicissimæ imperantem bono totius Christianitatis benè valere animitus desideramus.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis

Fideles humillimi & perpetui Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Inde ad diem usque 5. Decembris resolutio Suæ Majestatis expectata, proque eadem maturanda multiplices ex congregationibus Evangelicorum suburbanis quotidie habitis Nuncii ad Dominum Palatinum, Judicemque Curiæ, & Dominum Personalem, partim communi Evangelicorum nomine, partim autem peculiariter per Ablegatos Principis Transylvaniæ Comitatuumque eidem subjectorum instantiæ factæ, jamque de discedendi reque infectâ ad Principales redeundi venia à Sua Majestate impetranda per nonnullos deliberabatur, dum sequens Suæ Majestatis Decretum cum Informatione Catholicorum Eidem exhibita, Statibus Evangelicis assignatur.

Decretum Cæsareum, quo statui Evangelico Informatio Catholicorum circa gravamina Evangelicorum insinuatur Posonii die 5. Decembris 1646.

Magnificis, Egregiis, Prudentibus & Circumspectis, qui sub nomine Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Suæ Majestati Gravamina porrexerunt, assignandum.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Dominus Dominus noster Clementissimus benignè intellexit, qualia sub nomine Statuum & Ordinum hujus Regni Evangelicorum in hisce comitiis sibi fuerint humiliter exhibita Gravamina. Cum autem etiam Status & Ordines Catholici suam præsentaverint Informationem, ideò eadem Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas prædictam Informationem iisdem communicare voluit, priusquam ulterius quid statuat. Prouti hisce clementer communicat, ut si quid ulterius proponendum vel informandum habeant, dictæ suæ Majestati quantocyus & majori quâ fieri poterit brevitate exhibeant, Quos de reliquo sua gratiâ Cæsarea benigne complectitur.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Posonii die 5. Mensis Decembris. Anno 1646.

Georgius Orosij.

Informatio Catholicorum circa Gravamina Evangelicorum, ubi inter alia discutitur quæstio: An Catholici Domini templa sua propria in suis pagis

pagis & oppidis, quæ antehac exercitio Catholico addixerant, teneantur ad licitum rusticorum aut majoris partis pagi, ipsis concedere. Quæ quæstio multis rationibus in favorem Catholicorum deciditur, & ad argumenta Evangelicorum respondetur. Denique repræsentatur, quænam Catholici postulare adhuc possent in negotio Religionis.

VAstam querelarum sylvam & confertam gravaminum farraginem, per Evangelicos exhibitam, intellexerunt Catholici, quibus Majestatem vestram fatigare, nos onerare, Tractatus Comitiorum involvere & aggravare, pretiosi temporis jacturam facere parum pensi habuerunt. Singulis eorum ruminandis ac refutandis, non dies & menses, ne anni quidem sufficerent. Mirari satis nequeunt Catholici, talia ac tanta ab altera parte prætendi, ut iis admissis, regnum universum in immane chaos, & inseparabilem labyrinthum præcipitari, omnibus veteribus & novis Religionis concessionibus ac libertatibus contraveniri Catholicam demum Religionem prorsus conculcari ac opprimi oporteret; Quare in singula deducendo benignitate Majestatis Vestræ abuti videantur, illud in universo hoc scripto maxime considerant & animadvertunt, inter primaria turbatæ Religionis capita reponi, quod in bonis & pagis propriis templa invitis rusticis occupent, ac suæ Religionis exercitio adigant; quod absque omni turbatæ Religionis nota, & salvis quibusvis concessionibus ac legibus in favorem eorum constitutis, id sibi licere existimarint, suoque jure uti perrexerint hactenus Catholici. Hoc igitur punctum usque adeo principem locum inter querelas exhibitas tenere, ut in eo totius fere difficultatis cardo verti, & omnium gravaminum compendium in unum collectum haberi videatur, quo superato cætera omnia facile componi & complanari poterunt.

Ubi igitur satis ostensum fuerit ac declaratum, vel à Majestate Vestra juxta continentias novissimi Diplomatis determinatum, licere Catholicis templa in bonis propriis occupare, non erit amplius quod aera querelis explere, Majestatem Vestram lamentis fatigare, nosque turbatæ Religionis & Gravaminum plaustris toties onerare pergant, minus arreptis armis extremæ minæ & periculo patriam idcirco involvant.

Ut igitur Majestas Vestra clementer intelligat, ac si opus, authoritate sua determinare valeat, quam æquo jure, legibus patriæ, & concessionibus illæsis, ac sine injuria quorumvis id fecerint Catholici, breviter & demisse Majestati Vestræ Sacratissimæ duxerunt repræsentandum, ea quæ circa libertatem Religionis à Regibus Hungariæ diversis vicibus concessa sunt, in sequentibus articulis contineri.

Primò. Anno 1606. tempore pacificationis Viennensis sub Archiduce Matthia, Plenipotentiario videlicet Rudolphi Imperatoris, constitutus est primum de libertate Religionis in Hungariæ Regno admittenda Articulus, cum antea nullam prorsus à Romana fide alienum, ab ipsa sui ex Gentilismo conversione passa fuisset Gens Hungarica: quin imò severos contra omnes peregrinæ Religionis cultores & seminatores constituisset articulos. Ubi patet ex variis decretis S. Stephani lib. 1. cap. 1. Ferdinandi Imperatoris anno 1563. articulo 32. Ludovici secundi Budæ anno 1523. articulo 54. & in Constitutionibus anni 1525. factis in campo Raxos, articulo 3. & passim alibi. Est autem prædictus *Articulus* ille inter Statuta *Pacificationis Viennensis primus*, & sic se habet:

Quantum itaque ad negotium Religionis attinet, non obstantibus prioribus pro tempore constitutionibus publicis, sed neque articulo postremo anni 1604. (cum is extra diætam & sine Regnicolarum assensu adjectus sit, propterea etiam tollitur) deliberatum est; ut juxta Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis priorem resolutionem, ad quam se regnicolæ in sua replicatione referunt; Nimirum, quod omnes & singulos Status & Ordines intra ambitum Regni Hungariæ solum existentes, tam Magnates, Nobiles, quam liberas Civitates, & Oppida privilegiata immediate ad Coronam spectantia: Item in confiniis quoque Regni Hungariæ milites Hungaros, in sua Religione nusquam & nunquam turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Verum omnibus prædictis Statibus & Ordinibus liber Religionis ipsorum usus & exercitium permittatur; Absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis, & ut Clerus, Templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & illibata permaneant, atque ea, quæ hoc disturbiorum tempore utrinque occupata fuere, rursus iisdem restituantur.

Secundo. Extat *Diploma* quoddam *interpretatorium* Matthiæ Archiducis, postea etiam Regis & Imperatoris, quo ipse interpretatus est Articulum primum Anni 1606. cujus tenor est talis.

Nos Mathias DEI gratia Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis & Göritiæ, memoriæ commendamus tenore præsentium significantes recognoscimus & notum facimus, quod cum splendidi & Magnifici Stephani Bozkai de Kismaria, eique adhærentium Hungarorum Legati & Nuncii, in tractatu cum ipsis proxime concluso, super quorundam articulorum correctione, additione & explicatione, scripto singulari die 9. hujus mensis Septembris oblato supplicarunt; ob certas vero causas illis expositas, hujusmodi correctionem, immutationem aut additionem Tractatus jam hic conclusus, & à Majestate confirmatus amplius non patiatur: Ideò nos ea omnia, quæ præter paragraphum ultimum Articuli primi in medium adduxerunt, ad proximum diætam revidenda & complananda remittimus, prout in hoc etiam Domini ablegati ex rationibus supra memoratis quoque consenserunt. Quod vero prædictum paragraphum concernit, sicut omnia in dicto tractatu bona fide acta fuerunt, ita etiam dictum paragraphum in verbis: abs„que tamen præjudicio &c. Usque ad finem, non ma„la fide adjectum esse, sed ut utraque pars in eorum „Religione & exercitio & Templis non turbentur. In cujus rei fidem hasce literas manu nostra subscripsimus, & Sigillo nostro communiri fecimus.

In qua nimirum Viennensi concessione solis Statibus & Ordinibus, utpote Magnatibus, Nobilibus, liberis Civitatibus & militibus concessa fuit libertas Religionis, nulla prorsus Rusticis; quos proinde neque Articulus neque interpretatio Mathiæ concernebat. Anno demum 1608. etiam in Oppida & Villas extensa, ac Ru-

sticis libertas Religionis concessa fuit in hæc verba.

Quantum igitur ad primum Constitutionis Viennensis Articulum attinet, deliberatum est per Status & Ordines inclyti Regni Hungariæ, ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus, & Nobilibus, quam etiam liberis Civitatibus, ac universis Statibus & Ordinibus Regni in suis & Fisci bonis; item in confiniis quoque Regni Hungariæ, militibus Hungaris, sua cuique Religio & Confessio, nec non Oppidis & villis eam sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio à quoquam impediatur; quin imò ad præcavenda inter Status & Ordines aliqua odia & dissensiones, ut qualibet religio suæ professionis superiores ac Superintendes habeat, statutum est.

Tertio. Hic idem Articulus prædicti Anni 1608. renovatus est tempore coronationis Ferdinandi II. felicis reminiscentiæ, & positus inter conditiones numero 6. quæ conditio inserta est in Articulum secundum 1622. Sopronii editum, estque talis.

Quod Religionis negotium inter universos Status & Ordines Regni, in suis ac Fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariæ militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorem permansionem, juxta Constitutiones Viennenses & Articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illæsum & illibatum; ita videlicet, ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, universisque Statibus & Ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis Regni Hungariæ, nec non Oppidis & Villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur: nec quisquam cujuscunque Status & Conditionis existens in libero ejusdem usu & exercitio Religionis à Majestate Sua Regiâ, & aliis quibusvis Dominis terrestribus quovis modo, aut quovis prætextu turbetur aut impediatur.

Præterea sequentibus quoque annis & diætis renovatus est idem hic Articulus, videlicet anno 1618. Articulo 77. anno 1625. Artic. 22. anno 1630. Artic. 33. anno 1635. Artic. 29. ac denique in Diplomate moderni quoque Imperatoris ac Domini nostri Clementissimi, Ferdinandi III. tempore Coronationis suæ Statibus & Ordinibus concesso, diætæque Posoniensi anni 1638. Artic. 1. inserto, cujus tenor convenit ad verbum cum conditione sexta Coronationis, dicti quondam Ferdinandi II. felicissimæ reminiscentiæ, jamjam citata, quam proinde, ne idem sæpius repetamus, ex industria prætermittimus. Quibus ita positis, ex prædictis concessionibus concedunt Catholici Rusticis hæc sequentia fuisse data:

1. Ut quilibet possit eorum fidem Lutheranam aut Calvinisticam profiteri ac tenere, neque in eo à quoquam impediendos.

2. Similiter ut suam Religionem libere exercere, conciones audire, Sacramenta ritu suo percipere, & similia possit; & neque in hoc impediendos vel turbandos esse.

3. Posse rusticum ad alium Pagum, vicinum Templum & ubi suæ Religionis exercitium invenire poterit, accurrere, eoque liberè uti, hæc enim omnia fatentur cum libero usu exercitii fuisse concessa:

4. Demum in præsenti Diplomate Articulo tertio additum est, ut etiam volentibus rusticis liceat reducere expulsum Prædicantem in ipsum pagum, ibique intertenere exercitium in Domo, aut in aliquo loco habere publicum, neque in eo impediri debere, tanto magis, ut quoties opus fuerit, aliunde Prædicantem introducere, ejusque Ministerio uti liceat. Id quod de futuro tantum intelligendum, cum nunquam antea prius, nisi moderno Diplomate sancitum fuerit. Solum restat quæstio, an Domini Catholici Templa sua propria in suis pagis & oppidis, quæ ante hac exercitio Catholico addixerunt, propriamque Religionem & Catholicum Sacerdotem induxerunt, possessionemque pluribus annis roborarunt, teneantur ad libitum Rusticorum, aut majoris partis Pagi propria Templa ipsis concedere, idque ex vi prædictarum concessionum? aut aliter quæstio est, an Catholici Domini ante moderni Diplomatis emanationem & acceptationem, potuerunt sine læsione dictarum concessionum Templa in suis Pagis invitis & contrariæ Religionis existentibus Rusticis, pro se usuque exercitii Catholici usurpare.

Et quidem Catholici semper hactenus & adeo constanter partem affirmativam tuiti sunt, ut nequidem per Betlenianas, Turcis & Bohemis permixtas rebelliones turbasque & arma hoc sibi jus eripi sint passi, quin potius eo ad hoc usque tempus uti, & in possessione perseverare voluerunt. Et quidem sequentibus nixi rationibus.

Primo. Quia ex nulla unquam concessione, permissione, Articulo, Diplomate ostendi & probari potest rusticis concessum fuisse, jus Templorum & Patronatus, in præjudicium Dominorum suorum terrestrium; quod patet ex omnibus Actis, & revolutis concessionibus, Diplomatibus.

Secundò, quia nunquam hæc particula libero exercitio Religionis eorum addita reperitur; *unâ cum Templis.* Et quidem in Articulo illo Viennensi nihil eorum reperitur, ubi nulla fit mentio rusticorum, sed Statibus & Ordinibus duntaxat conceditur libertas Religionis. Similiter in anno 1608. prout & 1618. atque adeo concessione sexta Diplomatis coronationis utriusque Imperatoris & alibi nunquam fuit addita hæc particula libertati rusticorum; *unâ cum Templis.* Cum igitur ejusmodi concessiones, & extraordinaria indulta non plus valeant nisi quantum sonant, nulla ratione admittendum est Templorum jus rusticis esse concessum. Quin imò ex prædictis Articulis & concessionibus manifestè probatur, non rusticis sed potius Dominis terrestribus, qui sunt Status & Ordines, Templa fuisse concessa.

Et primò quidem ex ipso Articulo Viennensi, qui fundamentum est & caput omnium libertatum Religionis, & quidem confirmatum & renovatum in omnibus de Religione constitutis Articulis anni 1608. & 1618. conditionis sextæ Diplomatis, atque adeo hujusmet ultimi Diplomatis & pacificationis vigore, unde triplex eruitur argumentum. (1) Siquidem in dicta pacificatione solis Statibus & Ordinibus ac militibus conceditur libertas Religionis, rusticis

cis nequaquam. Hi nihil plane habent quod prætendant vigore illius, quin potius Domini terrestres, quibus hæc libertas data fuit. (2) Ex interpretatione Diplomatis Mathiæ, ubi expresse Templa Statibus & Ordinibus, qui nimirum tunc fuerunt partes, conceduntur; Licet enim prædicti Diplomatis validitas multis ex capitibus impugnari possit, utpote, quod non à Rege neque in ipso tractatu, sed post ex exspiratâ jam Plenipotentiâ Archi-Ducis, clam, occultè sine scitu reliquorum Commissariorum emanatum fuerit; contra illos tamen valet, cum ipsi extraxerint illam interpretationem, veluti genuinum sensum ipsorum quoque contrahentium, ac toties eo pro se usi fuerint.

Secundum argumentum ex eadem Pacificatione desumitur, quod Catholicorum Templa libera & intacta permaneant, unde patet evidenter ea Templa, quæ ad Catholicos Dominos pertinent, à diversæ Religionis rusticis usurpari non posse. Similiter & ex eo, quod hæc libertas sine præjudicio Catholicæ Religionis fuerit data etiam ipsis Statibus; quod autem majus præjudicium esse posset, quam si Rusticus Templum Domini sui Catholici eriperet, & sibi vindicaret, indeque Sacerdotem & exercitium exturbaret.

Tertiò non minus ex Articulo anni 1608. probatur Dominos Terrestres jus in Templa, non rusticos illud habere. Si enim hi ex eo, quod ipsis libertas Religionis concessa sit, prætendunt etiam Templa magis ipsi Domini, quibus eadem libertas & major est attributa. Imò expresse habetur in prædicto Articulo, ut Status liberum habeant exercitium ubique in suis bonis, ac proinde Templis, quæ sunt eorum bona propria, uti infra magis patebit.

Quartò similiter ex conditione sexta Diplomatis & Articulo anni 1618. comprobatur, ubi eadem verba repetuntur. Imo constat ex Actis & memoria illius anni 1618. diu multumque ursisse eos, ut exercitio Religionis libero adderetur particula, *unà cum Templis*. Evincentibus nihilominus firmissimis rationibus & legibus Catholicis, ex consensu etiam ipsorum particula illa fuit relicta, nec Diplomati inserta.

Quintò. Ex moderno Diplomate ejusque Articulo primo evidenter patet, Statibus & Ordinibus liberam Religionem cum usu templorum attribui, ergo Dominus Terrestris & non Rusticus habet usum templorum. Neque valet dicere, eandem in secundo puncto rusticis concessam esse libertatem, quod secus habet, cum ibi nulla mentio fiat de usu templorum, & illud, modoque ut supra simili non impediantur, de exercitio Religionis, non vero usu templorum esse intelligendum satis patet.

Sextò. Et ulterius, non debet admitti contradictio inter primum & secundum punctum hujus Diplomatis. Cum ergo in primo Articulo expressis verbis Templa sint Dominis Terrestribus concessa, non possunt in secundo puncto auferri eisdem & rusticis attribui. Quæstio enim quæ agitatur hæc est. An in Pago Domini terrestris, ubi rustici aliam Religionem profitentur Templum competat Domino terrestri vel rustico. Si Domino terrestri in priori Articulo dedimus, ergo non rustico, alioquin esset contradictio, & quod ibi maxime cavetur, turbaretur eatenus exercitium Religionis Catholicorum Dominorum per rusticos, & usus templorum, si in propriis Dominorum Catholicorum templis exercitium non liceret, quod est maxime indignum, proprios Dominos turbari, eorumque exercitium in propriis non admitti. Vel ergo in tali casu uterque suum exercitium habebit in eodem templo vel alteruter. Si alteruter, Domino terrestri potiori jure, & hoc expresso verbo, cum Templorum usu, competit Ecclesia. Ut vero ad utrumque pertineat templum, hoc admitti non potest. Accedit quod hoc pacto nonnunquam omnium trium Religionum exercitia in eodem templo esse oporteret maxima cum confusione.

Præterea cum Templa Catholicorum Chrismate delibuta esse oporteat, ibique Sacram Eucharistiam conservari & sanctum Chrisma, imaginum præterea venerationem, quam idololatriam Calvinistæ appellant, profanarique Templa Catholicorum exercitio alterius Religionis; tum ob hæc, tum ob alia innumera inconvenientia, commune pluribus Ministris Templum esse non potest. Quod vel ex hoc Diplomate evadit manifestum, cum in quarto Articulo habeatur; pro quibus usus templorum determinabitur, parochiarum quoque proventus ad eosdem pertineat. Neque enim decerni posset, ad quem istorum trium Parochia ipsa & proventus pertineat. Cum ergo evidenter in præsentis quoque Diplomatis Articulo Dominis terrestribus sit attributum jus & usus templorum, illa Rusticis non competere evadit manifestum.

Septimò. Prædictos Articulos & concessiones usus ipse docuit, & Catholici in possessione suæ prætensionis fuerunt ab initio statim conditi Articuli anni 1608. in quo omnium primo Rusticis data est libertas Religionis, quod patet tum ex ipsa experientiâ, tum vero ex fassione ipsorum Evangelicorum, qui in suo scripto erepta per Catholicos ab Anno 1608. prænotato huc usque Templa restitui urgebant; quæ non sunt alia, nisi per Dominos terrestres in propriis fundis Rusticis adempta.

Octava. Probatio desumitur ex jure Patronatus Dominorum terrestrium in propriis Templis. Neque enim vel ipsi Evangelici facile concedent, jus Pattonatus ad Rusticos pertinere, utpote quod non Rusticis sed Dominis terrestribus tot Regum donationibus & privilegiis, atque adeo eodem jure, quo reliquum corpus bonorum, Patronatus quoque Templorum donatus & concessus fuit. Hæc ergo suâ privilegia & jura à tot centenis Annis habita & possessa, nunquam Domini terrestres Rusticis concessa esse voluerunt aut intellexerunt. Quod vel ex eo uberius patet, siquidem ea sit Rusticorum in hoc Regno Hungariæ conditio, tum à prima sua conditione & Statu, tum vero, per cruentam & funestam contra nobilitatem & regnum rebellionem; ut in eâ victi, & omnibus, si quæ fortè antea habuissent, Privilegiis & libertatibus exuti, in pœnam notâ perpetuâ infidelitatis fuissent condemnati, uti patet ex decreto Uladislai 7. Articulo 14. Tripart.

part.

part. 3. Titulo 30. in hæc verba: Nam Rusticus præter laboris mercedem & præmium in terris Domini sui, quantum ad perpetuitatem nihil juris habet, sed totius terræ proprietas ad Dominum terrestrem spectat & pertinet. Per hujusmodi igitur legationem aut venditionem Colonus non nisi laboris sui mercedem & præmium, condignam scilicet æstimationem terræ, prati molendini vel vineæ, cuipiam legare vel vendere potest, perpetuitate Domino terrestri salvâ semper remanente; Qui diem voluerit; terras, prata & molendina, secundum æstimationem communem, vineas vero juxta condignum earum valorem ad se requirendi habet facultatem. Cum igitur Rustici in fundo Domini sui nihil proprium habeant, consequenter neque jus Patronatus Templorum in præjudicium Domini ipsorum, & usque adeo nihil proprium in fundis Dominorum ipsorum habent, ut possit ad libitum Domini terrestris loco suo & fundo proprio amoveri, usuque ejus privari, persoluto solummodo laboris præmio & mercede, id quod ex prædictâ lege patet, in hodiernum quoque diem usu receptum quotidie practicatur.

Porro quid sit jus Patronatus, & qualiter ab Ecclesia Catholica secularibus concessum, patet ex ipsa origine ejus & legibus nostris, signanter autem decreto Uladislai Regis II. Articulo 31. ejusd. decreto III. Artic. 66. item decreto 5. Artic. 26. ut Patronus habeat jus præsentandi Catholicum Sacerdotem in Templo seu beneficio ad libitum suum, quem voluerit præsentare ordinario, juxta veram & primævam ejus Ecclesiæ fundationem, quæ sine dubio Catholica fuit. Licet igitur ei, qui jus Patronatus habet, quem voluerit proprium Religionis Catholicum Sacerdotem juxta primævam fundationem, facta ordinario præsentatione in Templo collocare.

Nonò. Emergit hic aliud quoque non absimile argumentum. Cum enim proprietas templi præter jus Patronatus ad ipsum Dominum terrestrem pertineat ex lege supra citatâ, in proprio templo licet ei, prout voluerit, sine ullius injuria & præjudicio disponere, suumque ibi Religionis usum & exercitium habere; sicut etiam potest arabiles terras & prata, quandocunque voluerit propriis Rusticis auferre, & in usum proprium applicare. Porro cum nemini liceat in Templo, cujus proprietas ad alterum pertinet, uni videlicet Domino in Templo alterius, invito eodem, suam Religionem exercere, ut hæc prohibitio non præjudicet libertati Religionis, sic neque rustici, præsertim in alieno, id est Domini sui Templo, sua exercere possunt eodem invito. Triplici porro ex capite Dominis terrestribus competit Templum. Primò, proprietate fundi & jure Domini terrestris ac lege supradictâ. Secundò, ex jure Patronatus donationibus Regum accepto. Tertiò. Ædificio & erectione ipsiusmet templi, pleraque enim ejusmodi templa per Dominos terrestres fuisse erecta satis ostendi potest, & si quæ à rusticis fuissent ædificata, ea sane non à diversæ Religionis, sed Catholicis, & in usum Catholicæ Religionis sunt constructa.

Decimò. Si cautum est, ne rustici, tantò magis Domini terrestres in sua Religione ejusq; usu & exercitio turbentur aut impediantur, sane Domini terrestres maxime impediuntur in suo exercitio aut usu religionis, si contra sextam conditionem & octavum Articulum, in suis bonis atque adeo templis, quibus nunc fruuntur, exturbarentur per rusticos, quod est indignissimum, unà cum eorum Sacerdotibus & exercitio atque, ut supra dictum est, contra articulum Viennensem, in quo templa Catholicorum libera & intacta permanere debent.

Undecimò. Quia rusticis nihil plus concessum est quam liberum exercitium & usus propriæ Religionis. Magna autem differentia est inter exercitium liberum, usumque Religionis & ejus templorum, id quod tùm per se satis patet, tum ex sequentibus.

Primò, non tantum in hac Provincia, sed etiam in aliis quibusdam liberum exercitium habent Evangelici propria quoque oris confessione, sine tamen usu templorum.

Secundò, pluribus annis habuerunt liberum exercitium Lutherani & Calvinistæ Posonii, Tyrnaviæ, & alibi, licet nullum Templum habuerint.

Tertiò, vis ipsa vocabuli id significat, ut exercitium sit liberum, neque in eo quispiam turbetur, licet illud exercitium sit in domo tantum, aut alio loco privato, sic enim etiam liberum & quidem publicum exercitium esse non negari potest.

Quartò, si idem est liberum exercitium & usus Templi, Catholici nullibi habent liberis in civitatibus liberum exercitium, ubi non habent templa, quæ maxima esset injuria Catholicis, & ubique deberent habere templa Catholici pariter ac Evangelici, si habent ubique liberum exercitium.

Demum liberum exercitium Religionis, ut suprà dictum est, minimè impeditur ex eo, si in alieno & non tuo templo illud non permittaris exercere. Ex hoc igitur etiam capite manifestum evadit per liberum exercitium non esse rusticis templorum Domini sui usum concessum. Ex quo capite facilè solvuntur omnia ipsorum argumenta & prætensiones, quæ in his ferè consistunt,

Primò, liberum exercitium pariter concessum est rusticis & Dominis; Cum verò exercitium secum trahit Sacerdotem, Sacerdos verò locum & templum, rusticis quoque concessa esse templa deducitur.

Secundò, liberum exercitium concessum est oppidis ac villis acceptare volentibus, cum autem oppidum ac villæ trahant secum templum, rusticis data esse templa argumentantur.

Tertiò statutum est, ne rustici in eorum Religione & Exercitio, usuque exercitii turbentur; Quæ autem potest esse major turbatio usus & exercitii, quàm si templa iis auferantur, Prædicantes amoveantur?

Quartò, concessus est usus exercitii rusticis; & ut in eo non impediantur, ergò ubi sunt in usu, manere debent, usùsque templorum ipsis relinqui.

Quintò, ex eodem capite respondent etiam argumento Catholicorum, ubi habetur quod Jus Patronatus atque adeo ipsa templa pertinent ad terrestres Dominos, usus nihilominus templorum

rum peculiari privilegio in prædictis concessionibus rusticis & attributis.

Respondetur igitur ad primum; hoc argumentum magis pro Catholicis deservire. Si enim liberum exercitium trahit secum templa, potiori jure Domini terrestres quam rustici templa possidebunt. Confirmatur ex articulo - - anni 1608. & sexta conditione, ubi expressè conceditur Statibus liberum exercitium in suis bonis. Si ergo ubique in suis bonis liberum exercitium habent, ubique in suis bonis templa habere debent, ac pro se occupare, multò minus ab occupatis etiam & possessis per rusticos excludi & tametsi maximè exercitium Religionis templa secum traheret, inde inferri non posset, quod in alieno templo, invito ejusdem Domino, suam quis Religionem exercere valeat.

Sufficiens igitur est, liberum Exercitium Religionis rusticis, si licet ipsis profiteri, quam voluerint, Religionem, eamque exercere ubique possint, etiam in proprio pago, juxta factam ultimam in hoc novissimo diplomate concessionem. Ex eodem capite responderi aliis fere argumentis Evangelicorum potest.

Facta enim semel distinctione inter jus templorum & liberi exercitii, omnes probationes adversariorum eo tendunt, ut exercitium rusticorum non turbetur, in suo exercitio rustici non impediantur, prout & villæ & oppida.

Concedimus enim in exercitio Religionis ejusque usu eos impediendos non esse, sed asserimus, jura templorum nunquam illis esse concessa, neque illos impediri ac turbari in exercitio & usu suæ Religionis, si alibi quidem eos Religionem propriam exercere, prout voluerint, permittamus, in templis vero nostris proprium exercitium & non aliud habere velimus.

Ad quartum pariter & quintum argumentum respondetur nullibi haberi, quod rustici in usu templorum non impediantur, sed tantum in usu exercitii, quod, ut sæpe dictum est, est valde diversum, cum hoc secundum datum sit rusticis & non primum; ubi asseritur, sicut terrarum & aliarum rerum usum quidem apud rusticos, sic etiam dominium penes Dominos terrestres permanere, respondetur licitum esse Dominis terrestribus terras suas, quibus rustici usi fuerint, propriis usibus applicare juxta Tripart. 3. Tit. 25. & 30.

Si ergo paritas est, idem licebit etiam in templo ac ejus usu. Demum quæruntur ipsi, erepta esse illis templa per Catholicos Dominos, plerumque per illos, qui Catholicam Religionem, spretâ priori, amplexi sunt, qui sine dubio etiam ex adversariorum concessione suorum templorum usum ac Dominium jusq; patronatus habuerant ante conversionem. Istud ergo jus non apparere qualiter per suam conversionem amiserint, quin potius liberum exercitium suæ Religionis ac templorum usum, quemadmodum antea ita & modo retinuerint; neque per hoc, quod Catholici facti sint, suam Religionis libertatem ac templorum amiserint: Quod totum inde confirmatur & comprobatur.

Quicunque ex Magnatibus & Nobilibus Catholicâ Religione abdicatâ, Lutheranam & Calvinianam amplexi sunt, ii omnes fere, vix aliquo excepto, ex omnibus suis bonis protinus Catholicos Sacerdotes amoverunt & exturbarunt, contra voluntatem & renitentiam rusticorum Cath. & suæ fidei Prædicatores violenter intruserunt. Ita fecerunt majores Dominorum Comitum Battyani, Nadasdi, Zerini, Homonnay, Szeczi, Balasly, Preny, Devsky, Illyeshazy, Thurzones & omnes alii; Quorum plerique momento ferè temporis omnes Catholicos Sacerdotes è suis pagis ac bonis eliminarunt. Vel ergo hoc ipsis licitum fuit ac justum, vel injustè contra jura & leges processerunt. Si ultimum meritò Catholici injustè perpetrata corrigere, possessores legitimos reponere ac suum cuique restituere nituntur, neq; in hoc sunt arguendi; Si primum idem jus est Catholicis, qui nihilo inferiores imo superiores in ea parte esse debent, utpote cum illi ad certos tantum concessionis limites & cancellos in negotio Religionis adstricti sint, nos autem possessione avitæ Religionis ac privilegiorum ejusdem gaudere conveniat.

Ad extremum, quod toties repetunt Evangelici, turbatam Religionem extremæ ruinæ hujus Regni esse, foreque deinceps causam & occasionem, facile concedunt Catholici, illud Prophetæ repetentes: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus Patris tui. Utinam ipsi avitam Religionem suis novitatibus non turbassent, & unanimem in fide & Religione eundem Dei cultum ac totius nationis consensum, in tot animorum dissensiones, odia, armaque & bella civilia non divisissent, nunc quoque Hungaria staret, & in florenti statu remaneret.

Verum, clementissime Imperator, non est ea ratio, quam ipsi asserunt, motuum intestinorum & extremæ Regni calamitatis ac ruinæ, quod Catholici in suis concessionibus & libertatibus Evangelicos quoquo modo turbassent, aut inpedivissent, quin potius quod ipsi nullis quantumvis magnis concessionibus reddi possint contenti, sed semper plura & majora desiderent, quæ si aliter obtinere non possint, ferro etiam & armis extorqueant, nec desistant, donec penitus Catholica Religio opprimatur. Cujus extant complura in aliis quoque Regnis & Provinciis, Civitatibus etiam Imperialibus documenta & evidenter in hoc ipso Regno qualibet revolutione majores semper & ampliores concessiones postularunt & obtinuerunt.

Utinam per modernas amplissimas concessiones videat Majestas Vestra optatam pacem, charitatem & unionem in afflicto hoc Regno fidelium suorum universorum!

Multa sunt & maxima, quæ Catholici jure merito postulare possent in præsenti negotio Religionis, sed omissis aliis ea solum, quæ in evidentibus articulis & concessionibus ipsis factis continentur, breviter sic Majestati Vestræ repræsentant. Pacificatio Viennensis cum sit fundamentum & caput omnium concessionum alterius Religionis, quæ etiam renovata habetur & confirmatur in omnibus articulis & concessionibus subsequentibus, articulo anni 1608. diplomatis sexta conditione, atque adeo in moderno diplomate, cupiunt Catholici, ut juxta eam pacificationem singula observentur, eique Evangelici se prorsus accommodent:

Cum igitur in ea expresse habeatur, templa in iis, Boczkajanorum temporum videlicet distur-

sturbiis occupata, Catholicis restituid ebere, illud vero disturbium ab Anno 1604. initium habuerit, æquum est, ut omnia templa ab illo anno Catholicis per Evangelicos erepta & nondum restituta reddantur. Talia vero templa sunt numero plurima & pondere maxima, signanter autem:

1. Cassoviense majus parochiale, quod Canonicis Agriensibus ereptum, & ex vi ejusdem pacificationis est restituendum.

2. Templum majus Parochiale S. Michaelis Soproniensis, iisdem temporibus Catholicis ablatum.

3. Ibidem S. Georgii Templum eodem tempore occupatum, necdum est restitutum. Item Xenodochium S. Elisabethæ in suburbio ejusdem Civitatis Soproniensis habitum.

4. Templa in plerisque montanis Civitatibus Boczkajanis tumultibus ac post occupata. Inter quæ censetur etiam Xenodochium S. Elisabethæ Novizoliensis usq; ad motus Boczkajanos à Sacerdotib⁹ Cath. possessum. Quod cum juxta leges Regni accedente Pacificatione Viennensi restituendum esset, Suaque Majestas eo tum per suos commissarios Ecclesiasticis personis restitui vellet, cives Novizolienses concitatâ ac in arma convocatâ plebe, suæ Majestatis conatui restiterunt. Sunt & alia quamplurima hinc inde templa iisdem temporibus occupata, quæ omnia facta inquisitione restituenda essent, ea insuper quæ inferius in serie cœterorum Gravaminum annunciata habentur.

5. Id quoque jure suo postulant Catholici, ut in quavis libera montanaque civitate templum Catholicum habeatur, iisque assignetur, idque tum alias multis ex capitibus, tum verò vigore moderni Diplomatis, ubi habetur, quod exercitium Religionis ubique Statibus & Ordinibus liberum esse debeat unà cum usu templorum,

6. Quicquid contra prædictum Pacificationis articulum in præjudicium Romanæ Catholicæ Religionis aut Cleri hactenus admissum esset, juxta ejusdem Pacificationis continentias tollatur & emendetur.

Talia autem plurima recensere possent, si instar Evangelicorum singula Catholici quoque annotassent; qui omissis aliis hæc pauca, quæ sequuntur demisse Majestati Vestræ repræsentare voluerunt, ut vel ex his appareat, non minora, imo graviora esse ea, quibus Catholici ab altera parte læduntur. &c.

Cum autem in decreto suæ Majestatis expressè contineatur, ut si quid ulterius proponendum, vel informandum haberent, Evangelici id dictæ suæ Majestati quantocyus, & quanta fieri poterit brevitate, exhibeant. Idcircò die 7. Decembris sequens libellus suæ Majestati per Evangelicos exhibitus fuit.

Resolutio & humilis replica Status Evangelici ad decretum suprascriptum suæ Majestatis, quo Informatio Status Catholici in negotio Religionis communicata fuit, die 7. Decem. Anno 1646. suæ Majestati humiliter exhibita.

Sacratissime Imperator, Domine Domine Clementissime,

QUintus jam vertitur mensis, ex quo ad Comitia præsentia pro confirmatione & effectuatione diplomatum Majestatis Vestræ Sac. regionum, per eandem Majestatem Vestram Sac. Statibus & Ordinibus Regni sui Hungariæ indicta, literis Regalibus ejusdem clementer invitati, ad hoc usque temporis intervallum, nullis plane confectis negotiis, cum magna & sine ullo fructu facta principalium nostrorum expensorum profusione, ac inæstimabili temporis (quo nihil esset pretiosius) jactura otiosi hic detinemur; Majestati etiam Vestræ S. gravioribus alias rerum Imperii curis distentæ, dierum hoc dispendio disgustum (ni fallimur) facessimus.

Cujus rei nos Status & Ordines Evangelicos causas esse minime nobis conscii sumus, utpote qui totis conatibus hactenus & conciliandorum animorum rationes inire, & progressus diætæ præsentis felicius maturiusque continuare cupiverimus.

Et certè in negotio quarti puncti Diplomatis; ratione videlicet complanationis gravaminum, occupationes templorum cõcernentium, desperata prorsus cum Dominis Catholicis concordiâ (quæ quam æqualibus jurique tam divino quam humano consentaneis formis per nos expetita & tentata sit, Majestati Vestræ Sacratissimæ humillime repræsentavimus,) post recursum ad Majestatem Vestram Sacratissimam binis vicibus factum, sperabamus & expectabamus omnino jam ab integro mense avidi paternam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem, ac gravaminum eorundem cum satisfactione nostra juxta diplomatis tenorem complanationem; Verum ex decreto Majestatis Vest. Sacratissimæ nobis die hesternâ exhibito, non sine animorum nostrorum dolore intelligimus, resolutionem eandem ad quandam Informationem Dominorum Catholicorum adhuc differri, & Majestatem Vestram Sacratissimam ulteriorem quoque nostram superinde Informationem, antequam negotio in eodem quidpiam statuat, clementer præstolari.

Quia verò Clementissime Imperator, omnium earundem prætensionum & assertionum Dominorum Catholicorum difficultas in omnibus hactenus diætis, & nupero Tractatu Tyrnaviensi iterata, ac per novissimum diploma Majestatis Vestræ Sacratissimæ paragrapho: diversisque hactenus impedimentis & interpretationibus non obstantibus &c. penitus sublata esse, ac proinde nulla refutatione indigere dignosceretur, illoque ipso novissimo diplomate recens emanato, cujus alioquin authoritate, gratia Dei, superexisterent, eadem Informatio Dominorum Catholicorum facile confunderetur, quoniam in conditione secunda & tertia rusticis libera reassumtio Religionis impedita, & reductio ministrorum exturbatorum permitteretur. Reassumtio autem talis intelligitur, quod videlicet ipsi quoque debeant habere liberum exercitium Religionis in §. modoq; ut supra simili &c. modus autem ille in proxime præcedenti artic. manifestè declaratus esset, videlicet: cum libero templorum, campanarum & sepulturæ usu. Et hæc omnia

mnia tam in pacificatione Viennensi, quam etiam in recenti practicata esse certò constat. In Viennensi, dum ablatorum utrinque templorum restitutio determinata esset, & statim post conditum articulum rustici & oppidani liberum exercitium Religionis ipsorum in templis habuissent, usumque illum restitutum multis annis continuassent. Quod ipsum vel ex gravaminibus nostris A. 1608. exhibitis, ac nuper etiam Majestati V. S. humillimè reproductis maximè liquidum esset; novissimè quoque in moderno diplomate Majestas V. S. illam ipsam praxin & usum continuatum redintegrare clementer dignata esset, dum videlicet templa à rusticis, sub disturbiorum temporibus occupata, eisdem restituenda, ac in posterum ab illis non occupanda, non obstante prætenso dominorum terrestrium jure patronatus determinasset, ac binaria jam instituta commissione id ipsum effectui mancipari benignè demandasset. Et salvatis jam tandem conscientiis, ac conclusa liberâ reassumtione Religionis, reductioneq; omnium hactenus Parochiis amotorum & exturbatorum Ministrorum, quum de nudis duntaxat parietibus jam ageretur, omnino hoc respectu bonum pacis & conciliatio animorum regnicolarum, (quorum videlicet causâ constitutiones etiam super libertate religionis conditæ essent) hujus atque illiusmodi prætensionibus, & subtilibus quibusdam ratiunculis præferenda essent. Accederet etiam hoc, quod juxta benignam Majestatis V. S. novissimam assecurationem Viennensem, novi Tractatus & quæstiones, nec in publicis nec in privatis institui deberent, ac proinde etiam nobis sensum diplomatis, cœteroquin clarum per condescensionem cum Dominis Catholicis in novæ alicujus disputationis arenam, obscurare, neque ad alias verò sensui diplomatis contrarias interpretationes, vel recentia postulata eorundem Dominorum Catholicorum, quorum videlicet nulla plane mentio optaret, in Diplomate accedere propositum esset. Quocirca Majestati V. S. etiamnum supplicamus humillimè, dignetur penitus introspectâ facie afflictissimæ hujus patriæ nostræ quæ antemurale esset cæterarum Provinciarum Christianarum, tot vicibus ob ipsissimas occupationes templorum, civilibus bellis attritæ & conquassatæ, justam & lamentabilem nostram petitionem clementer exaudire, gravamina exhibita juxta benignam assecurationem suam, authoritate sua regia, cum satisfactione nostra complanare, mœstosque & ingemiscentes Evangelicos tot suspiriis & cordium gemitibus, expectatâ sua paterna resolutione jam tandẽ exhilarare; Ut ita bene confectis & ad felicem portum perductis diætæ præsentis negotiis & tractatibus profusionibus, ulterius expensis parcentes, læti & ovantes ad principales nostros quantocyus redire Majestatisq; V. S. augustissimam, & per effectuationem diplomatum suorum contestandam clementiam, modis omnibus & certatim deprædicare valeamus, clementissimum à Majestate V. S. exspectantes responsum, eandem diu ac felicissime valere, victoriosèque ad pacem gentis Christianæ imperare animitus desideramus.

Majestatis Vestr. Sacratiss.

Fideles &c.

Status & Ordines regni
Hungariæ Evangelici.

Histor. Hungar.

Exinde resolutio Suæ Majestatis expectata, Dominusque Comes à Kevenhiller pro eadem apud Suam Majestatem sollicitanda impetrandaque sæpius interpellatus est, usque ad diem 17. Decembris, quò cum Dominus à Kolonicz pro audientia libellique supplicis (quem ulterioris moræ impatientes in promptu habebant Evangelici) Suæ Majestati offerendi facultate procurandâ apud Dominum Camerarium supremum, Comitem à Bucham, instaret, responsum tulit à Sua Majestate medio ejusdem Comitis datum: Quod si quid novi haberent Domini Evangelici, quod proponere vellent, audientiam habituri essent, sin minus, nihil opus esse audientiâ, nec libello supplici, quandoquidem Sua Majestas intra triduum ad postulata Evangelicorum sese certo certius resolutura esse. Quo responso Evangelici ad præsens quidem contenti, nihilominus tamen ad diem usque 22. Decembris expectare coacti sunt, quo sequens Suæ Majestatis declaratio per formam decreti Statibus Evangelicis extradita fuit.

Resolutio Suæ Majestatis ad Gravamina Statuum & Ordinum Evangelicorum Posonii die 22. Decembr. Anno 1646. data.

Sacratissima Cæsarea nec non Hungariæ & Bohemiæ Regia Majestas, Dominus noster Clementissimus, optasset quidem, ut quæstio Templorum in quarto puncto Diplomatis Regii ad præsentia comitia, rejectâ amicabili compositione, inter ipsosmet Status & Ordines transigi terminarique potuisset; Posteaquam vero Status, tentatis incassum compluribus viis desuper convenire nequiverint, & utraque pars ad Sacratissimam Cæsaream Majestatem confugerit, controversiamque istam modo & formâ in Diplomate præscriptis complanari humillime petierit; Proinde Sua Sacratissima Cæsarea & Regia Majestas conformando se dicto Diplomati, eam ita authoritate sua Cæsarea & Regiâ finaliter complanat, determinatque.

Cedantur Evangelicis propter bonum pacis durantibus adhuc Comitiis templa, quorum numerus sic sequitur.

In partibus Cis-Danubianis.

Cass, Poruba, Henclovva, Pazto, Drahocz, Madonicz, Banxa, Jalso, Radnocz, Juanii, Patha, Nagymacze, Turan.

In partibus Ultra-Danubianis.

Czakany, Ovarien, Berenye, Kiczlak, Nimsidel, Puszta, Sz. Michaly, Szent Kroth.

Liceat item, ubi nulla Templa habent, sibi exstruant, & Domini terrestres fundum, in quo exstruant, concedant.

Ad usum Templorum jam determinatorum, proventus Parochiarum quoque pertineant,

neant, nec ultra occupationes Templorum invitis rusticis fiant.

Nemini in juribus Patronatus hac declaratione Regiâ aliquid præjudicatum sit, salvis tamen iis, quæ Regium Diploma, & hæc ipsa Regia complanatio statuit.

Si quis ausus fuerit, contra hanc declarationem & complanationem Templum aliquod occupare, incurrat primâ vice pœnam mille florenorum & teneatur simul ad restitutionem occupati Templi; Si quis id secundò attentaverit, amittat Pagum, cui Templum occupatum inest.

Ecclesiastici vero toties, quoties contra declarationem istam Regiam templum aliquod occupaverint, primâ vice mille florenos, secundâ præter restitutionem templi occupati bis mille florenos solvant. Judex & executor horum omnium sit tabula Regia in quibusvis Regni Comitiis.

De cætero, cum tantum jam temporis pretiosi in hisce Comitiis insumptum sit, negotia quoque Imperii & ea quidem talia, à quibus non minus salus, quies & conservatio inclyti istius Regni dependet, Suam Majestatem alio avocent, necessitatesque confiniorum indies magis crescant augeanturque. Ideò Sua Majestas Cæsarea & Regia Status & Ordines regni clementer requirit, ut depositis omnibus aliis, ad punctum providendorum confiniorum progrediantur. Quibus etiam in reliquo gratiâ & Clementiâ Sua Cæsarea & Regiâ benignitate propensa manet.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Posonii die 22. Decembris. Anno 1646.

Georgius Orosij.

Superscriptio dorsalis.

REverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item & circumspectis universis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ in Generali ipsorum Diætâ præsentibus & congregatis assignandum.

Acceptâ declaratione Status & Ordines Evangelici die 24. Decembr. *Sequentem Libellum* exhibuerunt, medio Dominorum à Kolonicz, & Joh. Listii.

Sacratissima Cæsarea & Regia Majestas, Domine, Domine nobis Clementissime.

TAntarum pretiosi temporis hucusque inaniter extracti morarum, adeoque inutiliter factæ profusionis expensarum pertæsi, ad iteratas humillimas nostras instantias supplices & avidi expectabamus controversi quarti puncti Diplomatis cum plenariâ satisfactione nostrâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ complanationem. Quia tamen perlectâ & humillimè intellectâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione animadvertimus, ex quadringentis fere occupatis templis viginti duntaxat denominari, atque ex iis etiam nonnulla talia esse, quæ nec in disturbiis, nec ante, ab Evangelicis occupata, ideoque nec in Gravaminibus comprehensa extitissent, verum de præsenti etiam per eosdem Evangelicos possideri: Alia autem filialia solummodo esse, ad eademque nec Parochias nec proventus aliquos pertinere, ac exiguam plane in eadem Resolutione templorum, tam ante Annum 1638. quam etiam post diætam ejusdem Anni 1638. occupatorum, restituendorum (quæ videlicet contra mentem & Decretum Majestatis V. S. atque assecurationem prædefuncti Domini Palatini, nomine ejusdem Majestatis V. S. factam, in multorum Compatronorum & Comparochiariorum præjudicium adempta essent,) spem nobis præberi; Sed nec Statibus, utpote Tyrnaviensibus & Zakolziensibus incolis, Jauriensibus etiam Evangelicis, super Gravaminibus ipsorum satisfactionem impendi; quin potius Evangelicos Zakolczenses in libertate Religionis ipsorum, vigore modernæ Commissionis, contra clarum sensum Diplomatis, per amotionem Ministrorum, medio Commissariorum Majestatis V. S. proximè præteritis diebus factam, de facto turbari; ejusmodique cautelæ clausulam (per reservatum jus Patronatus) cujus in Constitutionibus Regni, per quas nempè libertas Religionis Evangelicæ declararetur, nulla mentio existeret, nec unquam majores nostri, vel etiam nos in eandem consensissemus, multò minus quippiam ratione ejusdem in novissimo Diplomate Majestatis V. S. Regio constitutum reperiretur, quin potius quasvis interpretationes & impedimenta, quorum videlicet sub prætextu hactenus Domini Catholici templa occupassent, in posterum amovenda esse, eodem Diplomate expressè caveretur, interseri; nec particulam, invitis rusticis, in eodem Diplomate haberi: Sed nec in partibus Regni superioribus & Comitatibus earundem, restitutionis occupatorum templorum & proventuum Parochialium, quod maximè mirandum, aliqua specificatio fieret.

Quâ quidem de causa, qualiter locorum illorum, sicut & aliorum Comitatuum Regni Evangelicis, per simplicem non restitutionem talium templorum & proventuum Parochialium satisfieri intelligeretur, Majestas Vestra Sacratissima pro altissimo suo judicio clementer considerare poterit, imo pœna etiam non contra transgressores Statutorum in negotio Religionis, pro uti Diploma requireret, verum contra occupatores templorum duntaxat (de quâ tamen sicut & executoribus ejusdem, communibus regnicolarum votis statuendum esset,) determinata, eaque ad tam remotum terminum rejecta videretur, ut in posterum quoque quivis modalitati ejusdem innixus, sub spe effugii facilè ulterius etiam Religionem turbare, templorumque occupationes facere præsumeret: Sicque iterum Statuum Compatronorum, Comparochianorum, & miseræ plebis tranquillitatem acerbissimo modo convelli, conscientias aggravari superindeque Majestatem Vestram Sacratissimam de cætero quoque identidem precibus nostris humillimis debere molestari, omnino perspicuum esset.

Ob id Majestati Vestræ Sacratissimæ etiam per viscera misericordiæ DEI supplicamus humillime, dignetur altius ruminatis præscriptis no-

nostris difficultatibus, & præsertim clementer recognitâ benignâ Cæsarea & Regiâ sua assecuratione, qua videlicet cum satisfactione Evangelicorum se præscriptum quartum punctum Diplomatis complanaturam obtulisset, resolutionem suam Regiam plenariæ satisfactioni nostræ benignè accommodare; ut ita cum eâdem satisfactione nostra, rebus hujus Diætæ bene compositis, Principales etiam nostri post tot & tantas expensas, ac temporum frustra interjecta intervalla, optato Majestatis Vestræ Sacratissimæ responso exhilarentur, pax & tranquillitas publica confirmetur, Majestatisq; Vestræ Sacratissimæ nomine coram toto Orbe Christiano deprædicato, nos fideles etiam Majestati Vestræ Sacratissimæ alacribus animis & humillimè in securitate conscientiarum servire valeamus. Clementissimum expectantes responsum, eandem Majestatem Vestram Sacratissimam ad Annos quamplurimos, ad pacis Almæ, & boni Gentis Christianæ augmentum diu vivere, & feliciter imperare animitus desideramus.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ

Fideles humillimi & perpetui subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

RElìquum Anni 1646. Feriæ nativitatis Christi, & aliæ subsequentes occuparunt, quibus durantibus publicè nihil actum. Ab initio autem Anni 1647. usque ad diem 5. Januarii denuò tractatum est per Dominum Personalem cum Evangelicis, ut cum declaratione Suæ Majestatis contenti esse nollent, amicabilis compositionis media reassumerent, & quod hac in re maxime necessarium videretur, sese breviter & rotunde resolverent, adeoque extremum, ad quod condescendere possent, scriptotenus exhiberent, daturum se operam pollicens, ut eosdem facti sui minime pœniteat. His itaque talibus persuasi Evangelici die 5. Januarii sequens scriptum exhibuerunt Domino Personali.

Ratione quarti puncti Diplomatis extremè ita posset Status Evangelicus contentari.

PRimò, quantum ad turbatos & in Gravaminibus specificatos Status attinet, signanter autem Zakolczienses, Tyrnavienses, confiniarios Jaurienses, & Reo-Comaromienses; siquidem iisdem Zakolcziensibus, tam Augustanæ quam etiam Helveticæ Confessionis Evangelicis, quibus videlicet Coemeterium etiam per Suam Majestatem Sacratissimam in Diæta anni 1638. Decretum fuisset, ac nihilominus virtute Commissionis nuper per Commissarios Suæ Majestatis Cæsareæ, Religionis ipsorum exercitium ipsis interdictum esset: ut iisdem liberum exercitium Religionis juxta Diplomatis continentias iterum reassumere, amotosq; Ministros verbi DEI reducere liceat. Porro & Tyrnaviensibus confiniariis, item Jauriensibus, oppidanis Comaroniensibus, ac universis in Regno Compatronis nobilibus, juxta postulata in Gravaminibus exhibitis specificata, omnimodè satisfiat.

Secundò: Quantum ad rusticos attinet, ut reassumptio Religionis ipsorum & reductionis Ministrorum exturbatorum commodius ac juxta genuinum sensum Diplomatis fieri queat, restitutio templorum ab Anno 1608. usque ad disturbia præterita ab iisdem rusticis occupatorum, ac in Gravaminibus tam in Diætâ Anni 1638. Suæ Majestati exhibitis, quam etiam post subsecutis specificatorum fiat, mediante inquisitione juxta ultimariam resolutionem nostram, modosque & formas in eadem declaratas.

Ex rationibus annexis.

QUia Sua Majestas etiam in Anno 1638. se ad inquisitionem hanc clementer obtulisset, quæ oblatio decretaliter extradita præ manibus nostris in specie extaret.

Quia in secundo & tertio Articulo Diplomatis specificata reassumptio Religionis, & reductio amotorum Ministrorum nonnisi mediante tali inquisitione, neque absque eâ juxta quartum punctum Diplomatis, determinatio templorum & proventuum Parochialium fieri posset.

Ita etiam conditionis sextæ Diplomatum Regiorum & paragrapho ejusdem; spontè & libere acceptare volentibus satisfiet. Nec aliter Evangelicis etiam satisfactionem factam esse intelligi posset.

Quia eadem inquisitio antehac etiam, tempore videlicet Illustrissimi quondam Comitis Georgii Thurzo Regni Palatini, sæpius pro utroque Statu Catholico æque ac Evangelico practicata esset, à qua nec modo Status & Ordines Evangelici, dictantibus id Principalium ipsorum instructionibus, recedere possent.

Tertiò. Et cum juxta continentias Diplomatis rustici nullo sub prætextu in Religione ipsorum turbari, nec in posterum occupationes templorum fieri deberent: non curato tamen eo, nonnulli Dominorum Magnatum post binariam effectuationem Commissionis Suæ Majestatis Sacratissimæ templa sub diversis prætextibus occupari faciant; miseram plebem diversimodè & variis sub prætextibus in Religione ipsorum turbent, eandem variis exactionibus, minis, miseriis & injuriis, ob reassumptam Religionem affligant & exagitent: Ut contra tales Majestas Sua Sacratissima, tanquam Diplomatis acceptati & effectuati, ac exinde pacis conclusæ turbatores & authoritatis suæ contemptores animadvertat; Templaque talia unà cum Parochiis, Scholis, bonis & proventibus eorundem Evangelicis benigne & plenarie restitui faciat.

Quartò. Clausularum de Jure Patronatus, & invitis rusticis, ac aliorum his similium, tanquam Diplomati derogantium, nulla mentio fiat.

Quintò. Quoad pœnam, ut quicunque inposterum, sive essent Ecclesiasticæ sive secularis dignitatis, Templa, Parochias & Scholas occupare, ministros verbi DEI amovere, Religionem turbare, miseram plebem in exercitio Religionis suæ, sepulturæ & campanarum usu impedire, aut propter reassumptum affligere & vexare attentarent, toties quoties convincantur in mille florenis Hungaricalibus; de bonis eorundem per Vice-Comites, Judicem & juratos Assessores, adjunctis sibi duabus Catholicæ, duabus autem Evangelicæ confessionis nobilibus Personis potioribus Comitatuum, in quibus talia templa & bona habere dignoscerentur, sub amissione officiorum & bonorum eorundem confiniis applicandorum, ac nonnisi communi æstimatione mediante redimendorum, irremissibiliter & exclusis omnibus juridicis remediis, prævia tamen inquisitione, exigendis, ac in duabus ad confinia, ad quæ videlicet Comitatus tales gratuitos labores præstare deberent, conferendis, in tertia vero partibus prædictis executoribus cedendis: ac templa etiam occupata per eosdem Executores simpliciter & de plano restituantur.

Quod si vero tales Diplomatis violatores præscriptæ executioni se opponere præsumerent, contra eosdem Uladislai Decreti 6. Articulus octavus observandus, pœnaque in eodem declarata exequenda esset. Actum Posonii die 5. Januarii Anno 1647.

Quia vero puncto hujus Evangelicorum scripti secundo postulabatur, ut restitutio templorum mediante inquisitione fieret, eaque in re Catholici nullo modo consentire vellent, idcirco usque ad diem 17. Januarii per Dominos Comites, Palatinum & Judicem Curiæ, nec non Dominum Personalem, velut Commissarios per Suam Majestatem ad id deputatos, cum Evangelicis tractatum fuit, ut omissâ inquisitione ad particularem Templorum restituendorum denominationem & specificationem descenderent. Cui postulato Domini Evangelici post multas prolixas & vehementes disputationes ægrè tandem assentientes die 17. Januarii supra tacto sequentem Extractum templorum restitui postulatorum eisdem Dominis Commissariis exhibuerunt. Quem quidem Extractum quinam & quales Extractus alii subsecuti, invicemque exhibiti fuerint, usque dum ad numerum nonaginta Templorum, vigore Decreti Suæ Majestatis ad Dominos quidem Commissarios die 10. Febr. exarati, coram Dominis autem Evangelicis die 12. ejusdem in domo viridi perlecti, iisdem Evangelicis restituendorum perventum fuisset, ordine sequuntur.

Extractus Templorum Evangelicorum in Comitatibus Regni Hungariæ ab Anno 1608. usque ad proxime præterita disturbia occupatorum, quorum restitutione, juxta continentias Diplomatis, satisfieri poterit Evangelicis. Exhibitus die 17. Januar. 1647.

In Comitatu Abauyvariensi.

1. Samogy.
2. Misle.
3. Also Metzenzies.
4. Fœlsœ Metzenziss.

In Zemliensi.

1. Varano.
2. Terebes.
4. Garany.
4. Kuchin.

In Saroscensi.

1. Szent Peter.
2. Fel Sebes.
3. Palocza.
4. Bartusfalva.

In Scepusiensi.

1. In Kaposztasfalva Sanctuarium templi.
2. In Czœrœrtœk, Capella templi. Item Campana Gelinczensis.
3. Donavecz Krompak.

In Liptoviensi.

1. Tepla.

In Neogradiensi.

1. Maszkfalva.
2. Dium allya.

In Hontensi.

1. Bath.
2. Zebelib.
3. Folsœ Almas.
4. Viszoka.
5. Brinczfalva.

In Barsensi.

1. Welika Polia.
2. Maroth.
3. Nagy Hereztin.
4. Nagy Sarlo.
5. Sz. Gyœrgy.
6. Keresztur.
7. Fenyœ Kosztolan.
8. Kis Keszi.
9. Sarnocza.
10. Kis Tapolczan.
11. Semlye.

In Nitriensi.

1. Komjati.
2. Suranka.
3. Sempte.
4. Sopornge cum filialibus.
5. Sellie.
6. Negyed.
7. Surany.
8. Bankeszi.
9. Deaki.
10. Nagy hint.
11. Gymes.
12. Kovariez.
13. Jabloncza.
14. Baymocz cum filialibus.
15. Kis.
16. Handlovva.
17. Krasna cum filialibus.
18. Tott Uyhely ad Vagum cum pertinentiis.
19. Galgocz majus templum cum schola pro trium nationum Evangelicis.

20. Pœ-

20. Pœstyen cum filialibus.
21. Udvarnok.
22. Bayna.
23. Uylak.
24. Berdahely.
25. Paczto.

In Trenczeniensi.

1. Majus templum Biczense.
2. Also Hrisco.
3. Jessenycze.
4. Kissneza.
5. Prednir ad Kiszuczam.
6. Szlœpna cum filialibus.
7. Viznove.
8. Tarnove.
9. Stranzke.

In Turocziensi.

1. Szent Martony.
2. Mosocz.
3. Turan.
4. Bela.
5. Szent Andras.

In Comaromiensi.

1. Nagy Megier cum filialibus.
2. Udvard.
3. Apacha Szakallos.
4. Balvan Szakallos.
5. Imeœ.
6. Heten.
7. Martos.
8. Baycz.
9. Perbete.

In Comitatu Posoniensi.

1. Recze.
2. Nagy magyar cum filialibus.
3. Szerdahely.
4. Galantha.
5. Bar.
6. Nagy Legy.
7. Zauar.
8. Grinaua.
9. Nemet Gurab.
10. Limpak.
11. Süly.
12. Taxon.
13. Nagy Machsid.
14. Nagy Szeli.
15. Vizkœz Kürt.
16. Tarlos.
17. Nagy Szegh.
18. Szentz cum filialibus Boldoghfalva.
19. Czeklesz.
20. Kereztur cum filialibus.
21. Szent Abram.
22. Sur cum filialibus.
23. Czallokœzi Kürt.
24. Ivvan.

In Zaladiensi.

1. Zabolicza.
2. Perlak.
3. Belicze.
4. Also Lindva.
5. Dobronak.
6. Turnischa.

In Simigiensi.

1. Kis Komarom.

In Castriferrei.

1. Gyarmat.
2. Nemez Uyuari Sz. Jacob.
3. Sz. Miklos.
4. Hedeg Küt.
5. Csailingh.
6. Hayling.
7. Pokz Dorff.
8. Neuszidel.
9. Szent Grœtth.
10. Ovar.
11. Perenye.
12. Kislak.
13. Puszta Sz. Michaly.
14. Hayligh Brun.
15. Kukkenmeren.
16. Szent Anna.
17. Szalonok.
18. KiczLaden.
19. Wolffau.
20. Sanffalva.
21. Petersdorff.
22. Kethely.
23. Horensdorff cum filialibus.
24. In Rohoncz continuatio structuræ Templi, Parochiæ & Scholæ.
25. Szent Lorincz.
26. Incsed.
27. Csaita.
28. Czem.
29. Komiaty.
30. Vep.

In Sproniensi.

1. Czepregiense majus Templum.
2. Keresztur cum filiali Küleo.
3. Sandorff.
4. Nagy Martonus.
5. Rust.

In Mosoniensi.

1. In Ovar duo Templa pro duabus nationibus.
2. Nezider.
3. Szolnock.
4. Szent Peter.
5. Szent Janos.
6. Rayka.
7. Czundorff.
8. Miklosdorff.
9. Hegyeshalom.
10. Leuel.
11. Nemet Jagendorff.
12. Kemlye.
13. Kanok.
14. Liben.
15. Sz. Miklos.
16. Meczer.

In Jauriensi.

1. Zamoly.

In Vesprimiensi.

1. Vaszar.
2. Dobron.

In Strigoniensi.

1. Farnad.
2. Eœlved.

Ad præscripta Templa sicut & ad alia, quæ ad præsens præ manibus Evangelicorum existerent,

rent, Templa, filialia, Parochiæ, Scholæ, Bona & proventus quocunq; nomine nuncupati, pertinentes, & hactenus quomodocunque occupati restituantur.

Interea, sicut jam per suam Majestatem clementer resolutum esset, ac diploma etiã requireret, libera reassumtio exercitii religionis, & reductio Ministrorum exturbatorum cum campanarum & sepulturæ usu, miseræ plebi concedatur; permissis etiam structuris Templorum, Parochiarum & Scholarum (ubi videlicet templa pro Catholicis permanerent) pro iisdemque assignatis commodis, locis ac solutionibus personalibus Evangelicorum talium locorum, permanentium pro Ministris Confessionis ipsorum, prouti hoc jam in priori nostro postulato Domino Statui Catholico exhibito declaratum esset.

Quantum ad universos læsos Status, signanter autem Jakolzenses, Tyrnavienses, & Oppidanos ReoComarienses, item confiniarios Jaurienses, Leuenses, & Tihanienses, ac pœnam contra occupatores Templorum, ac turbatores Religionis, nec non nuperæ Commissionis suæ Majestatis, Status & Ordines Evangelici inhærent scripto suo, nuper Domino Personali Præsentiæ exhibito. Actum Posonii die 16. Januarii, Anno Domini 1647.

Catalogus Templorum, ad quæ Evangelicis restituenda Domini Catholici sese obtulerunt die 26. Januar. 1647. intermediantibus Dominis Mediatoribus:

In Comitatu Abauyvariensi.

Somogy.
Misle.

In Zemliensi.

Kuczin.

In Sarosiensi.

Szent Peter.
Bartusfalva.

In Scepusiensi.

Donavvecz Krompak.

In Liptoviensi.

Tepla.

In Neogradiensi.

Maskfalva.

In Hontensi.

Viszoka.
Brinczfalva.

In Carsensi.

Nagy Hereszteny.
Keresztur.
Fenyœ Kostolyan.
Kis Ketzi.
Semlye.

In Nitriensi.

Sopornye.
Pata.
Kürt.
Negyed.
Kals.
Hendlova.
Kraszna.
Udvarnok.
Uylak.
Szerdahely Pœstyen Mœllek.
Drahocz.
Banka.
Bayna.
Jalso.
Paszto.

In Trencziniensi.

Jessenycze.
Bredmer ad Kissuczam.
Visznove.
Tarnove.
Stranske.

In Turoczensi.

Turan.
Bela.

In Comaromiensi.

Apacza Szakallos.

In Posoniensi.

Nemez Gurab.
Nagy Magyar.
Pimpak.
Sull.
Taxon.
Nagy Maczed.
Nagy Szeli.
Vizkœzi Kürt.
Tarlos.
Nagy Szegh.
Jvany.

In Zaladiensi.

Turinscza.

In Simigiensi.

Kis Komarom in Oppido.

In Castriferrei.

Neusidel.
Szent Grotth.
Ovarocz.
Perenye.
Czem.
Kislak.
Puszta Sz. Mihaly.
Kukkenmeren.

In Sopronienſi.

Sandorff.

In Mosoniensi.

Level.
Kemlye.
Kanok.
Sz. Miklos.
Meczer.

In Jauriensi.

Zamoly.
Patahaza.

In Vesprimiensi.

Vaszar.
Dobron.

Ex extractu templor. per Statum Evangelicum restitui postulatorum exmittantur.

In

In Abauyvarienſi Comitatu.

Fôlsô Metzenziff.

In Zemplinienſi.

Terebeſienſe majus Templum.

Ex Saroſienſi.

Palocha Reſid.

Ex Scepuſienſi.

Capella in Czôtôrtôk, ita tamen ut ingreſſus in eandem extrinſecus fiat.

Ex Neogradienſi.

Deuinallya.

Ex Hontenſi.

Zebelib, loco cujus tamen poſtulatur Fûzes Gyarmat.

In Barſienſi.

Kis Tapolczan.

Sarnocza.

Ex Nitrienſi.

In Komjati unum Templum ex duobus.

Suranka.

Jabloncza.

Surany.

Gymes.

Kovaricz.

Nagy hint.

Baymocz exceptis Filialibus.

Bankeſzy.

In Pôſtyen Monaſterium.

Ex Trenzinienſi.

Tarnove.

Sztranzke.

Ex Turoczenſi.

Turany.

Ex Comaromienſi.

Baycz

Imeö.

Ex Poſonienſi.

Galantha.

Nagy Legy.

Czallokozi Kûrt.

Zavar.

Pro Szered Sempte.

Ex Zaladienſi.

Perlak.

Pobronak.

Ex Caſtriferrei.

Szent Miklos.

Szalonok.

Poksdorff.

Hedegkütt.

Szent Anna.

Die 30. Januarii.

Extractus Templorum Statui Evangelico ultimatim conceſſorum, per Suæ Majeſtatis Commiſſarios exhibitus.

In Abauyvarienſi Comitatu.

Somogy.

Misle.

Alſo Metzenziff.

In Zemplinienſi.

Garany.

Kucſin.

In Saroſienſi.

Szent Peter.

Bartusfalva.

In Scepuſienſi.

Kaposztasfalva.

Donavecz Krompach.

In Liptovienſi.

Tepla.

In Neogradienſi.

Masksfalva.

In Hontenſi.

Bath.

Fûzes Gyarmat.

Viszoka.

Brinczfalva.

In Barſenſi.

Welika Polia.

Maroth.

Nagy Heresztin.

Kereztur.

Fenyô Kosztolan.

Kis Keszi.

Semlye.

In Nitrienſi.

Komjati unum templum ex duobus.

Sopornye cum Filialibus.

Negyed.

Kas.

Hendloua.

Kraſſna cum Filialibus.

Galgocz Hoſpitale Templum.

Szerdahely prope Pôſtyen.

Udvarnok.

Bayna.

Uylak.

Paszto.

Szerdahely (NB. non eſt in Comitatu Nitrienſi, ſed in Comitatu Poſonienſi, in loco ejuſdem Dominus Palffi conceſſit Templum ex ruderibus cujuſdam Monaſterii ab Evangelicis reſtauratum.)

In Trenzinienſi.

Alſo Hriſcho.

Jeſſenycze

Predmir ad Kiszuczam.

In Turoczienſi.

Bela.

Szent Andras.

Moſocz.

Turan.

In Comaromienſi.

Nagy Megyer.

Apacha Szakallos.

In Poſonienſi.

Nagy Magyar cum Filialibus.

Nemet Gurab.

Limpak minus Templum.

Sûly.

Taxon.

Nagy Macſid.

Nagy Szeli.
Vizkôzi Kûrt.
Tarlos.
Nagy Szegk.
Szent Abraham.
Juany.

In Zaladiensi.

Turnischa.

In Simigiensi.

Kis Komarom in Oppido.

In Castriferrei.

Gyarmat
Neuzidel
Szent Grotth
Ovár
Perenie
Puszta Szent Mihaly.
Kukkenmeren.
Kiczladen.
Wolffau.
Czem.
Horensdorff aliter Sanfalva.

In Sopronienſi.

Sandorff.

In Mosonienſi.

Miklosdorff.
Levél
Nemet Jagendorff.
Kemlie.
Kanok.
Szolnok.
Zundorff.
In Liben minus Templum extra Abbatiam.
Meczer.

In Jaurienſi.

Zamoly.
Patahaza.

In Veſprimienſi.

Vaſar.
Dobran.

In Liptovienſi.

Tepla cum Filialibus.

Templis in extractu die 30. Januarii restitutis, quæ adhuc per Statum Evangelicum pro satisfactione ipsorum sibi superaddi postulantur, die 1. Febr. ista sunt.

In Comitatu Zemplinienſi.

Varano pro Helveticis.

In Saros.

Fel Sebes, loco Bartusfalva, cujus Incolæ maximâ ex parte Catholici facti ſunt.

In Barſienſi.

Nagy Sarlo.
Szent György.

In Nitrienſi.

Sempte.
Deaky.
Poruba ad Baymocz.
Totuyhelly.
Galgocz.

Templum Hoſpitalis acceptatur cum proventibus ad Hoſpitale pertinentibus.

In Pöſtyen unum Templum cum Filiali Banka.

In Trenzinienſi.

Viznove.
Biczenſe minus Templum.
Viszolay loco Szlopna.

In Turozienſi.

Szent Martony loco Turan.

In Comaromienſi.

Udvard
Balvany Szakallos.
Marthos.

In Poſonienſi.

Recze.
Szedahelly in Czallokoz.
Szenez cum Filiali.
Grenava.
Sur cum Filialibus.

In Zaladienſi.

Zaboticza.

In Caſtriferrei.

Szent Miklos loco Uyvari Szent Jacob.

In Rohoncz continuatio ſtructuræ Templi cum Parochiâ & Scholâ.

Kethely.
Czailingh.
Hayligh Kraycz.
Hayligh Prun.
Pedersdorff loco Kislak
Vép cum Parochiali templo.

In Sopronienſi.

Nagy Marton.
Rûſt.
Kûlû Filiale Templi Keresztur.

In Moſonienſi.

In Ovar majus Templum pro duabus Nationibus.

Nezider.
Szent Peter.
Szent Janos.
Rayka.
Hegyeſchalom.

In Strigonienſi.

Farnad.
Eölvôd.

Die 7. Februarii ſequentia Templa ex poſtulato Evangelicorum Dominis Catholicis remiſſa ſunt.

Deaky.
Pôſtyen.
Grinava.
Szent Miklos.
Kethely.
Czeilingh.
Nagy Marton.
Rayka.
Hegyeshalom.

Difficultates verò circa Templa per Catholicos die 30. Januarii Evangelicis oblata die 1. Feb.

1. Febr. Dominis Catholicis ultimo repræsentatæ sunt, quæ sequuntur.

1. In Comitatu Nitriensi.

Zerdahely ultimo loco positum non fuit postulatum ab Evangelicis, siquidem ad præsens etiam Concionator Evangelicus ibidem haberetur. Ejus itaque loco petitur Porubaad Baymocz.

2. In Turozensi.

Incolæ oppidi Thuran majori ex parte facti sunt Catholici, ob quod Templum eorum, licet ex postulatis Evangelicorum jam ante exmissum fuerit, tamen idem Evangelicis denuò obtruditur.

3. In Castri Ferrei.

*K*islak in hoc Comitatu non habetur, ideo in numero Templorum non agnoscitur.

4. In Posoniensi.

In Limpach unum tantum habetur Templum proindeque particula discretiva, minus Templum, superflua videretur.

Iterata Instantia Statuum Evangelicorum pro impetrandâ Cæsareâ Resolutione & complanatione Gravaminum in puncto Templorum Evangelicis restituendorum.

Sacratissima Cæsarea atque Regia Majestas, Domine, Domine nobis Clementissime.

MAximo nostro cordolio persentiscimus infelicissimum hujus Patriæ nostræ charissimæ Statum, omissis aliis quamplurimis considerationibus vel ex eo solùm, quod olim florentibus ejusdem rebus, cui accedebant plura Regna & Provinciæ, quibus omnibus æquè prospici debebat, Comitia tamen ejus nonnisi duabus septimanis terminabantur, lege & constitutione Regni id exigente, & hic felicissimæ ejus conservationi prospiciebatur. Subsequentibus tandem proh dolor! temporibus, summis angustiis & extremæ ruinæ obnoxia, eò infelicior reddi incepta, quod Comitia publica ob utilitatem Regni celebrari consueta, ad tres vel quatuor menses protraherentur; moderna autem (quod maximè lamentabile, atque adeò toti mundo admirabile jure merito censeri potest, & in toto terrarum orbe inauditum haberetur,) licet jam ex antea conclusis constitutionibus Regni, Diplomatibusque Regiis, tam antea quam novissime emanatis, ac per Status & Ordines Regni acceptatis, & per hoc etiam facilitata absque ulla ambiguitate penderent, nihilominus plusquam sex mensium spacio, sine ullo fructu effluxo, dilatarentur, Statibus & Ordinibus Regni in principiis quasi hærentibus, inani sumptuum (qui ad alios magis necessarios Regni usus percommodè converti potuissent) jactura & profusione, temporisque pretiosi irreparabili dispendio.

Circa indebitam & illicitam occupationem templorum, quæ & qualia Gravamina Majestati Vestræ Sacratissimæ ante quatuordecim septimanas exhibuerimus, Majestas Vestra Sacratissima benigne eorum recordari poterit, in quibus licet nihil indignum, Majestati Vestræ Sacratissimæ adversum, sed per omnia constitutionibus Regni ac Regiis quoque Diplomatibus consentaneum habuerimus postulatum, in eorumque constitutione apud Majestatem V. S. & Statum Catholicum, non refugientes etiam amicabilem compositionem, diu multumque laboraverimus; quæ quidem amicabilis compositio cum minus successisset, pro complanatione eorum ad Majestatem V. S. humillimis nostris precibus recurrimus, ac ultimariò, volente ita Majestate Vestra Sacratissima, reassumptâ eadem compositione, per Illustrissimos Dominos Comites Palatinum & Judicem Curiæ Regiæ, ac personalem præsentiam Regiam, ob dignitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ & ut in tantis curis totius Christianitatis, à nobis eadem Majestas V. S. aliquatenus sublevaretur studentes unicè paci, quieti & publicæ permansioni, etiam contra mentem Principalium nostrorum de summo jure cedentes, ex postulatis & jure merito petitis quadringentis fere occupatis templis, ad centum & quatuordecim (quorum seriem cum præsenti Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè exhibemus) templa restituenda condescendimus, non sine manifesto jurium nostrorum derogamine, Principaliumque nostrorum offensione.

Quia vero animadvertimus, quod neque sic satisfieret nostræ justissimæ petitioni, Diplomatibusque Regiis, imò indies cum maximo tædio injuriaque nostra & Principalium nostrorum incommodo, tempus frustra conteri, inanesque expensas facere experiamur; Extremè jam ad Majestatem V. S. confugere necessum habemus, eandem demisse exorantes, dignetur benignissime perpendere, quantum respectatâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ authoritate, de jure nostro cesserimus, & quæ non media bonæ compositionis amplexi fuerimus, ita ut nullo jure plus à nobis expeti cuivis conscientioso æquissimo videri posit. Ob amorem itaque DEI, & qua Majestas V. S. ducitur misericordiâ erga afflictissimam & sui studiosissimam fidelemque Gentem Hungaricam, humillimè exoramus, Majestas V. S. dignetur benignissime remederi, quò tandem parcatur innocuæ plebi, parcatur sumptibus, liberetur regnum ab ultimo excidio, rescindatur fomentum tot dissidiorum tantarumque vicissitudinum, imò juxta vim novissimi Diplomatis Majestatis V. S. Regii, & humillimam instantiam nostram eidem antea exhibitam, efficiat nos clementi suâ complanatione, cum satisfactione nostra contentos, quatenus ad fidelia Majestatis V. S. obsequia eò alacriores, & ad reliquos tractatus diætales promptiores reddamur. Quibus obtentis, Majestatis Vestræ Sacratissimæ clementia & benignitas

toto orbe Christiano maximis encomiis & applausibus efferatur, æviternamque laudem consequatur, ac Regna & Provinciæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ sub felici regimine suo, in tranquillo Statu, quo nihil desiderabilius nihilque felicius, conserventur: nosque & Principales nostri humillimis, fidelibus & obsequentissimis Servitiis nostris gratiam & Clementiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ demereri valeamus, benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem jam tandem ultimariò expectantes.

Ejusdem Sacratissimæ Cæsareæ atque Regiæ Majestatis Vestræ

Fideles humillimi & perpetui subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Extractus Templorum Dominis Evangelicis ultimatim concessorum, die 12. Febr. perque Dominos Deputatos extraditorum.

In Abauyvariensi Comitatu.

1. Somogy.
2. Misle.
3. Also Mezenziff.

In Zempliniensi.

4. Varano.
5. Garani.
6. Kuchin.

In Sarosiensi.

7. Szent Peter.
8. Fel Sebes.

In Scepusiensi.

9. Kaposztafalva.
10. Donavecz Krompak.

In Liptoviensi.

11. Tepla.

In Neogradiensi.

12. Maskfalva.

In Hontensi.

13. Bath.
14. Fûzes Gyarmat.
15. Viszoka.
16. Brinczfalva.

In Barsensi.

17. Velika Polia.
18. Maroth.
19. Nagyherestyen.
20. Keresztur.
21. Fenyô Kosztolyan.
22. Kis Keszi.
23. Semlye.

In Nitriensi.

24. Komjati unum templum ex duobus.
25. Sopornye cum Filialibus.
26. Negyed.
27. Kass.
28. Poruba.
29. Hendlova.
30. Kraszna cum Filialibus.
31. In Galgocz Hospitale.
32. Szerdahely prope Pôstyen.
33. Udvarnok.
34. Bayna.
35. Uylak.
36. Paszto.
37. Deaky Templum extra claustrum.

In Trenziniensi.

38. Also Hrischo.
39. Jessenycze.
40. Bedmir.

In Turoziensi.

41. Szent Andras.
42. Szent Martony.
43. Mosocz.
44. Turan.

In Comaromiensi.

45. Nagy megyer.
46. Apacha Szakallos.
47. Balvany Szakallos.

In Posoniensi.

48. Nagy Magyar cum Filialibus.
49. In Nemet Gurab templum intra pagum
50. Limpak.
51. Sûly.
52. Taxon.
53. Nagy Macsed.
54. Nagy Szely.
55. Viskozy Kûrt.
56. Tarlos.
57. Nagy Szegh.
58. Szent Abraham.
59. Jvany.
60. In Szerdahely locum pro structurâ cum exemptione.
61. In Szentz locum pro structurâ cum exemptione.

In Simigiensi.

62. Kis Komarom in Pago.

In Castriferrei.

63. Gyarmath.
64. Neuzidel.
65. Szent Grôtth.
66. Ovar.
67. Perenye.
68. Puszta. Sz. Mihaly.
69. Kukkenmeren.
70. Kiczladen.
71. Wolffau.
72. Czem.
73. Horensdorff.
74. In Vép locum pro structura & Parochia cum exemptione.

In Sproniensi.

75. Sandorff.

In Mosoniensi.

76. In Ovár minus Templum.
77. Miklosdorff.
78. Levél.
79. Nemet Jagendorff.
80. Kenilie.
81. Kanok.
82. Szolnok.

83. Czun-

83. Czundorff.
84. In Liben minus Templum extra Abbatiam.
85. Meczer.

In Jauriensi.

86. Zamoly.

In Vesprimiensi.

87. Vasar.
88. Dobron.

In Strigoniensi.

89. Farnad.
90. Lôlved.

Parra decreti Suæ Majestatis ratione Templorum, quo præcipitur, ne plura quam nonaginta Templa dentur Evangelicis. Exhibita die 12. Februar.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Domini Domini nostri clementissimi nomine spectabilibus ac Magnificis, Comiti Johanni Draskovicz de Trakostyan, Regni Hungariæ Palatino, Judici Cumanorum, ejusdem Majestatis Cæsareæ atque Regiæ locum tenenti: Comiti Paulo Palffy de Erdœd, perpeto de Detrekœ, Comiti Comitatus Arcisque Posoniensis, supremo Capitaneo, Judici Curiæ Regiæ, in Hungaria Camerariis, & Thomæ Mikulicz de Brukonovvecz, Personalis præsentiæ Regiæ in judiciis locum tenenti & Consiliariis ad tractatum cum Evangelicis deputatis Commissariis præsentibus significandum.

Prælibatam suam Majestatem circa quæstiones & difficultates templorum motus, ob quas progressus Comitiorum hactenus impeditus ac retardatus fuit, pro cathegorica & ultimaria sua resolutione sese clementer declarare, atque etiam præfatis commissariis vigore præsentis Decreti facultatem concedere, ut dictis Evangelicis nonaginta templa, quæ jam annotata ac consignata habentur, offerre & cedere possint & valeant. Ultra verò hanc amplam templorum concessionem ad nullos tractatus hac in parte cum iisdem Evangelicis progrediantur.

Cum quibus quidem, sicut meritò contenti esse possint & debeant, ita etiam omnino confidit sua Majestas, illosque hortatur, ut juxta laudabiles Comitiorum Regni consuetudines ad ulteriora publica negotia assumenda & tractanda procedant, & quæ ipsorum commune bonum, tranquillitatemque & permansionem concernunt, communibus studiis procurare contendant.

Quam etiam finalem complanationem & determinationem benigne vult sua Majestas ipsis Evangelicis per prænominatos Commissarios declarari. Quibus in reliquo præfata sua Majestas gratia Cæsareâ & Regia benigne propensa manet.

Per sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem.

Posonii 10. Mensis Februarii Anno Domini 1647.

Georgius Orosi.

ITa definito templorum restituendorum numero, deprehensæ adhuc sunt circa nonnulla difficultates quædam, quæ scripto comprehensæ, dieque 13. Februarii Dominis Commissariis ad complanandum exhibitæ sunt, quæ sequuntur

Difficultates circa Templa restituenda per Dominos Deputatos Suæ Majestatis complanandæ, eodem die 13. Febr. exhibitæ.

In Comitatu Scepusiensi.

In Kapoſztafalva reapplicetur Sacellum templi Sanctuario.

In Sacello Czœtœrtœk janua extra templum aperiatur.

In Hontensi.

Pro Bad scribatur Bath.

In Nitriensi.

Ad templum Komjati addatur Parochia & Schola cum denominatione Templi.

Jalgoczensi Hospitali Templo addatur Schola, domusque Parochialis ibidem existens cum proventibus, ad idem hospitale pertinentibus & sepultura extra oppidum.

In Deaky templum expungatur extra claustrum.

In Trenziniensi.

Predmir, addatur, ad Fluvium Kissuczan.

In Posoniensi.

In Nemet Gurab deleatur, intra Pagum.

In Szerdahely sufficientes sessiones statim denominentur pro structura templi, Parochiæ, Scholæ & Coemeterii cum exemptione & pertinentiis earundem.

In Szencz similiter sufficiens locus circa turrim in medio Oppidi habitam pro Templi structurâ & Coemetrio, pro Parochiâ verò & Schola sessiones Jobagionales. Alartim Felkete. & orphanorum Johannis Verboy depositæ per Dominum Terrestrem eorundem pretio.

In Simigiensi.

In Kis komaron loco vocis Pagus addatur oppidum uti jam ante declaratum fuit.

In Castri ferrei.

Ad Harendorff, addatur, alias Samfalva.

In Oppido Vép restituatur sessio, ex qua Concionator ejectus est, proque Scholâ & Parochiâ sessio vicina Pauli sipos addatur cum pertinentiis & exemptione.

In Mosoniensi.

In Ovar minus Templum, addatur, pro utraque natione.

Die 14. Februarii posteaquam Domini Commissarii difficultates præmissas pro voto Evangelicorum sese complanaturos obtulissent, Status Evangelici ulteriores circa punctum quartum Diplomatis occurrentes difficultates, sequenti scripto comprehensas, eisdem Dominis Commissariis ad complanandum porregerunt.

Declaratio Status Evangelici circa difficultates quarti puncti Diplomatis, ubi ea, quæ circa Status, confinia, structuram templorum, eorundemque restitutionem, solutionem Concionatorum, proventus, & pœnam statuenda cupiunt, specificantur, exhibita die 14. Febr. 1647.

Quoad Status.

1. Helveticæ & Augustanæ Confessionis hominibus in libera ac regia Civitate Zakolczensi commorantibus, restitutis ædibus, pro exercitio Religionis eorundem ordinatis, liceat reassumere contra vim Diplomatis interdictum præscriptæ Religionis ipsorum Exercitium.
2. Ut fundi templorum & domorum parochialium cum scholis Evangelicorum Tyrnaviensium, à quibuslibet contributionibus & censibus civilibus liberentur, & exempti habeantur, templorum prærogativa etiam id exigente.
3. Quandoquidem Plebano Catholoci Tyrnaviensi ex communi civitatis censu salarium penditur: ut ex eodem censu Evangelicæ etiam confessionis concionatoribus seu ministris solvatur, justitia & communis æquitas postulat.
4. Ne Opifices seu Mechanici Evangelici Tyrnaviæ & alibi commorantes, ac in Cechis constituti, ad ceremonias religioni ipsorum contrarias, utpote offertoria, processiones & id genus alia, contra tenorem Diplomatis compellantur.

Quoad Confinia.

Cum lachrymis ferè commemoranda venit nobis sors Evangelicorum Confiniariorum Jauriensium, utpote quibus pro patria nostra charissima ac potissimum pro Confinii ejusdem permansione, diebus noctibusque excubias agentibus, nec sanguini nec fortunis parcentibus, tandum abest, ut hactenus intra mœnia civitatis Jauriensis, patriæ videlicet suæ Religionem suam exercere templumque ædificare potestas fuerit, ut ne Ministro quidem confessionis eorundem vel ad præsens etiam eandem civitatem Jauriensem ingredi liceret, iisdemque confiniariis, antequam adhuc templum in Patahaza ab illis occuparetur, in gravioribus tempestatibus aeris sæpius periculosè audiendi verbi Dei causa Danubium transire, discriminique vitæ non solum ob naufragia, verum etiam ob metum Turcarum sæpius excurrentium sese committere necessum fuerit.

Quia verò tam in pacificatione Viennensi, & exinde subsecutis Constitutionibus Regni, quam in novissimo Diplomate etiam pro militibus Hungaricis, in confiniis, æque ac Statibus Regni liberum decretum sit exercitium Religionis; Ob id, ut iisdem Jauriensibus, prout & Levensibus Augustanæ Confessionis Tihanensibus, ac aliis etiam præsidiariis, intra mœnia locorum ac præsidia liceat templa, parochias & scholas ædificare, concionatores seu Ministros confessionis ipsorum intertenere, ac religionem suam exercere liceat, præscriptæ pacificationis Viennensis; constitutionum Regni ac novissimi Diplomatis etiam virtus expostulat.

Oppidanis etiam Re-Comaromiensibus, sicut & Holiczіensibus Evangelicis potestas ædificandi & restaurandi templa, ac liberæ exercendæ Religionis facultas salva permaneat.

De Structura Templorum.

Quandoquidem ex occupatis ac in gravaminibus specificatis templis multo plura, quam quæ Evangelicis restituta essent, præ manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis Evangelicis (prout hoc in decreto etiam suæ Majestatis declaratum esset) pro exercitio Religionis ipsorum alia templa, parochias & scholas ædificare, sufficientibus & ad id idoneis fundis pro talibus templis, parochiis & scholis per Dominos terrestres, coram Vice-Comitibus Comitatuum, & potioribus nobilium pari numero ex Catholica sicut & Evangelica Religione, iisdem per universitates Comitatuum adjungendis, intra spacium trimestre à publicatis articulis, assignandis & libertandis; sepulturæ tamen & campanarum usu pro iisdem Evangelicis communiter deservientibus.

Atque iisdem quidem Vice-Comitibus, sicut & præscriptis potioribus nobilium, vi statuti superinde sanciendi incumbet ad præscripta inspicere & invigilare, ad eaque exequenda sub amissione officii honoris & bonorum eorundem exire, ac Dominos terrestres etiam superinde omnimodè commonefacere; quam quidem structuram templorum, parochiarum & scholarum, quandocunque Evangelicis talium locorum continuare opportunum & commodum visum fuerit, id ipsis absque quorumvis impedimento facere liceat.

De Solutionibus.

Cum autem impossibilis plane sit intertentio Concionatorum absque salario condigno, ac in locis talibus, ubi videlicet templa pro Catholicis remanerent Proventus etiam parochiales eò deservire debeant: Omnino justum & æquum est, ut eum Evangelici per structuras templorum & reductionem ministrorum liberumque exercitium Religionis, à templis Parochialibus abscedant, nec ulla opera parochorum Catholicorum utantur, sed quævis pars imposterum suæ Religionis Ministro duntaxat, talem personalem solutionem solvere, eidemque subesse possit & debeat.

De

De Proventibus.

Ad restitui promissa templa, sicut & ad illa, quæ ad præsens præ manibus Evangelicorum existerent, templa filialia, Parochiæ, Scholæ, bona & proventus quocunque nomine nuncupati: signanter autem Unguarienſibus in bonis Levenſibus, ac in possessionibus Ludany aliisque etiam locis, passim constitutis Evangelicis Concionatoribus, quoquo modo adempti & occupati restituantur, nec ullo unquam sub prætextu per quosvis ab iisdem occupentur.

Restitutio templorum quomodo fieri debeat.

Eadem autem restitui promissa templa, sicut & illa, quæ sub disturbiorum temporibus occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam Suæ Majestatis commisſionem Evangelicis essent restituta, aut post restitutionem iterum reoccupata, unà cum fitiolis, Parochiis, bonis & proventibus earundem, quoquo modo nuncupatis, adhuc sub præsenti Diætâ per certos Commissarios, è medio regnicolarum ad id exmittendos, plenariè & omnimodè restituantur.

Quoad Pœnam.

Quicunque autem, sive sint Ecclesiasticæ sive secularis dignitatis, præscripta templa una cum Parochiis, Scholis, bonis & proventibus earundem non restituerint, fundosque pro structuris Templorum, Parochiarum, & Scholarum præscriptis in locis non assignaverint, vel easdem quovis sub prætextu impediverint, ac imposterum etiam templa, Parochias & Scholas, bonaque & proventus eò pertinentes occupare, Ministros verbi DEI amovere, miseram plebem in Religionis exercitio, sepulturæ & campanarum usu impedire, ac propter reassumptam Religionem quovis modo affligere, vel quoquo modo Diploma Suæ Majestatis turbando Religionem in præscriptis violare attentaverint, toties quoties convincantur in mille florenis Hungaricalibus; de bonis eorundem per Vice-Comites, judices nobilium, & juratos assessores, adjunctis sibi per universitatem duabus Catholicæ, duabus itidem Evangelicæ confessionis Nobilibus Personis potioribus Comitatuum illorum, in quibus videlicet talia Templa & loca haberi dignoscerentur, sub amissione officiorum & bonorum eorundem confiniis per supremos Regni Generales applicandorum, ac nonnisi communi æstimatione mediante redimendorum, irremissibiliter & exclusis omnibus Juridicis remediis, prævia tamen inquisitione & compertâ rei veritate exequendis, ac in duabus ad confinia, ad quæ videlicet comitatus tales gratuitos labores præstare tenentur, conferendis, in tertia vero partibus prædictis executoribus cedentibus; ac templa etiam, sicut & reliqua occupata per nostros executores simpliciter semper & de plano restituantur. Quod si vero tales Diplomatis & præsentis statuti violatores præscriptæ executioni sese opponere præsumerent, contra eosdem Uladislai Decreti 6. Articulus octavus observandus, pœnaque in eodem declarata exequenda esset.

Quoad clausulas Diplomatis.

Quandoquidem clausulæ de Jure Patronatus & invitis rusticis, in nupero decreto Suæ Majestatis specificatæ, Diplomati ejusdem Majestatis Sacratissimæ & Regiæ derogarent, ut illarum ac aliarum his similium in articulo Regni nulla mentio fiat, Domini Status & Ordines Evangelici postulant.

Super punctis præmissis, in primis quoad solutiones Parochorum, quæ hic personales vocantur, & pœnam, ad diem usque 4. Mensis Aprilis magnâ vehementiâ animorumque contentione disputatum fuit. Ac primò quidem die 16. Februarii, ad nonnulla puncta sequens responsio Catholicorum Evangelicis data fuit.

Responsio Catholicorum circa declarationem Evangelicorum, exhibita die 16. Febr. 1647.

Quoad Status.

AD primum. Quantum ad Zakolczenses, ex quo sint Status, quibus alioquin concessum esset, liberum exercitium Religionis ipsorum etiam in Civitates introducere juxta complures Articulos & concessiones, ideò permitti id indigenis & receptæ Religionis.

Ad secundum. Possunt eximi.

Ad tertium. Est contra dictamen Diplomatis, & alias Civitas nihil solvit Parocho Catholico.

Ad quartum. Conservabuntur juxta Diploma.

Quoad Confinia.

Præsidiarii Jaurienses habeant liberum exercitium Religionis in Patahaza, templumque extruant, atque etiam Ministri sive Concionatores ipsorum præsidium liberè ingredi possint & egredi, neque periculum insinuatum, ob metum Turcarum, esset in dicta Patahaza. Levæ habent Evangelici Templum, quo sint contenti, & possint in præsidium intrare. In præsidio Tihaniensi est tanta angustia loci, ut & ipsi Haydones cum uxoribus Templum inhabitare cogantur, & alioquin etiam isthic esset Abbatia ac residentia ipsius Abbatis & Capitanei. Comaromii habent Evangelici de facto templum, permittitur tamen ipsis ædificare absque præjudicio Confinii. In Holicz similiter jam concessa ædificatio Templi.

Quoad structuram Templorum.

Locus pro ædificandis Templis per utriusque Religionis Commissarios Suæ Majestatis exmitten-

mittendos demonstrabitur; Absolutâ Diætâ continuatio structuræ templorum non impedietur.

De Solutione.

Maneat secundum dictamen Diplomatis, quo templa eo & Proventus.

De Proventibus.

Jam conventum est de numero Ecclesiarum, quæ iisdem conceduntur, & in illis, quæ templa specificata sunt cum filialibus, ac proinde contenti illis merito esse possunt.

De restitutione Templorum.

Fiat restitutio templorum adhuc etiam sub præsenti diætâ per Commissarios utriusque Religionis, æquali numero à Sua Majestate nominandos, si commodè fieri poterit, alioquin etiam absolutâ Diætâ, siquidem hæc longo tempore oporteret exequi & Comitia interea protrahi, magno Suæ Majestatis & totius Regni dispendio non possunt.

Quoad Pœnam.

Quicunque templa & proventus ad eadem spectantes occupare, campanarum & sepulturæ usu privare, in libero exercitio Religionis suæ ac usu aliquem turbare compertus fuerit, talis in florenis sexcentis per tabulam Suæ Majestatis Regiam, abscissis omnibus Juridicis remediis, compertâ rei veritate & restitutione templi, toties quoties convincatur, & per unum ex Magistris Prothonotariis executioni demandetur, præscriptis sexcentis florenis in quinque ad Confinia, sextâ vero partibus executori cedentibus. Et hoc judicium fieri possit tam in octavis quam judiciis extraordinariis aut brevibus, prouti etiam sub celebrandis diætis.

Quoad Clausulas.

Non fiet illarum mentio in Articulis.

Eadem autem Dominorum Catholicorum responsione Statibus Evangelicis minimè contentis, melioremque ac pleniorem, adeoque scripto suo, cui, velut æquissimo, per omnia inhærerent, magis consonam instanter sollicitantibus, Domini Catholici post varias consultationes die 20. Febr. sequentem ulteriorem declarationem suam Evangelicis tradiderunt.

Ulterior declaratio Dominorum Catholicorum super nonnullis Evangelicorum postulatis, exhibita die 20. Febr. Anno 1647.

QUandoquidem ex prætensis occupatis & in Gravaminibus specificatis templis, multò plura, quam quæ Evangelicis restituta essent, præ manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis, Evangelicis (prout hoc in decreto etiam Suæ Majestatis declaratum esset) pro exercitio Religionis ipsorum alia templa ædificare, ordinatis ad id sufficientibus locis, coram Vice-Comitibus, & potioribus Comitatuum nobilibus pari numero ex Catholica sicut & Evangelica Religione, iisdem per Universitates Comitatuum adjungendis, intra spatium trimestre à publicandis Articulis per Dominos terrestres assignandis; sepulturæ tamen & campanarum usu, donec præmissa templa extruxerint, & campanas comparaverint, pro iisdem Evangelicis etiam communiter deservientibus; atque iisdem quidem Vice-Comitibus, sicut præscriptis potioribus eligendis nobilibus, vi statuti superinde sanciendi, ad præscripta inspicere & invigilare incumbet.

Solutiones porro Concionatorum in hujusmodi novis ædificandis templis erunt ex stola suæ Religionis auditorum, & illorum erit, qui concionatorem adduxerint, de Salario providere: nam proventus Parochiarum juxta Diploma eo quo templa spectabunt. De proventibus etiam clarum est Diploma: quo templa eo & proventus cedent. Filialia verò, quæ in numero templorum restitutorum specificè per verba (una cum Filialibus) sunt tradita, talia apud Evangelicos manebunt, neque ulterior quæstio de templis fieri potest.

Secundariò hoc de Pœna transmittunt scriptum.

Quicunque, sive sint Ecclesiasticæ sive secularis dignitatis, templa & proventus ad eadem spectantes occupare, campanarum & sepulturæ usum privare comperti fuerint, aut præscripta templa una cum Parochiis, scholis & proventibus earundem jam promissis, non restituerint, locaque pro structuris non assignaverint; in libero exercitio Religionis suæ ac usu, plebem turbaverint & impediverint, tales in florenis sexcentis per tabulam Suæ Majestatis Regiam, abscissis omnibus Juridicis remediis, compertâ rei veritate per utriusque Religionis æquali numero celebrandâ, competenti attestatione præviâ, & restitutione templi, toties quoties convincantur, & per unum ex Magistris Prothonotariis executioni demandetur, præscriptis sexcentis florenis in quinque ad Confinia, sextâ vero partibus executori cedentibus. Et hoc judicium fieri possit tam in octavis quam judiciis extraordinariis, aut brevibus, prouti etiam sub celebrandis diætis.

Sed cum iidem Status Evangelici neque declaratione hujusmodi Catholicorum contenti esse, neque aliam scripto suo (cui se velut æquissimo, per omnia inhærere velle debereque affirmabant) consonam habere possent, ad Suam Majestatem vicissim recurrere, eidemque die 22. Februarii sequentem libellum supplicem exhibere constituerant; attamen per Dominum Palatinum persuasi speque amicabilis compositionis ad optatum deducendæ finem retenti, tandem die 25. quando jam spes illa ipsos ad præsens deseruerat, eundem Suæ Majestati mediante

diante Domino Georgio Barna exhiberi curaverunt. Cujus quidem *Libelli* tenor hujusmodi est.

Literæ supplices Evangelicorum, quibus Cæsaream Majestatem humiliter efflagitant, ut tandem ad omnes & singulos discordiarum fomites restinguendos extremam manum addat, in primis difficultates quarti puncti Diplomatis complanet, inspecie circa solutionem Ministrorum, itemque pœnam occupatoribus Templorum, & Religionis turbatoribus præscriptam stabiliat.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas Domine Domine nobis Clementissime,

JUsta conquerendi occasio, Comitiorum nempe hæc cum inutiliter impensi temporis jactura & damno miserabilis patriæ nostræ facta protractio, compellit nos supplices & humillimos ad Majestatem V. S. alias magis seriis & gravioribus curis intentam recurrere. Annon res prorsus inaudita non solum in hoc Regno Hungariæ, verum passim aliàs etiam apud nationes in tanta temporis intervalla differri tractatus diætales? Certe nos expediti à Principibus nostris, sicut & ipsimet Principales nostri, innixi assecuratione benignâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ in Diplomate facta, sperabamus firmiter diætam præsentem facto citius felicem finem sortituram, sed ecce, omnino extra omnem culpam nostram, jam septimus evolvitur mensis, ex quo nunc Majestati Vestræ Sacratissimæ humillime sollicitantes, nunc Statum Catholicum interpellantes, nunc alios quorum vel maxime interesset, super complanando negotio identidem requirentes laboramus, ingemiscimus, necdum tamen aliquid firmi, (quamvis jam habito fundamento) superædificare possumus, atque ita in labore etiam otiosi, in primis veluti principiis operis nostri hæremus.

Quod & quantis discriminata fuerit quarti puncti Diplomatis complanatio cardinibus, cum tædiosa rei commemoratione Majestati Vestræ Sacratissimæ idipsum explicare operæ pretium non videtur. Res variis tentata modis, ac postquam finaliter & Cathegoricè Majestatis Vestræ Sacratissimæ nomine Status & Ordines Evangelicos nonaginta Templis debere esse contentos declaratum extitisset, ut omnis imposterum civilium discordiarum fomes restingueretur, paci & tranquillitati publicæ consuleretur, neve futuris etiam temporibus ex difficultatum non complanatione tractatus diætales similem ad modum cum periculosis regnicolarum altercationibus proferrentur, Status & Ordines Evangelici, præter aliorum quorundam punctorum difficultatem, circa condignæ pœnæ modalitatem & solutionem Ministrorum, sincerè sese Statibus & Ordinibus Catholicis declaraverunt. Sed cum Domini Majestatis V. S Commissarii difficiliores se circa præscriptam pœnam & solutionem Ministrorum nobis exhibeant, omnino ad uberiorem rei notitiam ut sensa animorum nostrorum Majestati Vestræ Sacratissimæ in eo humillimè exprimeremus, expeditum fore videbatur.

Et quidem circa solutionem Ministrorum vel maxime venit hoc miserandum, nunquam nos ad particularitatem Templorum condescensuros fuisse, nisi à Dominis Commissariis spes nobis, de Solutionibus Personalibus Ministris Evangelicis fiendis data fuisset, cujus quidem justi nostri postulati ratio nequaquam cum Diplomate secundo pugnaret; Parochiarum namque proventus de hæreditatibus, bonis, decimis, & id genus aliis, antiquitus ad Templa & Parochias pertinentibus obventionibus sonarent, nec unquam solutio personalis pro proventu ad Parochiam pertinenti reputata, paragraphusque etiam Diplomatis in ea parte nunquam de Solutione Personali, per nos & Principales nostros intellectus extitisset, prouti hoc ex Actis Tractatus Tyrnaviensis abunde comprobari posset.

Quorum enim Personæ per reductionem Ministrorum & seorsivam structuram Templorum à Templis & Parochiis Catholicorum abstraherentur, quomodo tales ad solvendum Parochis Catholicis tenerentur. Et decreta in Diplomate reassumptione interturbati usus Religionis (qui antehac libere & absque ulla solutione Catholicis Parochiis fiebat) cum laborantibus tantùm reddi debeat merces, mirum sane videtur, si Evangelici operis Parochorum Catholicorum non utentes, iisdem quippiam solvere deberent, per hoc namque libertatem Religionis ac conscientiarum non asseri, verum omnino labefactari clarum esset. Quantum ad pœnam, quid iniqui & à vero alieni in nostra instantia, si occupatores templorum & turbatores Religionis per Vice-Comites & Judices Nobilium, una cum potioribus Nobilium, pari numero ex Catholico sicut & Evangelico Statu per Universitates Comitatuum deligendis convictos & aggravatos esse volumus.

In aliis etiam negotiis datam esse Vice-Comitibus tantùm judicandi & exequendi facultatem, decreta & constitutiones Regni palàm dictant. Ac si ab ipsorum judicio extra Dominium in præsentiam universorum Statuum & Ordinum Regni fiat appellatio, nonne res æqua est, ut cum totum Regnum de Religionis negotio statuat, illud ipsum Regnum etiam de executione hujusmodi statuti ejusdemque erroribus judicet? Nihil hic certe contra Majestatis Vestræ Sacratissimæ authoritatem, nihil contra Statum Catholicum, nihil contra Judices regni ordinarios adversi obtenditur. In similibus excessibus nobis quoque paritas pœnæ manet, ulteriorem duntaxat intestinarum dissensionum ansam, ac in posterum occupandorum templorum & turbandæ Religionis, exindeque mole-

standi Majestatem V. S. occasionem præcludere intendimus; quorum omnium, sicut & sinceræ fidei & æquitatis postulatorum nostrorum testem ipsum DEUM maximum invocamus. Neque procul dubio iis, qui Diplomatis continentiis se accommodare vellent, à præscriptæ pœnæ moralitate metuendum esset; cum alioquin etiam adversus, violatores Constitutionum Regni, pacisque & tranquillitatis perturbatores, multo graviores pœnæ passim in decretis Regni habeantur & extent. Et si præscriptam pœnam Domini Status Catholici minus condignam esse judicarent, Status & Ordines Evangelici pœnam in decreto Uladislai 6. Art. 8. expressam acceptare parati essent.

Intellectâ itaque in præmissis per Majestatem Vestram Sacratissimam causæ nostræ æquitate, eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ humiliter ac per misericordiam etiam DEI supplicamus, inspiciat jam tandem miseram & afflictissimam hanc gentem nostram, quæ olim in Statu florenti Christiano Orbi præsenti semper astitit auxilio, ac propterea antemurale etiam ejusdem dici verè meruit, nec sinat eandem cum maximo reliquorum ejusdem Orbis Christiani Provinciarum detrimento, in summum salutis & libertatis amittendæ discrimen venire. Ac cum nihil iniqui petatur per Evangelicos, dignetur circa præmissa suam & Status Catholici resolutionem ad satisfactionem Evangelicorum clementer accommodari facere, sicque perfectis aliis etiam libertates & conservationem ejusdem Patriæ nostræ concernentibus negotiis, (ne ulterius etiam dispendium expensarum procedat) tædiosorum Comitiorum operi, jam tandem juxta Diplomatis continentias extremam manum addere.

In præscriptis namque punctis quæ omnino Evangelicæ Religionis, ejusdemque libertatis stabilita essent vincula, si iisdem Evangelicis satisfactum non fuerit, reliqua etiam in dubium ventura, non extinctisque intestinorum dissidiorum fomitibus, quo fundamento Regni incrementum sperandum? Hic dolor, hoc vulnus, hisce remedium adhibendum, quo sanato, conquassatæ miserabiliter undique Patriæ nostræ pristinus vigor & sanitas firmiter sperari poterit.

Ob quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsarea Clementia nomen ejusdem apud reliquas etiam nationes Christianas, pacem Almam anhelantes, in æternum deprædicabitur; Nosque etiam omnes & singuli ad præstanda sibi humillima & fidelia servitia prompti & alacres reddemur. Quam de reliquo bono totius Christianitatis feliciter imperantem diu & bene valere animitus desideramus.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque
Majestatis Vestræ

Fideles & perpetui subditi

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

POst præmissum libellum exhibitum Status Evangelici resolutionem Suæ Majestatis expectantes usque ad finem Mensis, neque publice cum Dominis Catholicis, neque privatim inter se quidpiam tractarunt, Dominis Catholicis frequentia interim nunc apud Dominum Palatinum, nunc autem apud Suam Majestatem Consilia habentibus. Die autem 1. Martii eisdem Evangelicis ad Domum viridem jussu Domini Personalis congregatis, sequens Suæ Majestatis Decretum per Dominum Cancellarium allatum, èque hospitio Domini Palatini in domum viridem transmissum est.

Decretum Cæsareæ Regiæque Majestatis Evangelicis exhibitum die 1. Mart. Anno 1647. ad eorum libellum supplicem die 28. Febr. 1047. In hoc finaliter declarat, quomodo solutionem, ut vocant, personalem, nec non dictatam transgressoribus pœnam intelligi observarique velit.

MAgnificis, Egregiis, Prudentibus item & circumspectis, qui sub nomine Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Suæ Majestati supplicem libellum porrexerunt, assignandum.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Dominus noster Clementissimus, intellectâ ulteriori quoque demissâ instantiâ fidelium suorum regnicolarum, qui sub nomine Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Suæ Majestati supplicem libellum porrexerunt, sperasset quidem declarato jam Templorum numero nullam amplius eatenus superesse difficultatem quo minus superatis arduis & intricatis hujus puncti quæstionibus, jam tandem ad alia conservationi & defensioni Regni istius, salutique Patriæ apprimè necessaria, consultanda & providenda progredi potuissent.

Emergentibus nihilominus præsentibus quoque controversiis, ita se benignè declarat & finaliter decernit Sua Majestas.

Et quidem quoad illam quam ipsi personalem nominant solutionem, inhæret de simplici & plano continentiis & verbis sui diplomatis, ubi habetur, quod pro quibus usus templorum determinabitur, proventus quoque parochiarum eò pertineant, nulla ibi exceptione vel distinctione proventuum factâ. Remanente nihilominus stolâ, ministris ipsorum in talibus locis à suæ Religionis hominibus proveniente.

Quod attinet ad pœnam, quicunque sive sint Ecclesiastici sive secularis dignitatis, templa & proventus ad eadem spectantes occupare, campanarum & sepulturæ usu privare comperti fuerint, aut præscipta templa unà cum parochiis, scholis & proventibus earundem jam promissis non restituerint, locaque pro structuris non assignaverint, in libero exercitio Religionis suæ ac usu plebem turbaverint & impedi-

verint, tales in Comitatibus per Vice-Comites, & æquali numero ex potioribus nobilibus per universitatem Comitatus utriusque Catholicæ & Evangelicæ Religionis deputandos, compertâ tamen prius merâ veritate, toties quoties in pœna sexcentorum florenorum convincantur, & templum statim & de facto restituatur, admissa unica appellatione ad totum Regnum sub celebrandis diætis extra Dominium fiendâ; quoad ipsam vero pœnam tam ablationis templorum, quàm etiam aliarum transgressionum statutorum religionis, fiat appellatio ab iisdem prædictis Vice Comitibus & adjungendis intra dominium, sive ante executionem similiter ad status & ordines Regni sub iisdem terminis Comitiorum celebrandorum.

Quæ quidem sententia & convictio hoc modo etiam per Regnum approbata aut emendata, per unum ex Magistris Protonotariis, abscissis cunctis juridicis remediis, in quinque pro confiniis, sextâ vero partibus pro Executore provenientibus, executioni demandabitur. Ad quæ præmissa dicti Vice Comites, & eisdem per universitatem Comitatus modo præmisso adjungendi nobiles, sub amissione officiorum & bonorum eorundem, confiniis per supremos & Vice-Regni Generales applicandorum, & non nisi communi æstimatione mediante redimendorum obligati esse intelligantur.

Ne igitur & temporis commoditas ulterioris moræ interlapsu jacturam majorem habeat, & occasione opportunissima tractandorum negotiorum totius Regni salutem concernentium destituatur, sua quoque Majestas (quam & plurimorum arduorum Christianæ Reipublicæ negotiorum cura ac dispositio expectant, ac simul avocant) non sine incommoditate, absque fructu & damno gravi, aliorum quoque regnorum suorum & Provinciarum diutius moram trahere debeat: clementer fideles suos regnicolas requisitos & admonitos esse voluit, ut superatis tandem similibus quibusvis quæstionibus ac difficultatibus ad ea, quæ boni publici & permansionis communis conservationem respiciunt, progrediantur, in eoque omni studio adlaborent, ut diætales tractatus optato fine quieteque ac tranquillitate regni, & mutua regnicolarum animi concordia & affectu quantocyus terminentur. Quibus etiam in reliquo præfata sua Majestas gratia Cæsarea & Regia benigne propensa manet.

Per sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem,

Posonii die 28. *Mensis Februar. Anno* 1647.

Georgius Orosi.

STatus Evangelici videntes quantum à summa votorum suorum distaret præmissum Decretum Suæ Majestatis, die 2. Martii denuo recurrunt ad suam Majestatem cum sequenti LIBELLO SUPPLICI per Dominum Comitem à Lesle, (siquidem audientia paulò ante promissa propter incidentes quasdam graviores suæ Majestatis occupationes denegabatur) exhibito.

Sacratissima Cæsarea, Regiaque Majestas, Domine Domine nobis Clementissime.

PRæter omnem spem & expectationem nostram jam ad octavum mensem, modo in Hungaria prorsus inaudito, tot & tam odiosis expectationibus extracto præsentium Comitiorum tempore sperabamus ad nostrum ratione nonnullarum difficultatum Majestati Vestræ Sacratissimæ exhibitum scriptum, resolutione ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ benigna facilitatum iri negotium, sopitaque jam tandem per totum Religionis controversia, ad reliqua Diplomatis puncta & pertractanda negotia Diætalia conservationem patriæ nostræ charissimæ concernentia, accessum patefieri. Sed perlecto humillimè Majestatis Vestræ Sacratissimæ Decreto, non sine maximo animorum dolore intelligimus, necdum Statibus & Ordinibus Evangelicis in eodem negotio Religionis satisfieri, atque sic tot votis & suspiriis speratum tædiosæ Diætæ finem neglectis aliis conservandæ patriæ consiliis & mediis, cum evidenti totius Reipublicæ Hungaricæ damno protrahi. Cujus causa, quod iterum Majestati Vestræ Sacratissimæ tanquam Regi clementissimo molesti esse non desinimus, id non ita importunitati quam æquitati causæ nostræ adscribendum Majestas Vestra Sac. benignè existimabit.

Et primò quidem Status & Ordines Evangelici summoperè mirantur, quamvis tam in constitutionibus Regni, quam etiam moderno Diplomate & frequentibus aliis Majestatis Vestr. Sacratiss. scriptis, Evangelicorum nomine intitulentur, in moderno tamen ejusdem Majestatis Vestr. Sacratiss. decreto, nescitur quorum opera quove respectu, titulum eundem in dubium vocari, atque sic iterum eosdem Status & Ordines Evangelicos exacerbari.

Quantum ad solutionem ministrorum attinet clementissimè noverit Majestas Vestr. Sacratissima remanente pro parochis Catholicis personali solutione, nullatenus Evangelicis posse satisfieri. Annon enim ob libertatem Religionis duntaxat tot & tantæ Majestati Vestræ Sacrat. per nos institutæ humillimæ instantiæ? Quam libertatem vel hoc unico maximè impediri certum esset, si auditores Evangelici ad solvendum Catholicis Plebanis tenerentur, eorundemque, quorum ministerio non uterentur, redderentur tributarii.

Si reassumptio prioris usus & exercitii Religionis cum reductione & intertentione ministrorum miseræ plebi permissa & diplomate Majestatis Vestræ Sacrat. confirmata est, cum ante coactionem & turbationem nonnisi Ministris suæ confessionis solvisset, quomodo nunc ad solvendum etiam Parochis Catholicis cogi deberet? Omnino per hoc quicquid hactenus ædificatum in eodem negotio Religionis extitisset, corrueret, Evangelicæque Religionis Exercitium & libertas, multò in majora quam antea præjudicia incurreret; ac ubi hactenus etiam ad importunam coactionem misera plebs talem solutionem præstare omisisset, inposterum contra libertatem Religionis facere necessum haberet, quod non li-

bertas, sed jugum potius conscientiarum æquo jure dici deberet.

Nec impedit quod in diplomate distinctionis hujus nulla mentio fiat, multa enim sæpius legibus sancita, obscuritate videntur involvi, nisi per eos quorum vel maximè interesset, commodè interpretentur.

Extant authores earundem conditionum per Majestatem Vestram Sacratissimam diplomate suo Regio confirmatarum, nunquam ipsos personalem solutionem inter Parochiarum proventus numerandam intellexisse significant, proventusque ad Parochias pertinentes de hæreditatibus, quartis, octavis, decimis, sedecimis, & id genus aliis ad Eccesias & Parochias antiquitus ordinatis emolumentis sonare dexterrime recognoscunt.

Et si de stolari proventu (alias in diplomate minus specificato) sit accommodatio eo saltem respectu, quod tales proventus merces ministerii essent, cur non & reliquarum personalium solutionum eadem posset esse ratio? Quæ quidem solutiones cum ministris ab Auditoribus non nisi ob laborem eorundem ordinatæ essent, translata functione ministerii circa Evangelicos Auditores à Parochis Catholicis ad Evangelicos ministros, solutiones etiam personales ad eosdem, tanquam operarios, pro labore eorundem transferri debere, recta tam divinæ quam humanæ æquitatis regula manifestè requireret.

Quoad pœnam etiam nescimus, cur occupatorum templorum restitutio per Vice-Comites extra dominium possit fieri, pœnæ autem executio contra occupantes vel religionem turbantes intra dominium ad appellationem deberet provocari? Accessorium sequitur forum principalis sui.

Si templa occupata possunt extra dominium compertâ rei veritate ad judicium Vice-Comitum & sibi adjungendorum restitui, cur non & pœna contra transgredientes statuta Religionis, simili modo per eosdem Vice-Comites posset & deberet exequi? Quamobrem adhuc supplices & humillimi ad Majestatem Vestram Sacratissimam confugimus, ruminatis non à comuni æquitate dissentaneis postulatis nostris, dignetur jam tandem Majestas V.S. in præmissis benignā suam resolutionem ad satisfactioem nostram accommodare, reliquaque etiam puncta difficultatum nostrarum Dominis ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Commissariis proposita, utpote, negotium confiniariorum Jauriensium, & Levensium Evangelicorum structuram fiendam, & restitutionem templorum, Parochiarum, scholarum & proventuum, tam in disturbiis occupatorum, quam etiam nunc promissorum, ac alias etiam difficultates nostras uberrime iisdem Dominis Commissariis specificatas, sub præsenti diæta adhuc clementer complanari & peragi facere.

Desperatâ namque & à Majestate Vestra S. non obtentâ in præscriptis punctis, (quæ ut in priori scripto nostro humillimè Majestati Vest. Sac. repræsentato declaratum esset, stabiliendæ libertatis Religionis Evangelicæ præcipua essent instrumenta) benignâ resolutione, cum alioquin etiam & potissimum ad effectuandum diploma indicta essent præsentia Comitia, causam non videmus, ob quam ulterius cum tanta profusione expensarum & deploranda temporis jactura moras hîc transigere necessium habeamus. Speramus nihilominus Majestatem Vestram Sac. patriam hanc nostram ab ulterioribus privatis dissidiis vindicare intendentem, tanquam Regem nostrum clementissimum, regiæ dignitati, & apud gentes Christianas perrenni gloriæ suæ consulturam, nosque ad Principales nostros cum bono contento & satisfactione clementer remissuram. Quam de reliquo bono Christianitatis diu felicem & victoriosè imperantem bene valere animitus desideramus.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Vestræ

Fideles humillimi & perpetui Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

AD hunc libellum nullo dato responso sua Majestas Cæsarea & Regia die 4. Martii Viennam abierat, & licet mox die 6. ejusdem hora 4. pomeridiana rediisset, tamen nihil ab exhibito libello publicè actum fuit usque ad diem 8. dicti mensis Martii, quo inter Dominos Commissarios in hospitio Domini Palatini congregatos, & Evangelicos ad domum viridem convocatos per internuntios Barna, Zakany, Egresdi, Mednyansky, & Vitnedy, acriter disputatum de solutionibus Parochorum; Nihil tamen conclusum, Dominis Commissariis Decreto suæ Majestatis, velut punctum Diplomatis de Proventibus Parochiarum hactenus ambiguum decidenti & explicanti, inhærentibus, Evangelicis autem hanc non libertatem, sed majorem, quam quæ unquam antea facta fuisset, oppressionem fore allegantibus. Qua ratione iidem Evangelici, & hac vice invecta re digressi, postridiè sequentem libellum suæ Majestati exhibuerunt.

Supplicatio Statuum Evangelicorum die 9. Martij An. 1647. exhibita.

TRiste omninò nobis accidit, quod dum ad tot vicibus repetitarum Supplicationum nostrarum, tam divino quam humano Juri consentaneas rationes, super solutionibus personalibus, pœna & aliis nonnullis difficultatibus, Dominis Majestatis Vestræ Sac. Commissariis declaratis, gemebundi expectamus ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ benignam, & juxta continentias Diplomatis pro satisfactione nostra resolutionem, tantùm abest, ut id experiamur, ut potius quasi rejectanei, & abjecta Hungariæ membra nec pro dignis etiam reputemur, qui scriptotenus ejusdem benignioris, totque suspiriis & justè expetitæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ in præscriptis punctis Resolutionis, intelligamus solatium, fa-

ctaque

ctaque determinatione, ad Majestatis Vestræ Sac. determinationem iterum relegamur. Quæ quàm onerosa Nobis & Principalibus nostris essent, cum ex rationibus in præcedentibus nostris scriptis uberrimè specificatis Majestas Vestra Sacr. clementer intelligere potuit, id ipsum vicissim longa verborum serie tædiosè pertexere, sicut minus utile, ita etiam justo postulato nostro plures rationes superaddere supervacaneum videbatur.

Placuit nihilominus adhuc male valentibus Medicum requirere, & ad sanandos animorum nostrorum acerbitates Emplastrum à Majestate Vestra Sacratissima humillimè deposcere.

Clementi recognoscat Majestas Vestra Sacratiss. memoria, omnia ferè discordiarum Civilium funestissima fomenta hactenus plerunque ob Plebis coactiones tantas in Regno hoc fuisse exorta, ac proinde, ne imposterum eadem gliscerent, libertas Religionis pro plebe ita, sicut & pro Statibus Diplomate Majestatis Vestræ Sacratiss. Regio (Paragrapho modo ut suprà simili) confirmata, pacificatioque Viennensis, ea in parte erga ipsam etiam observari decreta. Cum verò Status ad nullam prorsus solutionem Ministris Religionis ipsorum contrariis teneantur, rationem nec videri, qua plebs similiter, ut Status, negotio in eodem privilegiata, ad ejusmodi solutionem præstandam cogi deberet.

Ex eo namq; jam non de ovibus, verùm de lana ipsarum duntaxat inter nos disceptari manifestè colligi, nec unquam hoc periculosius libertatis Religionis impedimentum ejusdem turbandæ notabilior prætextus (quæ alioquin strictè in Diplomate caverentur) fieri posset: Uno verbo: Hoc non libertas Religionis & conscientiarum, verùm oppressio & quidem multo major, quam unquam antea extitisset.

Quamobrem adhuc supplices & humillimi ad solium Majestatis Vest. Sac. confugientes, penitus introspectis tot æquissimarum rationum nostrarum argumentis, respectataque Patriæ nostræ charissimæ tantis mutuarum discordiarum turbinibus exagitatæ tristi facie, dignetur in sæpè notatis punctis Resolutionem suam Regiam clementer & scriptotenus juxta Diplomatis continentias ad satisfactionem nostram accommodare, alioquin etsi ad quæ intervalla temporum hìc detineamur, pro nostra tamen & Principalium nostrorum satisfactione Majestatis V. S. factam determinationem nos agnoscere minimè posse, idq; sicut & in proximè Majestati V. S. humillimè exhibito scripto declaratum esset, non importunitati, verùm æquitati causæ nostræ jure merito imputari debere. Clementissimum supplices Majestatis Vestr. Sacr. expectantes responsum, eandem diu & felicissimè Imperantem benè valere, animitùs desideramus.

Posonij die 9. Martii 1647.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Vestræ

Fideles &c.

Status & Ordines regni Hungariæ Evangelici.

SEd nec ad hunc libellum, licet in quibusdam adeò acrem, pungentemque, ut nonnulli vulnus inde acceptum dissimulare haud potuerint, ullum per Suam Majestatem responsum datum fuit; verùm negotium commissum industriæ Dominorum Commissariorum, qui etiam gnaviter officio defuncti, per varias ad diem usque 26. Martii continuatas disputationes, eo tandem pertraxerunt Status Evangelicos, ut postulata sua, Ministrorum solutionem concernentia, certis limitationibus, (quæ sequenti scripto continentur,) mitigarent, atque ea, quæ hactenus in negotio Religionis conclusa fuissent, in scriptum, penes partem utramque, in paribus æquè sonantibus, (ne quà videlicet mutatio intervenire posset) ad compilationem usque Articulorum asservandum, ac deinde eisdem Articulis Regni inserendum redigerent.

Eum itaque in finem die 27. Martii exhibitum est Dominis Commissariis sequens; *Scriptum Evangelicorum.*

Ad extremum hoc modo deberet complanari negotium Religionis.

I. UT Diploma inseratur Articulis, cum hac clausula: Contradictionibus Dominorum, Cleri, & aliorum quorumvis Secularium Catholicorum non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus, Diploma Regium per Universos Status & Ordines Regni acceptatur, approbatur, & confirmatur.

II. Quæ diversis vicibus ad invicem respectu quarti puncti essent utrinque tractata, ac postmodùm quomodo sit ad extremum conventum, id etiam debebit Articulis Regni inseri, Et primò quidem debebunt specificari nonaginta illa Templa Evangelicis restitui promissa, tollendæque erunt universæ difficultates, quas iidem Evangelici circa eadem Templa moverunt, juxta placidam eorundem Dominorum Commissariorum oblationem hunc in modum.

1. In Scepusiensi in Kaposzta falva ut Templo Sanctuarium applicetur, neque Dominus Terrestris Oppidanos in usu Sanctuarii ejusdem per amplius turbet.

2. Si Dominus Terrestris usu Sacelli Chôtôrtokhelyensis abstinere non poterit, fiat ingressus ab extrà, & non è Templo Parochiali.

3. In Hontensi loco Bad scribatur Baath.

4. In Nitriensi, Templum in Komjati denominetur, utrum intrà vel extra Oppidum adjacens cedat Evangelicis, & loca idonea ac sufficientia pro structura Domus Parochialis & Scholæ assignentur.

5. In Galgoczensi Hospitali templo Schola addatur & Domus Parochialis, intra Civitatem ejusdem Templi existens, cum Proventibus & pertinentiis ad id Hospitale spectantibus, & sepulturà extra Oppidum.

6. Deaki Templum expungatur extra Claustrum.

7. In Trenchiniensi Prednir addatur ad Kiszuczam.

8. In Posoniensi in Nemet Gurab deleatur intra Pagum.

9. In Szencz locus sufficiens circa Turrim in medio Oppidi habitam pro structura templi, Coemeterii verò extra Oppidum, si comodè intra Oppidum fieri non potest. Pro domo verò Parochiali & Scholæ structura sessio Johannis Verboi, cum universis ejusdem pertinentiis & exemptione per Dominum Terrestrem, possessoribus de eorundem pretio contentatis, pro Helveticæ Confessionis Incolis assignetur. Pro Augustanæ verò Confessionis hominibus sessio altera ex jam demonstratis, pro templo, schola & Parochia (siquidem id ipsi acceptassent,) permaneat.

10. In Zerdahely siquidem templum Parochiale pro Catholicis cessit, pro structura templi, Parochiæ & Scholæ Evangelicorum, assignentur sessiones providorum Johannis Megyeri & Stephani Barboly, ac deserta quædam Sessio præ manibus Georgii Enyedii, in pignore existens, cum pertinentiis earundem, nec non particula fundi Matthæi Szabo.

11. In Simigiensi Kis Komar loco Pagi scribatur Oppidum.

12. In Castriferrei in Oppido Vép restituatur sessio illa, ex qua Concionator amotus fuerat cum sessione sibi vicina Pauli Sipos, per Dominum Terrestrem justo pretio deposito, adjacente, pro structura templi, Parochiæ, & Scholæ, cum earundem pertinentiis & exemtione.

13. In Mosoniensi in Ovar, templum minus addatur pro duabus Nationibus, pro Hungarica & Germanica, nec non loca idonea & sufficientia pro Parochia & Schola extruendis.

III. Ad præscripta autem nonaginta templa, sicut & ad illa, quæ hactenus præ manibus Evangelicorum haberentur, prout & quæ sub disturbiis proximè præteritis, aut post occupata, & vigore Diplomatis restituenda essent, universæ Ecclesiæ filiales Evangelicam Religionem profitentes, Parochiæ & Scholæ, bona item & proventus quocunque nomine nuncupati ad easdem pertinentes, & hactenus quomodocunque occupati, (signanter inter reliquos Proventus Ecclesiæ Unguariensis) restituantur.

IV. Quoad perturbatos & læsos Status: Primò, ut Augustanæ & Helveticæ Confessionis hominibus in libera & Regia Civitate Zakolcza commorantibus restitutis ædibus pro exercitio Religionis eorundem ordinatis, cum solitis solutionibus, liceat reassumere contrà vim Diplomatis interdictum præscriptæ Religionis exercitium, non obstantibus literis executionalibus Dominorum Commissariorum Suæ Majestatis, nuper Senatui præscriptæ Civitatis Zakolcza extraditis: Secundò, ut fundi Templorum & Domorum Parochialium cum Scholis Evangelicorum Tyrnaviensium & aliorum à quibuslibet contributionibus & censibus Civilibus liberentur, & exempti habeantur, Templorum prærogativâ etiam id exigente. Tertiò, ne Opifices seu Mechanici Evangelici Tyrnaviæ & alibi commorantes, ac in Cehis constituti ad ceremonias Religioni ipsorum contrarias, utpote offertoria, processiones, & id genus alia, contra tenorem Diplomatis compellantur, hactenus autem compulsi, vel propterea multati (signanter autem Georgius Fiala Zakolczensis, actione prævia sub præsenti Diæta damnificatus & turbatus, cum refusione rerum sibi ablatarum) in integrum restituantur.

V. Quoad Confinia Confiniariis Jaurensibus, similiter & Levensibus, Tihaniensibus, ac aliis etiam præsidiariis intrà mœnia locorum permittatur liberum Religionis exercitium, cum admissis structuris templorum. Oppidanis etiam Rev. Comaroniensibus, sicut & Holiczensibus Evangelicis potestas ædificandi & restaurandi templa, ac liberè exercendæ Religionis facultas salva maneat.

VI. Quoad structuram: Quandoquidem ex occupatis ac in Gravaminibus specificatis templis multò plura, quam quæ Evangelicis restituta essent, præ manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis Evangelicis pro exercitio Religionis alia templa, Parochias & scholas ædificare, sufficientibus & ad id idoneis locis pro talibus templis, Parochiis & scholis, per Dominos terrestres coram Vice-Comitibus Comitatuum, & potioribus Nobilium, pari numero ex Catholica, sicut & Evangelica Religione eorundem per universitates Comitatuum adjungendis, intrà spatium trimestre à publicatis Articulis assignandis & liberandis, sepulturæ tamen & Campanarum usu pro iisdem etiam Evangelicis consimili cum Catholicis tolerabili & æquali taxa communiter deservientibus. Quam quidem structuram templorum, Parochiarum & scholarum quandocunque Evangelicis talium locorum continuare opportunum & commodum visum fuerit, id ipsis absq; quorumvis impedimento facere liceat.

VII. De solutionibus: Quantum ad Status: ut illi ad nullas solutiones Catholicis plebanis pendendas cogantur, ac templa præ manibus existentia cum plenaria Jurisdictione ac libertate Campanarum sepulturæque usu possideant, neque ob avulsionem ab Ecclesia Matricali quovis sub prætextu molestentur & vexentur. Quantum ad solutionem miseræ plebis, ut ubicunque aliqui Parochiarum vel templorum proventus habentur, puta, Coloni, Inquilini, Molendina, Terræ, Vineæ, prata, & id genus alia, ut in talibus locis ad nullam solitam vel insolitam solutionem cogantur, verùm Plebanus illius loci contentus sit proventu hujusmodi Parochiali vel templari, nullâ subintellectâ distinctione, vel differentiâ proventuum. Auditores autem Evangelici solutionem talem consuetam pendant suæ Religionis Ministro, ad dispositionem Superattendentis, vel Seniorum Religionis eorundem. Ubi autem hactenus Auditores Evangelici non solvissent plebanis Catholicis imposterum etiam ad nullas solutiones præstandas ullo sub prætextu cogantur. Quibus verò in locis nulli planè proventus templorum vel Parochiarum haberentur, verum Plebani ex solutionibus duntaxat Personalibus seu sessionalibus sustentationes habuissent, ut in ejusmodi locis

cis pro bono pacis deinceps tales consuetæ per Catholicos & Evangelicos Incolas præstandæ solutiones per Judices locorum talium exigendæ, in duas rectas & coæquales partes dividantur, earumque una Parocho Catholico, altera autem Evangelico Ministro sive ejus sive alterius loci, cujus videlicet operâ usi fuerint, absque defectu assignetur. Stolares autem proventus seu solutiones in quibusvis locis Plebani & Ministri Evangelici à suæ Religionis hominibus vel auditoribus totaliter percipiant.

VIII. Restitutio Templorum quomodo fieri debeat; Eadem autem restitui promissa Templa, sicut & alia, quæ sub disturbiorum temporibus, aut post occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam Suæ Majestatis commissionem Evangelicis essent restituta, vel post restitutionem etiam reoccupata, una cum scholis, Parochiis, bonis & proventibus earundem quoquo modo nuncupatis, adhuc sub præsenti Diæta per certos Commissarios è medio regnicolarum ad id existentes, plenariè & omnimodè restituantur.

IX. Quoad pœnam: Quicunque sive sint Ecclesiasticæ sive secularis dignitatis, de cœtero Templa, Parochias, scholas & proventus, bonaque ad easdem pertinentia occupare, campanarum & sepulturæ usu Status vel Plebem privare comperti fuerint, aut præscripta Templa una cum Parochiis, scholis, bonisque & proventibus eorundem non restituerint, locaque & fundos idoneos aut sufficientes Evangelicis non assignaverint, vel structuras eorundem in præscriptis locis impediverint, Status vel Plebem in libero Religionis exercitio quovis sub prætextu turbaverint, vel Statuta Regni, & Diploma Regium super Religione quoquo modo violaverint, tales in Comitatibus per Vice-Comites, Judices Nobilium, & æquali numero potiores Nobiles per Universitates Comitatuum utriusq; Catholicæ videlicet & Evangelicæ, Religionis deputandos, compertâ prius rei veritate, toties quoties in pœna sexcentorum florenorum Hungaricalium, in quinque ad Confinia Regni, in sexta autem partibus ipsis executoribus cedentibus, cum restitutione templorum taliter occupatorum, abscissis omnibus Juridicis remediis, convincantur, admissa nihilominus extra Dominium unicâ appellatione ad Status & Ordines Regni in Generali Regni Diætâ revidendâ. Ad cujus quidem revisionis tempus præscripti quingenti floreni cedere debentes pro tutiori conservatione in liberis Civitatibus deponi, vel alias, ubi Universitatibus Comitatuum magis opportunum visum fuerit, conservari: Si verò pœna tandem in bonis executa fuerit, tum præscripti Vice-Comites rationem super proventibus bonorum eorundem, ad terminum revisionis appellationis perceptis, Comitatibus reddere debebunt, iidemque Vice-Comites, Judices Nobilium, & Jurati Assessores unà cum sibi adjungendis ex utraque parte Religionis potioribus Nobilibus, quibus videlicet vi statuti præsentis ad præscripta inspicere & invigilare incumbet, ad præmissa exequenda sub amissione officiorum & bonorum eorundem Confiniis per supremos & Vice-Generales Regni applicandorum, & nonnisi communi æstimatione mediante redimendorum, obligati esse intelligantur. Hoc per expressum declarato: Quòd si Diplomatis vel statutorum super Religione editorum violatores præscriptæ executioni sese quovis modo opponere præsumerent, contra eosdem Uladislai Regis Decreti VI. Articulus 8. observandus, pœnaque in eodem declarata exequenda erit.

X. Clausularum Diplomati præjudicantium de Jure Patronatus & invitis Rusticis, ac aliarum his similium, in Articulis Regni nulla mentio fiat.

Exhibitum Commissariis Suæ Majestatis Posonii die 27. Martii Anno 1647.

AT neque sic finis Controversiis impositus; Domini enim Catholici, licet circa pleraq; puncta nullam in re inter suam sententiam, scriptumque Evangelicorum differentiam esse dicerent, verborum tamen prolixitatem arguebant.

De Pœna autem occupatoribus Templorum vel proventuum, &c. infligenda novam, & non minore vehementiâ animorumque contentione, quam superior de solutionibus agitata fuerat, disputatam controversiam suscitarunt; quæ deinde duravit usque ad quartum Mensis Aprilis diem, quo tandem in sequentem formulam verborum, Articulis Regni diætalibus inserendam accordatum fuit, exemplariumque duorum per omnia similium, manu Domini Secretarii Suæ Majestatis Hungarici subscriptorum, unum per Dominos Catholicos retentum, alterum verò Dominis Statibus Evangelicis ad compilationem usque Articulorum asservandum, assignatum.

Puncta Accordata.

PRimò, ut Diploma inseratur Articulis cum hac clausula: Contradictionibus Dominorum, Cleri, & aliorum quorumvis Secularium Catholicorum non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus, Diploma Regium per Universos Status & Ordines Regni acceptatur, approbatur, & confirmatur.

Secundò, nonaginta illa templa, Evangelicis restitui promissa, sequuntur hoc modo: In Abauyvariensi 1. Somogy, 2. Misle, 3. Alsô Mezenziff. In Zempliniensi. 1. Varan, 2. Garan, 3. Kuchin. In Saarosiensi. 1. Szent Peter, 2. Fel Szebes. In Scepusiensi. 1. Kaposztafalva, Templum una cum Sanctuario, 2. Donavecz Krompach, 3. In Sacellum Chotörtökhelyense pro Catholicis fiat ingressus ab extra, & non è Templo Parochiali. In Liptoviensi, 1. Tepla; In Neogradiensi, 1. Maskfalva. In Hontensi, 1. Baath, 2. Fûzes Gyarmath, 3. Viszoka, 4. Princzfalva. In Barsiensi, 1. In Welika polya, 2. Maroth, 3. Nagi Hereszten, 4. Keresztur, 5. Fenyô Kosztolyan, 6. Kis Kesso, 7. Zemlier. In Nitriensi, 1. Komjati unum Templum extra oppidum adjacens Sancti Petri nuncupatum pro Evan-

Evangelicis, & loca idonea ac sufficientia pro structura Parochialis Domus, & scholæ in Oppido assignantur, 2. Sopornye cum filialibus, 3. Negyed, 4. Kas. 5. Poruba, 6. Hendlova, 7. Krasna cum Filialibus. 8. In Galgocz Templum Hospitale una cum Schola & Domo Parochiali in eodem fundo Hospitali habita, cum proventibus ad Hospitale pertinentibus, & sepultura extra oppidum. 9. Zerdahely propè Piestyen, 10. Udvarnock, 11. Bayna, 12. Uylak. 13. Pañzto, 14. Deaki. In Trenchiniensi, 1, Also Hlicho, 2. Jesenicze, 3. Predmer ad Kiszuckan. In Thurobzensi, 1, Szent Andras, 2. Szent Marton, 3. Mosocz, 4. Turan. In Comaroniensi, 1. Nagy Megyer, 2. Apacza Szakalos. 3. Balvany Szakalos. In Posoniensi, 1. Nagy Magyar cum filialibus, 2. Nemet Gurab, 3. Limpach, 4. Sül, 5. Taxon, 6. Nagy Maczed. 7. Nagy Szely, 8. Viskozi Kurt, 9. Tarlos, 10. Nagy Szegh, 11. Szent Abraham, 12. Ivany, 13. In Zerdahely, siquidem Templum Parochiale pro Catholicis cessit. pro structura Templi, Parochiæ & Scholæ Evangelicorum, assignantur sessiones Providorum Joannis Megyerij, & Stephani Borbely, ac deserta quædam Sessio præ manibus Georgii Enyedi in pignore existens, cum pertinentiis earundem & executione, nec non particula fundi Matthæi Kalo, 14. In Szencz locus sufficiens circa Turrim in medio Oppidi habitam pro structura Templi, Cœmeterii verò extra Oppidum si commodè intra Oppidum fieri non potest, pro Domus verò parochialis & Scholæ structura sessio Johannis Verboy, cum universis ejusdem pertinentiis & Executione per Oppidanos Evangelicos possessoribus de condigno pretio ejusdem contentatis, pro Helveticæ Confessionis Incolis assignatur pro Augustanæ verò Conf. hominibus sessio altera ex jam demonstratis pro Templo, schola, & Parochia, (siquidem ipsi ultrò acceptassent) permaneat. In Simigiensi, 1. Kis Komaron in Oppido. In Castriferrei, 1. Gyarmath, 2 Neusidel, 3. Szent Groth, 4. Ovar, 5. Perenye, 6. Puszta, Szent Mihaly, 7. Kukumeren, 8. Kiczladen, 9. Wolfsdaw/ 10. Czem, 11. Horensdorff, alias Samfalva. 12. In Oppido Vep restituitur Sessio illa, ex qua Concionator amotus fuisset cum sessione sibi vicinia Pauli Sipos per oppidanos Evangelicos justo pretio deposito, adjacente, pro structura templi, Parochiæ & Scholæ, cum earundem pertinentiis & exemtione.

In Sproniensi, 1. Sandorff. In Mosoniensi, 1. In Ovar Templum minus pro duabus Nationibus, Hungarica & Germanica, pro Parochia verò & Schola loca idonea & sufficientia assignentur per commissarios exmittendos. 2. Miklosdorff, 3. Level, 4. Nemet Jagendorff, 5. Kemlye, 6. Kanok, 7. Szolnok, 8. Czundorff, 9. In Liben minus Templum extra Abbatiam, 10. Mecher. In Jauriensi, 1. Zamoly In Wespr. 1. Vasar, 2. Dobron. In Strigon. 1. Farnad, 2. Oelved.

Tertiò, Ad præscripta autem Nonaginta Templa, & quæ hactenus præ manibus eorundem Evangelicorum habebantur, & quæ sub disturbiis proximè præteritis fuissent occupata, nulla alia filialia restituenda, quam quæ possident, & quæ cum dictis 90. Templis specificè iisdem Evangelicis cessa fuissent. Hoc declarato: Quod si Mater Ecclesia sit apud Catholicos, & Filia apud Evangelicos, & e converso Mater apud Evangelicos, & Filia apud Catholicos, una pars ab altera non molestetur. Ita tamen, ut licitum sit Rusticis Evangelicis, si voluerint, Religionis ipsorum Ministrum eò inducere, & intertenere, aut ad Conciones audiendas aliò ire.

Quartò, Quoad perturbatos & læsos Status, 1. ut Helveticæ & Augustanæ Conf. Homines in libera & Regia Civitate Zakolczensi commorantibus restitutis ædibus, pro Exercitio Religionis eorundem ordinatis liceat reassumere præscriptæ Religionis ipsorum exercitium, non obstantibus literis Executionalibus Dominorum Commissariorum suæ Majestatis, nuper Senatui præscriptæ Civitatis Zakolcza extraditis. 2. Ut fundi Templorum & domorum Parochialium cum scholis Evangelicorum Tyrnaviensium & aliorum, à quibuslibet Contributionibus & Censibus Civilibus liberentur, & exempti habeantur. 3. Ne Opifices seu Mechanici Evangelici Tyrnaviæ & alibi commorantes, ac in Czehis constituti, ad Ceremonias Religioni ipsorum contrarias compellantur, & si qui post acceptionem Diplomatis sub hac diæta multati fuissent, in integrum restituantur.

Quintò, In Confinio Jauriensi permittitur structura templi in nova Civitate: Liberum exercitium verò tam intrà quàm extra mœnia ipsius Confinii. Et ut Minister Confessionis Evangelicorum intra mœnia dicti Confinii habitare, atque etiam in domo concionari possit.

In Leva quoque structura admittitur pro Evangelicis Augustanæ Confessionis. In Tyhan propter angustiam loci & Abbatiam structura commodè fieri non potest, permittitur autem liberum Exercitium, restituiturque Domus, quàm anteà Minister Evangelicus inhabitabat. Oppidanis etiam Reo Comaroniensibus, sicut & Holiczensibus Evangelicis potestas ædificandi & restaurandi Templa, ac liberè exercendæ Religionis facultas salva maneat.

Sextò, Quoad structuram: Quandoquidem ex occupatis ac in gravaminibus specificatis Templis multò plura, quam quæ Evangelicis restituta essent, præ manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis Evangelicis pro exercitio Religionis ipsorum alia Templa, Parochias & Scholas ædificare, sufficientibus, & ad id idoneis locis pro talibus Templis, Parochiis & Scholis per Dominos Terrestres coram Vice-Comitibus Comitatuum, & potioribus Nobilium, pari numero ex Catholica, sicut & Evangelica Religione iisdem per Universitates Comitatuum adjungendorum, intra spatium Trimestre à publicatis Articulis assignandis & libertandis, sepulturæ tamen & campanarum usu pro iisdem etiam Evangelicis consimili cum Catholicis, & æquali Taxâ communiter deservientibus. Quam quidem structuram Templi, Parochiarum & Scholarum, quandocunque Evangelicis talium locorum continuare opportunum & commodum visum fuerit, id ipsis absque quorumvis impedimento facere liceat.

Septimò, De solutionibus: Prout Evangelici Status Catholicis Plebanis; Ita & Status Catholici. Evangelicis Ministris ad nullas solutiones pendendas sint obligati. Proventus porrò Ec-

rò Ecclesiæ Unguariensis pacificè ab Evangelicis Ministris possideantur. Quantum ad solutiones miseræ plebis ubicunque aliqui Parochiarum vel Templorum Proventus, (quos videlicet Plebani Catholici pro sustentatione ipsorum perciperent) habentur, puta Coloni, Inquilini, Molendina, Terræ, Vineæ, Prata, vel id genus alia, in talibus locis Evangelici ad nullam solutionem cogantur, verùm Plebanus illius loci contentus sit Proventu hujusmodi Parochiali, & auditorum suorum Catholicorum solutione, sicuti & Ministri Evangelici in locis Parochiarum eorundem. Ubi verò Parochias non haberent Auditores Evangelici, solutionem pendant suæ Religionis Ministris, cujus videlicet Ministerio seu operâ usi fuerint, sicut & Catholici Parochis Catholicis. Ubi autem hactenus Auditores Evangelici non solvissent Plebanis Catholicis, imposterum etiam ad nullas solutiones præstandas ullo sub prætextu cogantur, prouti nec Catholici Evangelicis.

Quibus verò in locis nulli planè Proventus Parochiarum haberentur, verùm Plebani ex solutionibus duntaxat Personalibus seu sessionalibus sustentationes habuissent ut in ejusmodi locis pro bono pacis deinceps tales per Catholicos & Evangelicos Incolas præstandæ solutiones per Judices locorum talium exigendæ, in duas rectas & coæquales partes dividantur, earumque una Parocho Catholico, altera autem Evangelico Ministro ejus vel alterius loci, cujus videlicet Ministerio usi fuerint, absque defectu aliquo assignetur. Stolares autem Proventus seu solutiones in quibusvis locis Plebani Catholici & Ministri Evangelici à suæ Religionis Auditoribus totaliter percipiant.

Octavo, Restitui promissa Templa, sicut & alia, quæ sub disturbiorum temporibus, aut post occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam suæ Majestatis commissionem Evangelicis essent restituta, vel post restitutionem reoccupata, unà cum scholis, parochiis, bonis & proventibus eorundem, sicut & illorum Templorum, quæ etiam hactenus per manibus Evangelicorum haberentur, quoquo modo nuncupatis, per Commissarios utriusq; Religionis æquali numero è medio regnicolarum ad id sub præsenti adhuc Diæta quantocyus exmittendos restituantur.

Nonò, Quoad pœnam: Quicunque sive sint Ecclesiasticæ, sive secularis Dignitatis, de cœtero templa, parochias, scholas & Proventus, bonaque ad eadem pertinentia occupare, Campanarum & Sepulturæ usu Status vel plebem privare comperti fuerint, aut præscripta templa una cum parochiis, scholis, bonisque & Proventibus earundem non restituerint, locaque seu fundos idoneos ac sufficientes pro exstruendis Templis, parochiis, scholis modo supra specificato Evangelicis non assignaverint, vel structuras eorundem in præscriptis locis impediverint, Status vel Plebem in libero Religionis exercitio turbaverint, vel Statuta Regni & Diploma Regium super Religione violaverint, tales primùm & ante omnia, ubi quærela ad Vice-Comites delata fuerint, per eosdem admoneantur, ut occupata templa, aliaque restituant, ac transgressa complanent.

Quod si fecerint, nulli pœnæ subjacebunt Si verò ne ad ejusmodi quidem admonitionem ea restituerint aut complanaverint, ex tunc in Comitatibus per Vice-Comites, Judices Nobilium; & æquali numero potiores Nobiles, per universitates Comitatuum utriusque, Catholicæ videlicet & Evangelicæ Religionis deputandos, compertâ prius rei veritate, toties quoties in pœna 600. florenorum Hungaricalium, in quinque ad confinia Regni, in sexta verò partibus ipsis executoribus cedentibus, unà cum restitutione Templorum, & aliorum occupatorum, abscissis omnibus Juridicis remediis convincantur; admissa nihilominus extra Dominium unicâ appellatione per Status & Ordines Regni in generali Diæta Regni revidenda.

Ad cujus quidem revisionis tempus præscripti quingenti floreni, ad Confinia cedere debentes, pro tutiori conservatione in liberis Civitatibus deponi, vel alias, ubi universitatibus Comitatuum, magis opportunum visum fuerit, conservari. Si verò pœna eadem in Bonis executa fuerit, tum præscripti Vice-Comites rationes super proventibus bonorum executorum, ad terminum Revisionis appellationis perceptis, comitatibus reddere debebunt, iidemq; Vice-Comites, Judices Nobilium, & Jurati assessores unà cum sibi adjungendis ex utraq; Religione potioribus Nobilibus, quibus videlicet vi statuti præsentis ad præmissa inspicere & invigilare incumbet, ad eadem exequenda sub amissione Officiorum & Bonorum eorundem, Confiniis per supremos & Vice Generales Regni applicandorum, & non nisi communi æstimatione mediante redimendorum, obligati esse intelligantur.

Hoc per expressum declarato: Quod si qui essent, qui præscriptæ executioni sese exponere præsumerent, ex tunc tales Dominus Comes Regni Palatinus, vel Comes Judex Curiæ Regiæ, aut supremus illarum partium Generalis per universitatem Comitatus, in quo videlicet ejusmodi violenta oppositio, aut executionis turbatio facta fuerit, qui nimirum eorum in præmissis interessatus non extiterit, requisitus ex dictamine officiorum suorum super admittenda executione admoneat: qui si paruerint, nulli præterea pœnæ subjacebunt.

Si autem ejusmodi admonitioni non obtemperaverint, vel verò præfatus Dominus Comes Palatinus, vel Comes Judex Curiæ Regiæ, aut supremus illarum partium Generalis admonitionem facere recusaverint, extunc contra tales Executionum oppositores Uladislai Regis Decreti VI. articulus 8. observandus, pœnaque in eodem declarata exequenda erit.

Decimò, Clausularum, utpote de jure Patronatus & invitis Rusticis, in Articulis Regni nulla mentio fiat.

Die 4. Mensis Aprilis Anno
1647.

Georgius Orosi.

QUia verò proximè præmissorum Punctorum accordatorũ octavo conclusum fuit, ut templa nonaginta, punctorum earundem secundo spe-

specificata, nec non ea, quæ sub disturbiis, vel post occupata & nondum restituta, vel reoccupata extitissent, sicut & bona sub hac adhuc Diæta per Commissarios ad id deputandos & exmittendos restituerentur; idcircò die 5. Aprilis deputati eum in finem, cumque Instructionalibus Domini Palatini, ipsis die 9. Mensis ejusdem assignatis, exmissi sunt triplices Commissarii utriusque Religionis pari numero, quorum Instructionales cum Relationibus, die ultimo Maji in Domo Regni factis, in fine horum Actorum adjectæ sunt.

Cum autem de Patrum JESUITARUM personali à Regno absentia, vocumque in Diætis discretione, (de quibus juxta tenorem Diplomatis Regii certi quidpiam in præsenti Diæta statuendum erat) nihil hucusque conclusum fuisset; Idcircò Principis Transylvaniæ Ablegati, nec rem hanc silentio prorsus involvisse, aut per oblivionem transmisisse viderentur, die 7. Junii sequentem Libellum suæ Majestati exhibuerunt.

Sacratissime & Augustissime Imperator, Domine Domine Clementissime,

POstquam DEO Optimo Maximo propitio, non sine gravissimis difficultatibus, de principalibus punctis Diplomatis, libertate nimirum Religionis Evangelicæ Templorum occupatione, ac aliis nonnullis accessoriis inter nos & Statum Catholicum fuisset accordatum: Multæ postmodum in absentia Majestatis Vestræ Sacratissimæ subsecutæ sunt utrinque contentiones ratione Patrum Jesuitarum, nec non discretionis & examinis, vocum, personarum, & Comitatuum ad Diætam vocari solitarum: Postulantibus nimirum Nobis, aut ratione abstinentiæ à Regno Patrum Jesuitarum, possessionisque Bonorum eorundem, ac de discretione etiam vocum, vel aliquid certi statueretur, vel jam statuta superinde, (utpote Articuli 1608. ante coronationem ad Octavum, & septuagesimum secundum Anni 1638.) juxta Diplomatis per universos Status & Ordines Regni acceptati & confirmati 7. & 8. puncta, adhuc sub præsenti Diæta effectuarentur.

Quia tamen ad urgentes, & eidem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomati, ut præmissum esset, per Regnum acceptato, consentaneas instantias nostras Status Catholicus condescendere minimè voluerit; Ob hoc è re nostra esse videbatur Nobis ad Majestatem V. S. recurrere, eidemque demisse supplicare, quatenus dignaretur in præmisis postulatis nostris, ac aliis etiam ineffectuatis Artic. vigore præscriptæ constitutionis Anni 1638. septuagesimi secundi & octavi puncti Diplomatis benignam voluntatem suam ita clementer declarare, ut in ea etiam parte Diplomati per omnia satisfactum esse videatur, successuque temporis ulterior superinde Regnicolas disputandi occasio penitus præscindatur. Clementissimum Majestatis V. S. expectantes Responsum eandem diu & felicissimè imperantem bono totius Christianitatis bene valere desideramus.

Ejusd. Majestatis V.S.

Fideles &c.

Status & Ordines regni Hungariæ Evangelici.

COeterùm quoniam de Die Coronationis peragendæ nulla hactenus mentio publicè facta fuisset, nihilominus tamen Regi per Dominum Cancellarium diem 13. Junii ad id præfixum esse intimatum extitisset; idcircò Status & Ordines, sine quorum scitu & consensu id factum fuisset, in eundem Coronationis Terminum consentire planè noluerunt, idque duabus hisce potissimum ex rationibus: Primò nimirum quia libertas Regnicolarum præcipua in eo periclitari videretur: Secundò, quia negotia Diætalia, quæ plurima, pondereque gravissima adhuc dum indecisa penderent, intrà tam breve temporis spatium debito fine terminari, (id quod tamen de Jure consuetudineque Regni vel maximè necessarium esset) nullo modo possent. Et quamvis ex adverso gravissima argumenta proponerentur: in eum nempe statum rem deductam esse, ut ulterius differri non possit, quippe cum jam moneta in populum spargenda, in eundem diem 13. Junii cussa, jam nuncii ad Papam Regesq; Hispaniarum & Galliarum, aliosque Principes, cum literis idem significantibus emissi, jam Principes Ducesque magni nominis ad eundem diem invitati, jam denique omnia præparata essent, &c. nihil tamen obtineri potuit, licet hujusmodi disputationibus tempus ad diem usque 10. Junii inutiliter extractum fuerit.

Die itaque 10. Junii posteaquam nullâ ratione suam mutare velle posséve mentem dicerent Regnicolæ, Sua quoque Majestas consensit, ut differetur negotium ad diem 16. Junii, in quem hoc Anno Dominica Sacro-Sanctæ Trinitatis inciderat.

Inter hæc à die 5. Junii usque ad prætactum 16. Junii in concipiendis, discutiendis & corrigendis articulis laboratum. Prætereaque in Domo Domini Comitis Ladislai Ezterhazy die 13. Mensis ejusdem Literalia Instrumenta Regni, penes Comitem Regni Palatinum asservari solita, registrata sunt, ad quam registrationem deputati fuerant ex Regnicolis Johannes Beny, Paulus Zemere, Stephanus Daras, Franciscus Botka, Nicolaus Sandor, & Civitas Posoniensis.

Die autem 16. Junii primò horâ 5. matutina Diploma per Regem noviter Electum Regnicolis assignandum in Domo Regni perlectum & approbatum fuit, estque sequentis tenoris.

DIPLOMA.

FERDINANDI IV. Electi Regis Hungariæ Anno 1647. die 16. Junii horâ 5. matutinâ, in domo Regni perlectum, eodemq; die antè Coronationem per eundem Regem Ferdinandum IV. subscriptum & confirmatum.

NOs FERDINANDUS IV. DEI Gratiâ, Rex Bohemiæ, Archi-Dux Austriæ, Dux Bur-

Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Tyrolis & Goritiæ &c. Agnoſcimus, & memoriæ commendamus, tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quòd poſteaquam univerſi Domini Prælati, Barones, Magnates, & Nobiles, cœterique Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ partiumque eidem annexarum, pium & planè Paternum Sacratiſſimi Principis ac Domini, Domini FERDINANDI III. divinâ favente Clementiâ, Electi Romanorum Imperatoris, ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis Domini ipſorum Clementiſſimi, Genitoris autem Noſtri indulgentiſſimi, ergà ipſos affectum ac propenſionem ponderantes, ac de noſtra quoque Majeſtate haud abſimilem in expectationem aſſurgentes, ex proprio ſpontaneoq; ipſorum motu ardentius profectâ ſupplicatione à Sua Sacratisſima Majeſtate obtinuiſſent, ut nos in Regem atque Dominum ipſorum juxta antiquam conſuetudinem & libertatem eorundem ſemper obſervatam, paribus votis & unanimi conſenſu ritè & liberè eligerent, proclamarent, invocatoque demum nominis Divini auxilio feliciter coronarent: Demiſsè rogaverunt, uti Nos infrà ſcriptos Articulos, omniaque & ſingula in eis contenta, rata, grata, & accepta habentes, noſtrumque conſenſum illis præbentes, benignè acceptare, authoritate noſtra approbare & confirmare, atque tam Nos ipſi ſuo tempore benignè obſervare, quàm per alios, quorum intererit, firmiter obſervari facere dignaremur, quorum quidem Articulorum tenor ſequitur, & eſt talis.

Prima Conditio: Quòd univerſas & ſingulas Regni libertates, immunitates, Privilegia, Statuta, Jura & conſuetudines, ſimul & Concluſionem Tractatus Viennenſis, omnesq; Articulos in eodem comprehenſos, ita & reliquos ante & poſt Coronationem Matthiæ II. felicis reminiſcentiæ in Annis 1608. 1609. item prædefuncti beatisſimæ recordationis Domini FERDINANDI II. 1622. 1625. & aliis Annis editos, nec non modernæ etiam Imperatoriæ Regiæq; Majeſtatis concluſionem novi Tractatus & Pacificationis Lincenſis, omnesque Articulos ibidem ſpecificatos, ſimul & Conſtitutiones Regni anni præſentis 1647. in omnibus ſuis punctis, Clauſulis & Articulis Sua Majeſtas firmiter & ſanctè obſervabit, per aliosque omnes inviolabiliter obſervari faciet.

Secunda Conditio: Quòd gravamina, ſi quæ uſque ad tempus ſuſcipiendi Regiminis Majeſtati Suæ qualitercunque evenerint, ea ſtatim in initio Regiminis Suæ Majeſtatis in Diæta primitus intra ſpatium ſex Menſium publicanda penitus tollet. Gravamina autem univerſorum Statuum & Ordinum Regni, quæcunque ſucceſſu temporis ſub Regimine Suæ Majeſtatis emerſerint, ea in ſingulis Diætis, quas Sua Majeſtas ſucceſsivis temporibus pro commodo & neceſſitate Regni quo ſæpius fieri poterit, ita ut terminum triennii non excedat, publicare & celebrare dignabitur, ſub eadem Diæta tollet & effectuabit.

Tertia Conditio: Quòd quando de rebus & negotiis Regni Hungariæ, aut partium ei ſubjectarum agetur, ea per Hungaros tractare & conſultare dignabitur, juxta Articulos Anni 1608. ad primum ante coronationem editum, item Anni 1559. Artic. 8. neque etiam ſupplicantes aut cauſantes indigenas Regni intrà ambitum ejuſdem occurentes ad Regimen & jura externa rejicere, pertrahere, & ablegare patietur, juxta extrema verba Articulorum decimi & decimi ſexti ante Coronationem Anno 1608. & Decreti FERDINANDEI Anno 1563. Articulum 31. editi.

Quarta Conditio: Confiniorum verò præfecturas, Capitaneatus, & alia Officia tam in hoc, quam aliis reliquis annexis Majeſtas Sua juxta Articulum ſecundum ante Coronationem Anno 1608. editum conferet.

Quinta Conditio: Quod pro juſtitiæ adminiſtratione, ſine qua Regna conſiſtere non poſſunt, ſecundùm laudabilem & DEO gratam in celebrandis judiciis antiquam Regni conſuetudinem, judicia octavalia pacis tempore tam in ſuperioribus, quam in inferioribus Regni partibus, juxta conſtitutionem Anni 1609. Articulo ſeptuageſimo continuo celebrari faciet, ut juxta eundem Articulum tam in Tabula Regia, quàm appellationibus ſine diſcretione Religionis Judices fiant, neque Status & Ordines Regni mandatis extra terminos judiciorum coram judicibus Regni Ordinariis vel Deputatis juri ſtare, & ad productionem Privilegiorum cogere, executionesque legitimas neque per ſe impediet, nec per ſuos Officiales impediri patietur. Similiter & judicia illegitima & illegitimas executiones fieri non admittet. Allegantur primò pro judiciorum octavalium celebratione Articulus 70. Anni 1609. ſecundò pro Juribus Nobilitatis prærogativæ Trip. part. 1. tit. 9. Item FERDINANDI Regis 1546. Articulus 30. Item Articulus 11. Pacificationis Viennenſis. Tertiò ne mandatis Regiis Juris Proceſſus turbetur. Matthiæ I. Anno 1471. Articulus 12. Maximiliani 1566. Articulus 25. Matthiæ II. 1613. Articulus 34. Quartò, ne expediantur mandata illegitima, FERDINANDI 1563. Art. 80. Matthiæ II. 1608. Art. 6.

Sexta Conditio: Quod Religionis negotium inter omnes Status & Ordines Regni, in ſuis ac Fiſci bonis, item in Confiniis quoque Regni Hungariæ militibus Hungaris propter Regni tranquilliorem permanſionem, juxta Conſtitutionem Viennenſem & Articulos ante Coronationem editos, maneat liberum, illæſum & illibatum, ita videlicet, ut Religionis negotium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, univerſisque Statibus ac Ordinibus in ſuis ac Fiſci bonis, item in Confiniis Regni Hungariæ, nec non Oppidis & Villis illud ſponte & liberè acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuſcunque Status & Conditionis exiſtens, in libero ejuſdem uſu ac exercitio Religionis à Sua Majeſtate, & aliis quibuſvis Dominis Terreſtribus, quovis modo, aut quovis ſub prætextu turbetur, aut impediatur.

Septima Conditio: Quòd in Palatini Electione, ejuſdemque authoritate, Jurisdictione & officio, juxta Articulos Viennenſis Pacificationis ad tertium, item ante Coronationem edito anno 1608. Artic. 11. & Anni 1613. Articu-

lo 7. FERDINANDI Regis Anni 1555. Art. 1. circà finem, ac secundum formam Juramenti ejusdem Palatini præscriptum modum Majestas Sua observatura est. De Banatu etiam, quæ in eodem Articulo 11. Anni 1608. continentur. Similiter & de Valachis annorum 1604. 14. Anni 1608. Art. 9. 1613. 39. effectuabit.

Octava Conditio: Quandoquidem salus & permansio non modò afflictæ hujus Patriæ tanquam Clypei & antemuralis, sed aliorum quoque vicinorum Regnorum & Provinciarum ex bona & secura Confiniorum provisione dependeat, Majestas Sua juxta Articulum 21. Anni 1608. ante Coronationem, & Articulum 32. Anni 1609. paternè Confiniis providere dignabitur.

Nona Conditio: Quòd Civitates liberas & montanas in suis Juribus, libertatibus, Privilegiis & immunitatibus conservabit.

Decima Conditio: Quòd Coronam Regni ex Regno nulla ex causa vel quæsito colore, nullâ etiam industriâ vel arte Majestas Sua auferet, aut auferri curabit, sed quod juxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum Regnicolarum, per certas de eorum medio unanimiter ad hoc delectas & deputatas personas utriusque Religionis seculares, in Regno conservabit, juxta articulum 4. ante Coronationem, & 16. post Coronationem anni 1608. & Uladislai Regis Decreto in Conditionibus. Item ejusdem Uladislai Decretorum Anni 1492. Articulo 2.

Undecima Conditio: Quòd metas Regni Hungariæ & partium ei subjectarum non abalienabit, imò differentias ratione metarum cum Polonis, Silesitis, Moravis, & Austriacis, nec non Styriis, Carinthiis, Carniolis exortas & vigentes, omni studio ac ope Majestas Sua componet, determinabit, ac recuperabit.

Duodecima Conditio: Quòd confœderationes cum Regno Bohemiæ, & aliis vicinis Provinciis ac Transylvania, juxta Articulum Pacificationis Viennensis & Constitutionem anni 1609. articulo 42. in suo vigore permaneant, suaque Majestas eos observabit, & per suos observari faciet.

Decima tertia Conditio: Quæ de pace publica Regni conservanda, & bello non movendo, extraneoque Milite non inducendo Articulo secundo ante Coronationem in anno 1608. sancita fuerunt, ea Sua Majestas inviolabiliter observabit, & per alios observari faciet.

Decima quarta Conditio: Ut intuitu sinceri erga Domum Austriacam Suamque Majestatem amoris, & Benevolentiæ Gentis Hungaricæ hactenus luculenter satis declaratæ, arces Bernstain, Kobelsdorff, Güns, Forchtenstein, Eisenstadt & Hornstein cum suis pertinentiis, jam tandem interpositione, auxilio & Munificentia Suæ Majestatis ab Austriacis gratis eliberentur, & Regnicolis pro animi ipsorum gratitudine, quâ Domum Austriacam, atque Majestatem quoque suam prosequuntur, remittantur, siquidem à tot retroactis temporibus amplas satis utilitates & emolumenta exinde perceperint. Si aut. dictæ arces ab Austriacis gratis non remitterentur; ex tunc depositâ inscriptionis summâ ab iisdem redimantur, et juxta articulum 7. anni 1608. item 1609. articulum 62. Jurisdictioni, legibus & oneribus Regni Hungarici prædictarum Arcium pertinentiæ subjaceant.

Decima quinta Conditio: Quod castrum Lublyo cum suis pertinentiis & tredecim Oppida Scepusiensia, siquidem magno cum damno & incommodo Regni & Regnicolarum à Polonis possidentur, (nam non solum aliquid in medium Regnicolarum contribuere nolunt, verum illatis Regnicolis diversis injuriis ac violentiis in Regno Hungariæ juri stare, & in Comitatibus comparere recusant, omnes suos conatus manu violentâ impunè exercendo, unde & Authoritati suæ Majestatis plurimùm derogari videtur) Majestas sua facta interpositione apud Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Castrum illud cum pertinentiis & prædictis Oppidis eliberare, Regnoque applicare dignetur, cum non desint modi summam illam inscriptionis per Regnicolas deponendi.

Decimâ sextâ Conditio: Quod Milites Haydones, Privilegia à Sua Majestate Cæsarea & Regia habentes fruantur illis, & tempore Regiminis sui Majestas sua confirmare dignabitur.

Decima septima Conditio: Assecurabit quoque Majestas sua, quod vivente Sacr. Cæsarea Regiaque Majestate, Domino Nostro Clementissimo in nullam administrationis Regni partem sese intromittet absque suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis expressa & specifica benigna voluntate, Regnicolarumque consensu.

Atque hæ sunt conditiones, quas sua Majestas ante Electionem suam acceptare, sufficientibusque literis suis assecuratoriis sub verbo suo Regio confirmare, post coronationem verò suam tempore suscipiendi Regiminis Generalibus Articulis inseri & publicari facere dignabitur.

Nos itaq; prædicta universorum Statuum & Ordinum Incluti Regni Hungariæ & partium ei subjectarum instantiâ benignè admissa, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque gratificandi voluntate insertos universos Articulos ac omnia & singula in eis contenta, rata, grata & accepta habentes, eisdem nostrum Consensum benevolum pariter & assensum præbuimus, & illos ac quævis in eis contenta acceptavimus, approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, permittentes & assecurantes Status & Ord. in verbo nost. Regio, quod præmissa omnia tam nos ipsi Regiminis nostri tempore observabimus, quam per alios fideles subditos nostros, cujuscunque Status & conditionis existant, observari faciemus, uti vigore hujus Diplomatis Nostri acceptamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, atque promittimus. In cujus fidem & testimonium literas has manu propriâ subscripsimus, & sigilli nostri impressione muniri jussimus.

Datum in arce Regia Posoniensi die 14. Mensis Junii Anno Domini 1647.

Ferdinandus.

Eodem die 16. Junii feliciter peracta est coronatio Regis, cui sequens Ordo præscriptus fuit:

Ordo

Ordo Coronationis in Regem Hungariæ.

Serenissimi Principis ac Domini, Domini

FERDINANDI IV. Regis Bohemiæ, Archi-Ducis Austriæ, &c. ad diem 16. Junii Anni 1647. peragendæ præscriptus hujusmodi fuit.

AD portas Templi Cathedralis S. Martini, ne tumultuariè Vulgus & Plebs irruat, ordinantur spectabiles ac Magnifici Domini, Magister Janitorum Regalium, Dominus Comes Ulricus Ferdinandus à Kolonicz, Franciscus Balassa, Andreas Palffy, præterea duo Domini Germani.

Centum Satellites seu Satrapæ, & 100. Musquetarii circa templum in Cœmeterio pro custodia ordinandi.

Dominus Comes Palatinus Hungaros ordinet.

Ad portam Templi 10. Hatschieri, & 10. Satellites.

Horâ secunda pomeridiana pridie Coronationis ad Hospitium Domini Comitis Palatini infra scripti Domini Regnicolæ conveniant, ac ad levandam & deportandam Coronam, & alia Clenodia pro Coronatione necessaria ad arcem proficiscantur, eademque deportent.

Domini Conservatores Coronæ.

Comes Johannes Draskovith, Regni Palatinus
Reverendissimus Georgius Szelepcheny, Cancellarius Regni.
Comes Adamus de Batthyany.
Comes Adamus Forgach.
Magnificus Dominus Johannes Kery.
Magnificus Dominus Nicolaus Osztrozith, & potior pars Regnicolarum.

Reliqui supra scripti Domini comitabuntur Dominum Palatinum.

In Aula convenient hora 5.

Ad sanctuarium observabunt Ladislaus de Chyak, & Comes à Kolonich.

Ordinationem in admissione ad Theatrum pro præcipuis in summo Templo præparatum, peragat Dominus Wolffgangus Eszterhazi & Dominus Adamus Cziraky.

In statione Musicorum Regiæ Majestatis, in majori templo exstructa, ordinatur pro custode Dominus Sigismundus Keglœvicz, & Johannes Amade pro Gynæceo Hungariæ.

Reserata Cista, in qua Corona reposita, Paludamentum Regium per Dominum Johannem Kerium exemptum, retro altare majus reparatum, velo tectum reportabit:

Sua Majestas commodâ horâ movere poterit ex Arce, suas Majestates præcedent Status & ordines, Magnates, Aulici quoque suarum Majestatum, immediatè autem Dominus Comes Palatinus, & Dominus Judex Curiæ.

In ingressu Regis obviam ibunt Dominus Johannes Keri, cum Mareschalco Aulæ, usque ad atrium Templi, suam Majestatem præcedent, deducentque in Sacristiam.

Sua autem Sacratissima Cæsarea Regia Majestas directè in alium Sacristiæ locum sibi præparatum ibit:

In ipso ingressu Templi dabitur sonus Tympani & Tubarum, dispositis tempestivè Musicis in Theatro pro ipsis exstructo. Durare debet clangor Tubarum, quousque sua Majestas ad Sacristiam perveniet, & tunc cessare debet.

Coronam & cœtera Clenodia cum Vexillis secundum Ordinationem Dominus Mareschallus, & Dominus Johannes Kery distribuere debebunt.

Expansa Vexilla præferentur, dum ascensus fiet, Clenodia subsequentur juxta ordinationem factam.

Vexilla Regnorum portabunt:

	Præcedent
Bulgariæ.	Dominus Stephanus Forgach.
Cumaniæ.	Dominus Comes Franciscus Forgach.
	Sequuntur
Lodomeriæ.	Dominus Comes Gabriel Illyeshazy.
Gallitiæ.	Dominus Comes Dyonisius Zechy.
	Hos iterum sequuntur.
Sclavoniæ.	Dominus Comes Nicolaus Palfy.
Croatiæ.	Dominus Comes Ladislaus Ezterhazy.
	Hos vicissim
Serviæ.	Dominus Ladislaus Forgach.
Ramæ.	Dominus Comes Valentinus Czobor.
	Ultimo sequuntur.
Dalmatiæ.	Dominus Comes Ladislaus Barkoczy.
Hungariæ.	Dominus Comes Gabriel Erdœdy.
	In Processione.
Gladium evaginatum portabit.	Dominus Agazonum Magister.
Crucem.	Dominus Comes Pincernarum Magister.
Pacem.	Dominus Dapiferorum Magister.
Gladium S. Stephani,	Dominus Janitorum Magister.
Pomum,	Dominus Cubiculariorum Magister.
Sceptrum.	Dominus Judex Curiæ.
Coronam.	Dominus Comes Regni Hungariæ Palatinus.

Hos Dominus Magister Curiæ præcedat cum baculo, & dirigat Processionem.

Dominus Johannes Kery & Mareschalcus proficiscantur ad sanctuarium: Deducent Dominos Episcopos, quos Dominus Archi Episcopus nominaverit, ad sacristiam, qui suam Majestatem utrinque comitabuntur ad Aram majorem.

Expectabunt suam Majestatem ad limen Januæ Sacristiæ, & egredienti sese adjungent, & una progredientur ordinati Episcopi.

Ex Sacristia progressus fiat cum Clenodiis & Vexillis juxta ordinationem præscriptam bini & bini ante Regiam Majestatem, à dextris quinque, à sinistris totidem. Consistendum postmodum utrinque ad suæ Majestatis erectum, vexilla sint expansa.

Heroldus Hungariæ anteit Dominum Mareschalcum & Johannem Kery, adstabit Regi ante Thronum suæ Majestatis, declinans parumper ad dextrum latus à Throno.

Domini Regnicolæ Clenodia deportantes postquam devenerint ad Altare summum, tum Episcopi adstantes excipiunt è manibus ipsorum Clenodia, & ponunt ad Altare summum, & à dextris Throni stabunt Mareschalcus, Conservator autem Coronæ à sinistris.

Quo facto procedit Rex ad Altare, & genu flectit supra pulvinar Holosericum, & exosculatur Crucem, quam Dominus Archi Episcopus Strigoniensis exosculandam præbet.

Tale Pulvinar Regis Aulicorum est procurare.

Reliquas Ecclesiasticas Ceremonias in Coronatione Regis consuetas peraget & procuraturus est Dominus Archi Episcopus Strigoniensis, juxta ritum in Pontificali præscriptum.

Adveniente tempore, quando indicabitur à Clericis & adstantibus personis Ecclesiasticis post finitas Litanias Regis habitus ad pectus solvitur, sic etiam ad brachium dextrum in loco ad hoc destinato, sitque id per Regis primum cubicularium, & cubiculorum Magistrum Hungariæ, idque pro unctione Olei sacri.

Post unctionem induitur habitu & paludamento Divi Stephani Regis, considet in sede recsinatiori ab ArchiEpiscopo Coloccensi, vel substituto, qui ad latus subsidebunt.

Post Ceremonias Officii Missæ solenniter introitus decantetur. post Epistolam & Graduale decantent. Gladius Divi Stephani manibus Regis per celebrantem tradatur, cum sermonibus in Pontificali contentis. Postmodum resumptus gladius & reconditus accingitur Regiis membris. Rex evaginato gladio & conversus ad populum tres ictus faciet, antrorsum, & ad latera duo. Deinceps recondit gladium, & genua flectit.

Post hæc Dominus Palatinus accedit ad supremum gradum Altaris, ad cornu Evangelii, Coronâ acceptâ ex manu ArchiEpiscopi, obvertit se ad Regni Status & Ordines, & quærit tribus vicibus Regem: Akarjato-kézt. Respondit: Ajarjük. Tunc conclamatur, Vivat REX, Vivat REX.

Deinde per ArchiEpiscopum imponitor Corona Regi flectenti, attrectant Episcopi astantes, præbetur Sceptrum & Pomum eidem Regi, discingitur Rex Cladio S. Stephani post Coronationem, & traditur Domino Magistro Janitorum, utpote qui anteà quoque gestabat talem gladium.

ArchiEpiscopus & cœteri Episcopi ministrantes deducunt Regem ab Altari ad solium Regi præparatum Coronâ redimitum, Sceptrum & Coronam gestantem. Cantatur Te Deum Laudamus usque ad finem, alternis vicibus Tympanis, & Tubis & Musico canentibus. Eodem tempore primâ vice fit explosio Tormentorum & Sclopetorum.

Peractis celebrandis ad Solium Regium in Pontificali contentis, item Oratione & Benedictione, redit ArchiEpiscopus celebrans ad cantandum Evangelium. Interim Sceptrum & Pomum à Rege eximitur per Dominum Magistrum Curiæ, & assignantur personis, qui ea gestent; qui etiam acceptis ejusmodi Clenodiis ante Solium Regis utrinque consistunt sustinentes Clenodia.

Cantato Credo deducitur à deputatis Episcopis ad offertorium, flectit genua, offert aliquam quantitatem Auri, & exosculatur crucem, quam præbet ad exosculandum ArchiEpiscopus; quô facto reducitur ab Episcopis ad Thronum sub devotione; Clenodia gestantes, ante Thronum Regium ipsa Clenodia invertant, ut superior pars terram respiciat. Peracta elevatione erigantur rursum Clenodia.

Perducitur Missæ officium usque ad Communionem quo tempore à duobus Episcopis reducetur Majestas Regia ad Communionem, post Communionem reducetur sua Majestas ad Thronum, à dictis Dominis Episcopis comitantibus à latere. Apponitur rursum Corona per Dominum Magistrum Curiæ.

Finita Missa constituti custodes portæ aperiri faciunt portam Majorem versus scholam, & fit Processus per pontem stratum ad Claustrum. Ex præfatis custodibus Januæ templi duo dirigent Regnicolas, ut procedant sine hæsitatione, plebs & vulgus recedat.

Ad latus præcedent Regiæ Majestates, sequitur ArchiEpiscopus & reliqui Episcopi, item supremi Camerarii & Regis Aulici.

Regis Prætorianorum Militum capitaneus cum nonnullis Satrapis, qui Aulicos claudet.

Sequuntur post aliquam distantiam duo Aulici Suæ Majestatis equitantes, qui bursas collo pendentes & numismata præparata spargant. Adjunctos habent primarios Viros 4. per Dominum Magistrum Agazonum Regalium ordinandos, qui irruentem populum amoveant, ne jactantes pecuniam impediant in progressu.

Post aliquam distantiam Capitaneus præfatorum Musquetariorum, qui Processionem claudent, præcedent, & ordinatè per pontem ibunt.

Custodes Portarum Claustri ordinantur Johannes Amade, & Adamus Cziraky, Magnates, item duo Nobiles, & duo Domini Germani.

Thronus in Templo in Claustro pro Rege extruendus, in quo considens Rex in habitu creet

creet Equites Auratos, gladio S. Stephani accinctos per Cubiculariorum Magistrum, & supremum Cubicularium Regis. Clenodia disposita maneant circà Thronum, prout in summo Templo.

Palatinus in Catalogo consignata seriatim pronunciabit nomina creandorum in Equites auratos.

Peractâ creatione Equitum auratorum, Majestas Regia egreditur, & extrà Templum insidet Equo. Sic etiam cœteri Prælati, Barones, & Magnates eodemque ordine Vexilla & Clenodia præferuntur, prout factum fuerat, & fiet progressus extra portam S. Michaëlis.

Extra portam S. Michaëlis rubro (alboque) panno tectum fit Theatrum. In medio fit Thronus seu statio aliquantò eminentior, tectus aureo panno. Sua Majestas descendens Equo ascendit in Thronum, & stans jurat erectis duobus digitis Juramentum, prælegente Domino Archi-Episcopo Strigoniensi. Aderunt in Theatro Archi-Episcopus Strigoniensis, & Archi Episcopus Colocensis, Dominus Palatinus, Domini Cubicularii, & Curiæ Regiæ Magister.

Jurante Rege omnes detecto capite adstant.

Peracto Juramento elatis vocibus fit clamor: Vivat Rex, Vivat Rex. Secundariò explodunturtormenta & sclopeta.

Interim Sua Majestas descendit ex Throno, & insidet equo, cum comitativa Regnicolarum Equitantium, procedit ad Collem, & stantibus Regnicolis Sua Majestas procurrit concitatiori ad Collem cursu, & in Crucem ictus facit, primò versus Orientem unum ictum, verso Equo alium ictum versus occidentem, tertium meridiem versus, quartum versus septentrionem, & hoc tempore exploduntur tormenta & sclopeta.

Processio continuatur eodem ordine ad arcem. In ascensu Suæ Majestatis ad arcem, siquidem in area arcis Militum prætorianorum frequentiâ angustia reddetur, ideò, dum Magnates & Nobiles, Vexilla Regnorum gestantes procedunt usque ad locum, quo Sua Majestas ex Equo descensura est; Domino Caspari Szunyogh, & alteri eidem adjungendo Magnati incumbet, ut prædicti Domini Magnates & Regnicolæ Ordinationi huic se accommodent.

Postquam ad arcem ventum fuerit, Rex recedit in Hypocaustum præparatum Suæ Majestati.

Rex in habitu Regali Coronâ redimitus assidet Mensæ ad prandium, & solus considet in speciali Throno aureo panno obducto.

Paulò post Coronam deponit, & in pelvim auream collocabit Regia Majestas, & ad sinistram manum ad cornu mensæ ponitur.

Prandenti Suæ Majestati hi servient:

Dominus Magister Curiæ adstabit Suæ Majestati Regiæ cum scipione.

Dominus Magister Janitorum habebit curam portæ Domûs, in qua prandium sumitur.

A latere Suæ Majestatis Regiæ manebit Dominus Comes Georgius Erdeödy.

Lavacrum porriget Dominus Palatinus, mantile subministrabit Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis. A prandio vero Dominus Magister Curiæ mantile, Aquam Dominus Cubiculariorum Magister.

Præscindet Ladislaus Eszterhazy, poculum ministrabit Dominus Pincernarum Magister.

Ad Mensam Dominorum Nunciorum præscindet Dominus Nicolaus Palffy.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati lavacrum porriget Marchio Badensis, mantile porriget Cardinalis ab Harrach.

Cardinali Harrach & reliquis legatis Lavacrum porriget Valentinus Czobor, Mantile Eszterhazy.

Illustrissimo Domino Archi-Episcopo Strigoniensi & Domino Palatino Lavacrum Franciscus Balassa, Mantile Franciscus Keglovicz.

Qui autem Mantilia porrigent, pocula etiam administrabunt.

Dapiferorum Magister Dominus Comes Adamus de Battyan.

DAPIFERI.

Ladislaus	Barkoczy.
Ladislaus	Revay.
Wolffgangus	Eszterhazy.
Valentinus	Czobor.
Emericus	Czobor.
Ladislaus	Forgacz.
Stephanus	Tököly.
Dionysius	Zechii.
Sigismundus	Keglovich.
Adamus	Viczay.
Adamus	Chiraky.
Gabriel	Paloczay.
Nicolaus	Osztrozicz.
Paulus	Osztrozicz.
Thomas	Eszterhazy.
Sigismundus	Eszterhazy.
Georgius, Petrasko, Gabriel	Illyeshazy.
Valentinus	Balassa.
Franciscus	Forgacz.
Emericus, Ladislaus	Bercheny.

In Equites Auratos creati sunt.

1. Comes Adamus de Batthyan.
2. Comes Adamus Forgacz.
3. Comes Nicolaus à Zrinio.
4. Comes Ladislaus Chiakii.
5. Comes Georgius Erdeödy.
6. Comes Gabriel Erdeödy.

7. Co-

7. Comes Franciscus Nadasdy.
8. Comes Ladislaus Eszterhazy.
9. Comes Nicolaus Palffy.
10. Comes Gabriel Illyeshazy.
11. Comes Dionysius Zechii.
12. Comes Georgius Illyeshazy.
13. Comes Franciscus Forgacz.
14. Magnificus Johannes Kery.
15. Ladislaus Barkokzy.
16. Valentinus Czobor.
17. Ladislaus Forgach.
18. Stephanus Tököly.
19. Wolffgangus Eszterhazy.
20. Stephanus Forgach.
21. Gabriel Paloczay.
22. Sigismundus Keglovith.
23. Nicolaus Revay.
24. Daniel Revay.
25. Nicolaus, Paulus & Matthias Ostrozith.
26. Ferdinandus à Kolonicz.
27. Andreas Palffy.
28. Adamus Viczay.
29. Nicolaus Földvary.
30. Martinus Spaczay.
31. Johannes Jankovich.
32. Balthazar Egressdii.

Sequuntur:

Acta diversarum Commissionum, quæ, siquidem ratione temporis cum aliis Actis Diætalibus suo jam suprà ordine relatis concurrunt, ac, si iisdem inserta fuissent, vel temporis rationem turbari, vel acta ejusdem rei & negotii ab invicem divelli contigisset; idcircò huc ad finem unâ & eadem continuâ serie referenda rejecta fuerunt.

Patentes, instructionales, & Relatoriæ.

Dominorum Comissariorum, die 31. Mensis Octobris Anni 1646. ad restituenda Templa Bonaque sub disturbiis occupata &c. per Suam Majestatem exmissorum.

Literæ Cæsareæ Patentes, datæ Commissariis, ad partes Ultra-Danubianas ad exequendum expeditis.

FERDINANDUS III. DEI Gratiâ, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæq; Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis & Goritiæ, &c. Fidelibus nostris universis & singulis, Reverendissimis, Reverendis, Spectabilibus, Magnificis Egregiis & Nobilibus, Strenuis, item ac Agilibus Dominis Prælatis, Baronibus, Magnatibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Capitaneis, Vice-Capitaneis, Castellanis, Vice-Castellanis, Præfectis, Provisoribus, nec non Civitatum, Oppidorum, & Villarum Judicibus, Magistris Civium, ac Juratis Civibus, cunctis etiam aliis, cujuscunque Status, Dignitatis, condicionis & præeminentiæ hominibus, & quocunque officio & præfectura ubivis in Regno nostro Hungariæ fungentibus & commorantibus, præsentes nostras visuris atque legi audituris Salutem & Gratiam.

Siquidem juxta tenorem Pacificationis cum Illustrissimo Georgio Rakoczy Transylvaniæ Principi, quarundam partium Regni Hungariæ Domino, & Siculorum Comite initæ, nonnulla adhuc bona in præteritis disturbiis utrinque occupata & adempta eorum possessoribus, prout etiam Templa, necdum restituta fuissent; volentes Diplomatis conditionibus per omnia satisfieri, & singula ex parte nostra effectuari facere, ad restitutionis executionem tam bonorum quàm templorum in ipsis disturbiis, ac post disturbia factamque Pacificationem occupatorum, si quæ adhuc essent, simpliciter juxta Diploma fiendam, prouti etiam aliorum Templorum post disturbiorum tempora usque ad præsens occupatorum vel reoccupatorum, sicut & bonorum secundùm Diploma utrinque restitutionem, certos Commissarios fideles, nempe nostros Magnificum Adamum Chiriaky de Denefalva, Egregios item, Stephanum Besenyey, Præsidii nostri Kis Komaroniensis Capitaneum, Franciscum Battka, ac Petrum Hanvay, ad facies locorum exmittendos duximus. Quibus etiam in iis, quæ statum præsentis Commissionis & effectuationis præmissæ concernunt, juxta instructionem agendi, procedendi, exequendi & effectuandi dedimus plenam & omnimodam potestatis facultatem, & authoritatem; Quocircà universos & singulos, quos suprà benignè hortamur, vestrumque singulis harum serie firmiter committimus, & mandamus, quatenus præfatos Adamum Cziraky, Stephanum Bessenyei, Franciscum Battka, & Petrum Hanvay, pro nostris veris & indubitatis Commissariis in præmissum finem exmissis habere, tenere, & recognoscere, iis, quæ nomine nostro coràm dicturi & repræsentaturi sunt, plenam & indubiam fidem adhibere, debitumque iisdem honorem & respectum deferre, atque etiam ad quorumcunque bona & Dominia, ubi restituenda bona ac templa habentur, penes præsentes pervenerint, eiisdem in iis exequendis parere & obtemperare, neque ipsos in eo impedire, turbare, aut delatæ ejusmodi commissionis Provinciæ remorari, vel per alios impediri, turbari, aut remorari facere, quin omnia & singula juxta Diploma restitui & effectuari permittere, & per Vestros permitti curare modis omnibus debeatis & teneamini, ac quilibet Vestrum debeat ac teneatur. Secus itaque nullatenus facturi præsentibus perlectis exhibentibus restitutis.

Datum in Arce nostra Posoniensi die 31. Men.

Mensis Octobris Anno Domini 1646. Regnorum nostrorum, Romani 10. Hungariæ & reliquorum 21. Bohemiæ verò Anno 19.

FERDINANDUS.

(L.S.)

Georgius Szelepczeny Electus Episcopus Vesprimiensis.
Georgius Orosi.

FERDINANDUS III. DEI

Gratiâ, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex.

INSTRUCTIO.

PRO fidelibus nostris, Magnifico, Domino Adamo Cziraky de Denesfalva, Egregiis item, Stephano Bessenyey, nostro Kis Comaroniensi Capitaneo, Francisco Battka, & Petro Hamvay ad restitutionis executionem nonnullorum Templorum ac bonorum in partibus Regni Ultra-Danubianis existentium, profectis, data.

Primò, Suam Majestatem intellectis difficultatibus ac impedimentis, quæ in restitutione templorum ac bonorum, quæ in præteritis disturbiis fuissent occupata, vel posteà reoccupata, intercessissent, ut sublatis quibusvis disceptationum ambagibus, ipsa executio utrinque optatum suum effectum consequatur, ad requisitionem etiam fidelium Statuum & Ordinum, Regni sui Hungariæ benignè decrevisse, ut ad executionem eorum quæ hactenus in ditione ejusdem ineffectuata remansissent, absque ulteriori mora procedatur, quam etiam provinciam in partibus Regni Ultra-Danubianis præfatis Adamo Cziraky, Stephano Bessenyey, Francisco Battka, & Petro Hanvay pro eorum dexteritate, & agendi sufficientia clementer deferre voluisse.

Secundò, Receptâ itaque hâc Instructione, & literis Suæ Majestatis Plenipotentialibus, iidem absque longiori interposita mora sese itineri accingendo ex loco hoc Generalium Comitiorum, ubi ad præsens versantur, movebunt ad facies Bonorum, si quæ adhuc per nonnullos fideles Suæ Majestatis detinerentur, ac templorum hactenus inexecutorum proficiscentur, restitutionique ac resignationi eorundem sedulò incumbent, eandemque omni studio effectuare laborabunt.

Tertiò, Quoad Templa vero occupata, animadverti eorum diversam conditionem esse. Alia enim sunt, quæ in ipsis disturbiis violenter occupata fuissent, alia verò post disturbia ac factam etiam Pacificationem, alia quæ peracta per exmissos nuper Commissarios Suæ Majestatis jam restitutione denuò occupata extitissent.

Quartò, Ac quantum ad primi generis Templa attinet, dabunt operam Commissarii, ut simpliciter juxta Diploma ejusmodi Templa & bona, si quæ essent restituantur, ea vero templa, quæ essent jam restituta & executa, in moderno statu permaneant, & si quis error in executione commissus fuisset, per eosdem Commissarios emendetur, inexecuta verò exequantur. Et si quæ ex illis Templis jam anteà restitutis fuissent occupata, reddantur.

Quintò, Templa etiam, quæ post disturbiorum tempora usque ad præsens fuissent occupata vel reoccupata, sicut & bona, secundùm Diploma restituantur utrinque. Tempus autem disturbiorum à die 3. Mensis Februarii Anni 1644. usque ad ultimum diem Novembris Anni 1645. intelligi & computari debet.

Sextò, Circà quorum quidem omnium tam bonorum, quam Templorum restitutionem si graviores difficultates & quæstiones occurrerent, neque eo in loco superari possent, ipsi Commissarii desuper Suam Majestatem quantocyus informabunt, benignamque Resolutionem præstolabuntur.

Georgius Szelepczeny, Electus Episcopus Vesprimiensis.
Georgius Orosi.

Patentes Literæ Suæ Sacratissimæ Majestatis Commissariis, ad restitutionem Templorum & Bonorum sub disturbiis, & posteà usque ad præsens violenter occupatorum, ad partes Regni cis-Danubianas die 2. Novembris exmissis datæ.

FERDINANDUS III. DEI Gratiâ Electus Romanorum Imperator, &c. Fidelibus nostris universis & singulis, Reverendissimis, Reverendis, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Strenuis item & Agilibus Dominis Prælatis, Baronibus, Magnatibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Capitaneis, Vice Capitaneis, Castellaneis, Vice-Castellaneis, Præfectis, Provisoribus, nec non Civitatum, Oppidorum, Pagorum, & Villarum Judicibus, Magistris Civium, ac Juratis Civibus, cunctis etiam aliis, cujuscunque Status, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ hominibus, ac quocunque officio & Præfectura ubivis in Regno nostro Hungariæ fungentibus, commorantibus, præsentes nostras visuris atque legi audituris Salutem & Gratiam.

Siquidem juxta tenorem Pacificationis cum Illustrissimo Georgio Rakoczy, Transylvaniæ Principe, &c. initæ, nonnulla adhuc bona in præteritis disturbiis utrinque occupata & adempta eorum possessoribus, prout etiam Templa, necdum restituta fuissent: Volentes Diplomatis conditionibus per omnia satisfieri, & singula ex parte no-

nostra effectuari facere, ad restitutionis executionem tam bonorum quam templorum in ipsis disturbiis ac post disturbia, factamque Pacificationem occupatorum, si quæ adhuc essent, simpliciter juxta diploma fiendam, prout etiam aliorum Templorum post disturbiorum tempora usque ad præsens occupatorum vel reoccupatorum, sicut & bonorum secundùm Diploma utrinque restitutionem, certos commissarios Fideles nempe nostros Magnificum, Stephanum Forgacz de Ghymes, Egregios item, Franciscum Turanzky, Casparum Bartakovicz; & Stephanum Deory ad facies locorum exmittendos duximus, quibus etiam in iis, quæ statum præsentis commissionis & effectuationis præmissæ concernunt, juxta Instructionem agendi, procedendi, exequendi & effectuandi dedimus plenam & omnimodam potestatis facultatem & authoritatem. Quocircà universos & singulos, quos supra benignè hortamur, & Vestrûm singulis harum serie firmiter committimus & demandamus, quatenus præfatos Stephanum Forgach, Franciscum Turansky, Casparum Bartakovicz, & Stephanum Deory pro nostris veris & indubitatis Commissariis in præmissum finem exmissis habere, tenere, & recognoscere, iis, quæ nomine nostro coram dicturi ac repræsentaturi sunt, plenam & indubiam fidem adhiberer, debitumque eisdem honorem & respectum deferre, atque etiam ad quorumcunque Bona & Dominia, ubi restituenda bona & Templa habentur, penès præsentes pervenerint, eisdem in iis exequendis parere & obtemperare, neque ipsos in eo impedire, turbare, aut delatæ ejusmodi Commissionis Provinciam remorari vel per alios impediri, turbari, aut remorari facere, quin omnia & singula juxta Dipl. restitui & effectuarii permittere, vel per vestros permitti curare modis omnibus debeatis & tenemini, ac quilibet Vestrûm teneatur ac debeat.

Secus itaque nullatenus facturi præsentibus perlectis exhibentibus restitutis.

Datum in Arce nostra Regia Posoniensi, die 31. Mensis Octobris Anno Domini 1646. Regnorum nostrorum Romani 10. Hungarici & reliquorum 21. Bohemiæ verò Anno 19.

FERDINANDVS.

Georgius Szelepcheny,
Episcopus Electus Wesprim.
Georgius Orosi.

INSTRUCTIO.

Pro fidelibus nostris, Magnifico, Stephano Forgach de Ghymes, Egregiis item, Francisco Thuransky, Casparo Bartakovicz & Stephano Deory, ad restistitutionis executionem nonnullorum Templorum ac Bonorum in partibus Regni cis-Danubianis existentium, profecturis data.

FERDINANDUS III. Suam Majestatem intellectis difficultatibus & impedimentis, quæ in restitutione Templorum ac Bonorum quæ in præteritis disturbiis fuissent occupata, vel postea reoccupata, intercessissent, ut sublatis quibusvis disceptationum ambagibus ipsa Executio utrinque optatum suum effectum consequatur ad requisitionem etiam Statuum Fidelium & Ordinum Regni sui Hungariæ benignè decrevisse, ut ad executionem eorum, quæ hactenus in ditione ejusdem ineffectuata remansissent, absque ulteriori mora procedatur, quam etiam provinciam in partibus Regni cis-Danubianis præfatis Stephano Forgach de Ghymes &c. pro eorum dexteritate & agendi sufficientia clementer deferre voluisse.

Secundò, Receptâ itaque hac Instructione, & literis suæ Majestatis Plenipotentialibus, iidem absque longiori interposita mora sese itineri accingendo ex loco hoc Generalium Comitiorum, ubi ad præsens versantur, movebunt, ad faciesque locorum, si quæ adhuc per nonullos fideles suæ Majestatis detinerentur, ac Templorum hactenus inexecutorum proficiscentur, restitutionique ac designationi eorundem sedulò incumbent, eamque omni studio effectuare laborabunt.

Tertiò. Quoad Templa verò occupata animadverti, eorum diversam conditionem esse; alia enim sunt, quæ in ipsis disturbiis violenter utrinque occupata fuissent, alia verò post disturbia ac factam etiam Pacificationem, alia, quæ peracta per exmissos nuper Commissarios suæ Majestatis jam restitutione, denuo reoccupata extitissent.

Quartò, Et quantùm quidem ad primi generis templa attinet, dabunt operam Commissarii, ut simpliciter juxta Diploma ejusmodi Templa ac bona, si quæ essent, restituantur, ea verò Templa, quæ essent jam restituta & executa, in moderno statu permaneant. Et si quis error in Executione commissus fuisset, per eosdem Commissarios emendetur, inexecuta verò exequantur. Et si quæ ex illis Templis jam anteà restitutis fuissent reoccupata, reddantur.

Quintò, Templa etiam, quæ post disturbiorum tempora usque ad præsens fuissent occupata vel reoccupata, ea etiam, sicuti & Bona secundum Diploma restituantur utrinque. Tempus autem disturbiorum à Die 3. Februarii Mensis, Anni 1644. usque ad ultimum Diem Novembris Anni 1645. intelligi & computari debebit.

Sextò, In progressu hujus declaratæ commissionis in arcem Muran accedendo, tam ipsam Arcem, quàm bona ad eandem pertinentia, nisi aliter inter partes conventum fuit, eodem modo, quo ante disturbia, tam portiones Arcis, quam etiam Bonorum possederunt, restituant; Hoc solùm excepto, quod Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes Vesseleni, tanquam Supremus loci ejusdem & Confiniorum eò applicatorum Capitaneus, ac præsidium ipsum in Arcem Muran collocatum ad instar aliorum Confiniorum ac præsidiorum potestatem portæ ac Clavium habeat. Et quoties comportionatæ partes intrare in dictam Arcem voluerint, in eo minimè erunt impediendæ, nec ab ipsa Arce prohibendæ, quin ingressus & egressus, inhabitandique licentia concedi & admitti debebit, cum eo quidem moderamine, ut cuilibet eorum possessorum cum nume-

numero 12. suorum præter Mulieres ingredi liceat.

Septimò, Quantum verò ad Arcem Balogh attinet, similiter & ibi portiones Bonorum & Arcis prioribus possessoribus restituantur, quin ut spectabilis ac Magnificus Comes Dionysius Szeczy jus suum omni meliori modo & viâ juxta Legem Regni possit acquirere, minimè prohibeatur.

Octavò, Ad instantiam etiam Regiæ ac liberæ Civitatis Zakolczensis, illud accedendo exercitium Religionis juxta eum Statum, qui ante præsentes motus ac disturbia fuit, accommodabunt, cassatis præjudiciosis Literis Egregii Gabrielis Bakos in ipsis disturbiis, qualitercunque in prædicto negotio datis & emanatis, amotis etiam, præsertim ad instantiam emigrantium violenter intrusis Bickharditis aliisque consimilibus Ministris.

Nonò, Porro illa portio Bonorum ad Castellum Aszakort pertinentium, quam Magnificus Simon Balassa, unà cum Consorte sua Magdalena Gœczy ante disturbia possedissent, portio utpote Georgii quondam Goczy, maneat deinceps quoque apud prædictum Simonem Balassa, & conjugem ejusdem: in eam verò portionem, quam Relicta quondam Georgii Goczy possedit, unà cum Castello prædicto Aszakoert, & in Bona avitica per prædictos Commissarios ubique tam in Nitriensi, quam Barsiensi, Comitatibus, Hæredes quondam Johannis Goczy restituantur, tanquam Lineæ masculini Sexus.

Decimò, Circa quorum quidem omnium tam Bonorum, quam Templorum restitutiones, si graviores difficultates & quæstiones occurrerent, neque eæ in loco superari possent, ipsi commissarii desuper suam Majestatem quantocyus informabunt, benignamque ejusdem Resolutionem præstolabuntur.

Undecimò, Peractâ demum Commissionis functione, suæ Majestati plenariam de omnibus & exactam Relationem facient & repræsentabunt.

Quibus in reliquo Gratiâ nostra Cæsarea benignè propensi manemus, Datum in Arce nostra Regia Posoniensi die 31. Mensis Octobr, Anno Domini 1646.

Paria Literarum Restitutionalium.

NOs Adamus Cziraky de Demesfalva &c. Sacratissimi Principis ac Domini, Domini FERDINANDI III. Dei gratia, Electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis. &c. Domini nostri Clementissimi, ad sollicitatam Dominorum Statuum ac Ordinum Regni Hungariæ apud suam Majestatem Sacratissimam Cæsaream ac Regiam propterea factam requisitionem, de moderna earundem Generali Diæta Posoniensi, ad eorum Templorum ac bonorum, quæ sub proximè præteritis disturbiorum temporibus, ac etiam post eadem disturbia, factamque Pacificationem ad præsens usque violenter utrinque fuissent occupata, vel si qua ex illis per priores nuperos ejusdem Suæ Majestatis Dominos Commissarios restituta quidem, sed postmodum iterum occupata extitissent, vigore Diplomatis inter præsentem suam Majestatem, & Illustrissimum Dominum Georgium Rakoczy, Transylvaniæ Principem, &c. initi, fiendam restitutionem & effectuationis executionem, ad has ultra Danubianas Regni partes plenariâ ac omnimodâ potestatis facultate ablegati Commissarii.

Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis: Quòd juxta exigentiam hujusmodi Nobis delegatæ Commissionis die t. Mensis t. Anni t. ad faciem Oppidi T. in Comitatu t. existentis venissemus, ac Plebano Romano Catholico, qui etiam post restitutionem priorum Suæ Majestatis Dominorum Commissariorum in Parochia ejus loci ad præsens usque remanserat, amoto, Templo ejusdem cum Domo Parochiali ac Schola Colonis t. t. & calice, ac cujusque generis proventibus, de Jure & ab antiquo ad eandem Ecclesiam t. spectantibus & pertinentibus, Incolis & Habitatoribus Oppidi & possessionis t. utpote eò applicata Filialis, quandoquidem tempore præscriptorum disturbiorum ab iisdem Evangelicæ Confessionis Hominibus fuerant occupata & adempta, authoritate præfatæ suæ Majestatis, vigore plenipotentialium Literarum suarum, Nobis hac in parte attributâ & concessa, ut prætacti Diplomatis super libero Religionis usu & exercitio emanatis conditionibus per omnia satisfiat, juxta tenorem & continentias ejusdem simpliciter restituimus, reddidimus & reassignavim⁹; Harum nostrarum usualium Sigillorum, & propriorum manuum subscriptionibus roboratarum vigore & Testimonio Literarum mediante.

Datum in proscripto Oppido Die & Anno ut suprà.

Relatio Commissariorum Ultra-Danubiorum super executione ipsorum factâ.

NOs Adamus Cziraky de Dienesfalva, Stephanus Bessengey, Præsidii Kiskomaromiensis Capitaneus, Franciscus Bottka, & Petrus Hanvay, Sacratissimi Principis & Domini, Domini Ferdinandi Tertii, Dei gratia, Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis &c. Domini nostri clementissimi, ad sollicitatem Dominorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, apud suam Sacratissimam Cæsaream & Regiam Majestatem propterea factam requisitionem, de moderna eorum generali diæta Posoniensi, ad eorum templorum & bonorum, quæ sub proximè præteritis disturbiorum temporibus, ac etiam post eadem disturbia factamque pacificationem, ad præsens usque violenter utrinque fuissent occupata, vel si quæ ex illis per priores nuperos ejusdem Majestatis Sacratissimæ Dominos Commissarios restituta quidem, sed postmodum iterum reoccupata extitissent, vigore Diplomatis inter præfatam Sacratissimam Majestatem & Illustrissimum Dominum Georgium Rakoczy, Transylvaniæ Principem &c. initi fiendam restitutionis & effectuationis executionem, ad has Cis-Danubianas Regni partes plenaria & omnimo-

da potestatis facultate ablegati Commissarii, memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis; quod ex præscripto dictamine istiusmodi Commissionis nostræ die 8. mensis Novembris, Anno 1646. ad faciem possessionis Saar nuncupatæ, inque Comitatu Castriferri existentis & habitæ, accedentes, templum parochiale ibidem exstructum unà cum Domo Parochiali & Proventibus ejusdem parochialibus ac duobus Colonis ibidem residentibus, ejusdemque possessionis, nec non aliis ad idem templum & Parochiam de Jure & ab antiquo pertinentibus quibusvis obventionibus, uno calice, patella & strophiolo, & ex eodem templo antea ablegatis, neque per priores Dominos Commissarios redditis, incolis & inhabitatoribus dictæ possessionis Saar Evangelicam Religionem amplectentibus & profitentibus, quandoquidem ab eisdem sub præmissis disturbiorum temporibus occupata & adempta extiterant, ex authoritate prælibatæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ, vigore plenipotentialium suarum nobis hâc in parte attributâ & concessa, ut prætacti Diplomatis super libero Religionis usu & exercitio emanati, conditionibus per omnia satisfiat, juxta tenorem & continentiam ejusdem simpliciter reassignavimus, restituimus & reddidimus.

Notandum hic venit, quantum ad restitutionem præscriptorum Colonorum attinet, egregium Dominum Georgium Reczei, nomine & in persona Illustrissimi Domini Comitis Francisci de Nadasd protestatum extitisse super eo, quod idem Dominus Comes, prouti & prædecessores sui, eosdem Colonos nonnisi ad beneplacitum usque suum contulissent ad prædictum templum & parochiam Saarosiensem, ac ideo tam ab eadem quam à reliquis per modernam Commissionem in suo Dominio restituendis Ecclesiis adimere, simulq; prærogativam juris Patronatus in eisdem habitam deinceps quoq; sibimet ipsi velle reservare.

Eodem die Incolas quoque & inhabitatores quoque oppidi Saarvar in præallegato Comitatu Castriferrei existentis ad dictam possessionem Saar evocatos, & in præsentia nostri frequenti numero constitutos juxta normam suprascriptæ instructionis nostræ interrogantes, an templum ipsorum parochiale cum Domo Parochiali, Scholâ, & quibusvis proventibus, tempore disturbiorum vel postea fuissent ab iis occupata.

Qui responderunt, occupationem eorum præcessisse aliquanto prætacta disturbiorum tempora. Quibus auditis & intellectis, quandoquidem præmissa occupatio ipsa disturbiorum tempora, in jam dicta instructione nostra computata excederet, desuper restitutionem facere nequivimus.

Item die 9. Novembr. incolas etiam possessionis Semjensis in antedicto Castriferrei Comitatu existentes, in præscriptam possessionem Saar convocantes, templum eorum unà cum parochia ac duobus Colonis ibidem residentibus, uno item Calice, & quibusvis aliis proventibus parochialibus ab antiquo pertinentibus, eisdem Evangelicæ Confessionis hominibus, à quibus scilicet tempore disturbiorum occupata fuerant, ex eadem suæ Majestatis authoritate simpliciter restituimus.

Eodem die ad faciem oppidi Ikervav in memorato Comitu Castriferrei adjacentis pervenientes ac plebano Romano-Catholico (qui etiam post factam priorum Suæ Majestatis Sacratissimæ Dominorum Commissariorum restitutionem ibidem in domo parochiali ad præsens usque remanserat) amoto, templum, parochiam, scholam, colonos item decem in eodem oppido commorantes, una cum calice & templi clavibus, ac universis cujusvis generis proventibus parochialibus, de Jure & ab antiquo ad eandem Ecclesiam sive templum & parochiam Ikervariensem pertinentibus, ejusdem oppidi & possessionis Peterfalva, utpote eò applicate filialis incolis & inhabitatoribus Evangelicam Lutheranam Religionem profitentibus, à quibus sub præteritis disturbiorum temporibus, violenter occupatæ & ademptæ fuerant, ex dictamine instructionis nostræ simpliciter restituimus & reddidimus.

Quod tamen præscriptos decem Colonos concernit, hic quoque nomine & in persona Domini comitis Francisci de Nadasd, per egregium Albertum Feyes Rationistam Sarvariensem protestatum extitit modosimili, ut suprà.

Eodem die ad faciem quoque possessionis Peczel dictæ in quoque prædicto Comitatu Castriferrei existentis venientes, ac eodem convocatis filialium quoque ejusdem, nempe Darasperpac, Cisporpacz, Poorparpacz, Bogoth, Fustô, Zugho, & Megichida possessionum sic nuncupatarum incolis & inhabitatoribus, ac plebano Romano Catholico ibidem residente, amoto, templum eorum Parochiale, parochiam & scholam, tres item colonos in eadem possessione Peczel commorantes, nec non, Calicem, Patellam, linteolum & clavem templi, cum universis & quibuslibet proventibus Parochialibus, ad eandem Ecclesiam Peczelliensem de Jure & ab antiquo pertinentibus, præmemoratis omnibus Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus, à quibus sub præteritis disturbiorum temporibus extiterant violenter occupata & adempta, neque per priores Suæ Majestatis Dominos Commissarios fuerant restituta, virtute jam dictæ instructionis nostræ juxta tenorem Diplomatis simpliciter restituimus & reddidimus.

Item die 10. Novembr. ad faciem possessionis Nagy Olbôl in Comitatu Castriferrei habitæ, accedentes, inhabitatoribusque & incolis ejusdem in nostri conspectum accersitis intelleximus, templum quidem & parochiam ipsorum per priores Suæ Majestatis Commissarios restituta fuisse, verum Pastorem sive Concionatorem suæ professionis Evangelico Lutheranæ ad hucusque inducere ausos nequaquam fuisse, sed Plebanum Romano-Catholicum Sarvariensem nonnunquam more & ritu suo apud eosdem Sacra sua peregisse. Quocirca prædictum eorum templum, Domum item Parochialem cum duobus colonis ibidem residentibus, ac aliis quibusvis proventibus parochialibus, ab antiquo ad eandem ipsorum Ecclesiam pertinentibus, quoniam sub præteritis disturbiis erant occupata, eisdem rusticis Evangelicæ Religionis vigore Diplomatis, ex dictamine instructionis nobis datæ restituimus.

Hic

Hic quoque nomine Domini Comitis Francisci de Nadasd de Colonis & jure Patronatus protestatum est, prout supra.

Eodem die Incolas etiam & inhabitatores possessionum Nyôger, Soton, & Peycz, in eodem Comitatu Castriferrei existentium (ad quarum tamen possessionum facies propter aquarum inundationem & itineris incommoditates accedere nequivissemus) in dictam possessionem Nagy Olbôl evocantes, interrogavimus & exquisivimus, an priores Suæ Majestatis Domini Commissarii aliquam inter ipsos restitutionem instituissent? Qui responderunt eosdem Dominos Commissarios instituisse quidem restitutionem, sed ipsos, partim minis & metu officialium perterritos, partim vero præsentis Diætæ exitum præstolantes, introductionem Pastoris sive Concionatoris Religionis ipsorum omisisse. Quibus sic perceptis, literisque restitutionalibus prædictorum Commissariorum visis, eisdem omnibus Evangelicæ Lutheranæ confessionis hominibus templum & domum ipsorum parochialem in præscripta possessione Nyôger habitâ, simul cum omnibus proventibus & obventionibus parochialibus, de Jure & ab antiquo eodem pertinentibus, vi commissionis nobis concreditæ restituimus & reddidimus.

Hic quoque per eundem Rationistam Sarvariensem, nomine & in persona Domini comitis Francisci de Nadasd, super prærogativa Juris Patronatus similiter protestatum extitit ut supra.

Eodem die Incolis quoque possesionis Czenge in prædicto comitatu Castriferrei adjacentis in jam dictam possessionem Nagy Olbôl convocatis, templum quidem seu Auditorium eorum per priores etiam Dominos commissarios fuisse restitutum, sed Plebano Romano-Catholico ibidem in Parochia etiam post restitutionem præmissam ad præsens usque permanente, tutum & integrum eisdem non fuisset Evangelicam suam Religionem exercere, quo defectu deprehenso & Plebano prædicto exinde amoto, idem templum seu auditorium una cum Domo Parochiali, & cujusvis generis proventibus & obventionibus parochialibus, de Jure & ab antiquo eodem pertinentibus, præfatis incolis & inhabitatoribus possesionis Czenge, Evangelicæ confessionis hominibus, à quibus etiam sub disturbiis occupata fuerant, virtute instructionis nostræ denuò restituimus.

Item die 11. Novembris, ad faciem possessionis Wamos Czalad in Castriferrei Comitatu existentis pervenientes, incolisque ejusdem in nostri præsentiam accersitis, interrogavimus, An templum & domus parochialis ipsorum per priores Suæ Majestatis Dominos Commissarios restituta fuerint? Qui responderunt fuisse restituta, ac Plebanum quoque Romano-Catholicum etiam post restitutionem apud eosdem remansisse, ipsosque intereà temporis Catholicam Religionem amplexos in eodem etiam modo persistere, & ob hoc plebanum quoque retinere velle. Quibus intellectis, nos quoque templum & Parochiam eorum una cum Plebano Romano-Catholico, ac cunctis ad eandem Ecclesiam de Jure & ab antiquo spectantibus proventibus, apud eosdem reliquimus vigore instructionis nostræ.

Eodem die similiter ad faciem possessionis Hegy falu dictæ inque jam dicto Comitatu Castriferrei habitæ, venientes, & inhabitatores ejusdem advocantes, templum, parochiam, & quoslibet eo pertinentes proventus Parochiales cum duobus colonis & uno inquilino, item calice, patella & strophiolo præ manibus tamen antedicti plebani possessionis Wamos Czalad pro nunc habita, ejusdem dictæ possessionis incolis & inhabitatoribus Evangelico Lutheranæ confessionis hominibus, à quibus sub præteritis disturbiis extiterant occupata, per prioresque Suæ Majestatis Commissarios etiam restituta, quibus tamen propter minas & terrorem officialium Concionatorem Evangelicum in medium ipsorum introducere hactenus tutum & integrum fuisset, virtute instructionis nostræ restituimus & reddidimus.

Item die 12. Novembr. ad faciem possessionis Bû in Comitatu Sopronienši existentis accedentes, & incolis ejusdem nostri in conspectum accersitis intelleximus ab eisdem juxta priorum Suæ Majestatis Dominorum Commissariorum apud eosdem factam restitutionem, pastorem sive concionatorem Evangelicæ Helveticæ confessionis ipsorum jam antea introduxisse, & nunc quoque apud eosdem esse, neque ab introductionis ejus tempore à quoquam fuisse turbatum & impeditum. Quibus sic perceptis, nos quoque eosdem jam dictæ possessionis Bû, incolas & inhabitatores in recepta eorum Religione Evangelica, unà cum concionatore, templo, Parochia, schola, & quibuslibet proventibus parochialibus ab antiquo eo pertinentibus, in eo, quo nunc sunt, statu, vigore Diplomatis & Instructionis nostræ reliquimus.

Eodem die similiter ad faciem oppidi Czepregh in dicto Comitatu Sopronienši situati pervenientes, incolisque & inhabitatoribus ejusdem magna ex parte, qui nimirum domi reperiri poterant, coram nobis convocatis interrogavimus, an majus sive superius ipsorum templum cum parochia & aliis quibusvis eò pertinentibus proventibus parochialibus sub præteritis disturbiis fuerit occupatum? Qui responderunt occupationem eorum ante prætacta disturbiorum tempora factam fuisse, & ex eo neque per priores Suæ Majestatis Commissarios extitisse restituta. Quo sic rescito comperimus nos quoque restitutionem ejus templi & pertinentiarum suarum non ingredi instructionem & commissionem nostram.

Quantum verò minus seu inferius ejusdem oppidi templum concernit, iidem Incolæ uno ore fassi sunt ipsum cum altero extra oppidum habito templo & sepulturæ loco, nec non parochia, Colonis decem ibidem residentibus, vineis item & aliis cujusvis generis ad eadem templa & parochiam de Jure & ab antiquo pertinentibus proventibus sub præteritis disturbiorum temporibus fuisse occupata, ac ideò per priores etiam Suæ Majestatis Commissarios eisdem reddita & restituta; verum claves eorum templorum ob metum officialium ad manus suas recipere non fuisse ausos, sicque postmodum Plebano Romano-Catholico in parochiam eorum ite-

rum ingrediente, Pastorem sive Concionatorem Evangelicum introducere ad hoc usque tempus præpeditos fuisse.

Quibus sic intellectis & defectu hocce deprehenso eadem templa, parochiam, locum sepulturæ, cum supradictis quibusvis proventibus ipsorum parochialibus, & tribus eorum templorum clavibus, simul & memorato Plebano Romano-Catholico ex eadem parochia amoto, eisdem Evangelicæ Religionis Lutheranæ hominibus, à quibus videlicet modo præmisso fuerant occupata & adempta, vigore instructionis nobis datæ juxta Diplomatis tenorem & continentias simpliciter restituimus & reddidimus.

Notandum: Hic quoque præsens existens supradictis Georgius Reczei, nomine & in personâ Illustrissimi Domini Comitis de Nadasd de prærogativa juris Patronatus & Colonis modo præmisso restitutis protestatus est modo simili ut supra. Similiter protestatus est contra præscriptos quoque cives dicti oppidi Czepregh, quod scilicet idem Dominus Comes, eosdem pro suis, veris & genuinis colonis & subditis agnoscere, deincepsque in idem oppidum intromittere minime vellet.

Item, die 13. Novembris, ad faciem possessionis Harpach in Sopronienfi Comitatu adjacentis accedentes, & inhabitatoribus ejusdem coram nobis constitutis, intelleximus templum eorum & parochiam etiam per priores Suæ Majestatis Dominos Commissarios, quia sub præteritis disturbiis adempta erant, eisdem restituta extitisse, verum concionatorem suæ confessionis Evangelicæ propter minas & terrores quorundam hactenus in medium ipsorum introducere ausos nequaquam fuisse: cujus occasione Plebanum Romano-Catholicum possessione Kövesd commorantem, quandoque apud eosdem ritu suo Sacra fecisse.

Quibus hoc modo perceptis & defectu præmisso animadverso, prætactum eorum templum, parochiam, cum unâ sessione coloniali deserta pertinentiisque ejusdem, ac præterea sex inquilinis in eadem possessione commorantibus, nec non aliis quibusvis proventibus Parochialibus de Jure & ab antiquo ad eandem Ecclesiam pertinentibus, eisdem ac possessionis Ledecz, utpote ejus filialis, incolis & inhabitatoribus Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus vigore instructionis nostræ reddidimus & restituimus.

Eodem die similiter ad faciem possessionis Löuö in jam dicto Comitatu Sopronienfi habitæ convenientes, & incolis ejusdem in nostri præsentiam convocatis, rescivimus templum & parochiam eorum cum suis proventibus, sub præteritis disturbiis fuisse ab eisdem Evangelicæ scilicet Lutheranæ Religionis hominibus occupata, neque per priores Suæ Majestatis Commissarios ex eo defectu restituta, quod iidem Domini Commissarii ad faciem seu locum habitationis ipsorum minime venissent, verum eosdem in possessionem Hegykö evocassent, ibidemque è numero ipsorum nonnisi sex aut octo coram eisdem comparuissent: qui interrogati nominibus universorum incolarum jam dictæ possessionis ipsorum, se omnes Plebanum Romano-Catholicum amare ac etiam retinere velle consensu ipsorum asseruissent. Qua de causa ipsos quoque Dominos Commissarios, templum, parochiam & plebanum in eo, quo ab eisdem audiverant, statu reliquisse.

Quibus sic ab iisdem in nostri præsentiam constitutis rusticis, intellectisque præmissos sex aut octo homines, non ipsorum nominibus locutos fuisse, defectumque præmissum propterea quod non omnes incolas & inhabitatores hujus possessionis iidem Domini Commissarii in ipsorum conspectum evocassent, admissum fuisse nobis advertentibus, templum, parochiam, & scholam cum decem inquilinis ibidem residentibus, ac aliis omnibus ad idem templum & parochiam dictæ possessionis Lövö de Jure & ab antiquo pertinentibus proventibus Parochialibus, simul & Plebano ad usque ibidem commorante ex parochiâ amoto, eisdem Evangelico-Lutheranæ confessionis hominibus, una cum templi clave authoritate commissionis nostræ simpliciter restituimus.

Notandum tamen est, calicem eisdem non esse restitutum, ex ea dicti Plebani ratione, quod scilicet calix iste jam esset consecratus. Hic quoque nomine Domini Comitis de Nadasd super præmissorum inquilinorum restitutione per Stephanum Somogi servitorem suum protestatum fuit.

Item die 14. Novembr. ad faciem oppidi Loos in Comitatu Sopronienfi adjacentis venientes & inhabitatoribus ejusdem una cum incolis possessionis Borgocz, utpote filialis eò pertinentis, in nostri præsentiam accersitis, intelleximus templum ipsorum Parochiale intra prædictum oppidum Loos extructum, cum domo Parochiali, schola, quatuor item inquilinis, duabus vineis ac aliis quibusvis proventibus Parochialibus, post factam jam pacificationem fuisse ab eisdem Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus occupata.

Et licet idem templum cum parochiâ etiam per priores Suæ Majestatis Dominos Commissarios eisdem extiterint restituta, sed quia claves ejusdem templi ademptæ, simul & Pastoris seu Concionatoris confessionis ipsorum introductio prohibita fuisset, his omnibus hactenus abstinere necessum fuisset.

Quantum vero ad alterum eorum templum, quod videlicet extra oppidum cum consueto sepulturæ ipsorum loco situm est, attinet, quamvis per eosdem Dominos Commissarios restitutum non fuerit, quia tamen ipsum quoque cum jam dicto parochiali templo uno eodemque tempore extitisset occupatum, ideo utraque templa cum jam præscriptis, parochia, schola, & cujusvis generis proventibus & obventionibus, ac duabus ejusdem templi parochialis clavibus, simul & Plebano Romano-Catholico hactenus in eadem domo parochiali commorante exinde amoto, vigore instructionis nostræ juxta Diplomatis tenorem simpliciter restituimus & reddidimus.

Quod tamen calicem dictorum incolarum concernit, relatum est ab eodem jam amoto Plebano, fracturam habuisse, ac eundem Dominum terrestrem refici curasse, & ab eo jam consecratum esse, neque ob id eisdem incolis restitui posse;

posse; in quorum contrarium replicatum ab eisdem rusticis extitit istiusmodi prædicti calicis retentionem sumptibus ipsorum factam fuisse.

Notandum venit hîc Reverendum Johannem Magnovicz, plebanum videlicet modo præscripto amotum, nomine & in persona Magnifici Domini Adami Viczay, tanquam loci istius Domini terrestris, ex speciali scriptotenus comprehensa ejus commissione super restitutione jam dicti templi Parochialis ea de causa, quod videlicet una cum templo locus quoque sepulturæ majorum & progenitorum, nec non consortis, & liberorum suorum jam defunctorum ibidem habitæ, prædictis nostris Jobbagionibus suis assignatus esset, protestatum fuisse.

Eodem die incolis quoque possessionis Kœvesd nuncupatæ inque dicto Comitatu Soproniensi habitæ, in præscriptum oppidum Loos convocatis, intelleximus templum, Parochiam & scholam eorum, unam item vineam & quinque sessiones coloniales cum inhabitatoribus sub præteritis disturbiis fuisse occupata, neque tam per priores suæ Majestatis Dominos Commissarios ex eo defectu, quod ipsi quoque incolæ in possessionem Hegykœ dictam evocati, coram iisdem Dominis Commissariis non omnes comparuissent, verum sex aut septem duntaxat personæ ibidem pro tunc præsentes examinatæ fuissent, super eo, an plebanum Romano Catholicum habere vellent? quod ipsis affirmantibus, prædictum templum Evangelicæ Lutheranæ Religionis incolis & inhabitatoribus jam dictæ possessionis Kœvesd restitutum non fuisset, quo errore & defectu deprehenso, ipsisque in conspectu nostro constitutis rusticis asserentibus, præmissarum sex aut septem personarum examinatarum postulationem absque præscitu & consensu eorum habitam fuisse, ideo idem templum parochiam, scholam, vineam & quinque Colonos ibidem residentes, cum aliis quibusvis Proventibus Parochialibus de jure ab antiquo eodem pertinentibus, simul & plebano Romano Catholico post exturbationem concionatoris Evangelici introducto ex eadem Parochia amoto, eisdem jam dictis Evangelicæ Religionis hominibus, à quibus occupata & adempta fuerant, vigore instructionis nostræ simpliciter restituimus & reddidimus.

Quantum verò calicem ipsorum attinet, hic quoque per prædictum plebanum responsum est, etiam ipsum jam esse consecratum, & ob id non posse prædictis rusticis restitui.

Hic quoque nomine & in persona sæpe dicti Comitis de Nadasd super restitutione quinque sessionum colonicalium memoratarum per eundem Stephanum Somogi protestatum est similiter ut supra.

Eodem die incolis quoque possessionis Uyker in Soproniensi Comitatu situatæ similiter in prædictum oppidum Loos convocantes, intelleximus ab eisdem, templum, parochiam, & Scholam eorum, cum universis & ab antiquo eodem pertinentibus proventib⁹, parochialib⁹ quemadm. per priores suæ Maj. Commissarios, eisdem Evangelicæ videlicet Lutheranæ Religionis hominibus restituta fuerant, etiam nunc omnium eorum pacifico in usu, simul cum concionatore suæ professionis persistere; quibus ita perceptis nos quoque eosdem in eodem, quo nunc persistunt statu, vi instructionis nostræ reliquimus.

Eodem die ad faciem etiam possessionis Peresztegh, in præallegato Comitatu Sproniensi existentis, venientes, ac incolis inhabitatoribus ejusdem coram nobis accersitis, recognovimus ab eisdem templum & parochiam eorum cum suis pertinentiis per priores Dominos Commissarios fuisse quidem restituta, sed quia Plebanus Romano-Catholicus etiam post factam ejusmodi restitutionem ibidem in eorum parochia ad hoc usque tempus remansisset, ipsum quoque templum cum clavibus & quibusvis proventibus parochialibus possedisset, quo ipsi incolæ impediti, pastorem sive concionatorem Confessionis ipsorum hactenus introducere nequivissent.

Cujusmodi defectu deprehenso & comperto, præmissorum occupationem sub disturbiorum tempore factam fuisse; Ideo nos quoque idem templum, domum parochialem & scholam unà cum tribus Colonis ibidem residentibus & unà vinea, & aliis quibusvis ab antiquo eodem pertinentibus proventibus parochialibus, simul & moderno Plebano Romanano-Catholico ex eadem parochia amoto, eisdem Evangelicæ Lutheranæ confessionis incolis, vigore diplomatis, authoritateque commissionis nobis datæ, simpliciter restituimus.

Eodem die consequenter ad faciem etiam possessionis Cytnnye, in ante lato Comitatu Soproniensi adjacentis, pervenientes, ex inhabitatoribus rusticis coram nobis accersitis cognovimus ipsorum quoque templum & parochiam modo simili fuisse per priores Commissarios restituta, verum ab eo toto tempore, pastorem seu concionatorem suæ confessionis in eandem Parochiam & templum introducere haud quaquam fuisse ausos? Quo intellecto idem Templum & parochiam cum omnibus proventibus, de jure & ab antiquo eodem pertinentibus, eisdem rusticis inhabitatoribus Evangelico-Lutheranæ Religionis hominibus, à quibus videlicet occupata fuerunt, virtute instructionis nostræ simpliciter reddidimus & restituimus.

Notandum hîc venit, post peractam istiusmodi Templi & parochiæ restitutionem egregium Dominum Johannem Besenyci, collegam & concommissarium nostrum, suo ac familiarum Szalai & Nyzky nominibus & in persona protestat onem instituisse super eo, quod videlicet prærogativam juris Patronatus ipsorum in prætacto restituto templo habitam, quandoquidem sepulturæ majorum suorum ibidem extarent, idemque ab eisdem ipsorum prædecessoribus fuisset ædificatum & exstructum, in posterum quoque sibimet ipsis vellent reservare, neque per hoc aliis concedere.

Item die 15. Novembr. ad faciem oppidi Szent Miklos in Comitatu Soproniensi situati venientes, & incolas ejusdem in nostri præsentium accersentes, intelleximus, templum ipsorum parochia & parochiam cum suis proventibus fuisse quidem per priores suæ Majestatis Commissarios restituta, nec tamen Plebanum Romano-Catholicum amotum fuisse, sed ibidem relictum eandem ad præsens etiam inhabitare; quo defectu intellecto eundem plebanum ex eadem Domo ipsorum parochiali amovimus, templum quo-

que

que ipsum etiam antea restitutum cum eadem parochia, schola, duobus item Colonis & vinea, ac aliis cujuscunque generis proventibus & obventionibus, de jure & ab antiquo ad idem templum & parochiam pertinentibus, apud eosdem incolas oppidi Szent Miklos, utpote Evangelicæ Lutheranæ Religionis homines, à quibus sub prædictis disturbiis occupata fuerant, ex dictamine instructionis nostræ reliquimus, restituimus, reddidimus,

Hic quoque nomine & in persona Domini Comitis de Nadasd, egregius Georgius Nagy protestatus est modo simili, ut & alii reliqui ejusdem suprascripti Servitores.

Eodem die possessionum quoq; Bogyoslo, Jobbahaza, Czaford, sic nuncupatarum incolis & inhabitatoribus (quandoquidem eò venire propter aquarum inundationem fieri non potuit) in nostri præsentiam in oppidum Szent. Miklos jam dictum evocatis, ab eisdem intellecto, templum ipsorum parochiale in prædicta possessione Bogyoslo ædificatum cum parochia, schola & quibusvis proventibus parochialibus, ab antiquo eodem pertientibus, à prioribus etiam suæ Majestatis Commissariis fuisse restituta, eademque etiam modo in ipsorum esse potestate, nihilominus pastorem sive concionatorem Evangelicæ Confessionis ipsorum, in eandem restitutum parochiam propter minas & terriculamenta officialium nonnullorum hactenus introducere & ibidem collocare ausos minime fuisse.

Quibus ita perceptis nos quoque idem templum, domum parochialem & scholam ipsorum, cum omnibus eodem pertinentibus proventibus parochialibus, attributâ insuper eisdem plenariâ introducendi pastorem sive concionatorem Lutheranæ ipsorum Religionis facultate apud eosdem in eo, quo restituta fuerunt, & nunc persistunt, statu ex præscripto instructionis nostræ dictamine reliquimus.

Eodem die incolis quoque oppidi Szill, & possessionis Tasa eò pertinentis filialis, inque præscripto Comitatu Soproniensi existentium ante dictum oppidum Szent Miklos convocatis, intelleximus ab eisdem, templum, parochiam, scholam, cum quibusvis proventibus parochialibus de jure & ab antiquo ad idem templũ & parochiam pertinentibus, per priores quoque suæ Majestatis Dominos Commissarios fuisse quidem restituta, ac templum ab restitutionis tempore ipsos incolas usque nunc possedisse, plebanum nihilominus Romano Catholicum in eadem parochia, & Ludimagistrum in schola ipsorum permansisse, de præsentique utrumque ibidem residere.

Quo intellecto illa ipsa, quæ restituta fuerant, ac etiam nunc præ manibus eorum Incolarum habentur, in eodem statu, quæ vero nondum restituta, utpote, parochia & schola ipsorum, in quibus iidem plebanus & Ludimagister hactenus commorati fuissent, eisdem exinde exire & cedere jussis & hoc modo restitutis, apud prædictos Evangelicæ Lutheranæ Religionis homines, à quibus sub præteritis disturbiis occupata fuerant, vigore instructionis nostræ reliquimus.

Eodem die incolis quoque possessionis Czapodin in præscripto Comitatu Soproniensi habitæ, in jam dictum oppidum Szent Miklos accersitis edocti sumus, ab eisdem templum quoque eorum cum parochia & proventibus jam antea restituta fuisse, sed plebano Romano-Catholico ibidem in domo Parochiali ipsorum ad hoc usque tempus remanente, integrum eisdem non fuisse concionatorem confessionis Evangelicæ introducere, & Religionem suam exercere.

Quo defectu intellecto, eodem plebano Romano-Catholico exinde amoto, prædictum ipsorum templum simul cum parochia, ac cujusvis generis proventibus & obventionibus parochialibus, ab antiquo eod. pertinentibus, eisdem inhabitationibus utpote Evang. Luth. Religionis hominibus, à quibus occupata extiterant, authoritate instructionis nostræ restituta quidem in priori suo statu, cum emendatione præmissi defectus reliquimus.

Eodem die incolis etiam inhabitatoribus possessionis Endred vocatæ, inque præmemorato Soproniensi Comitatu adjacentis, in sæpe dictum oppidum Szent Miklos evocatis rescivimus, ab eisdem quoque restitutam fuisse libertatem introducendi Concionatorem Evangelicæ Lutheranæ confessionis per priores suæ Majestatis Commissarios, prout & maternæ seu parochialis Ecclesiæ ipsorum Szent Miklosiensis; id circo nos quoque eosdem in eo Statu permisimus vi Commissionis nostræ.

Item die 16. Novembr. incolis quoque possessionum Babocz & Kapuvar in Comitatu sæpe dicto Soproniensi existentium in prædictum oppidum Szent Miklos accedentibus, & sese moderno ipsorum Plebano Romano-Catholico contentos esse affirmantibus, nos quoq; eosdem cum Plebano præfato in eo Statu reliquimus.

Item die 17. Novemb. ad faciem possessionum Szeplak in Soproniensi Comitatu adjacentis pervenientes, ejusdemque & possessionis Sarrod huc pertinentis filialis, incolis & habitatoribus in conspectum nostri accersitis, & ab eisdem intellectis, templum eorum parochiale cum parochiis, per priores Dominos Commissarios restituta quidem fuisse, verum ejusdem templi clavibus ademptis, neque ad hoc usque tempus restitutis, templum ingredi, concionatoremque Evangelico-Lutheranæ ipsorum Religionis introducere minime potuisse: Templum quidem & parochias cum omnibus de Jure & ab antiquo eò pertinentibus Proventibus parochialibus præ manibus eorum, in quo restituta fuerant statu reliquimus claves autem & calicem eisdem restituimus & reddidimus.

Eodem die incolis quoque possessionis Sœyter in prællegato Soproniensi Comitatu habitæ in dictam possessionem Szeplak evocatis, cognovimus templum ipsorum per priores suæ Majestatis Dominos Commissarios restitutum quidem extitisse, verum Plebanum Romano-Catholicum ad præsens usque in parochia ipsorum remansisse.

Quo defectu deprehenso eundem Plebanum exinde amoventes, idem templum cum Parochia jam restituta, & proventibus quibusvis parochialibus ab antiquo eodem pertinentibus apud eosdem rusticos, utpote Evangelicæ Lutheranæ Confessionis homines, à quibus sub disturbiis

biis occupata fuerant vi instructionis nostræ reliquimus.

Eodem die, possessione Barbacz, & eò pertinentium filialium Bü & Sarkany dictarum, incolis etiam (siquidem ad facies earundem propter aquarum inundationem transire non potuissemus) in jam dictam possessionem Szeplak accersitis, intelleximus templum eorum parochiale, unà cum domo parochiali à prioribus suæ Majestatis Dominis Commissariis restituta extitisse, verum eosdem, pastorem sive concionatorem Evang. Luth. Religionis ipsorum hactenus in medium sui introducere non potuisse, neque tamen ad hos usque tempus per quempiam in libero ejusdem Religionis suæ exercitio turbatos fuisse. Quocirca nos quoque eosdem in eodem, quo nunc sunt & persistunt Statu pacifico reliquimus virtute instructionis nostræ.

Eodem die ad faciem possesionis quoque Hegykœ nuncupatæ, inque supradicto Comitatu Soproniensi habitæ venientes, incolisque, & inhabitatoribus ejusdem coram nobis advocatis, rescivimus ab eisdem, templum eorum restitutum quidem extitisse per priores suæ Majestatis Commissarios, sed propter minas & metum concionatorem suæ Confessionis introducere ausos ad usque non fuisse; Verum plebanum Romano-Catholicum in possessione Hidegsegh residentem, in præscripto ipsorum templo ritu suo nonnunquam sacra sua peregisse.

Quo defectu deprehenso idem Templum cum omnibus eodem pertinentibus proventibus eisdem Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus, à quibus sub disturbiis occupatum fuerat, authoritate commissionis nostræ denuo restituimus.

Eodem die ad faciem etiam possessionis Hidegsegh in dicto Comitatu Soproniensi existentis devenientes, incolasque ejusdem cum inhabitatoribus possessionum Hemok & Boz eodem convocantes, intelleximus ab eisdem, templum ipsorum parochiale & domum parochialem in eadem possessione Hidegsegh habita, neque per priores Dominos suæ Majestatis Commissarios extitisse ab illis adempta, verum apud eosdem utpote Romano-Catholicæ Religionis homines relicta, ac etiam ab eo toto tempore ad præsens usque plebanum confessionis suæ intertenuisse, imò deinceps quoque intertenere velle.

Quibus ita perceptis, nos quoque idem Templum & parochiam ipsorum cum omnibus de jure & ab antiquo eo pertinentibus proventibus parochialibus, ipsoque plebano, apud eosdem in eo, quo nunc sunt, statu virtute instructionis nostræ reliquimus.

Eodem die similiter ad faciem possessionum Nagy Czenk in prætitulato Comitatu Soproniensi existentis accedentes, ac una cum ejusdem incolis quoque possessionis David Czenk eo pertinentis filialis coram nobis accersitis, cognovimus templum eorum parochiale & parochiam in eadem possessione Nagy Czenk exstructam à prioribus etiam Majestatis suæ Commissariis extitisse restituta, sed quia claves templi apud plebanum Romano-Catholicum, in præscripta domo ipsorum parochiali ab eo toto tempore ad præsens usque commorantem & permanentem tenebantur, per hocque templo in eodem Evangelicam Lutheranam ipsorum Religionem exercere, ac concionatorem introducere prohibiti fuissent; id eo defectu hoc animadverso, idem templū, parochiam & scholam eorum cum quinque inquilinis & vineis, ac aliis quibusvis ad idem templum & parochiam de Jure & ab antiquo pertinentibus Proventibus Parochialibus, iisdem præscriptæ utriusque possessionis incolis & inhabitatoribus Evangelicis, à quibus & occupata fuerant, authoritate instructionis nostræ denuo restituimus & reddidimus.

Notandum tamen est calicem ipsorum præ manibus jam dicti plebani habitum, quod concernit, nondum esse eisdem restitutum ex ea plebani ratione, quoniam jam consecratus esset, & ex eo restitui non posset.

Hic quoque nomine & in persona Domini Comitis de Nadasd super prærogativa juris sui Patronatus, & restitutione prædictorum quinque inquilinorum per Andream Adoriany, Rationistam superiorum pertinentiarum Arcis Sarvar, protestatum modo simili ut supra.

Item die 18. Novembr. ad faciem oppidi Keresztur in Comitatu Soproniensi situati pervenientes, ac incolis ejusdem in nostri præsentiam accersitis, intelleximus ab eisdem, templum ipsorum & parochiam cum quibuslibet suis proventibus parochialibus, ante disturbiorum tempora extitisse ab eisdem occupata, adeoque neque per priores Dominos Commissarios restituta.

Quæ occupatio quandoquidem excederet instructionis nostræ terminum, restitutionem superinde facere nequivimus, verum in eo, quo invenimus statu reliquimus.

Eodem die incolis seu inhabitatoribus possessionum Beled & Vicza, in Comitatu prædicto Soproniensi existentium in dictum oppidum Keresztur (ex eo, quod ad facies seu loca habitationis ipsorum propter nimiam aquarum inundationem accedere nequivimus) evocatis, exquisivimus ab eisdem, an templum & parochia ipsorum per priores suæ Majestatis Commissarios restituta fuerint? Qui restituta quidem fuisse, sed eorum Pastorem seu Concionatorem confessionis suæ ob minas & terrorem Officialium inducere ausos minimè fuisse, asserentes, idem templum & parochiam cum quibusvis Proventibus parochialibus eisdem Evangelicæ Lutheranæ Confessionis hominibus, à quibus occupata fuerant, ex dictamine commissionis nostræ denuò reddidimus.

Notandum hic est, Magnificum Dominum Adamum Cziraky, Collegam videl. & Concommissarium nostrum super prærogativa juris sui Patronatus in prætacta possessione Beled habita protestatum extitisse.

Eodem die incolis quoque possessionis Kohalom in Comitatu Soproniensi existentis in prædictum Oppidum Kerestur in nostri conspectum accersitis comperimus, templum & parochiam eorum, cum quibusvis suis proventibus parochialibus, sub disturbiis fuisse, ab eisdem occupata, ac ideo per priores suæ Majestatis Dominos Commissarios extitisse restituta, sed plebano Romano-Catholico ad præsens usque tempus, in domo ipsorum parochiali remanente, usumque templorum usurpante, accedentibus etiam minis offi-

officialium, tutum & integrum non fuiſſe eiſdem, concionatorem confeſſionis ipſorum in medium ſui introducere.

Quibus hoc modo intellectis, & defectibus præmiſſis deprehenſis, eodem Plebano Romano-Catholico ex præſcripta ipſorum parochiâ amoto, idem templum, parochiam & ſcholam eorum, cum quibuslibet de Jure & ab antiquo eodem pertinentibus proventibus parochialibus, eiſdem Incolis Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus, virtute inſtructionis noſtræ denuò reddidimus.

Eodem die Incolas etiam poſſeſſionis Dörföl in Comitatu Soproniensi adjacentis in jam dictum oppidum Kereſztur convocantes, utpote filialis ad templum parochiale præſcriptæ poſſeſſionis Kôhalom pertinentis, cognovimus ab eiſdem, ipſos etiam antea fuiſſe Romano-Catholicæ Religionis, ac in poſterum quoque in eadem velle permanere neque cum incolis poſſeſſionis *K*ôhalom concionatorem Evangelicum Lutheranæ confeſſionis amplius acceptare. Quo intellecto nos quoque eoſdem in eo ſtatu reliquimus.

Eodem die inhabitatores quoque poſſeſſionis Fôlſo Laſzlay in eodem Soproniensi Comitatu habitæ, videlicet poſſeſſionis filialis ad jam dictum templum parochiale poſſeſſionis *K*ôhalom pertinentis in præſcriptum oppidum Kereſztur accerſitis, intelleximus ab eiſdem, templum eorum à prioribus Suæ Majeſtatis Commiſſariis non fuiſſe reſtitutum, ſed quia ab eiſdem ſub præteritis diſturbiis erat occupatum, idem templum, cum ſuis proventibus ab antiquo eodem pertinentibus, eiſdem Incolis Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus, virtute inſtructionis noſtræ ſimpliciter reſtituimus.

Notandum hic quoque ſupradictum Georgium Reczey nomine & in perſona Domini Comitis de Nadaſd ſuper jure Patronatus, ac etiam quod ſingulis annis ſubſequentibus à Magiſtris Cheum præſcriptarum poſſeſſionum rationes exigere vellet, proteſtatum eſſe.

Eodem die Incolis etiam poſſeſſionis Bonya in eodem Comitatu Soproniensi exiſtentis, in præmemoratum oppidum Kereſtur coram nobis advenientibus intelleximus, templum etiam ipſorum ſub præteritis diſturbiis fuiſſe occupatum, neque tamen per priores Suæ Majeſtatis Dominos Commiſſarios reſtitutum. Quo animadverſo, idem templum cum libero Evangelicæ Lutheranæ Religionis ipſorum exercitio, proventibus quibuſvis ab antiquo eodem pertinentibus, eiſdem ſimpliciter reſtituimus vi commiſſionis noſtræ. Similiter hic proteſtatum eſt nomine & in perſona ejuſdem Domini Comitis de Nadaſd de Jure Patronatus & ex beneficio majorum, vel verò ſui ipſius præſcriptis reſtitutis Eccleſiis collatis bonis & beneficiis.

Eodem die Incolis quoque & inhabitatoribus oppidi Leuka, in Caſtriferri Comitatu ſituati coram nobis in ſæpius dictum oppidum Kereſtur advenientibus reſcivimus, templum ipſorum parochiale cum parochia & ſchola, ac aliis quibuſvis proventibus parochialibus ſub præteritis diſturbiis extitiſſe occupata, neque tamen per priores Dominos Commiſſarios reſtituta. Quo percepto, idem templum, parochiam & ſcholam ipſorum Plebano Romano-Catholico ex eadem Parochia amoto, cum univerſis de Jure & ab antiquo ad idem templum & parochiam pertinentibus proventibus iiſdem oppidanis Evangelicæ Lutheranæ confeſſionis hominibus vigore commiſſionis noſtræ ſimpliciter reſtituimus.

Eodem die Incolis etiam poſſeſſionis Rött, in Comitatu Caſtriferrei habitæ ſimpliciter in prædictum oppidum Kereſtur convocatis intelleximus, templum & parochiam ipſorum ſub præteritis diſturbiorum temporibus extitiſſe ab eiſdem occupata, neque per priores Suæ Majeſtatis Dominos Commiſſarios reſtituta, ideò idem templum, parochiam, & ſcholam, cum univerſis eodem de Jure & ab antiquo pertinentibus proventibus parochialibus eiſdem incolis Evangelicæ Lutheranæ Religionis hominibus, vigore inſtructionis noſtræ ſimpliciter reſtituimus & reddidimus.

Notandum hic eſt, incolas & inhabitatores præſcriptorum oppidi Leuka & poſſeſſionis Rött in eo conveniſſe coram nobis, quod quemadmodum antea, ita deinceps quoque, liberum ſit utriuſque Religionis Romano-Catholicæ videlicet & Lutheranæ hominibus in eodem templo Rött certis conſuetis Feſtis diebus, devotiones & ſacra officia ipſorum peragere.

Item die 19. Novembr. in liberam & Regiam Civitatem Soproniensem pervenientes, ac incolis poſſeſſionis Pörgölin, una cum eo pertinentium filialium poſſeſſionum, utpote Godhardt, hinc Geresdorff, Putendorff, Solomsdorff, Libenpran, Stampazk, Kokel, inhabitatoribus in noſtri præſentiam convocatis, intelleximus ab eiſdem templum parochiale, domum parochialem & ſcholam eorum in prædictâ poſſeſſione Pörgölin habitam, poſt diſturbiorum tempora extitiſſe ab eiſdem occupata, neque per priores Dominos Commiſſarios reſtituta, ex eo quod ad facies habitationis ipſorum minimè acceſſiſſent, verum eiſdem in ſui præſentiam alio evocatis, nonniſi paucæ aliquot perſonæ comparuiſſent, quæ præter ſcitum & conſenſum ipſorum plebanum Romano-Catholicum poſtulaſſent, & ob hoc idem etiam Plebanus in præſcripta parochia ipſorum ad hoc uſque tempus permanſiſſet.

Quibus ita intellectis, ipſiſque uno ore Evangelicum Lutheranæ Religionis concionatorem poſtulantibus idem templum cum jam dicta parochia & ſchola ac cujuſvis de Jure & ab antiquo eodem pertinentibus proventibus & obventionibus parochialibus eiſdem omnibus Evangelicæ confeſſionis hominibus, ſimul & prætitulato Plebano Romano-Catholico illinc amoto vigore inſtructionis noſtræ ſimpliciter reddidimus & reſtituimus.

Quæ omnia & ſingula modo & ordine, quibuſvis præmiſſa ſunt, ex dictamine inſtructionis nobis datæ executa & effectuata, Sacratiſſimæ Majeſtati Veſtræ Domino Domino noſtro Clementiſſimo, præſenti ſcripto noſtro fideliter referimus & reportamus. Datum in libera & Regia Civitate Poſonienſi die 20. Menſis Novembris, Anno 1646.

Ad

Ad Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem, Dominum Dominum ipsorum Clementissimum,

Executionis Templorum ac Bonorum modo introscripto restitutorum

HUMILLIMA RELATIO.

Introscriptorum fidelium ejusdem Cis-Danubialium Commissariorum.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas Domine Domine naturaliter nobis Clementissime,

Fidelitas ac fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ demissam semper subjectionem.

MAjestas Vestra Sacratissima recordari gratiosè dignetur, in primordio hujus clementer nobis delatæ secundariæ commissionis progressu, postremaq; clementis Instructionis suæ Regiæ Clausula post terminandam præsentis commissionis executionem, plenariam de omnibus & exactam Relationem coram Majestate Vestra Sacratissima succinctè faciendam ac repræsentandam fore, nobis benignè demandasse.

Ac licet ab eo tempore hucusque totis viribus, & inserviendi, demisseq; parendi promptitudine dies noctesque humiliter in tantum elaboraverimus, ut effecta Clementissimorum Mandatorum ejusdem Regiorum juxta benignam & seriam Majestatis Vestræ Sacratissimæ commissionem diligenter continuare, debitaque conclusione quantocyùs terminare potuissemus.

Itinerum tamen plerumque longiorum & ambagiosorum difficultates, Templorum item & Bonorum remotiorum ordine præpostero seorsim & ab invicem disitæ series, nec non aëris tempestates, simul & aquarum inundationes proximiorem hanc Processus nostri Conclusionem ita retardârunt, ut ampliorem, quàm sperabatur, moram secum traxisse generasseque manifestè cernantur. Majestatem Vestram Sacratissimam demissis superinde precibus nostris humiliter exorantes, quatenus ulterioris tantæ remoræ causam suspicatæ fortè tarditati nostræ minimè, verùm antè latis remoratoriis & incommoditatibus imputare gratiosè dignetur.

Nos itaque tanquam fideles & obedientes Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditi præsentis commissionis provinciam exilibus, & imparibus humerorum nostrorum viribus debito fidelitatis obsequio humiliter assumentes, unanimi consensu, demissaque subsequentium specificâ declaratione Majestati Vestræ Sacratissimæ concorditer reportamus, nos juxta benignas ejusdem nobis exhibitas patentes, simul & Instructionem Regiam super Augusto Sanctissimoq; recentis Pacificationis Diplomate suo clementer fundatam executionem restitutionis nonnullorum templorum, primùm & ante omnia in libera Regiaq; Majestatis Vestræ Sacratissimæ Civitate Veterozoliensi communiter inchoavisse, Et quamvis templum possessionis Chab, Turcis Tributariæ in Comitatu Hontensi adjacentis, habitum aliàs sub præteritis disturbiis per spectabilem & Magnificum Dominum Franciscum Balassa de Gyarmath occupatum, absentes tanquam præsentes (ex eo quòd securus ad facies ejusdem ob metum Turcarum accessus fieri non potuerit) unà cum universis requisitis ejusdem & ad pertinentiis prioribus Evangelicis illius possessoribus simpliciter illinc restituerimus; iidem tamen Chabienses Incolæ Religioni postmodùm Romano-Catholicæ collegialiter adhærentes, Plebanoque pro tempore constituto contenti, præmissam executionem acceptare noluerunt.

Quo peracto tandem ad facies quatuor templorum in bonis Arcis Vegles per Illustrissimum Dominum Comitem Ladislaum de Chiak, &c. & officiales suos ab Evangelicis in illis motibus occupatorum, Oppidi videlicet Nagy Zalarna, deinde possessionum Zolna, Oscovva, & Czeren vocatarum, omninò in Comitatu Zoliensi adjacentium habitorum procedentes, eadem quoque quatuor templa seorsim & sigillatim, diversisque Terminis hinc inde divertentes, cùm clavibus & universis eorundem Clenodiis, Campanis item ac sepulturis, Domibus Parochialibus & Scholis, & aliis inclusis pertinentiis præfatis Evangelicæ professionis hominibus, executionem eandem illis etiam implorantibus & acceptantibus, omni eo Jure, quo ad ipsos ante disturbia quoque pertinuissent, tenenda & possidenda per manus restituimus.

Item bona quoque Relictæ Spectabilis ac Magnifici quondam Domini Andreæ Balassa de dicta Gyarmath, signanter autem portiones Arcis Kekkeó in Comitatu Neogradiensi constructæ, una cum certâ quadam in Promontorio loci ejusdem plantata Vinea, hortisque allodialibus suis ibidem circumseptis, nec non sessionem Colonicalem populosam providi Alberti Fabian Coloni sui in possessione Uyfalu, dictoque Comitatu Neogradiensi existentis habitam, & Colonos Varalyenses, alias etiam in proximè præteritis disturbiis, quàm antea post priorum Dominorum Commissariorum restitutionem Pacificationemq; præsentem per ante latum Dominum Franciscum Balassa violenter occupatos ac reoccupatos, vigore Diplomatis eidem Dominæ Relictæ, similiter & bona antea per eundem Dominum Franciscum Balassa, certis ac rationabilibus de causis Egregio Domino Ladislao Ebeczky, in quadraginta aureis inscripta, & in illis motibus violenter item ab eodem ademta, ac per priores quoque Dominos Commissarios restituta, sed per eundem Collatorem iterum reoccupata, specificè tamen in possessione Schlabonya habita prioribus restitutionalibus ejusdem literis denuò confirmatis, ex dicta possessione Nagyzalama, tanquam tutiori loco, absentes ut præsentes dicto Domino Ladislao Ebeczkii simpliciter reddidimus ac restituimus.

Absoluta postmodùm templorum ac Bonorum præmissorum restitutione, partibusque priùs infrà scriptis debito tempore certificatis, dum in & ad facies Arcis Muran in Comitatu Gömöriensi constructæ personaliter ascendentes, tam portiones Arcis, quàm etiam bonorum, (eò quod partes adhuc inter comportionatas conventum aliter non fuerat) eodem modo, quo ante disturbia possederunt, secundùm peculiarem Instructionis Majestatis Vestræ Sacratissimæ sexti puncti tenorem, tali cum expressa specialis ejusdem resolutionis gratiosa declaratione, ut videlicet Illustrissimus duntaxat Comes, Dominus Franciscus Vesseleny, tanquam supremus loci ejusdem & Confiniorum cò applicatorum Generalis Capitaneus, ac præsidium ipsum in arce Muran collocatum ad instar aliorum præsidiorum & confiniorum potestatem portæ & clavium habere, conservareque de cætero tenerentur; ac insuper, quotiescunque partes comportionatæ prædictam arcem intrandi habuerint intentum, in eo minimè forent à quoquam impediendæ, sed nec ab ipsa arce prohibendæ, quin potius ingressus & egressus earundem, inhabitandique licentia libera semper eisdem imposterum etiam concedi simul & admitti debeat, cum eo tamen limitato moderamine, ut cuilibet eorundem possessorum cum numero duodecim tantùm suorum præter fœminas arcem ingredi liceat, cuique partium interessatarum partim restituissemus, partim verò reddere voluissemus; Ex tunc tametsi Generosa & Magnifica Domina Catharina Szechii de Rima Szech Consors, spectabilis ac Magnifici Domini Joannis Listhii de Köpchin, præmissâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione demisse contenta, ratas & executas tam Bonorum, quàm arcis prætactæ Muran proprias portiones (præter res suas mobiles, universosque dictarum portionum suarum, violenter intereà perceptos, ac ex instructionis nostræ vi simpliciter exequi neglectos proventus) debita cum gratiarum actione recepisset: Generosa tamen & Magnifica Domina Eva Szechii, Illustrissimi Comitis, Domini Johannis Illyeshazy Conthoralis, medio certorum eò specialiter delegatorum servitorum suorum, super prædeclaratis executionis ejusdem conditionibus, tanquam sibi Juribusque suis nimis, ut prætendebat, nocivis, simul ac violentis universarum rerum suarum inibi relictarum, nec non intereà perceptorum cujusvis generis proventuum detentionibus, juxta certum scriptotenus nobis ibidem exhibitum, ac in specie Majestati Vestræ Sacratissimæ cum præsentibus sub lit. A. demisse præsentandum scriptum, solenniter præstando, neutram illarum, nec pertinentiarum, nec autem arcis portionum partem à nobis recepit; dicto Domino Comite Veseleny per primarios Aulæ suæ familiares sese gratiosis Majestatis Vestræ Sacratissimæ, tanquam Domini Domini Regisque Sui Clementissimi, mandatis semper summâ fidelitatis suæ constantiâ, nec non debitâ parendi, portionesque præmissas libenter & immediatè remittendi promptitudine statim & in continenti pariturо, executionique præmissæ modis omnibus obsecundaturo, vice versa solenniter protestante: Cœteroquin autem ulteriorem portionum illarum privationem majoremque damnificationem suam propriæ duntaxat dictæ Dominæ Evæ Szechii sic eam sponte amplectentis liberæ voluntati Servitorumque suorum renitentiæ, non autem eidem Domino Comiti Veselenii, in eodem statu relictæ remanserunt.

Illâ simul occasione communis etiam arcis ejusdem Sacelli, sub ipsa mutatione Bellica similiter occupati, tanquam loci piæ memoriæ Parentum partium ipsarum conditorii restitutionem, dicta Domina Catharina Szechii sollicitè rogando, familiares ejusdem Domini Comitis Francisci Vesselenii, citrà præceptum ac voluntatem Domini Comitis ipsorum, illud remittere nolle nec audere communiter responderunt.

Item certam etiam quandam domum Jolsvensem in Comitatu Gömoriensi habitam, alias in iis disturbiis ab Egregio quondam Michaële Literato aliter Horvath, violenter occupatam, ex eadem Arce Muran, veluti capite Bonorum, absentes tanquam præsentes, Orphanis ejusdem Hæredibus vigore Diplomatis restituimus.

Quia verò ad facies Arcis Balogh in eodem itidem Comitatu Gomoriensi extructæ, tum ob viarum discrimina, tum etiam loci distantiam personaliter accedere nequivimus, ideò lucrandi temporis causâ septimum Instructionis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Articulum ex eadem Arce Muran, tanquam tutiori & principaliori partium earundem loco, partibus etiam illis hac in parte non contrariantibus, absentes veluti præsentes executi tali processu fuimus, ut ibi quoque tam bonorum, quàm autem arcenses universas portiones prioribus earundem possessoribus, præfatis nempe Catharinæ & Evæ Szechii de dicta Rima Szech, modo licet priori, subjectâ tamen istâ conditione: Quòd nimirum Illustrissimus Comes Dionysius Szechii ne restitutione hac à Juris sui, in eadem arce Balogh habiti, judicialiter in futurum acquirendi proposito penitùs arceatur & excludatur, secundùm reales, & ante disturbia pacificè possessas ratas cujusque portiones simpliciter restituerimus & resignaverimus, partibus etiam illis executionem præmissam benevolè recipientibus.

Tandem dictus Dominus Comes Dionysius Szechy tanquam masculus arcis ejusdem Hæres medio Egregii Valentini Crykii, Servitoris sui, juxta prætensam Juris sui cautelam, ne videlicet executio præsens Juribus suis in eadem arce Balogh habitis quoquo modo præjudicare videatur, sed ut eadem suo loco & tempore, proprioque processu liberè semper in futurum movendi prosequendiq; facultatem habeat, solenniter coràm nobis protestatus extitit.

Illinc Illustrissimum quoque Dominum Comitem Stephanum de Cziak, ratione restitutionis post Pacificationem præsentem ablatæ Majoris Campanæ Gelnoczbaniensis, admonitoriis nostris literis missilibus honorificè requirentes, nullam superindè ab ipso Resolutionem accepimus.

Quibus, DEO juvante, modo prævio peractis, ac nobis illinc ulterius Oppidum videlicet Tepla in Comitatu Liptoviensi habitum versus

sus

ſus reflectentibus, & ad informationem nonnullorum ejusdem reſtitutionis quoque Templi Teplenſis executionem tentantibus: quia templum idem ante præterita diſturbia quinquennio ferè per Dominos Catholicos ab Evangelicis occupatum, quamvis in illis diſturbiis per eosdem Evangelicos reoccupatam fuiſſet.

Verum ſupervenientibus prioribus Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Dominis Commiſſariis, ad requiſitionem partis Catholicæ, vigore certarum quarundam Literarum ſuarum Reſtitutionalium ex Libera Regiaque Civitate. Sacratiſſimæ Veſtræ Majeſtatis Eperienſi die quinta Menſis Martii Anno Domini 1646. proximè transacto præterita datarum prioribus Catholicis occupatoribus redditum ac reſtitutum eſſe coram nobis comperiebatur maniſeſtè: Proptereà Nos etiam idem ſecundùm certam Nobis ſuperinde præſcriptam Inſtructionis Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ quarti puncti particulam, prout jam per priores Dominos Commiſſarios reſtitutum & executum fuerat, in eodem ſtatu præ manibus eorundem Catholicorum poſſeſſorum permanendum reliquimus.

Unde Thuroczienſem uſque Comitatum ſecundo flumine Vagi denavigantes, ac oppidum Szuchan ibidem habitum ingredientes, ibi quoq; templa quinque, primum ſiquidem Moſonienſe, ſecundum Szent Andraſienſe, tertium Belenſe, quartum Szent Martonienſe, quintum autem Turanenſe omninò in eodem Comitatu Thuroczenſi habita, nunc in eodem ſtatu moderno relinquere, nunc autem reſtituere volentes, inter nos convenire non potuimus, ob hanc cauſam.

Quia licet Spectabilis & Magnificus Dominus Franciſcus Revay Templa eadem ante ſopitos præmiſſos tumultus aliquot annis ab Evangelicis occupaviſſet quidem, in illis tamen diſturbiis ad requiſitionem Generoſi Domini Gabrielis Bakos de Oſgyan propriâ ſponte, prout informabamur, idem Dom. Revay remiſiſſet; Pace demum Dei benificio conſecutâ, eadem iterum authoritate propriâ non expectata priori Majeſtatis V. S. commiſſione reoccupaviſſet, ac in hodiernum uſque diem poſſideret.

Quorum modo prævio declaratum ſtatum virtute decimi Puncti Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Inſtructionis difficultates inter nos inſperatas ſumentes, quamvis Majeſtati Veſtræ demiſsè præſcribendum decreverimus, benignam ejusdem Reſolutionem intereà ſuperindè præſtolaturi, Templorum tamen eorundem Compatroni, cum ejusdem Comitatus Vice-Comite, cur ad eos ratione præviâ factam intimationem noſtram Curſorem aut Tabellarium cum Informatoriis literis noſtris ad Sacratiſſimam Majeſtatem Veſtram dirigendum poſt nos prætermiſerint, ignoramus.

Nobis interim iter Navigationis noſtræ ſollicitè continuantibus, ac Oppidum Czeita in Comitatu Nitrienſi habitum pervenientibus, dum Officiales primum Dominorum Terreſtrium Beczovienſium ſuper reſtitutione duorum calicum ejusdem Eccleſiæ ſeu Templi Beczovienſis literatoriè præmonuiſſemus, nullum ab eis reſponſum obtinere potuimus. Deinde cum ad requiſitionem Evangelicorum Cheitenſium, Egregium quoque Franciſcum Liptay, Caſtellanum Arcis Cheitæ perſonaliter accerſitum, ſimiliter ratione reſignationis quatuor itidem Calicum Eccleſiaſticorum Templi Cheitenſis admonuiſſemus, reſpondit: Calices quidem illos in Arce Cheitæ cuſtodiæ ſuæ concreditos ac repoſitos ibidem extare, ſe tamen absque ſpeciali Domini ſui Comitis Franciſci Nadaſdy mandadato nunc eosdem extradere nequaquam audere.

Domum intereà, vineas, terras arabiles & Prata Reverendi quondam Joh Kerman, Concionatoris olim Evangelici Cheitenſis ibidem habita, & per Andream Branik, Officialem olim Nadaſdy violenter ademta, miſeris ejusdem exulantibus orphanis reſtituentis. Sed idem Andreas Branik poſt diſceſſum noſtrum eadem iterum reoccupavit.

Tandem Oppidi quoque Paſto in Comitatu Heveſienſi adjacentis Inhabitatoribus Evangelicis, adhuc ex Arce Muran certificatis præter expectationem noſtram ſupervenientibus, Templum minus illorum, alias in diſturbiis ad Mandatum Palatinale per Dominos Catholicos ab iis occupatum, abſentes tanquam præſentes cum univerſis ejusdem pertinentiis reddidimus & reſignavimus.

Cœterum liberam Regiamque Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Civitatem Zakolczenſem feſtinanter ingreſſi, Religionis ibidem exercitium juxta eum Statum, qui videlicet ante præſentes motus & diſturbia fuerat, accommodandum fore, caſſatis præjudicioſis literis dicti Domini Gabrielis Bakos, in ipſis diſturbiis in eodem negotio qualitercunque datis & emanatis, amotis etiam, præſertim ad inſtantiam Emigrantium, violenter intruſis Piccarditis, aliisque ſimilibus Miniſtris, authoritate nomineque Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſ. publicavimus, poſt peractam tandem præmiſſam executionem utriusque tam Auguſtanæ, quam autem prætenſæ Religionis Incolis certa quædam Bona poſtulatoria & proteſtatoria ſcripta ſub Literis B. C. Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ humiliter producenda nobis exhibentibus.

Intereà tribus etiam calicibus Templi ſimiliter Cheitenſis à Reverendo Domino Georgio Rodek, Parocho Zakolczenſi, per eundem antea, Plebanatus utpote ſui Cheitenſis tempore, ſecum illuc ablatis, ibidem repetitis. Idem quoque reſpondit, ſe libenter eos reſtituturum, dummodò dicti quoque Cheitenſes Evangelici reſtantias Eccleſiaſtici ſui Proventus reddere ſibi ſint parati. Poſtmodùm ad Caſtellum Aſſa Kürt abindè reverſi juxta nonum ſæpè fatæ Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ Articulum, portionem illam Bonorum ad idem Caſtellum Aſſa Kürt pertinentium, Generoſi quondam Domini Georgii Giczy, quam videlicet Spectabilis ac Magnificus Dominus Simon Balaſſa de dicta Gyarmath, unà cum Conſorte ſua, Generoſa nimirum & Magnifica Domina Magdalena Giczy ante diſturbia poſſediſſet, deinceps etiam apud eosdem permanendam reliquimus.

Eam autem portionem, quam Relicta quondam dicti olim Georgii Giczy ante diſturbia poſſedit, unà cum Caſtello dicto Aſſa Kürt, bonisq; Aviticis, tam in Nitrienſi, quam verò Barſienſi Comitatibus ubique habitis, hæredibus Generoſi quondam Domini Johannis Giczy, Generoſis nem-

nempe Dominis Stephano & Paulo Giczy, tanquam lineæ masculini sexus, realiter restituimus, dicta Domina Magdalena Giczy super executionis istius qualitate tanquam sibi præjudiciosa secundum Nobis exhibitum certum quoddam scriptum, ac Majestati Vestræ Sacratissimæ sub lit. D. præsentandum, solenniter protestante. Tandem Templum etiam possessionis Nagy Beliczin in eodem Comitatu Nitriensi habitum, aliàs per spectabilem & Magnificum Dominum Ladislaum Forgach de Ghymes ab Evangelicis occupatum, absentes tanquam præsentes abinde restituimus.

Ad extremum, in & ad Castellum majus seu inferius Komjatinense ratione festivitatis Natalitiorum Domini nostri JEsu Christi descendentes, residua bina quoque Templa seu oratoria loca possessionum Mocz & Bucha in Comitatu Strigoniensi existentium habita, non ita pridem ab Evangelicis earundem Incolis violenter occupata, virtute præsentis Commissionis absentes veluti præsentes, illinc ex eo, quòd ad facies illorum ob formidinem Turcarum accedere nefas erat, prædictis Evangelicæ confessionis prioribus possessoribus personaliter ad Nos accersitis, ad executionem illam frequenti numero sollicitantibus, seorsim, & separatim restituimus, per eos omni eo jure, quo ad ipsos antea quoque pertinebant, apprehendenda, tenenda, possidenda pariter & habenda simpliciter restituimus.

Et hic universam præmissorum omnium modo prævio terminatam, & Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè relatam executionem authoritate suâ Regia Nobis hac in parte clementer attributa, diplomatisque Regii sui simul ac Instructionis benignæ vigore, Deo dante & præsidente singularis fidelitatis nostræ promptitudine diligenter absolvimus, absolutamque Majestati Vestræ Sacratissimæ sub sigillis nostris usualibus & manuum propriarum subscriptionibus humiliter præsentamus.

Fidelia nostra servitia Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquam Domino Domino Regique nostro clementissimo perpetua cum subjectione de cœtero quoque demissè offerentes, Majestatem Vestram Sacratissimam diutius imperantem Bono Orbis totius Christiani, Gentisque nostræ per Deum Ter Optimum Maximum felicissimè conservandam, perpetuaque pace beatè regnandam animitùs exoptamus.

Datum in Libera Regiaque Civitate Majestatis Vest. Sacratissimæ Posoniensi die 12. Mensis Januarii Anno Domini 1647.

Ejusdem Sacratissimæ Majestatis Vestræ

Fideles humillimi & perpetui Subditi.
Cisdanubiani Majestatis Vestræ Sacratissimæ Commissarii

(L.S.) Stephanus Forgach de Ghymes.
(L.S.) Franciscus Turansky.
(L.S.) Caspar Bartakovicz.
(L.S.) Stephanus Doery.

Sequuntur Instructionales & Relatoria aliorum (commissariorum ad rectificandos prioris Commissionis defectus expeditorum.

INSTRUCTIONALES.

Comes Johannes Draskovith, perpetuus de Trakostyan, Regni Hungariæ Palatinus &c. Universis & singulis præsentium notitiam habituris, lecturis, & audituris, salutem. Notam facimus tenore præsentium hoc modo: Quod cùm in præsenti Diæta post varios tractatus ultrò citroque habitos certæ differentiæ, occasione Negotii Religionis, occupationisque Templorum ac restitutionis eorundem, inter Status & Ordines Regni jam sit accordatum & conclusum, ut ex occupatis & in Gravaminibus specificatis Templis 90. Evangelicis restituantur, in quorum numero Templa quoque t. t. t. in Mosoniensi n. n. in Castriferrei t. t. &c. Comitatibus existentia essent comprehensa, de qua quidem Templorum restitutione constitutus Articulus ita ulterius habet: restitui promissa Templa, sicut & alia, quæ sub disturbiorum temporibus aut post occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam Majestatis suæ Commissionem Evangelicis essent restituta, vel post restitutionem iterum reoccupata, una cum scholis, Parochiis bonis & proventibus eorundem sicut & illorum Templorum, quæ etiam adhuc præ manibus Evangelicorum haberentur, quoquo modo occupatis, per Commissarios utriusque Religionis, æquali numero è medio Regnicolarum ad id sub præsenti adhuc Diæta quantocyus exmittendos, restituantur.

Ideò ad executionem & effectuationem omnium supra dictorum conclusorum, Egregium Balshazarem Nadasdy & Johannem Szeghy de medio Statuum & Ordinum Regni duximus exmittendos & expediendos, dantes eisdem & attribuentes plenariam & omnimodam potestatis facultatem, ut videlicet ipsi omnia & singula, juxta præmissa, & specificatorum Templorum Numerum & seriem, sicut & bona in præscriptis Disturbiorum temporibus occupata, quæ in priori Commissione sub hac diæta occasione Templorum restitutionis ac bonorum exmissa restituenda erant, ac necdum restituta fuissent, vigore præsentis commissionis nostræ statim & de facto absque defectu aliquo restituere, superindeque literas Restitutionales seu Testimoniales partibus interessatis dare & assignare possint & valeant.

Datum in Libera & Regia Civitate Posoniensi die 9. Mensis Aprilis Anno 1647.

(L.S.) Comes Johannes Draskovith.

Decre-

Decretum suæ Majestatis ad Pro-Regem Jauriensem.

SAcratissimæ Cæsareæ nec non Hungariæ ac Bohemiæ Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi nomine ejusdem Consiliario Bellico, Camerario, Campi Mareschallo & supremo confiniorum Jauriensium Præfecto Domino Philippo Comiti à Mansfeld, Nobili Domino in Heldrungen, hisce clementer significandum, præ libatam suam Majestatem Cæsaream & Regiam inter cœtera puncta, super quibus in præsentibus Regni Comitiis conventum est, etiam illud benignè indulsisse, ut Statui Evangelico in Confinio Jauriensi structura Templi in nova Civitate permittatur, liberum verò exercitium tam intrà quàm extra mœnia ipsius Confinii, & ut Minister Confessionis Evangelicorum intra mœnia confinii habitare atque etiam in Domo concionari possit. Quorum idem Dominus Comes eo fine certior redditur, ut juxta hujus Diætalis formam se habere sciat, nec eidem in aliquo contradicat. Quem de cœtero Sacra Cæsarea & Regia Majestas Clementia suâ benignè prosequitur.

Per Imperatorem ex Consilio Bellico 10. Aprilis Anno 1647.

(L.S.) V. C. Offmann.

Sequitur Relatio Eexecutionis Nonaginta Templorum peractæ in Comitatibus Comarom, Bars, Hont, Neograd, Solyom Eztergam.

Excellentissimo Domino Domino Comiti Johanni Draskovith, perpetuo de Trakostyan, Regni Hungariæ Palatino, Judici Cumanorum, ac Sacratissimi Principis & Domini, Domini FERDINANDI Tertii, Electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, ArchiDucis Austriæ, Ducis Burgundiæ &c. intimo Consiliario, Camerario, & per Hungariam Locum tenenti:

Domino Domino ipsorum gratiosissimo.

Executionis seu Restitutionis Templorum ac Bonorum in certis Comitatibus Regni, modo introscripto specificatorum, humillima Relatio intronominatorum Commissariorum Regni.

Excellentissime Domine,
Domine Comes nobis Gratiosissime.

Humilium servitiorum nostrorum in gratiam Excellentissimæ Dominationis vestræ perpetuam subjectionem.

VEstra noverit Excellentissima Dominatio, nos ex deputatione & ordinatione Statuum & Ordinum Incluti Regni Hungarici, ad executionem & effectuationem accordationis eorundem Dominorum Statuum & Ordinum Regni, sive restitutionem Templorum illorum, quæ in nonaginta Templorum numero per modernam accordationem in præsenti Diæta, hic in libera ac Regia Civitate Posoniensi, celebrata, post tractatus ultrò citroque occasione negotii Religionis, occupationisque Templorum, inter eosdem Status & Ordines habitos, ipsis Evangelicis fuissent restitui promissa, ratione quorum Nos ad certos Comitatus istius Regni Hungariæ, juxta exigentiam & tenorem Literarum celsitudinis Vestræ in prædicta libera ac Regia Civitate Posoniensi, die 9. Mensis Aprilis in præsenti Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo proximè præterito, sub Judiciali Sigillo ab infrà impressivè obsignatarum, manusque suæ subscriptione roboratarum Patentium & Plenipotentialium Commissionalium, nominatos & deputatos utriusque Religionis Commissionarios duxerant exmittendos, dantes Nobis & attribuentes plenariam atque omnimodam potestatis facultatem, quatenus omnia & singula in Comitatibus illis, in quibus virtute earundem Literarum executio & restitutio Templorum ac Bonorum Nobis fuisset commissa, videlicet in possessionibus Nagy Megyer, Apacza Szakalos, & Balvany Szakalos in Comaroniensi, Velikapolya, Marbach, Nagy Heresztyen, Keresztur, Fenyœ, Kosztolyan, KisKessi, ac Semlin, Barsiensi, Pætth, Füzes, Gyarmath, Viszoka & Princzfalva, Hontensi: Maskfalva, Neogradiensi: Farnad & Eœlved, Strigoniensi, Comitatibus, existentia & comprehensa, juxta superinde constitutum articulum & seriem specificatorum templorum, sicut & bonorum, quæ sub disturbiorum temporibus aut post fuissent occupata, & nec ad præsens ad binariam etiam Suæ Majestatis Commissionem Evangelicis fuissent restituta, vel post restitutionem iterum reoccupata, vigore promissæ Commissionis Celsitudinis Vestræ statim & de facto, sine ullo defectu ipsis Evangelicæ Confessionis hominibus, ac locorum Inhabitatoribus reddere & restituere, iisdem assignare authoritate Vestræ Excellentissimæ Dominationis, tanquam Regni Hungariæ Palatini, virtute Plenipotentialium Literarum Suarum Nobis in ea parte attributa & concessa, simpliciter post determinationem hujusmodi Executionis nostræ, Literas etiam restitutionales seu Testimoniales partibus interessatis dare & assignare possimus & valeamus.

Nos itaque literis Excellentissimæ Dominationis Vestræ Commissionalibus debito honore & reverentiâ, quâ tenemur, obedire & obtemperare volentes, executionem prædictorum templorum & bonorum in dictis Comitatibus peractam unanimi consensu tali cum declaratione Vestræ Celsitudini concorditer reportamus: Nos juxtà literas ejusdem nobis concessas Patentes Plenipotentiales, executionem restitutionis suprà nominatorum templorum & bonorum, primùm & ante omnia in Oppido Baath in Comitatu Hontensi existentium habito inchoavisse, Templumq; ejusdem Oppidi unà cum campanis, calicibus & patellis ac aliis requisitis & apparementis Ecclesiasticis, Parochiâ, Scholâ, Molendino in Fluviolo sub Parochia labenti extructo, cum duabus rotis desuper volutis, duabus vi-

vineis in Promontorio possessionis Pechenye, septem Jugeribus Terræ arabilis, seminaturis tamen tam autumnalibus quàm vernalibus de præsenti in iisdem habitis, ipsi Plebano Romano-Catholico relictis, pratis fœnilibus in quinque locis in Territorio dicti Oppidi Baath existentibus, ac aliis proventibus deinceps in rationem Concionatoris Augustanæ Confessionis Evangelici cedentibus, item una Vinea in Promontorio Baathiensi, quam simul Rector Scholæ & Cantor ejusdem loci communiter possident, hortis ac aliis pertinentiis in eodem Territorio Baathensi, & prædicto Comitatu Hontensi existentibus & habitis, ac de Jure & ab antiquo ad Ecclesiam ipsorum spectantibus, & pertinere debentibus, ipsis Incolis & inhabitatoribus Oppidi Baath, quæ anteà ab eisdem Evangelicæ confessionis hominibus fuerant occupata, & per Catholicos ad præsens usque retenta, simpliciter restituimus, reddidimus, & reasignavimus, amotis illinc Plebano, Rectore, & Cantore Romano Catholico.

Quo sic peracto Nobilis Johannes Zolyomi, Teloniator ejusdem Oppidi Baath, nomine & in persona Illustrissimi Domini Comitis Ladislai de Chiak coram nobis solenniter protestatus extitit, dicendo Dominum suum etiam deinceps jus Patronatus sui in eodem Templo habere velle, nec se eodem privari permittere. Hoc sic præmisso notandum venit, quòd quando executionem ejusdem Templi, Parochiæ & Scholæ modo præmisso peregissemus; Officiales præfati Domini Comitis de Chiak cellarum Oppidi obsignantes tabernam eorum ab antiquo privilegialiter habitam, in rationem Domini ipsorum occupassent, imò ne nobis Commissariis ex Vinis Oppidi hospitari, ut nobis fuit relatum, permisissent.

Quia verò propter metum Turcarum & crebram excursionem plagiariorum, ad faciem possessionis Viszoka in Comitatu Hontensi existentis habitæ, personaliter accedere nequivissemus, juxta continentias literarum Celsitudinis Vestræ, Incolis & inhabitatoribus ejusdem possessionis Viszoka in Oppidum Baath in Comitatu Hontensi existens habitum per literas certificatis, ac iisdem coràm nobis ibidem Die 25. Mensis Aprilis comparentibus, Claveque Templi ipsorum nobis traditâ, ex quo Ecclesia eorundem per Catholicos fuisset occupata, ac Plebano Romano Catholico nunc fuisset destituta, iisdem incolis & inhabitatoribus clave reassignatâ, Templum ibidem habitum cum omnibus pertinentiis & rebus Ecclesiasticis, puta uno calice, unâ patellâ deauratâ, albâ Sacerdotali, mappis, & instrumentis ferreis duobus, quibus Hostiæ pinsuntur, nec non decimâ ex frugibus decimari solitis, ac aliis universis cujusvis nominis vocabulo vocitatis proventibus & solutionibus, ibidem ab antiquo Ministro Ecclesiæ eorum cedentibus, & præstari solitis, absentes tanquam præsentes simpliciter restituimus, reddidimus & reasignavimus.

Die 26. Aprilis ad faciem possessionis Princzfalva in prædicto Comitatu Hontensi existentis habitæ devenientes, Incolis & inhabitatoribus ejusdem possessionis, quàm etiam possessionis bellum itidem in eo Comitatu Hontensi existentis, utpote eò applicatæ filialis Ecclesiæ, nostri in præsentiam convocatis templum ibidem habitum cum Clave Templi, uno calice & patellâ una deauratis, nec non Casula, albâ tamen apud plebanum Romano-Catholicum ex eo casu relictâ, siquidem idem plebanus ex priori Alba tempore Augustanæ confessionis Evangelici Concionatoris comparata in formam Indusii more Pontificio fimbriis & aliis formis ipsam transformasset, precium ejusdem eodem plebano ipsis Incolis coràm nobis depositurum promittente, mappis & aliis apparamentis Ecclesiasticis, tribus Campanis, duabus majoribus, tertiâ minori, item molendino ad finem superiorem fatæ possessionis Princzfalva, in rivulo Selimechy Patak nominato, cum una rota desuper volutâ extructo, uno Jugere, Terræ arrabilis, tribus pratis fœnilibus, hortis duobus in Territorio ac intrà veras metas ejusdem possessionis Princzfalva, Parochiâ & Scholâ, nec non decima, ad prædictam Parochiam de Jure & ab antiquo in decem aureis Ducatis per Concionatorem loci ejusdem annuatim arendari, in usumque suum exigi & convehi solita, unà cum decima possessionis bellum in eadem arenda computanda, ac aliis proventibus ad prædictam Parochiam Princzfalvaiensem, tanquam Ecclesiam Maternam pertinentibus, reapplicatis ipsis Incolis seu inhabitatoribus Evangelicis Augustanæ confessionis hominibus, unumque Concionatorem tenentibus, amoto plebano Romano-Catholico simpliciter restituimus.

Executione tali in Comitatu Hontensi absolutâ, fuimus reversi in Comitatum Barsiensem, ubi primò delatæ nobis commissionis seriem & restitutionem templorum in possessione Kiskessi in pertinentiis & Bonis Levensibus die 27. Aprilis domum seu sessionem Judicis ejusdem possessionis ingredientes, Incolisque nostri in præsentiam accersitis, incipiendo interrogavimus eosdem, an velint Evangelicum Augustanæ Confessionis Concionatorem habere, & Religionem Evangelicam amplecti?

Responderunt: *Se quidem velle ex quò in eadem etiam fuissent nati, sed quia per Dominos Terrestres variis tribulationibus, incaptivationibus, & aliis multis inauditis impedimentis fuissent præpediti, coacti sunt se subjugare Catholicæ Religioni, nihilominùs constitutioni præsenti essent obtemperaturi*, quibus ita referentibus, nos Templum eorum, Parochiam & Scholam desertam cum uno Calice argenteo, Crucifixo & patella ex ære confectis, Campanis duabus majoribus & tertiâ minori, ac aliis ornamentis templaribus, Terris arabilibus, proventibus & solutionibus annualibus, una cum Filiali Podlusam eo applicata, ipsis tanquam Evangelicis, Augustanam confessionem amplectentibus & profitentibus, simpliciter restitueramus, reddideramus, & reasignaveramus.

Verùm die 29. ejusdem Aprilis, id est tertio die post restitutionem templi judices dictarum possessionum Kiskesi & Podlusan Filialis, cum duobus juratis Civibus in præsidio Levensi nobis constitutis, nostri in præsentiam venientes, nominibus Incolarum ambarum possessionum dixerunt, Religionem Catholicam potiùs

tiùs amplecti velle, hoc audito nos eos ita reliquisse referimus.

Ex quo verò ad possessionem Fûzes Gyarmath in Comitatu Hontensi existentis habitæ ob metum Turcarum ire non potuissemus, iisdem per literas nostras certificatis, & in præsidium Levense citatis ipsisque per certos suos ablegatos nuncios ibidem die 28. Aprilis corám nobis comparentibus, templum ipsorum cum Campana, una Terris arabilibus ad 30. Jugera sese extendentibus, uno prato, sylva, duabus Vineis, & decimâ ex quatuor vineis in promontorio ac intrà veras metas ejusdem possessionis, nec non possessione Szanto in eodem Comitatu Hontensi existente, & eò applicatâ Filiali campanâ una, uno calice, quindecim Jugeribus Terræ arabilis, ac uno prato in Territorio ejusdem possessionis Szanto Filialis, ac ad prædictam Parochiam Fûzes Gyarmathiensem, tanquam maternam ab antiquo spectantibus, ac pertinere debentibus, amoto Plebano Romano-Catholico absentes tanquam præsentes simpliciter restituimus, reddidimus, & reassignavimus.

In eodem Præsidio Levensi nobis commorantibus & constitutis die 29. Aprilis Incolæ possessionis Maskfalva in Comitatu Neogradiensi existentis habitæ, per literas nostras citati & certificati, per nuncios suos ablegatos, eo quòd ob distantiam loci & metum Turcarum eò ire non potuissemus, præsidio in eodem coram nobis comparuerunt, quibus juxta exigentiam & tenorem literarum Excellentissimæ Dominationis Vestræ Templum ejusdem possessionis Maskfalva cum duabus Campanis, decima annuatim per Evangelicum Concionatorem in quinque florenis Hungaricalibus arendari solita, terris arabilibus, pratis, ac cujuscunque generis vocabulo vocitatis & nominatis proventibus, solutionibusque & obventionibus ad templumque & Parochiam eorundem deservientibus, amoto Plebano Romano-Catholico, absentes tanquam præsentes simpliciter restituimus, reddidimus & reassignavimus.

Eodem die Templum etiam possessionis Semlir in Comitatu Barsiensi existens habitum, una cum Parochia, Schola, Campana, Terris arabilibus, pratis, ac universis proventibus & solutionibus ad Parochiam & Templum ejusdem cedentibus, & pertinentibus, in antè nominato præsidio Levensi nostri in præsentiam citatis & certificatis incolis & inhabitatoribus dictæ possessionis Semlir, eò quòd nobis illuc deflectere tutum non fuisset, confirmato illinc existente Evangelico-Helveticæ Confessionis Concionatore, absentes tanquam præsentes reddidimus, & præ manibus eorundem reliquimus.

Item die ultimo Aprilis in & ad faciem Oppidi Maroth in Comitatu Barsiensi existentis habiti nobis pervenientibus, Templum, Parochiam, Scholam, una cum tribus Campanis, duabus majoribus, tertia minori, uno calice, duabus patellis argenteis deauratis, strophiolis septem, una alba, casulis tribus, stola & humerali uno, mappis numero novem, sudariis numero sex, mappa Cathedrali, una ex materia Turcica confecta, Terris arabilibus, pratis, ac aliis universis rebus Ecclesiasticis, proventibus & solutionibus ad idem Templum, Parochiam & Scholam ejusdem Oppidi Maroch cedentibus & ordinatis ipsis Evangelicis Augustanæ confessionis hominibus, amoto Plebano Romano-Catholico, simpliciter reddidimus, restituimus, & reassignavimus, cum filialibus & pertinentiis eò reapplicatis.

Item Die 1. Mensis Maij ad faciem possessionis Velika Polya, in dicto Comitatu Barsiensi existentis habitæ pervenientes, incolis & inhabitatoribus ejusdem ac possessionis Furess, illuc pertinentis Filialis Ecclesiæ nostri in præsentiam accersitis Templum eorundem cum tribus campanis, una casula, mappis, strophiolis, exceptis calice & patella, quos Dominus ipsorum Terrestris, invitis ipsis, ut nobis dixerunt, ad se recepit, duobus candelabris æneis, terris arabilibus, pratis, hortis, sedecimâ, ac aliis proventibus & censu annuali simpliciter restituimus & reassignavimus.

Eodem die ad faciem Fenyö Kosztolyan in præallegato Comitatu Barsiensi habitæ revertentes, incolis & inhabitatoribus ejusdem ac possessionis Lichota eo pertinentis & applicatæ filialis, nostri in præsentiam vocatis Templum eorundem cum Campana una, Parochia, Terris arabilibus, pratis ad Parochiam eandem pertinentibus ac solutione annuali simpliciter reddidimus, restituimus & reasignavimus.

Similiter eodem die ad possessionis faciem Keresztur in nominato Comitatu Barsiensi existentis habitæ pergentes, templum ibidem habitum una cum Campana, Parochia & Schola, Terris arabilibus, pratis, hortis, calice & patellâ in arce Hruso existentibus incolis & inhabitatoribus ejusdem possessionis Augustanæ Confessionis hominibus, amoto Plebano Romano-Catholico, simpliciter restituimus & reassignavimus.

Item die 2. ejusdem Mensis in & ad faciem possessionis Nagy Heresztyen in præallegato Comitatu Barsiensi existentis accedentes, Templum, Parochiam & Scholam desolatam illinc existentem, una cum Campana, Terris arabilibus, pratis, hortis, sedecimâ, ac aliis quibuscunque & cujuscunque nominis Vocabulo nominatis, proventibus, solutionibus & obventionibus, ad idem Templum, Parochiam & Scholam deservientibus, simpliciter restituimus, reddidimus & reasignavimus.

In Comitatu Barsiensi templorum restitutorum serie per nos hoc modo peractâ, die 6. ejusdem Mensis Maij in præsidium Ersek Uyvariense, in Comitatu Nitriensi existens habitum, eo quòd in ambitum Comitatus Strigoniensis & per consequens facies possessionum Farnad & Eölved ibidem existentium & sitarum, securus accessus non fuisset, incolis & inhabitatoribus earundem in idem præsidium nostri in præsentiam citatis & accersitis, templa ipsorum, Parochias & Scholas, una cum Campanis, Vineis, terris arabilibus, pratis, decima ex certis Vineis in promontorio Farnadiensi Evangelico Concionatori cedenti, ipsis Incolis Helveticæ Confessionis hominibus reddidimus, & simpliciter restituimus.

Hic quoque, modo ut suprà, dictorum templorum restitutionem peragentibus, die 7. dicti Mensis Maij in possessionem Balvany Szakalos in

in Comitatu Comaroniensi existentis secundo flumine Nitra ac Danubio transnavigantes fuimus ingressi, ubi primùm & ante omnia Plebano Romano-Catholico ac Incolis loci illius nostri in præsentiam accersitis, templum extra possessionem, primò cum Campana, tandem abhinc revertendo, auditorium, Parochiam, Scholam, cum altera Campana in pago existente, hortis, terris arabilibus ad jugera septendecim sese extendentibus, lacu sive clausurâ Piscaturæ ad eandem Parochiam deserviente ac aliis proventibus & solutionibus consuetis, amoto plebano Romano-Catholico simpliciter restituimus, exceptis seminaturis impræsentiarum in terris Parochialibus habitis & ipsi plebano Romano-Catholico relictis.

Die 8. ejusdem Mensis ad facies possessionis Apacza Szakalos, alias ad templum Thuniszakalosiense pertinentis Filialis, unumque Concionatorem tenentis, & Oppidi Nagy Megyer omninò in Comitatu Comaroniensi existentium & habitorum accedentes, templum in Apacza Szakalos, aliàs, ut prædictum est, ad templum Thuniszakalosiense tanquam maternum pertinens filiale, eidem Parochiæ Thuniszakalosiensi reapplicavimus.

Templum verò Oppidi Nagy Megyer cum duabus Campanis, Parochia & Schola, tapete uno Cathedrali, terris arabilibus, lacu piscinali, pratis arundineis ac aliis proventibus & solutionibus annualibus ad idem templum & parochiam spectantibus & pertinere debentibus, ipsis incolis & inhabitatoribus Helveticæ confessionis hominibus amoto plebano Romano-Catholico, simpliciter restituimus, reddidimus & reassignavimus.

Et sic universa præmissorum omnium modo prævio terminatam, & Vestræ Celsitudini humiliter relatam executionem, authoritate sua Palatinali secundùm ordinationem Dominorum Statuum & Ordinum Inclyti istius Regni Hungariæ hac in parte concessa & attributa, dextrè & diligenter absolvimus, absolutamque Celsitudini Vestræ sub Sigillis nostris usualibus, & manuum propriarum subscriptionibus demissè repræsentamus; Datum in libera ac Regia Civitate Posoniensi die 22. Maij Anno Domini Millesimo sexcentesimo, quadragesimo septimo.

Ejusdem Celsitudinis
Vestræ

Servitores humillimi, ad certos Comitatus Regni deputati Commissarii,

Georgius Emeôdy,
& Stephanus Sôr.

RELATIO.

Dominorum Commissariorum ad Comitatus Posoniensem, Nitriensem, Trenchiniensem, Thuroczensem & Liptoviensem, pro Templorum & Bonorum occupatorum restitutione, ex præsenti Diæta expeditorum.

NOS Georgius Draskoczy, & Johannes Melegh Dominorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ in Generali Conventu Diætali Posoniensi pro nunc congregatorum, penes patens Mandatum commissionale Illustrissimi Comitis, Domini Domini Johannis Draskovith, perpetui de Trakostyan, Regni Hungariæ Palatini, judicis Cumanorum, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Intimi Consiliarii, Camerarii, & per Hungariam locum tenentis, &c. Ad restitutionem templorum tam in gravaminibus Status Evangelici specificatorum, ex parte quorum per dictos Status Regni & Ordines conventum & accordatum est, quàm & proximo disturbiorum tempore, aut post occupatorum, nondum tamen restitutorum, vel post restitutionem etiam reoccupatorum, sicut & ademtorum bonorum & Proventuum illorum templorum, quæ hactenus præ manibus Evangelicorum haberentur, quoquo modo nuncupatorum, aliorumque Bonorum & Jurium possessionariorum, sub prædictis disturbiis quibuscunque occupatorum aut ablatorum, necdum tamen similiter restitutorum, ad Comitatus Posoniensem, Nitriensem, Trenchiniensem, Thuroczensem & Liptoviensem destinati & exmissi Commissarii: Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis.

Quod nos tenori & continentiis præmissarum Literarum Palatinalium, dictæque Commissioni & exmissioni prædictorum Dominorum Statuum & Ordinum Regni, simulque per eosdem factæ Conclusioni & determinationi inhærentes & nos accommodare volentes sive accommodantes, die & Anno datarum præsentium faciem possessionis T. in Comitatu T. existentis habitæ postquam accessissemus, Templum ibidem habitum, inque numero & serie restituendorum Dominis Evangelicis Templorum specificè comprehensum, cum Parochia, Schola, Bonis & quibusvis eorundem proventibus de Jure & ab antiquo ad eadem spectantibus, antehac per Dominos Catholicos prætactis Dominis Evangelicis occupatis, authoritate Plenipotentiæ per dictos Dominos Status & Ordines, prænotatumque Dominum Comitem Palatinum Regni nobis ea in parte attributæ, iisdem Dominis Evangelicis restituimus, per manusque dedimus & assignavimus liberè & pacificè utendi & possidendi, imo damus, restituimus, & reassignamus debito cum effectu harum nostrarum vigore & testimonio Literarum, mediante sigillorum nostrorum usualium appressione & manuum subscriptione roboratarum. Datum in eadem possessione T. die T. Mensis T. Anni T.

Atque primo die 12. Mensis Aprilis Deo auspice Executionem Commissionis inchoantes, faciem oppidi Szencz in Comitatu Posoniensi existentis habiti, accessimus, ibidemque locum sufficientem, spontanea voluntate Incolarum di-

dati

&i oppidi Szencz ita & accedente, paulò infra Turrim in medio oppidi habitam pro instructura Templi, Cœmeterii verò extra oppidum, siquidem commodè infra Oppidum fieri non poterat, pro Domus verò parochialis & scholæ structura sessionem Johannis Verboy cum universis ejusdem pertinentiis & exemtione, per Oppidanos Evangelicos Possessoribus de condigno ejusdem pretio contentatis, pro Evangelicis Helveticam Religionem profitentibus assignavimus: Pro Augustanæ verò Confessionis hominibus sessionem jam ipsis demonstratam ac per eosdem ultrò acceptatam providi - - - - pro Templo, Parochia, Schola itidem cum exemptione, prætactique loci libero usu sepulturæ extra oppidum jam declaratæ dedimus.

Die 13. Aprilis ad possessionem Nemet Gurab venimus, Templumque ibidem extra Pagum existens habitum cum parochia & Schola intra Pagum existente cunctis denique Bonis & eorundem proventibus ad idem spectantibus Evangelicis, à quibus videlicet occupatum fuerat, restituimus, per manusque dedimus & assignavimus.

Pari ratione die eadem comparentes in possessione Szent Abraham, Templum ibidem intra Pagum habitum, cum bonis earundemque Proventibus dictis Dominis Evangelicis restituimus & reassignavimus.

Templum prætereà possessionis Nagy Machet dictæ, cum parochia, Schola & Bonis, eorundemque Proventibus, quibus incumbebat, Evangelicis per Nos est restitutum & reassignatum.

Eodem pariter die comparuimus in possessione Taxon, ac modo simili circa restitutionem Templi ibidem habiti, nec non Parochiæ, Scholæ & Bonorum atque Proventuum ad eadem spectantium processimus.

Die 14. Aprilis in possessionem Viskœzykürt dictam pervenimus, ac Templum ejusdem possessionis itidem cum Parochia, Schola, bonis atque Proventibus, quibus incumbebat, Dominis Evangelicis per manus resignavimus. Notandum: Hîc loci tres calices cum certis ornamentis seu apparementis non sunt restituti, quos Dominus Plebanus loci apud manus Dominæ relictæ Magnifici quondam Domini Stephani Balogh dixit existere, ab ipso tempore disturbiorum proximè præteritorum; ad quorum restitutionem eadem Domina medio Officialis sui, curam bonorum illius loci gerentis, per Nos est admonita.

Eodem porrò die requisiti per certos Nobiles ad Ecclesiam possessionis Hegy pertinentes faciem possessionis Viszkelet accessimus, ac comperta occupationum proximis Annis admissarum rei veritate, parochiam cum schola & è regione Domus Parochialis, appensa campana, nec non certa terra arabili in loco Elsœ fœldek dicto sita, uno denique prato, vulgo Kereszteſegh nuncupato ab eadem Ecclesia Hegyensi occupatis, & in Territoria possessionis Viszkelet, Comitatuque Posoniensi existentibus habitis, dictæ Ecclesiæ Hegy, cui nimirum ademta erant, restituimus, rursusque denuo reapplicavimus.

Hinc ad possessionem Fœlsœ Szeli descendimus, ac templum illius loci cum parochia, schola, bonis atque proventibus, quibus intererat, Evangelicis restituimus.

Inde demùm ad possessionem Tarlos deflextimus, ac in executione seu restitutione Templi, parochiæ, scholæ, bonorum atque proventuum ad eadem spectantium similem modum adhibuimus.

Pari ratione & in possessione Nagy Szeg, circa restitutionem universorum præmissorum processimus.

Die 15. Aprilis Templum possessionis Deaky itidem cum parochia, schola, bonis atque proventibus, quibus intererat, Evangelicis per nos est restitutum & reassignatum:. Notandum: Ex parte Calicis differentia fuit oborta, quem homines Domini Abbatis è templo ante adventum nostrum extulerant, cuidamque Cistæ imposuerant, & antequam ipsis ab eorundem Domino demandatum fuerit, eundem restituere ipsos minimè posse asseruerunt, cujus restitutio in præsentia nostri non est facta.

Eodem itidem die Templum possessionis Negyed cum similibus suis attinentiis est restitutum.

Die 16. Aprilis venimus in oppidum Komjati ac primario in excisione fundi pro parochia & schola assignandi laboravimus, ac dum obscurum quendam locum minus sufficientem & idoneum, cujus situs ab extra oppidum vergeret, nobis ostendi animadvertissemus, de alio magis idoneo & sufficienti ostendendo instabamus, ac tandem ultimario, loca fundorum eadem pro necessitate hæc elegimus. A parte Domini Comitis Adami Forgacz ostensum nobis, fundum relictæ quondam Georgii Raykini, qui proponebatur Nobis per defectum seminis in eundem Dominum Comitem jam esse devolutum. Ex parte vero altera fundus desertus Domini Francisci Forgacz ex opposito ab altera parte viæ situs, quoad unam sessionem & eidem vicinus populosus, in quo Johannes Pinter residet, subditus spectabilis ac Magnifici Domini Ladislai Forgacz: Notandum. Postquam die 18. ad oppidum Galgocz devenissemus, intimatum nobis erat, fundum relictæ quondam Raikianæ legitimos Hæredes & successores adhuc habere. Quâ de re dictum Dominum Comitem accesseramus, & reædificationem negotii Generoso Domino Sigismundo Tœrœk dicti Domini Comitis Præfecto commissam obtinuimus.

Templum nihilominus ab extra oppidum, situm S. Petri nuncupatum ipso die præmissorum Executionis, iisdem, quibus incumbebat, Evangelicis restituimus.

Die 17. Aprilis Templum Oppidi Uylak cum Parochia, Schola, bonis & Proventibus itidem est restitutum.

Simili modo Templum possessionis Sopornye, & ejusdem Filiales Patta & Keppest dictæ.

Prætereà Templum possessionis Udvarnok itidem cum Parochia, schola, bonis & proventibus.

Die 18. Aprilis Templum oppidi Galgocz Hospitale cum totali fundo ad dictum Hospitale pertinente, ac certis ædificiis in eodem extructis, nec non universis proventibus ad idem Hospitale spectantibus, Dominis Evangelicis Galgoczensibus dedimus & assignavimus, cum loco

loco sepulturæ extra oppidum, in cujus videlicet usu libero hactenus etiam erant constituti, qui vergit, seque extendit è Regione portæ superioris dicti oppidi. Notandum: In quantum certi Proventus ab eodem Hospitali occupati Nobis exponebantur, in tantum negotium in reditum ex partibus Comitatuum superiorum, ad quos videlicet nos pertingere oportebat, erat dilatum.

Similiter Templum possessionis Paszto itidem cum Parochia, Schola & bonis eodem die est resignatum & restitutum.

Die 19. Aprilis Templum quoque Oppidi Bajna & suarum filialium, cum Parochiis, Schola, bonis atque proventibus quibusvis eorundem est executum & resignatum.

Eodem die provenimus quoque ad possessionem Kraszna, ac quoad Templum, parochiam, scholam, Bona & proventus, similiter executionem fecimus: Notandum: In eadem possessione reperti sunt plurimi Catholici instantes de non sibi occupando Templo, ad quod pertinent aliæ quoque duæ possessiones magis ex Evangelica, quam Catholica plebe constantes, ac illius restitutionem apud nos sollicitantes.

Die 20. Aprilis Templum possessionis Kasz modo simili, cum parochia, schola, bonis & proventibus est restitutum.

Pari ratione etiam Templum possessionis Hendlova, nec non Templum possessionis Poruba cum universis suis præmissis attinentiis manibus seu potestati, quorum intererat Evangelicorum, sunt tradita & reassignata.

Diebus 21. 22. 23. Aprilis Festa Paschatos sunt observata.

Die 24. Aprilis Templum S. Andreæ in Comitatu Thuroczensi situm itidem cum Parochia, schola, Bonis, & eorundem proventibus, dictis Dominis Evangelicis, Nobilibus videlicet & ignobilibus ad idem pertinentibus per nos est datum, traditum, & assignatum.

Pari ratione eodem die Templum Oppidi Mosocz cum bonis, signanter molis ad Parochiam & Scholam spectantibus, earundemque Proventibus, una cum dicta Parochia & schola dictis Evangelicis itidem est restitutum & resignatum. Notandum: ibidem loci constitutis nobis in persona spectabilis & Magnifici Domini Francisci de Reva, supremi & perpetui Comitis Comitatus Thuroczensis, Egregius Martinus Keresztúri exhibuit certum scriptum infra scripti tenoris, petens ut vel eidem Nos accommodemus, vel Inclytis Statibus & Ordinibus Regni idem referamus.

In persona spectabilis ac Magnifici Dn. Francisci de Reva &c. Hæreditarii ac supremi Comitis Comitatus Thuroczensis Egregius Dominus Martinus Keresztury Dominos Commissarios Posonio ablegatos, eo, quo par est, honore excepit, petitque perlegi Commissionem, vigore cujus Templa resignarent Evangelicis.

Quâ perlectâ, ac tenore ejusdem intellecto quoad Templum Mosoviense dicit, se minimè velle reluctari Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis benigno decreto superinde edito, neque repugnare Dominorum Regnicolarum conclusioni, verùm usum Templi & aliorum accidentium quoad liberum exercitium Religionis pro Domino Principali suo relinqui petit.

Quantum autem attinet ad Templum S. Andreæ in fundo Arcis Blatnicza ædificatum, peteret illud sibi de plano relinqui ex rationibus potissimum, quòd illud Templum cum parochia & schola sit per Dominum suum Principalem ædificatum, consequenterque terræ, sylvæ, prata, sunt ab arce prænominata abstracta, & Ecclesiæ collata unde facilè apparet, non esse illud Parochiale, verùm Arcense, neque haberetur aliud Templum, ubi Status Catholicus Religionem exercere possit præter hoc, quod recenti exemplo arcis Sarvariensis nuper subsecuto ad instantiam Domini Comitis Nadasdy exposceret pro se relinqui, ut supra, quod ipsum postularet potior pars Parochianorum tam Nobilium quam Ignobilium dictæ Ecclesiæ S. Andreæ, uti ex supplici libello ad Dominum Principalem porrecto clarius liqueret, quem producit pro informatione.

Templa quoque S. Martini Thuranensis pariformiter juxta vim supplicationum per Parochiales factarum, quas produceret, petit in suo esse relinqui, cum libero exercitio uniuscujusque Religionis, quos neque turbare, neque ullis sub formis cogere vellet aut præsumeret, accommodando se celebratæ Pacificationi.

Causa Bonorum quorundam prætensivorum Nicolai Gonzor, ubi intellexisset, eadem quoque velle in restitutionem assumere Dominos Commissarios, ratione Eorundem dicit, quod Dominus Principalis suus eadem, si quæ essent, non per collationem cujusvis simplicem apprehendisset, verùm vigore sententiæ per certos Judices in Arce Lictava latæ Annis superioribus.

Proinde petit Dominos Commissarios, ut à talium bonorum, mediante sententiâ Judicum apprehensorum, restitutione supersedeant, præsertim quò non subjaceant modernæ Commissionis executioni.

Quibus exhibitis, nullis tamen prætensis supplicationibus nobis demonstratis aut productis, tantò minùs aliquibus hominibus nobilibus vel ignobilibus coram nobis statutis, qui nimirum præmissa supplicassent, postulassentque, ad instantiam & sollicitudinem Dominorum Evangelicorum negotia restitutionis datæ nobis Instructioni & commissioni accommodavimus, quin imò institimus, ut supplicationes dictæ nobis fuissent exhibitæ, quarum paria recipere, Inclytisque Statibus & Ordinibus Regni exhibere potuissemus, nihil tamen obtinuimus, quin imò protestati fuimus, quod produci Nobis dicantur, & non productæ Inclytis Statibus & Ordinibus Regni per nos referri postulantur.

Eodem die comparuimus quoque in possessione Blatnicza ac subditum proximo disturbiorum tempore per dictum Dominum Franciscum de Reva occupatum, Egregio Nicolao Gonzor restituimus.

Die 27. Aprilis pratum unum ad curiam Magnificæ Dominæ Judithæ Banffy, Magnifici quondam Domini Nicolai Nyarii Relictæ viduæ in possessione Szent Mihaly habitam, occupatum penes aquam seu fluvium, Zernovicza dictum, situm, nec non certas terras arabiles itidem fluvio eidem Zernovicza dicto adjacentes, inque Territorio possessionis Divek existentes, per familiam Nobilium Plathy de Divek proximis Annis ab Ecclesia dicta possessionis

nis Szenth Mihaly occupatas, prætactæ Ecclesiæ iterum restituimus.

Similiter alia quoque prata per dictam Dominam Relictam præfati quondam Domini Nicolai Nyarii in Territorio possessionis Dubova, ab Ecclesia ejusdem possessionis Dubova anno immediatè præcedenti occupata, eidem Ecclesiæ restituimus.

Eodem die possessionem Nagy Szoczocz ab Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis abstractam, & Ecclesiæ Sancti Georgii applicatam, cum proventibus abinde cedentibus eidem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis restituimus, ipsisque sponte & ultrò acceptare volentibus & desiderantibus, Evangelicam Confessionem acceptandi facultatem dari Regni constitutione aperuimus.

Porrò eodem die in possessione Szent Peter comparuimus, ibidemque Terras, unam Na Arganovvem, alteram Mezi Arganovvim, tertiam in sicca piscina, dictas, inque Territorio possessionis Trebosẑto, Comitatuque dicto Thuroczensi existentes habitas proximis Annis ab Ecclesia dictæ possessionis Szent Peter occupatas eidem Ecclesiæ restituimus.

Die 28. Aprilis Templum Oppidi Szenth Marton, cum Parochia, Schola, bonis & eorundem proventibus Dominis Evangelicis restituimus & resignavimus.

Notandum: Nobiles illuc pertinentes de restituendis literis fassionalibus Ecclesiæ & bonorum ad eandem spectantium instantiam fecerunt, ex Sacristia Templi per Dominum Franciscum de Reva, occupationis tempore ablatis, ac in Sacristio dicto conservari solitis; quas omnimodè postulant sibi restitui veteri modo & ordine conservandas.

Die 29. Aprilis Templum Oppidi Thuran, cum Parochia, Schola, bonis atque proventibus resignavimus.

Die 30. Aprilis in Comitatum Liptoviensem pervenimus, ibidemque Templum Oppidi Tepla cum Parochia, Schola, bonis & quibusvis proventibus etiam restituimus.

Die 1. Maij in possessionem Draskocz devenimus, terras, unam na Hrbé dictam cum vicino eidem prato, alteram pod Hradistiem cum marginali pratulo ejusdem, tertiam Za Szigetiovv è regione possessionis Deakfalva adjacentem, cum pratis na Rovvney & Lazik nuncupatis, in Territoriis possessionum Sklabinka & Deakfalva, Comitatu Thuroczensi habitis, Ecclesiæ Divæ Helenæ restituimus & reapplicavimus.

Die 3. Maij ad Ecclesiam S. Andreæ rediimus, ibidemque ad instantiam Nobilium & Ignobilium Evangelicorum Reverendum Jeremiam Paulovicz, in futurum Ecclesiæ illius Parochum, in Parochiam honorificè introduximus.

Die 4. Maij similiter in Moscocz Reverendum Matthiam Matthæsium in Ecclesiam Mosoviensem.

Die 5. Maij Reverendum Martinum Rozaridem in Ecclesiam S. Martini.

Pari ratione eodem die Reverendum Virum Joannem Bombiczenum in Ecclesiam Thuranensem, desiderantibus id ipsum à nobis præmissarum Ecclesiarum Evangelicis Auditoribus & Ministris prætactis, causa majoris eorum securitatis.

Die 7. Maij possessionem Gkbelan & Sztreczen, una cum Terra in Territorio Gkbelanensi sita, ab Ecclesia Varnensi proximis Annis occupata eidem Ecclesiæ restituimus, sicut & defectus circà alias Terras arabiles ad Ecclesiam eandem pertinentes deprehensos complanavimus, subditorumque conditionem ad parochiam labores præstare solitorum in pristinum statum revocavimus.

Die 8. Maij subditos per Dominum Franciscum Revay in Lievvtaka occupatos Ecclesiæ ibidem extructæ restituimus.

Die 9. Maij Templum possessionis Hriczo, sicut & Templum Predmér, Thurzovvka ad Kiszuczam situm, cum parochiis, scholis, subditis, aliis denique bonis & eorundem proventibus Evangelicis restituimus, per manusque dedimus & assignavimus.

Eodem pariter die Templum possessionis Jesznicze cum parochia, schola, bonis & eorundem proventibus itidem Evangelicis restituimus.

Notandum, possessio Popradne dicta, in qua templum filiale ad Jessenicze spectans habetur, cujus opus nondum continuatum & consummatum est, instat, quò sibi relinquatur, ex quo nulli penitus ibidem habentur Catholici, ne inchoatam Capellæ structuram frustrà ruina subsequatur.

Item Templum possessionis Dluhe Polye ad Ecclesiam Hriczoviensem spectans, incolæ ejusdem possessionis, ut ipsis relinquatur, instant, ubi etiam nulli penitus habentur Catholici.

Item Nobiles possessores possessionis Hlinicz Evangelici, quorum prædecessores multas terras in Territorio eorundem existentes Ecclesiæ Biczensi contulerant, instant, ut si non in toto, in medietate tamen sibi eædem restituantur, signanter, cum post occupationem illius templi, spatio sex Annorum in usu unius illarum terrarum præextiterunt, cujus reoccupatio non ita pridem facta.

Die 11. Maij devenimus ad possessionem Alsó Motesicz, possessionem Dobrasovv dictam cum Terra arabili in Territorio ejusdem possessionis habita per Illustrissimum atque Reverendissimum Dominum Johannem Telegdy, Archi-Episcopum Coloczensem occupatum, & Ecclesiæ in Kosztolna Misicz dictæ applicatam eidem Ecclesiæ in Alsó Motesicz habitæ restituimus, ex quo Incolæ ejusdem vix non omnes sunt Evangelici.

Præterea Molæ ibidem in Also Motesicz extructæ eandem medietatem, quàm Generosus quondam Dominus Bartholomæus Maitenii occupaverat, postmodumque iterum restituerat, ipso verò vitâ decedente ipsius quondam Domina Relicta denuò reoccupaverat, eidem Ecclesiæ Alſo Motesicz restituimus.

Die 13. Maij negotium possessionis Liborcza & unius Terræ ad pontem lapideum dictæ in Territorio Regiæ liberæque Civitatis Trenchiniensis sitæ, ad templum, seu prætensam quandam Capellam ejusdem Civitatis spe-

ctantis nobis est propositum, ac de restitutione eorundem tam per Ministrum ejusdem Ecclesiæ, quàm etiam Patronos & Comparochiales ad eandem spectantes apud nos laboratum, cujus negotii statum seu revisionem Inclytis Statibus & Ordinibus Regni proponendum referendumque distulimus, ac parti sollicitanti restitutionem, resolutionem abinde præstolandam diximus.

Die 14. Maij in Oppido Beczko Inquilinos, providos videlicet Nicolaum Hornyak, & Jacobum Kadra, ac Georgium Safar & Stephanum Kovalecz, Parochiales, item Vineam Za Hagem dictam, quoad nonam & decimam, in medioque aliarum terrarum Parochialium sitam, parochiæ ac scholæ duas, unam in dicto promontorio Za Hagem, alteram verò na Huorcze existentem, itidem quoad nonam & decimam restituimus, ex quo anteà quoque hæc utrinque abinde percipiebantur.

Die 15. Maij in Oppido Cheite Relictæ Reverendi quondam Viri Joannis Kermann domum sub proximè præteritis disturbiis per Homines Illustrissimi Comitis Domini Francisci Nadasdy occupatam, unà cum certa vinea restituimus.

Eodem die in Oppido Verbou duas Molas, unam ad parochiam Belkovvska dictam, alteram ad scholam Jobovv nuncupatam, quoad proventus dictæ parochiæ & scholæ dari consuetos restituimus, una cum terris arabilibus Nivvi nuncupatis, cum quatuor particulis pratorum Wogske, Chierneblato, Knézovvi, Kuti nuncupatorum, & duabus Vineis Verbovvecz & Wkoritniczi nuncupatis, omnibus in Territorio dicti Oppidi Verbovv existentibus habitis.

Die 16. Maij templum possessionis Zerdahély propè Pôstyen cum parochia, schola, bonis & eorundem proventibus Evangelicis per nos est restitutum.

Eodem die templum possessionis Banka cum suis bonis & proventibus restituimus.

Die 17. Maij negotium certarum terrarum arabilium ab Ecclesia Assukurtiensi proximis annis occupatarum & Ecclesiæ Lakaziensi collatarum seu applicatarum complanavimus, factâ earundem reapplicatione ad dictam Ecclesiam Assukurtiensem, cui ademtæ erant Annis proximis.

Eodem similiter Die possessiones Czab & Szil accessimus in negotio occupationis certarum terrarum arabilium intrà terminos territorii dictæ possessionis Czab existentium, ut referebatur nobis, ad Jugera circiter nonaginta sese extendentium, proximis nonnisi Annis per Illustrissimum atque Reverendissimum Dominum quondam Johannem Telegdii Archi-Episcopum olim Coloczensem ab Hospitali Galgoczensi occupatarum, in quarum usu & pacifico dominio dictum Hospitale semper & à memoria hominum, sicut Incolæ dictarum possessionum, ita etiam aliæ personæ referebant & exponebant.

Sunt præterea & alii proventus ad dictum Hospitale spectantes, ab annis circiter 50. occupati, peculiari scripto consignati.

Die 18. Maij in possessione Buczan universas terras ad Ecclesiam dictæ possessionis pertinentes, per familiam Dominorum Maytenii aliosque Dominos possessores dictæ possessionis Catholicos proximis nonnisi annis occupatas, eidem itidem Ecclesiæ restituimus & reassignavimus.

Die 20. Maij in Regia Liberaque Civitate Zakolczensi ædes pro Religionis exercitio Evangelicis Augustanam Confessionem profitentibus, à quibus erant occupatæ, restituimus, inque usum liberi Religionis ipsorum exercitii eosdem reduximus.

Pari ratione & Dominos Evangelicos Helveticæ Confessionis in ejusdem libertatis usum liberæ eorum Religionis restituimus, & reduximus, quibus Dominus Judex loci cum nonnullis Dominis Senatoribus ad latus suum tunc existentibus libertatem admisit, domum, ubicunque locorum fieri poterit, intra mœnia dictæ eorum Civitatis emendi, pro exercitio Religionis culta, dummodo inveniatur talis, ad quam non ingerant se aliqui ex proximioribus. Usus interim Campanarum, quod prædicti sibi Evangelici non prospexerint de propriis Campanis, communis omnibus ut fiat, instant.

Die 22. Maij in Oppido Holicz comparuimus, negotiumque reassumptionis liberi exercitii Religionis continuavimus, & in loca sepulturæ atque ædium pro exercendo Religionis exercitio ordinatarum, reduximus Evangelicos ibidem commorantes.

Die 23. Maij in Oppido Szenicze proventum Molæ ad Parochiam dicti loci ordinatæ, per familiam Dominorum Tardy proximis Annis quoad directam medietatem occupatum, & Ecclesiæ possessionis Rohovv applicatum, dictæ Ecclesiæ seu Parochiæ Szeniczensi iterum restituimus.

Die 24. Maij templum possessionis Limpach cum bonis & proventibus ad idem spectantibus & per nos est restitutum.

Die 25. Maij templum possessionis Jvany in Comitatu Posoniensi existentis, cum parochia, schola, bonis, & eorum proventibus.

Die 26. Maij templum possessionis Nagy Magyar ejusdemque filialium cum parochia, schola, bonis atque proventibus Evangelicis dedimus, restituimus & assignavimus.

De hinc ad faciem Oppidi Zerdahely pervenimus, ac liquidem templum Parochiale ibidem existens pro Dominis Catholicis cessit, pro extruendo alio templo, parochia & schola, sessiones providorum Johannis Megyerii & Stephani Barbely, desertamque quandam sessionem apud Georgiam Enyedii in pignore existentem, cum pertinentiis earundem & exemtione, nec non certa particulâ fundi Matthæi Kalo, quibus intererat Evangelicis, assignavimus.

Die 27. Maij templi possessionis Szul, bonorumque & proventuum debitam restitutionem impendimus.

Quæ omnia & singula modo & ordine præspecificatis restituta & executa brevi scripto contrahere, eorundemque fidelem Relationem Inclytis Statibus & Ordinibus Regni instituere voluimus.

Actum in Libera Regiaque Civitate Posoniensi Die 28. Maij Anno Domini 1647.

Lit. B

Lit. B.

ACTA RELIGIONEM CONCERNENTIA, DIÆTÆ GENERALIS, ANNO 1649. POSONII CELEBRATÆ.

GRAVAMINA EVANGELICORUM, CIRCA NEGOTIUM RELIGIONIS, SUÆ MAJESTATI SACRATISSIMÆ EXHIBITA.

QUantumvis Sacratissime Imperator, Domine Domine nobis clementissime, bellorum fluctibus amotis, & pace alma postliminio restitutâ, res & negotia Regni istius, publica, per nonnullos antea in disceptationem tracta, tam quoad negotium Religionis, quam alia, communem permansionem patriæ nostræ dulcissimæ concernentia, in certum ordinem, publicis Regni constitutionibus superinde sancitis, fuissent redacta, imò pœna quoque in contravenientes sit statuta; circa quorum commodam dispositionem, Majestas Vestra Sacratissima non minus antea, quam proximè præteritis Regni Comitiis, longa admodum temporis serie, & dubio procul, Majestati Vestræ Sacratissimæ satis tædiosa, cum suis fidelibus statibus & ordinibus Regni istius Hungariæ, benigne non intermisisset, laboriosam promotionem sustinere & impendere; Non deessent tamen de facto etiam nonnulli Majestatis Vestræ Fidelium, qui plerosque articulorum, ejusdem Regni diætæ, in negotio Religionis editorum non modo non effectuassent; verum in contrarium multa, Religioni Evangelicæ præjudiciosa, contra tenorem Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiæque & articulorum proximè præteritæ diætæ, facere veriti non fuissent, id quod Majestas Vestra Sacratissima ex infra subnexis gravaminibus nostris lucidius clementer dignabitur intelligere.

Et primò quidem Status & Ordines Evangelici, contra liberam ac Regiam Civitatem Cassoviensem, gravissimè conqueruntur, de & super eo, quod etsi statutum fuisset, per universos Status & Ordines Regni, art. 19. proximè præteritæ Diætæ, ut eadem Civitas Cassoviensis, Magistratusque ejusdem, Helveticæ quoque Religionis exercitium una cum campanarum & sepulturæ usu, tam concivibus, quam & reliquis ejusdem Helveticæ Confessionis hominibus eandem civitatem inhabitantibus, absque omni impedimento, liberum relinqueret: Ac insuper pro continuatione ejusdem liberi exercitii, ac intertentione Concionatorum ac Ministrorum, in eadem Civitate, locum etiam idoneum, commodum & sufficientem, cum Domo Parochiali & Schola, non solum ejusdem loci Concivibus Helveticæ Confessionis, sed & reliquis ejusdem confessionis hominibus ibidem commorantibus post publicationem novissimæ Diætæ Articulorum, statim & de facto, realiter & effective assignaret; neque amplius eadem civitas, Helveticæ Confessionis Incolas, in libero Religionis ipsorum exercitio continuando, sub pœna ibidem specificata quovis modo turbare & exquisitò sub prætextu impedire præsumeret; tantum tamen abfuit hactenus, ut dicta civitas & Magistratus ejusdem hujusmodi publicis Regni constitutionibus sese accommodasset, ut potius novis subinde, variis ac variis longè gravioribus injuriis, impedimentis ac interturbationibus eosdem dietim affligeret & miserandum in modum deprimeret, ad sæpissimasque ut & legitimas admonitiones, requisitionesque competentum hujusmodi controversiæ Judicum, nullum planè locum pro præmissis hactenus assignasset, imò in manifestum vilipendium Authoritatis Regiæ & contemptum Patriæ confirmatorum Articulorum, utpote contra expressissimum tenorem pacificationis Viennensis, Diplomatum item Regiorum, septendecim conditionum, ac articulorum Regni, & quidem notanter supra scripti articuli 19. ejusdem Diætæ Posoniensis, libertatem exercitii Helveticæ confessionis, omnibus viis, & diversis excogitatis sub prætextibus ac modis impediunt, imo nullatenus admittunt, loca idonea & sufficientia pro extruendo templo, parochia, & schola Helveticæ Confessionis Incolis, & reliquis ibidem comorantibus assignare contumaciter recusant, Conciones Sacramentorum administrationes, ac alia quævis divina officia sepulturam, item usum Campanarum, & alia Religionis Helveticæ exercitia fieri, sub gravi suppliciorum denuntiatione, severissimè prohibent.

Scholasticis ejusdem Confessionis studiosis, post varias, easque nefandas persecutiones, civitate expulsis, concionatori etiam ejusdem confessionis, enormibus Comitiis & ignominiis dietim lacessito & affecto, nisi è Civitate exeat, mortem, & extrema quæque interminantur. Humillimè supplicant itaque universi Status & Ordines Evangelici, tanquam Domino nostro clementissimo, habita clementi & condigna, tam gravissimarum Helveticæ Confessionis Regnicolarum, injuriarum ratione, dignetur hoc vilipendium authoritatis suæ Regiæ & totius Regni vindicare, quò supra specificatus dictæ novissimæ Diætæ articulus 19. super libertate Religionis Helveticæ, Cassoviæ, cum suis requisitis ibidem specificatis, exercendæ permissa, realiter effectuetur, locaque com-

commoda, idonea & sufficientia, per eandem civitatem, coram vice Comite Comitatus Abauyvariensis, & potioribus utriusque Religionis, æquali numero eidem adjungendis, modo practicatô, post solutam Diætam intra spatium unius Mensis, sub pœna in Artic. 14. proximæ præteritæ Diætæ, A. 1647. declarata, excidantur, & effectivè assignentur.

In Oppido superioris Lindvæ, in Comitatu Castriferriensi per Dominum Comitem Dionysium Szessi, certi subditi parochiales, ab Ecclesia Evangelicorum sunt occupati.

In Oppido Eggervar. in Comitatu Castriferriensi, Parochus Evangelicus, usu fructu molari molæ, ad fluvium Rabæ quatuor rotarum ædificatæ, quem singulis diebus Sabbathi, horis pomeridianis & diebus Dominicis, à duabus rotis hebdomadatim à jurato molitore percipiebat; sicut & decimæ, per Dominum Comitem Franciscum de Nadasd est privatus. Imò Rectori etiam scholæ census annualis duodecim cubulorum frumenti ex eadem mola annuatim dari consuetus, ab eodem subtractus & occupatus, & extra omnem illius loci consuetudinem, antea observari solitam, unus de numero Colonorum parochialium pro judice loci illius factus.

In Hegyfalu, item Dominus Comes de Nadasd, proventum Cubulorum centum tritici, extra quem nullum ferè alium habebat, ex mola in fluvio Repeze extructa provenientem, à Parocho ejusdem loci occupavit, & plebano Csaladiensi pendendum demandavit. Præterea decimam ex certis jugeribus terrarum, ipsi dari consuetam ademit, inque suos usus converti facit, sicut & ab usu aliarum itidem terrarum parochialium, quæ nonnunquam propter inundationem aquarum nequeunt inseminari, gramina nihilominus percipiuntur, exclusit, imo sedecimam quoque subtrahi curavit, ac ex duobus parochialibus Colonis unum pro judice possessionis, contra veterem consuetudinem fieri fecit.

In Genz Dominus Comes Dionysius Szettsi Molendinum parochiale, quod in eodem territorio Genziensi, ad fluvium Gyonges existit, è manibus parochi & parochialium, cum toto ejusdem proventu ademit, & sic minister cogitur absque ullo planè proventu ibidem inservire.

In Czenk in Comitatu Soproniensi, census molendinarius & annualis, sedecimâ, cum proventibus ad Scholam ab antiquo collatis, totaliter est subtractus; ubi miseri Inquilini parochiales, per quarteria Militum, à Præfecto illius loci super ipsos transmissorum, ad summam paupertatem rediguntur, ita ut cogantur miserrimi, præ nimia divexatione, habitacula sua cum magno damno parochi deserere.

Insuper lignatio focalis, antea Parochis, semper licita, ipsi prohibetur; prata parochialia equis Ministrorum Dom. Terrestris depascuntur.

In Szokodicze & Szenicze in Comitatu Nitriensi, certi Inquilini aliique proventus, ad Ecclesias illorum locorum Evangelicorum ab antiquo pertinentes, per Familiam Tardi & ex eo præcipuè familiam Mayteni sunt occupati. Modo simili, certæ terræ arabiles, ab hospitali templo Galgoziensi assignato, per ministros Comitis Adami Forgatz sunt adempta, prout & in Assa & Ablanczkürt.

Similiter & ad Ecclesiam possessionis Hegy, certi agri pertinentes, proximè aliâs ipsi Ecclesiæ, per Commissarios, tempore priorum Comitiorum deputatos, restituti, ab eadem Ecclesia sunt reoccupati. Ad hæc in Comitatu Trincziniensi, per familiam Dominorum Mayteni in possessione Also Modesits, medietas molæ parochialis est subtracta & occupata.

Licet puncto secundo benigni Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomatis, per universos Status & Ordines acceptati, per expressum habeatur, ne Rustici quorumcunque Dominorum Terrestrium, sive sint confiniarii, sive oppidani, sive villani, in libero suæ Religionis exercitio ac usu, à Majestate Vestra Sacratissima vel ejusdem Ministris, aut Dominis suis Terrestribus, quovis modo, aut quovis sub prætextu, turbentur, aut impediantur, utque impeditis coactis & turbatis antea, liberum illorum Religionis usum reassumere, exercere & continuare permittatur, neque ad alias Religioni ipsorum contrarias ceremonias compellantur, per expressum ibidem appositum, illudque articulo 14. postremæ Regni Diætæ confirmatum habeatur; immemores tamen illius aliqui Dominorum Catholicorum Terrestrium, non modo diversis coactionibus, mulctis, & incaptivationum strictissimarum afflictionibus, hactenus ipsorum plerosque non sunt veriti premere & affligere, sed aliquos eorundem de præsenti usque in tali captivitate detinere; signanter Comes Dominus Franciscus de Nadasd, tres subditos suos Leykajenses, quod parochum sollicitaverint; Relicta verò quondam Blasii Apponyi, certos suos subditos Jabloniczenses, ex eo quod frequentaverint Conciones Evangelicorum Ministrorum, proximè incaptivatos ad præsens etiam detinuissent, ac eadem Domina Relicta sub Birsagio florenorum duodecim, subditos eosdem ab exercitio Religionis Evang. prohibuisset.

Similiter in aliis locis etiam, cum juxta articulum 10. proximè præteritæ Diætæ, pro structura templorum, parochiarum & scholarum loca idonea & sufficientia demonstrari debuissent, id ipsum tamen (misera plebe procul dubio ob metum Dominorum suorum sollicitare non audente) paucissimis duntaxat in locis factum extitisset, quin imò in Sopronienfi Comitatu, ne quidem Commissarii Vice-Comiti ex utraque Religione adjungendi, usque hactenus sunt delecti, in eodemque ac toto Comitatu Castriferriensi nulla penitus locorum excisio subsecuta & admissa est. Ut itaque articulus idem debito effectui commodè mancipari possit, Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè supplicamus, ut ratione excisionis talium locorum instantia per Superintendentes vel seniores Ecclesiarum Ev. aut Auditores talium locorum in Comitatibus fienda, Domini Terrestres coram Vice-Comitibus Comitatuum, & potioribus Nobilibus, pari numero ex utraque Religione ipsis adjungendis, excisionem fundorum, pro structuris templorum, parochiarum & scholarum peragere, nec ob id miseram plebem turbare, vel aliquibus pœnis afficere debeant.

Ubi autem desideratur talis excisio locorum, inter alia plurima, quæ brevitatis causa non specificantur singula, hæc essent præcipua: In prædictis Comitatibus Castriferrensi & Soproniensi

nienſi in univerſis Dominorum Comitum de Butjam, de Nadaſd, & Ladislai Eſzterhazy de Galantha, ac aliorum Dominorum bonis, Neuſidel, & Ontau in Moſonienſi; TothUyhel ad Vagum & Tablonicza in Nitrienſi; Cſeklicz, Szereth, NagySur, Grinoba Retſe & Galantha in Poſonienſi; Beſſe, Turnove, Bicſiza Stranzke, Bruzke, Pizolae, Zlopna, Domaniez, Polarovicz, Dluhepote, Viznobe in Trinczinienſi, & aliis quoque pluribus in locis & Comitatibus exiſtentia,

Præterea, cum Templa poſſeſſionum Tepla in Lyptovienſi & Maskfalua Neogradienſi Comitatibus exiſtentibus habita, in numero 90. Templorum, ex occupatis per Dominos Catholicos, Evangelicis reſtitutorum, & in punctis accordatis denotatorum, fuiſſent comprehenſa, ac per hoc per Comiſſarios Statuum & Ordinum Regni, iisdem Evangelicis reſtituta: Neque ſciretur, quo reſpectu, aut caſu de numero & ſerie aliorum Templorum in articulo 6. noviſſimæ Regni Diætæ declaratorum eſſent exmiſſa.

Ideoque Majeſtas Veſtra Sacratiſſima in eo etiam humillimè rogatur, dignetur defectum exmiſſionis prætactorum duorum templorum ſuppleri, nominaque eorundem præſentis Diætæ Conſtitutionibus benigne inſeri facere, propter tollendas & avertendas quasvis difficultates, quæ forte ſucceſſu temporis, aliquo caſu, hinc emergere occurrereque facile poſſent.

Proximè præteritorum diſturbiorum tempore, ſunt nonnulla noſtra Evangelicorum templa, per Dominos Catholicos occupata, & ſub noviſſima Regni Diæta, nobis Evangelicis iterum reſtituta, ſucceſſivè autem, iteratò per eosdem Dominos Catholicos reoccupata, quæ inpræſentiarum etiam detinerentur occupativè, ut ſunt: Leuka, Vamos-Cſalad, Hidegſeg Miske à Lotsmanienſi ſeparata in Caſtriferrienſi Loos, Peretztegh, Leove, Külœ, & Kœreſt in Sopronienſi, & Turtriſtia in Szaladienſi, ac aliis Comitatibus, oppidis & poſſeſſionibus ſic dictis exiſtentia. Ut itaque eadem ſub præſenti adhuc Diæta, per certos deputandos Commiſſarios, cum parochiis & earundem pertinentiis reſtituantur Evangelicis, & pœna in articulo 14. præteritæ Diætæ & ſancita, finitis Comitiis, per Vice-Comites ex parte occupatorum exequatur, Majeſtati Veſtræ Sacr. humillimè ſupplicatur.

Conſtaret præterea, contra conditionē quartam, benigni Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ Diplomatis Linczenſis & articulum 12. proximè præteritæ Regni Diætæ, nonnullas Eccleſias ſeu Templa Evangelicorum, in uſu bonorum & Jurium poſſeſſionariorum, puta ſubditorum & Inquilinorum, pratorum, paſcuorum, Molendinorum, Terrarum, Vinearum, & id genus aliorum proventuum Eccleſiaſticorum ſeu parochialium, ſedecimarum ac his ſimilium de Jure & ab antiquo Eccleſiis ſeu earundem Miniſtris pendi & præſtari ſolitorum, poſt tempus proximè præteritorum Regni Comitiorum, per nonnullos Dominorum Catholicorum, eſſe turbatas & impeditas, legitimique ſui uſus perceptione & aſſignatione privatas. Ideò apud Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam ſupplices inſtamus, dignetur benignè providere, ut ejusmodi bona, Proventusve, quoquo modo nuncupari, ac antea ad Parochias & Templa pertinentes, iisdem reſtituantur & exhibeantur, occupatoresque eorundem bonorum & proventuum detentores, pœna in articulo proximè præteritæ Diætæ ſpecificatâ, ad inſtantiam vel querelam Concionatorum talium locorum, aut Patronorum, vel Auditorum eorundem irremiſſibiliter puniantur. Et ut melius tales violentæ occupationes Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ innoteſcant, earundem aliquas Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ humillimè porrigendas voluimus.

In poſſeſſione Donerskirchen in Comitatu Sopronienſi, reductio Miniſtri, per Illuſtriſſimum Dominum Comitem, Ladislaum Eſzterhazy, hactenus non eſt admiſſa, ſed & in diverſis aliis oppidorum & poſſeſſionum ejusdem locis, liberum Religionis exercitium variè turbatum, prohibitum & impeditum eſt. Ad hæc per certos ejusdem ſuos Officiales, plurimi Incolarum & Inhabitatorum Oppidi Nek Evangelici ſunt amoti & expulſi, alii verò, diverſis mulctarum pœnis & aggravationibus ad mutandam Religionem pertracti & compulſi.

Conſimiliter oppidanis Neuſidel, non minus pro ſtructura templi, Parochiæ & ſcholæ, loci ſufficientis & idonei excifio nulla eſt facta, quam reaſſumtio liberi Religionis exercitii Evangelicis prohibita, ubi ex eo, quod inſcio Domino Terreſtri Miniſtrum Evangelicum introduxiſſent miſeri Evangelici Incolæ, jure fuerant convicti, & aliquot centenarum urnarum vini pœna mulctati.

Non diſſimiliter & in bonis Reukenſibus plebs miſera in negotio Religionis turbatur, & variis pœnis mulctatur & aggravatur, notanter per quendam Franciſcum Szekel.

Non ſine gravi cordis dolore Status Evangelici Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ coguntur repræſentare, & id, quod, dum Miniſtri Evangelici querimonias ipſorum, ratione Religionis, vel aliorum quorumvis negotiorum, in medio Comitatuum proponere intendunt, à nonnullis Dominis & Magnatibus Catholicis non admittuntur, quin potius variis, iisdemque graviſſimis afficiuntur contumeliis, prout illud inter alios feciſſet Illuſtriſſimus Comes Dominus Franciſcus de Nadaſd, in generali congregatione Sopronienſi, quibusdam Miniſtris Evangelicis ſupplices libellos Comitatui porrigere volentibus.

Ut itaque hoc in poſterum præcaveatur, Miniſtrique ad exaudiendas ipſorum querelas, ad inſtar aliorum Plebanorum Catholicorum, in ſedibus & congregationibus Comitatuum admittantur, Majeſtas Veſtra Sacratiſſima id ipſum certo & peculiari Articulo ſancire dignetur, ac in non admittentes certa pœna ut ſtatuatur.

De ſolutionibus perſonalibus miſeræ plebis, etſi modalitas articulo 12. proximè præteritæ Diætæ expreſſa habeatur & declaretur, non deeſſent tamen plerique Dominorum Catholicorum, qui non curata eadem conſtitutione Regni, indebitè ad ſolutionem perſonalem plebem Evangelicam Parochis Catholicis adigere non deſinunt. Ut itaque huic Articulo ſatisfiat, neve aliqui eidem contraveniant, Majeſtas Veſtra Sacratisſima benigne proſpicere dignabitur.

Replica Dominorum Catholicorum, ad præmissa Status Evangelici Gravamina.

Ante omnia ad complanandas Dominorum Evangelicorum difficultates & gravamina, illud apprimè deservire, imo pro regula generali & fundamento sumendum esse, ut quidquid vigore articuli 14. & aliorum in præterita Diæta Statutorum, mediantibus arbitris, seu judicibus ibidem denominatis, determinari & decidi potest ac debet, ad eos relegetur; cum enim in finem à Regno Articuli isti, processusque & judices essent, instituti, ut similes controversias dirimerent, neque amplius in Comitiis ejusmodi quæstiones, remoram & impedimentum facessere possent, quin etiam ibidem statutum fuit, ut mediante appellatione, ab illa prima instantia & judicum sententia, tales querelæ ad Comitia perferantur, pleraque igitur proposita gravamina hâc viâ decidi possunt, ad eam proinde videntur releganda.

Ad primum. Dignum est, ut articuli 18. & 19. observentur, & in civitate Cassoviensi, tam Catholicis quam Helveticis stante adhuc præsente Diæta, locus idoneus pro Templo, Parochia, & schola demonstretur, Catholicis quidem juxta specificationem in gravaminibus expressam.

Ad secundum. Ubi locus pro Templo non esset designatus, extat articulus, ut judices superinde requisiti officium suum præstent; & si in quibusdam Comitatibus nec dum electi Judices essent, eligerentur. Quantum autem ad Ministros Evangelicos, ut ipsi procurent in Comitatu causas Religionis, Actoresque & patroni sint nostrorum subditorum, cum id nulla lege constet, neq; admittatur ulla ratione; sed subditi si quid injuriarum patiuntur, accedant Vice-Comitem; similiter & Ministri, si in propria persona lædantur. Vice-Comites porro, seposito aliquo affectu, sincere justitiam promoveant juxta articulos.

Illud verò resentiunt non immeritò Catholici & emendari cupiunt, quod in quibusdam locis, ut in Domanits, Zlopna, & Betse, in Comitatu Trincziniensi & alibi passim, cum omnes, vix aliquo excepto, sint Coloni Catholici, uti & Domini Terrestres eorum, nonnulli tamen exteri Nobiles, qui nullum jus Patronatus in tali Templo prætendere possent, urgerent ac vellent, contra voluntatem Rusticorum, Templum pro Evangelicis deservire, vel etiam locum assignari. Quod cum juribus Dominorum Terrestrium repugnet, & alioquin concesso semel rusticis Templorum usu, à similibus etiam, si vel maximè Patroni essent, impediri non possent, neque deberetur ipsis locus in fundis alienis; viderentur enim per hoc sibi proprietatem fundi usurpare.

Ad tertium. Relicta Valentini Erdœdi, liberum Exercitium Religionis habuit tot annis, absque introductione Ministri.

Ad quartum. Quod bina Templa, ex numero 90. Templorum exmissa sint, in præsenti Diæta, compertâ merâ rei veritate, nominentur.

Ad quintum. Procedatur juxta articulum 14. & requisiti judices, tam quoad occupationem quam quoad reoccupationem judicium & justitiam administrent. In Loos, Dominus Viczay, ex transactione cum subditis suis, unum ex duobus templis, Majorum sepulturæ destinatum & in residentia propria, (cum & alias ipse nullum templum haberet) jure merito addixit suæ Religionis exercitio. In Leuka, cum ibi totius familiæ Nadasdy habeatur sepultura, atque etiam residentia; contenti sint Evangelici, ut Dominus Comes de Nadasd alterum Templum in oppido restaurare ac tegere pro exercitio Evangelicorum velit.

Ad sextum. Si qui proventus occupati sunt à templis & parochiis, juxta articulum citatum 14. procedatur. Qantum verò ad sedecimas, & cubulos quosdam ex censu Molendini attinet, cum illi inter solutiones, quos status suis Plebanis pendunt, numerentur juxta articulum 11. Evangelicis Ministris dare Catholici non sunt obligati. Si quæ autem Molendina propriè ad Ecclesiam pertinerent, dignum est, ut illa restituantur.

Ad septimum. Cum illa controversia Szobotitsa & Szenicze, jam in processu coram Comitatu controvertatur, procedatur via juris, & nihilominus Dominus Michael Mayteni paratus in contrarium docere.

Ad octavum. In Gravaminibus Catholicorum fit declaratio, quoad Hegy.

Ad nonum & decimum. Patet ex jam facta responsione.

Ad undecimum. Æquè ut reliqui subditi Domini Nadasdi ac parochiales subeunt. Lignatio autem non prohibetur Parocho.

Ad duodecimum. In Uyhel habetur Templum in fundo Dominorum Terrestrium de facto pro exercitio Evangelicorum.

Ad 13. Secundum gravamina ad Octavum.

Ad 14. Dominus Michael Mayteni paratus in Instanti contrarium docere.

Ad 15. Juxta Articulum 14. per eosdem Evangelicos citatum procedatur; negant enim Dominus Comes Nadasdi & Relicta Blasii Appony, subditos suos causa Religionis detinuisse.

Ad 16. Habent articulum.

Ad 17. Exhibetur informatio Domini Casparis Lyppay.

Ad 18. Negatur simpliciter per Dominum Terrestrem.

Ad 19. Extat Articulus.

Ad 20. Jam superius dictum est non admittere Catholicos, ut Ministri Evangelici Actores & Procuratores sint suorum subditorum.

Ad 21. Extat Articulus & procedatur secundum eundem.

Informatio Domini Casparis Lyppay circa punctum gravaminis Neusideriensis, in Comitatu Mosoniensi.

Duplex querela instituitur in gravaminibus Evangelicorum, contra Dn. Terrestrem Neusideriensem. Primò quidem, quod ipse contra tenorem art. 10. proximè præteritæ Diætæ, nullum locum pro templo, Parochia & schola ædificandis, subditis August. Confessionis ibidem commorantibus assignaverit. Secundò quod eosdem subditos propter introductum Ministrum Augustanum, jure puniverit.

Quoad primam querelam, fuerunt exmissi juxta præcitatum Artic. per Comitatum Mosoniensem,

ſem, Dominus Vice-Comes cum Commiſſariis utriusque Religionis, ad inſtantiam ſubditorum Neuſiderienſium Evangelicæ Confeſſionis, qui in termino ad faciem oppidi Neuſider profecti, poſteaquam ex propria oris omnium ſubditorum Auguſtanorum Confeſſione comperiſſent, poſt annum 1608. ſed nec ante, ab hominum memoria, neque pacis neque diſturbiorum temporibus Miniſtrum Evangelicum extitiſſe, & conſequenter Templum, Parochiam & ſcholam ejusdem Oppidi, ab Evangelicis nullo unquam tempore occupata fuiſſe; ob idque iidem Commiſſarii determinaſſent, Dominum Terreſtrem non teneri locum pro Templo, parochia & ſchola, loco Templi parochialis, quod nunquam fuiſſet occupatum, aſſignare; uti hæ literæ Teſtimoniales dicti Comitatus Moſonienſis, ad relationem antelatorum Commiſſariorum utriusque Religionis ſub ſigillo ejusdem Comitatus emanatæ, clarius declararent. Nulla itaque juſta querela, vel gravamen in hac parte, contra Dominum Terreſtrem inſtitui poteſt.

Quoad ſecundum punctum gravaminis. Subditi Neuſiderienſes Aug. Confeſſionis, ſub proximè præterita Diæta, absque præſcitu Domini Terreſtris, non expectato fine & exitu eorundem Comitiorum, neque ullis adhuc exſtantibus articulis, multo autem minus à Commiſſariis per Status & Ordines Regni ad hujusmodi executiones deputandis, privata ſua authoritate, vique & potentiâ mediante, in Manifeſtum præjudicium juris Patronatus utpote præcipuæ libertatis Dominorum terreſtrium, Aug. Confeſſionis Miniſtrum in Oppidum Neuſider, ubi antea nunquam fuiſſet, introduxerunt. Propter quod temerarium factum, convocatis per ipſum Dominum Terreſtrem, præcipuæ Nobilitatis, juſtitiæ amantibus & jurium peritis, utriusque Religionis perſonis, ac inſtituto contra eos judiciario proceſſu, iidem ſubditi Neuſiderienſes, contra Dominum Terreſtrem jure convicti ſunt. Qui quidem Dominus Terreſtris, eandem convictionem minimè executus eſt, verùm iidem ſubditi Evangelici eidem Domino Terreſtri ultroneè & ſpontanea ipſorum voluntate, aliquot urnulas vini obtulerunt. Unde quivis æquus æſtimator judicare poterit, an pro juſta querela, hoc punctum haberi & recognoſci debeat.

Gravamina Catholicorum.

Nihil æquè inviti faciunt Catholici, clementiſſime Imperator, quam Majeſtatem Veſtram Chriſtiani orbis, curis obrutam, ſuis inſuper difficultatibus onerare, & Comitiorum curſum præter ſpem & exſpectationem, Religionis quæſtionibus prolongare.

Verùm cum videant, à parte altera uſque adeò nihil eorum intermitti, quæ in favorem propriæ cauſæ faciunt, ut obtentis quantumvis maximis in proximis Comitiis conceſſionibus ac libertatibus, poſitisque judicibus & arbitris, pœnaque & progreſſu, ad dirimendas in negotio Religionis emerſuras deinceps quæſtiones eliberandamque Majeſtatem Veſtram & Comitia à ſimilibus moleſtis, odioſis, cum jactura temporis & communis boni, agitari ſolitis altercationibus; His tamen minimè contenti, iterum ad querelas & gravamina, præterito eorum judicio erumpant, nec deſiſtant, novis & novis petitionibus ac poſtulatis, ſua ulterius dilatare ac promovere. Ne igitur ob ſilentium forte noſtrum, Religionis turbatæ culpa nobis imputari poſſit, cum tamen longè & numero plura & pondere graviora ſint ea, quibus Catholici tam in communi, quam in particulari ab ipſis premuntur.

Demum, ſi licuit parti alteri, tanto conatu prætenſiones ſuas promovere; non erit alienum noſtras quoque difficultates, ac juſtiſſima & legibus conſentanea poſtulata, brevibus attingere; Denique ex quàm pluribus pauca ſeligere ac delibare, Majeſtatemque Veſtram Sacratiſſimam humillimè rogare, ut quæ parti alteri, in eorum cauſa, usque adeo benignum ſe Dominum exhibuit, in ſua quoque æquum Judicem, de quo non diffidimus Catholica Religio experiatur.

Primo. In Diplomate Pacificationis habetur, ut ſua Majeſtas ſingulis Comitiis non ſolum Evangelicorum, ſed & Catholicorum gravamina in negotio Religionis complanare teneatur, poſtulant Catholici, ut eorundem quoque gravamina, in negotio eodem, cum ſatisfactione complanentur.

Porrò, cum non minus vigore Diplomatis recentis, quam conditionis ſextæ Pacificationis Viennenſis, quæ fundamentum & Baſis eſt Religionis, obſervari debeat, uti habetur, ut Templa, Botskajanorum diſturbiorum temporibus adempta reſtituantur, jure petunt Catholici, ea ſibi reſtitui.

Si æquum exiſtimarunt Evangelici, ut templa ab Anno 1608. ipſis accepta, per Catholicos reſtituantur, id ipſum Catholicis denegari non debet; poſtulant igitur ea ſibi ab Evangelicis reſtitui, & in aliis loca idonea aſſignari.

Id quoque congruum eſt juſtitiæ, ut quæ Templa Catholici Evangelicis minimè accepiſſent, neque poſt Annum 1608. ab Evangelicis tenta fuiſſent, comperta rei veritate, Catholicis reſtituantur. Nemo enim tenetur reſtituere, quod non accepit.

Similiter & illa Templa, quæ vigore Pacificationis Viennenſis reſtituta fuère Catholicis, poſt Annum 1608. eaque optimo jure tenuerint, deinceps quoque ad Catholicos pertineant, & comperta rei veritate, reſtituantur.

Ea quoque Templa, ubi contra voluntatem plebis Catholicæ, inducti ſunt Miniſtri Evangelici, reſtituantur, cum hoc repugnet libertati Religionis. quæ illis, eam ſponte ac libere acceptare volentibus, concedit.

Contra expreſſos articulos Regi, juraque & libertates introducuntur, in Templisque & Parochiis conſtituuntur PICARDITÆ, HUSSITÆ, & ſimiles Hæretici. Niſi igitur tales, cum Helveticis, in profeſſione Religionis. Sacramentorum adminiſtratione, & Superintendentium ſubjectione per omnia concordarint, è Regno ejiciantur, neque per Majeſtatem Regiam tolerentur.

In partibus Ultradanubianis, & quidem Comitatu Castriferriensi.

CUm in civitate Gœzigiensi & ejusdem suburbio tria haberentur templa, & alioquin pro Augustanæ Confessionis hominibus, Germanis & Hungaris, unum in civitate, & aliud suburbio sufficere abunde possit; postulant Catholici templum illud, quod & antea Catholicorum erat, restitui, cum omnibus pertinentiis, aparementis & reditibus, justum enim est, ut pro quadringentis & ultra hominibus Catholicis inibi existentibus, Ecclesia assignetur.

In eadem civitate Gœzigiensi, penes mandatum suæ Majestatis, proximis diebus & sub præsenti diæta, Dominus Franciscus Tolnay, Præpositus Castriferriensis Capitularis, & Georgius Bokor homo Regius, ad instantiam Illustr. Domini ArchiEpiscopi Strigoniensis, in negotio Religionis missi, ad excipiendas attestationes non sunt admissi per Judicem ejusdem loci Stephanum Hotzutoti, in despectum mandati Regii, & vilipendium legum patriarum, ac periclitationem jurium Catholicorum.

In possessione etiam Saari Minister August. Confessionis Catholicum sepeliri nullo modo permittit. Similiter factum est, in possessione Szent Lorencz. In possessione autem Hegyfalu, Aug. Confessionis Minister denegat rusticis Cathol. exercitium Cath. etiam in ædibus propriis.

In Comitatu Soproniensi.

Templum S. Michaelis parochiale in tumultu Botskajano occupatum, & vigore Pacificationis Viennensis, ac aliorum subsecutorum articulorum restituendum, sicut & Capella S. Elisabethæ, ad hospitale pertinens, ac ante quatuordecim circiter annos occupata, & omninò in libera & Regia Civitate Soproniensi existentia, ut ipsis Catholicis restituantur, postulant. Pari ratione eadem beneficia, cum proventibus, quæ ab Ecclesia Catholica abalienata, ac in usus proprios scilicet in intertentionem Concionatorum, scholasticorum, organistarum & similium suorum juxta arbitrium Civitatis applicata, ut Catholicis reapplicentur, una cum campanis summè necessarium est & æquitatis.

Præjudiciosum est Catholicis, in eadem Soproniensi civitate commorantibus, quòd licet quælibet Religio ipsamet sibi Parochum eligat, citra tamen voluntatem Catholicorum, August. Confessionis Sopronienses, pro arbitrio ipsorum & ad placitum eligunt & indicunt Parochum Catholicum. Unde ut facultas eligendi plebanum, penes eosdem Catholicos habeatur, juri & justitiæ ac Catholicæ ipsorum Religioni congruum est. Porrò siquidem iidem Cathol. locum scholæ ordinarium in eadem civitate Soproniensi nec dum haberent, conveniens est, ut pro erigenda schola, locus sufficiens ac idoneus cum proventibus ipsis assignetur.

Illud etiam bonum pacis spectaret, ut Catholici in eadem civitate, juxta conditos articulos (id quod in præsentiarum usque neglectum est) sine discretione Religionis, ad publica officia civilia, in Senatum Civitatis & Cehas opificum assumerentur; sicut & in aliis liberis Regiisque ac Montanis Civitatibus & oppidis privilegiatis. Non enim deessent subjecta, pro hujusmodi officiis habilia.

Injuriosum & hoc videri, ubi processus juridici in eadem Civitate, ex parte Catholicorum instituuntur coram Tribunali Senatus, plerunque retardantur, tamdiu videlicet, quamdiu Catholici miserabiliter exhausti facultatibus, prosecutionem causarum suarum intermittere cogantur.

Uti damnosum ita & præjudiciosum est Catholicis, quòd ubi domos & alias hæreditates in Civitate Soproniensi coemere vellent, non permittuntur; verùm mediis omnibus ac variis excogitatis adinventisque impedimentis, impedirentur, cum tamen quibusvis Augustanæ Confessionis advenis, jurium Regni licet minimè capacibus, id liberum esset, imò per Civitatenses ultrò procuraretur.

Injuriosa est turbatio Catholicorum ad processionem Vondorffensem proficiscentium, ubi sub prætextu, quasi sub aliqua necessitate, portas suburbii aperire non possent, (cum antea nunquam similis consuetudo fuisset) uti proximè feria secunda paschatis practicatum est, quando sine ulla evidenti ratione, Nobilem Franciscum Nagy, Catholicum in pago Kûlô habitantem, ac ad dictam processionem pergentem, exclusissent, Augustanæ verò Confessionis itidem Nobilem, signanter Paulum Gothay, & alios, eodem plane tempore, per easdem portas suburbii misissent; Unde constaret evidenter, nullam necessitatem excludendi Catholicos fuisse, præter odium & turbationem exercitii Catholici, maximè verò sub his Regni Comitiis.

Id ipsum etiam odium scilicet Religionis, vel ex eo procomperto esset, quod iidem Sopronienses, festa & solemnitates Catholicorum turbare soleant, cogendo scilicet ad labores Catholicas ipsorum familias, è contra verò sua festa celebrari per Catholicos, eorumque familias violenter adurgerent.

Quia porrò plerisque jam Catholicis in hac Diæta in negotio Religionis querulantibus, minari præsumpserint, prædicti Sopronienses, postularent instanter communi voto Catholici, ut articulus 114. Anni 1647. proximè præteritæ Diætæ Posoniensis renovetur, & contra eosdem ac similes effectuetur.

Dominus etiam Comes Franciscus de Nadasd, volens Sacristiam ædificando annectere, in fundo proprio Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, in suburbio Civitatis Soproniensis habitæ, Senatus Civitatis id haud quaquam permisit, arcendo & movendo sub imposita mulcta operarios.

Porrò in Roitegh & Egyhazosfalu, bonis scilicet Nobilium, Augustanæ Confessionis Minister, Catholicum sepelire prohibuit. In possessione etiam Nemety, itidem Augustanæ Confessionis Minister, Catholicos, qui ad possessionem Szûl, Domini Comitis Francisci de Nadasd, Religionis ipsorum exercitii causa pergerent, ab omni tam campanarum, quàm sepulturæ usu prohibet.

In Soitôr, possessione dicti Domini Comitis, ejusdem Confessionis Minister, miserabi-

lis

lis cujusdam fabri lignarii Catholici filium mortuum alias sepelire non permisit, nisi firmiter promiserint Catholici, quod neminem in posterum Catholicum, ibidem sepelire curabunt. Consimiliter etiam in Oppido Kapuvár, usu Campanæ Catholicos prohibuerunt; tandem in Taboth possessione quoque ejusdem Domini Comitis, contra restitutionales Dominorum exmissorum Commissariorum, propriâ solum modò authoritate, Augustanæ Confessionis Rustici, Matrem Ecclesiam ibidem existentem occuparunt.

In Comitatu Mosoniensi.

In Oppido Leven, in festo S. Jacobi, in Catholicum Juvenem cum ejusdem loci Ministro, anno superiori disputantem, Augustanæ Confessionis homines irruerunt, ac licet idem Minister, publicè clamaverit, nullam sibi injuriam aut molestiam fuisse illatam per Juvenem, nihilominus contra omne fas & æquum, ex mero odio Religionis eundem interemerunt.

In Comitatu Jauriensi.

In possessione Eödevin, templum neque inter nonaginta templa insertum, neque per Commissarios à Catholicis ademptum, per Augustanæ confessionis Rusticos, privata duntaxat authoritate, in præjudicium Catholicorum ibidem existentium, sibimet usurpatum, & Parochus violenter exturbatus existeret.

In Comitatu Posoniensi.

In Civitate Posoniensi, habetur Capella S. Catharinæ, quam semper à memoria hominum Catholici Posonienses possederunt, & temporibus Rogationum ac pro festo S. Catharinæ, Sacra & conciones, ritu Catholico fuerunt peracta, jam verò Augustanæ confessionis Posonienses, ut exercitium Catholicum impediatur, ejusdem Capellæ attinentias Civibus Posoniensibus dividendo abalienarunt, ipsam verò Capellam, Catholicis, quorum interesset, satis ruinosam restaurare haud permitterent.

Hospitale S. Ladislai in suburbio Civitatis Posoniensis, ante tumultum quidem Betlehemiticum, Catholicorum, in quo Capellani Germanici majoris Ecclesiæ S. Martini, diebus Dominicis & Festivis, sacra peragere, ac post eundem tumultum Cives Posonienses, sibimet usurparunt, incoluntque de facto Mendici Augustanæ confessionis; Catholici autem Mendici rarius recipiuntur, & pauci quandoque recepti divinis officiis destituuntur.

Parochia etiam & Schola in possessione Vitzkelet, per Catholicos, tam ante, quam sub disturbiis possessa, sub proximè præterita Diæta, per Dominos exmissos Commissarios, contra formam instructionis ipsorum, Catholicis adempta est, & Augustanæ confessionis Incolis assignata in præjudicium Catholicorum.

Ex Capella in possessione Hegy, quæ alias nunquàm ab Augustanæ confessionis hominibus possessa, neque inter nonaginta templa comprehensa fuisse, clare dignoscitur, non ita pridem Augustanæ confessionis Incolæ, Catholicos cum præjudicio jurium & derogamine liberi Religionis exercitii exturbaverunt. Proinde peterent Catholici in possessionibus Hegy, Kossolt, & Vitzkelet commorantes, & ad numerum trecentenarium sese extendentes, sibi prædictam Capellam stante adhuc Diæta restitui, cum terris & pratis, à fundatione ad eandem spectantibus, nunc tamen præ manibus Incolarum Kossolt, Vitzkelet & Hegy divisim habitis.

Anno 1647. Mense Junio, Incolæ Oppidi Szencziensis, Augustanæ confessionis, inconsulto Parocho Catholico & campanatore, tumultuarii ac armis infesti, coemeterium adierunt, campanas pulsarunt, Scholæ Magistrum è coemeterio extractum, graviterque percussum, domum repulerunt, neque hac insolentia contenti, Parochum Catholicum, sedandi tumultus gratiâ, coemeterium ingressum, in brachio sinistro, eodem in coemeterio, graviter vulnerarunt, lignis lapidibusque petitum, ni se subduxisset, procul dubio interimendum.

Anno 1648. Mense Decembri, Oppidi Cseklesiensis Incolæ, similiter Augustanæ confessionis, tecto Domus Parochialis ignem supponentes, Parochum nil mali suspicantem, adeò firmis occluserunt repagulis, ut concepta flamma, nullus ei patuisset exitus, adiissetque vitæ extremum periculum, nisi Catholicus quidam manè ad Rorate pergens, & fumigantem Parochiam præter solitum operiens, Parochum adiisset, amboque deinde ardentes prunas detexissent.

In Comitatu Comaromiensi.

His non ita pridem elapsis diebus, Sacerdos in Oppido Comaromiensi, visitans quendam infirmum Catholicum, in domo ejusdem infirmi, gravissimis & injuriosis verbis, per Nobilem Georgium Fürst affectus est, merè ex odio fidei Catholicæ, & nisi quidam obstitisset, ultra injuriosa verba ad invasionem quoque progressus fuisset.

In Comitatu Nitriensi.

Summoperè conqueruntur etiam Catholici, & vel maximè status Ecclesiasticus, super enormi facto proximis festis Paschalibus in Villa Ludan patrato; ubi dum Catholici, more suo & ritu ordinario processionem instituissent, irruentes in eandem nonnulli ex servitoribus Dominorum Osztrosits Augustanæ confessionis, & personas ad saltum (in odium & ludibrium Catholicæ Religionis) rapuerunt, & in publico, invitis ipsis saltarunt; in alios autem usque adeò grassati fuerunt, ut ex illis quibusdam in ipso etiam templo contumelioso inflictis vulneribus, ac cathedram, altare & mappas sanguine conspersas polluere & profanare non reformidarint, in maximum & grave præjudicium exercitii Catholici, & immunitatum rerum Ecclesiasticarum. Quare ut hujusmodi Sacrilegia, & enormes actus impuniti non maneant, & in exemplum aliorum similia patrare non verentium, debita animad-

versio sub hac præsenti Diæta fiat, peremptorie in præsentiam Statuum & Ordinum Regni citentur, & debitâ pœnâ mox & de facto puniantur.

In possessione Litzko, ad Dominium Beczkoviense spectante, Emericum Lutsani Sacerdotem Catholicum, in strato suo quiescentem, de nocte, nullâ per eum datâ causâ, Augustanæ confessionis homines crudelissimè vulnerarunt, & tandem miserabiliter interemerunt.

Conqueritur etiam Familia Dominorum & Nobilium Fardi, omnes Catholici, quod licet medietatem Arcis & bonorum Berencz ad eandem pertinentium, æquè cum familia Dominorum, Nyari participent, & suas etiam residentias in Oppidis Szenicze & Szobotitsa plerique eorundem habeant; nullum tamen ex alterutrius Oppidi templo huc usque possidere potuerunt. Postulant itaque ut in Szenicze, Templum pro exercitio Dominorum Catholicorum permittatur & Rusticis, sicut & Nobilibus Augustanæ confessionis ibidem commorantibus, locus assignetur, relicto templo pro familia Nyari in Szobotitsa; locus tamen ibidem quoque similiter Rusticis Catholicis & aliis possessoribus & Nobilibus pro exercitio eorundem assignetur.

Hoc etiam præfati Domini & Nobilis, Possessores nimirum integræ medietatis Arcis & Bonorum Berencz, ut sunt: Illustrissimus Dominus Gabriel Erdödi, & Magnifici, Gabriel & Franciscus Horeczki; Joannes Amade; Georgius, Emericus, Caspar & Joannes Mayteni; Sigismundus Horvath; Elisabetha Eszterhaz de Galantha; Generosi item Michaël Mayteni; Andreas Kerekes, Franciscus Nagy Mihaly; David Bessani, & David Henricus Szopek, omnes Catholici, maximo cum cordis dolore, personarum postpositione & vilipendio, contra prærogativam & æqualitatem juris hæreditarii sentiunt, quod Magnificus Dominus Ludovicus Nyari, jus Patronatus Ecclesiarum, præfatorum oppidorum Szobotitsa & Szenicze, Xenodochii, Parochiarum, Scholarum, exclusis ipsis, proprio ausu sibimet vendicet; Xenodochii proventus, contra mentem Testamenti, acquisitoris, & dispositionem præfata Arcis & Bonorum distrahat, dominium & directionem circa præmissa, sibi cum contemptu præfatorum vendicet; ut & in Scholasticos effrenes, noctivagos, homicidas, & quosdam sicarios; si quid lethale vel cruentum commiserint, læsis, ne Dominis, eorundem Catholicis injurias detegant, imponit, judicatumque super talibus malefactoribus sibi ipsi, despoticâ quadam authoritate, præmissis Dominis & Nobilibus, æqualibus proprietariis neglectis, vendicat & attribuit. Unde etiam emergit, quòd in Xenodochium sibi ipsis cum eodem Domino Nyari commune, in vilipendium totius Status Catholici, eorundem Religionis mendici non admittuntur. Sed nec Parochi præfatorum oppidorum, aliquando ratione injuriarum forte sibi illatarum, eosdem requirunt; imò licet plurimi eorum in prædictis oppidis, domos & residentias habeant, & cæteri quoque sæpius in Anno illuc conveniant, nunquàm tamen in recognitionem Dominii Patronatus & submissionis, eosdem etiam invitati, vel saltem salutatum adeunt. Postulant itaque ut in præmissis omnibus æqualitas, per Inclytos Status & Ordines, præfatis Dominis & Nobilibus articulariter declaretur.

In Comitatu Barsiensi.

Palam est, in quali loco indecenti obscuraque domuncula, ac incapaci angulo, in Regia ac Montana Civitate Kremniciensi, exercitium Catholicum peragatur, cui succurrere volens, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis Zelo & officio suo pastorali motus, certam domum ibidem, accedente benignâ Suæ Majestatis annuentiâ & privilegio, pro exercitio Catholico, non contemnendis expensis comparasset; Civitas tamen Kremniciensis in hujusmodi domus coëmptæ dominio, privata authoritate turbaret & impediret, sicque Catholicos in odium Religionis, ista opportunitate & commoditate privare niteretur.

Cupiunt Catholici, ut domus eadem, in præmissum finem ordinata, præ manibus eorundem conservetur, civesque ab hujusmodi inferendis violentiis coerceantur, etiam cum pœna ipsis articulariter infligenda.

Oppidani Marotienses, Augustanæ confessionis, campanarum usum, ac ad exercitium Religionis Catholicæ deputatas domos, Parocho interdicunt.

In pago Hitzer, Concionatorem Parochum, Prædicans ejusdem loci, concitata multitudine, è pago exturbavit, gravius illum tractaturus, nisi Emericus Bottlik, miles Uyvariensis, obstitisset.

Prædicans Maroczienses minatur Marotiensibus & Hyrcerensibus Catholicis, negationem in Coemeterio usus sepulturæ, si ad Ecclesiam Catholicam Kis-Apaciensem, Religionis exercitii causa proficiscantur, sicut & Parocho Apaciensi, nisi à concionibus abstineat, mortem interminatur.

Licet præscripti Catholici Marocienses & Hircerienses Parochum Catholicum habeant, ab eoque Sacramentum percipiant; nihilominus prædicanti quoque statam solutionem solvere coguntur, contra articulos proximè præteritæ Diætæ superinde conditos.

In Possessione Nagy Lehota, in bonis Ladislai Rakoczy templum per Augustanæ confessionis homines occupatum, licet in numero nonaginta templorum non fuerit insertum.

In Oppido Szarnocza, Vice Comes Comitatus ejusdem, proventus quosdam Dominorum Terrestrium ademit, & pro sustentatione Ministri Augustanæ confessionis in præjudicium grave eorundem Dominorum abjudicavit.

In Comitatu Thurocziensi.

Etsi in nupera Diæta, omnia templa in Bonis Familiæ de Reua existentibus, præter unicum Pellense, Catholicis sint erepta; nihilominus illius quoq; templi, parochiæq; quartam & terras cum censu Minister loci adimere, & pro se vi ac po-

potentiâ mediante usurpare, præsumpsit, in grave damnum ac præjudicium Catholicorum valde magnum.

In Comitatu Arvensi.

Non sine compassionis Christianæ sensu, commemoratur Status miseræ plebis hujus Comitatus, in quo, cum multa millia Catholicorum reperiantur, & pagi integri, ubi nullus, aut vix aliquis alterius Religionis habeatur, nullum tamen Catholicum Sacerdotem intertenere permittuntur; quin imò obtentum è Polonia ad administranda Sacramenta, Sacerdotem, Castellanus Arcis Arvensis, multis vituperiis, variis minis etiam mortis recedere coëgit; Archidiaconum verò visitans (quod eundem jurisdictionis suæ Catholici, in eodem districtu in hospitium acceperint) idem officialis, eosdem gravi multâ oneravit, Archidiacono verbera & alias injurias comminatus, ut jam quasi ex Regno Hungariæ eliminato Catholico, vel ad exercitia Religioni ipsorum contraria accedere, vel verò in Poloniam extra Regnum, causa juvandarum animarum, proficisci cogantur, cum indicibili Status Catholici despectu, maximè verò spiritualium.

In Comitatu Neogradiensi.

Anno 1647. Augustanæ confessionis Incolæ, possessionis Maskfalva, templum Catholicum, cum duabus filialibus Lehotka & Praga, ab annis jam triginta quatuor per Catholicos tentum, occuparunt.

In Comitatu Scepusiensi.

In summum derogamen liberi exercitii Religionis Catholicorum, illud quoque est, quod Catholicis non permittatur usus templi Pongraczfalvensis, cum tamen omnes incolæ loci sint Catholici, & nec illud aliquando Augustanæ confessionis Ministros possedisse probetur, neque inter nonaginta templa recenseatur.

Templum Catholicorum Krompachiense, in nupera Diæta, inter templa nonaginta, Augustanæ confessionis concessa, est insertum; supplicant Catholici dicti pagi, ut vel illud templum illis restituatur, vel commodus locus iis pro structura templi Catholici, Parochiæ & Scholæ assignetur, cum exemptione.

In Kôrthveles quoque licet omnes Incolæ sint Catholici, & insuper templum sit Catholicum, Parochiam tamen, vi & potentia mediante, tenet Nobilis Christophorus Feôkô Lutheranus.

Præjudiciosum & illud Catholicis videri, quod in Civitate Leucsoviensi, nullum exercitium divinum, pro ipsis haberetur, cum Monasterium intra ipsam Civitatem, ad calcem mœniorum habitum, sub disturbiis Botskajanis, fuerit ipsis ademptum. Meritò igitur postularent, ut dictum Monasterium cum attinentiis juxta constitutiones præteritorum annorum iisdem restituatur.

In Comitatu Saarosiensi.

Tempore Comitiorum proximè præteritorum, in Civitate Eperjesiensi, dum pro devotione Commissariorum ibi præsentium, Sacerdos quidam Catholicus sacrum celebrasset, exhortationemque fecisset, tota Civitas, facto tumultu, arreptisque armis, in illum consurrexit, parumque abfuit, quin & ipsum, imò & Commissarios tumultuariè in vitæ planè periculum conjicerent, factumque fuisset, nisi Sacerdos alio migrando, furori eorum cessisset. Si quis etiam Catholicorum, in eadem Civitate Eperjes moritur, Magistratus Augustanæ Confessionis ibidem exposcit, ut judici mors talis denuncietur, sicut & sepultura, quod hactenus neque auditum, neque observatum ullibi fuit. Ad colloquium & visitationem autem captivorum, Sacerdotem, aut secularem aliquem hominem Catholicum, absque præscitu Judicis non admittunt. Venerabile quoque Sacramentum, non nisi cum præscitu & consensu ejusdem, deferri patiuntur. Liberum erat, stante concione Ministri Augustanæ confessionis, Catholicis exire, & Ecclesiasticis Personis ingredi Civitatem, nunc autem neque exire licet Incolis, neque Sacerdoti intrare.

Præterea, si quis Catholicorum in Captivitate detentus, Sacerdotem pro confessione sibi postularet, non aliter ei permittitur, quàm ut Augustanus Incola penes eundem Sacerdotem assistat, ne alii captivi monita salutis habere possint.

Et quia in præfata Civitates Eperjes nullum locum haberent Catholici, pro suæ Religionis libero exercitio, ut claustrum ibidem existens ipsis assignaretur, & in posterum à similibus, bonum pacis turbantibus excessibus & injuriis abstinerent iidem Cives, meritò postulant & instant Catholici. Pariter etiam, ut in Civitatibus Bartpha & Cibino, pro templis, scholis, & parochiis, loca idonea assignentur.

In Comitatu Abauyvariensi.

Templum Cassoviense, vigore articuli 18. Anni 1647. siquidem nullam effectuationem huc usque sortiri potuit. Postulant Catholici, ut stante adhuc Diæta, præsertim per commissarios ad id deputandos & exmittendos, continentiis citati articuli satisfiat, & pro loco templi, desolatum claustrum Dominicanorum quondam, restituatur.

Cùm verò Venerabile capitulum Agriense, una cum Incliyti Regni expeditionibus, Protocollis & Archivo, quoque, ex quotidiana Turcarum comminatione, insidiatione, ac terrore, Jassoviæ, uti in destituto ac majori parte exusto, & summo periculo exposito loco, minimè subsistere possit ac valeat; Ex eo etiam, quod Regnicolæ ad sua negotia peragenda, fassionesque varias celebrandas, in tam periculosum locum, minimè accedere queant. Idcircò pro tutiori residentia, & expeditionum conservatione, Cassoviam transferri necessum est.

Neque ad præsens excidere potest catholicis, in summum despectum & vilipendium liberi

beri exercitii suæ Religionis, per Cassovienses, cum Joanne quondam Gyôri factum, cui in carcere existenti, S. Sanctam Eucharistiam, non aliter administrari fuit permissum, nisi per fenestram fracto & ejecto vitreo orbiculo.

Accederet etiam, quod tempore occupationis templi Meczenzef, cum Minister Augustanæ confessionis ad oppidum Stoos perrexisset, eundem comitantibus aliquot hominibus Augustanæ confessionis, occurrit fortuitò illis quidam Catholicus, quem dum angariarent, ut eundem Ministrum comitaretur, ipso verò recusante & dicente: Nihil sibi esse cum Ministro Lutherano, præfati Comites, eundem Catholicum vulneraverunt, & manum absciderunt. Paramenta quoque ad Sacrificium missæ pertinentia, contra quendam initum contractum cum Catholicis, iidem Augustanæ confessionis Meczenzefenses, magna cum injuria Catholicorum de præsenti etiam retinent.

Parochus ejusdem inferioris Meczenzef Catholicus Sacerdos sub præsenti Diæta, per quendam hominem Augustanæ confessionis, nullâ datâ causâ, graviter est percussus, ac barba & crinibus evulsis, per plateam ad longum spatium tractus, cum gravi derogamine ac injuria intolerabili immunitatis Ecclesiasticæ.

Non aliter quoque tractatus & injuriatus fuit quidam Catholicus cum sua uxore, ab iisdem Incolis inferioris Meczenzef Augustanæ confessionis, cum suæ Religionis partes tueretur idem Catholicus, eundem ad publicam plateam protraxerunt una cum uxore, ac verberibus affectos, semivivos reliquerunt.

Quam grave sit Catholico Parocho, in Oppido inferioris Meczenzef, ac Articulo 12. proximè præteritæ Diætæ contrarium: quòd nimirum medietatem decimæ, quam pro intertentione ipsius Catholici plebani, Domini Terrestres ex suo beneplacito, olim ordinaverant & assignaverant; alteram verò medietatem earundem decimarum, præpositus Jassoviensis, tanquam Dominus Terrestris de facto possidet; tempore tamen assignationis templi & parochiæ ipsius inferioris Meczenzef, pro Augustanis, decimas quoque ab Incolis seu concivibus & plebe Meczenzef provenientes, quæ juxta eundem articulum 12. Catholico plebano deberentur, Dominus Vice Comes Comitatus Abauyvariensis, Augustanæ confessionis Ministro dandas assignasset, contra tenorem articuli superinde conditi.

Præterea. Maximo licet conatu, universi Status & Ordines in eo desudarunt, ut miseræ plebi, liberum Religionis exercitium stabiliretur, pro comperto tamen haberent Catholici, nonnullos Vice-Comites existere, qui contra omnem voluntatem & requisitionem rusticorum ad inducendos fidei ipsorum contrarios Ministros serio cogerent. Ut igitur Catholicæ plebi, sponte & liberè Parochum acceptandi immunitas integra permaneat, & similibus publicam tranquillitatem turbantibus excessibus maturè provideatur, ac contra tales certus quoque articulus, cum severiori aliqua pœna infligenda statuatur, condignum censent Catholici.

Graviter sentiunt Catholici, quod ubi in liberis ac Regiis Civitatibus, Oppidisque privilegiatis, & alibi passim, certos eosque salutares ob respectus, in dispositionibus Testamentariis, ad pios usus bona & res suas legant; Augustanæ confessionis Cives, vel ob solum odium Religionis, diminutionemque juris Ecclesiastici, licet sæpius requisiti, executionem tamen ex officio administrare penitus recusant, quandoque etiam in proprios prophanos usus convertunt, testarique prohibent, nisi præsentibus per Senatum deputatis.

Gravissimum & intolerabile onus in dies patiuntur ex eo etiam Catholici, quòd licet primariò Dominis Terrestribus competeret tam libertas Religionis & exercitium, quam etiam jus Patronatus, in propriis ipsorum fundis, haberentque reale & absolutum Dominium, usque tamen arctantur, ut in propriis etiam residentiis, & locis habitationum suis templis potiri nequeant; Verùm Rustici, in maximum ipsorum præjudicium possideant. Ac licet in nonnullis locis, duo etiam essent templa, nullum tamen haberent ipsimet Domini Terrestres, ut in Leuka, Soliom, & aliis arcibus ac Dominiis passim.

In Oppido etiam & reliquis pertinentiis Arcis Kabold, licet septem haberentur templa, & Domini Terrestres essent omnes Catholici, excepto unico Terrestri, qui bonorum eorundem duodecimam duntaxat partem teneret, ne unicum tamen templum possiderent. Itaque juris & æquitatis esset, ut in bonis suis dicti Domini Terrestres, residentias habentes, ubi duo templa forent, unum pro se occupare possint; ubi verò unicum templum, pro extruendo Rusticis templo, per Dominos Terrestres, locus sufficiens assignaretur. Maximè vero pro plurimis Dominis Terrestribus Kaboldensibus, ex tot templis, & præsertim cùm ibidem residentiam haberent, pari numero ex prædictis assignarentur Templa.

Valde præjudiciosum est hoc etiam Dominis Terrestribus, quod licet articulo 100. Diætæ proximè præteritæ ordinatum fuisset, plebanos Dominis Terrestribus pro confirmatione eorundem præsentandos esse, concionatores tamen Helveticæ & Augustanæ confessionis, per Rusticos non præsentarentur, licet una eademque esset libertas prærogativæ nobilitaris, ac jus quoque Patronatus Dominorum Terrestrium. Unde, ut deinceps eorundem quoque præsentatio observetur, communis ipsorum libertas dictaret.

Ad extremum autem animadvertunt Catholici, satis multos errores commisisse Dominos Commissarios, in proximè præterita Diæta ad reoccupationem in disturbiis occupatorum templorum, & quorundam locorum designationem exmissos.

Et primò quidem occuparunt quædam templa, & Augustanæ confessioni assignarunt, sub eo prætextu, quasi sub disturbiis fuissent per Catholicos adempta, contra instructionem ipsis per Status & Ordines datam.

Secundò occuparunt, & eisdem assignarunt, certas Matrices Ecclesias, sub titulo filialium, prætendentes per midam simplicem expositionem, easdem fuisse quondam filiales, pertinuisseque ad Matrices sicut & è converso.

Ita

Ita similiter factum est per eosdem Commissarios, in distractione proventuum Parochialium.

Quorum ut prærecensiti & alii similes commissi errores rectificentur, æquitatis est.

Et licet essent adhuc complura Catholicorum gravamina, quibus indies avita Religio premitur, illis tamen, ne Majestatem Vestram ampliori difficultatum suarum & querelarum mole fatigent, ac pretiosi temporis jacturam faciant, supersedendum existimarunt.

Orantes iterùm Majestatem Vestram demissè, ut quemadmodum Evangelicis in præterita Diæta tot articulis ac legibus providere, eorumque concessiones munire dignata est; Catholicam quoque Religionem protegere, suisque gaudere libertatibus benignè velit, & templa ac loca nobis assignanda, sub præsenti adhuc Diæta, per Status & Ordines Regni exequenda, clementissimè procurare.

Replica Status Evangelici, ad Gravamina Dominorum Catholicorum.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime &c.

FIdelibus Majestatis Vestræ Sacratissimæ Evangelicis Statibus, optimè compertum est; quomodo eadem Mejestas Vestra Sacratissima Regnum hoc suum, tot & tantis acerbitatibus, tantorumque motuum vicissitudinibus afflictum & concussum, DEO maximo propitio tueri, eidem ac fidelibus populis subditis, pro pia & planè paterna sollicitudine prospicere, utque simultates inter Regnicolas, ob impeditum Religionis Evangelicæ exercitium, damno totius Regni gliscentes, tollerentur, armaque in Civilem sanguinem sævientia averterentur, per salutares tractatus, Diplomatisque conclusionem, ac ejusdem per universos Status & Ordines Regni procuratam confirmationem providere benignè intenderit, suamque in eo Regiam, ac indulgentissimo Patre dignam, curam & sedulitatem, toti orbi Christiano testatam reddiderit; Lamentabili tamen & maximo cordis dolore, iidem Majestatis Vestræ Sacratissimæ fideles Status Evangelici persentiscunt, Statum Catholicum, priorem iterùm animorum acerbitatem repetere, veterum litium fomitem, ac novarum discordiarum semina per exhibitionem certorum quorundam prætensivorum gravaminum suorum in negotio Religionis, ac repetitionis templorum reassumere.

Quæ etsi universa & singula, quarto prætitulati novissimi Diplomatis puncto, quod incipit: *Quæstiones verò circa gravamina, negotium Religionis, & occupationes Templorum concernentes, tam quæ in Anno 1638. Suæ Majestati exhibita sunt, quam post subsecuta, in futura primitus celebranda Regni Diæta, propter Regni tranquilliorem permansionem, unionemque animorum, vel amicabili Dominorum Regnicolarum compositione sopiantur, vel authoritate Suæ Majestatis finaliter complanentur, cum satisfactione Evangelicorum.*

Item ejusdem puncti paragrapho: *gravamina autem futuris quoque temporibus, in eodem negotio Religionis emergentia, tam Catholicorum, quàm Evangelicæ Confessionis hominum, quàm etiam alia gravamina Regnicolarum, tam Evangelicorum, quàm Catholicorum, secundum 17. conditiones Sua Majestas singulis Diætis plenariè complanabit, absque injuria Evangelicorum.*

Luculentissimè autem articulus 6. novissimæ Diætæ formalibus verbis sic sonans: *Optimè recordantur Status & Ordines Regni, quantæ hactenus fuerint inter Regnicolas, ratione occupationis Templorum dissensiones, quæ ut imposterùm præcaveantur discordiarumque civilium fomes extinguatur, ac Regnicolæ, pace & concordia mutua potius fruantur, post varias ultro citroque factas disputationes & propositiones inter Status & Ordines Regni, tandem ad extremum ratione occupationis templorum, ac aliorum accessoriorum, interveniente etiam Suæ Majestatis Sacratissimæ authoritate, ita & hoc modo est conventum: complanata finaliterque determinata ac penitus sopita habeantur.*

Nihilominus tamen, ne videantur Status Evangelici eadem Dominorum Catholicorum gravamina taciturnitate præterire, ad ea, quà fieri potuit methodo compendiosiori, sequentia hæc, loco replicæ Majestati Vestræ Sacratissimæ humillime repræsentanda censuerunt.

Quæ quidem Catholicorum Dominorum gravamina diligentius pensitata, in quinque sequentes classes commodissimè poterunt dividi.

In prima quidem postularent Domini Catholici, certorum templorum, Capellarum, Claustrorum ac attinentiarum, prætensivè occupatorum, restitutionem; fundarum in quam plurimis locis, pro templo, Parochia & schola, excisionem.

In secunda, difficultatum nonnullarum, post præterita Regni Comitia, contra conditos in negotio Religionis articulos emersarum, virtute Diplomatis Regii, quarti puncti paragrapho, gravamina autem futuris &c. ut supra, fiendam complanationem.

In tertia, quarundam particularium prætensarum injuriarum rectificationem.

In quarta, Picarditarum & Hussitarum è Regno, nisi Helveticæ confessioni subscripserint, ejectionem.

In quinta, per exmissos Regnicolarum Commissarios ad restitutionem, sub disturbiis occupatorum templorum proventuumque & assignationem quorundam locorum, errorum admissorum rectificationem.

Quantum itaqua gravamina in prima classe comprehensa concerneret, ea, uti quæ publico Diplomate, constitutionibus novissimis Dominorum Catholicorum, ita uti Evangelicorum præcitatis, sublata & semel in perpetuum sopita essent, prout in præambulo præmissa declarata fusius haberentur, ulteriori fienda complanatione minimè indigerent. Neq; enim conveniens foret, ut idem Diploma & constitutiones Regni, in aliqua sui parte quoque modo augerentur, minuerentur, aut variarentur.

Quantum ad secundæ Classis gravamina, quibus mediantibus, liberum Religionis exercitium impeditum, ac aliæ difficultates causatæ esse, post conditos novissimæ Diætæ Articulos, prætenderentur, ut sunt in Comitatu Castriferrensi. In Saar, Hegyfalu, & Sz. Lorincz. In Sopronienſi in Roytegy, Egyhazasfalu, Némety, Sôitôr & Kapuvár. In Posoniensi, in Szencz & Cseklicz. In Barsiensi in Maroth, Fischer, & Lehota. In Abauyvariensi, in Alsemeczensi possessionibus & Oppidis, ea omnia ut per Vice-Comites cum potioribus Nobilibus ex utraque Religione, pari numero exmittendos, juxta attributam iisdem, in novissimis Regni constitutionibus, punctisque accordatis authoritatem, comperta rei veritate, complanentur, neque imposterùm utrinque similia attententur, communis æquitas & constitutiones Regni requirunt.

Quantum ad particulares in tertia classe comprehensas prætensasque injurias, in Comitatu Castriferriensi, ad paragraphum in Civitate Gözigiensi, &c.

Quod in civitate Gözeg prætenta inquisitio admissa non esset, nihil est, quod Domini Catholici superinde conquerantur, cum eadem contra sensum Articuli 1. Anni 1608. ante Coronationem, paragraphi ultimi intentata fuisset.

Capitulari namque in prætensa attestatione procedere, Archidiaconatusque authoritatem sibi super Evangelicos quoque vendicare volenti, uti ostendi posset per literas ejusdem, nulla facta injuria, utpote, qui falcem suam in messem alienam immittere minimè debuisset.

In Sopronienſi, ad §. Præjudiciosum &c. in negotio Electionis Parochi, & collationis Parochiæ, nulla fieret Dominis Catholicis injuria, quando per civitatem usus ante puncta accordata novissimæ Diætæ, hactenus pacificè continuatus, observaretur.

Quandoquidem Parochiam eandem, instanti parocho Catholico semper conferre consuevissent.

Ad §. Illud etiam bonum pacis &c. Majores hac in parte Evangelicorum querelæ recenseri possent, prætensionibus Dominorum Catholicorum, quando per totum Regnum ex universis dignitatibus, vix aliquæ etiam, virtute plurimarum Regni constitutionum, Evangelicis conferrentur.

Ad §. Injuriosum & hoc videri &c. Abusus fortè hac in parte commissos, Dominus Magister Thavernicorum, tanquam ordinarius & competens judex Civitatum, comperta rei veritate, corrigat.

Ad §. Uti damnosum &c. Habentur sufficientes hac in parte contra eosdem conditi articuli.

Ad §. Injuriosa est turbatio &c. Quantum ad turbationem processionis Vondorffensis, hoc absque scitu Senatus factum esse, ablegati asserunt.

Quod si autem ex odio Religionis id attentatum fuisset, contra eum, qui reus compertus fuerit, procedatur juxta constitutionem Regni novissimæ Diætæ.

Ad §. Id ipsum etiam, &c. Si Catholica familia Sopronienſis hac in parte difficultatem aliquam habet, expleto anno, acceptaque à Dominis suis venia, poterit alio migrare.

Ad §. Quia porrò plerique, &c. Hujusmodi querela inter Regnicolas repræsentata, hactenus quia nulla fuit, & citatus Articulus de conquerentibus coram Regnicolis, non de minis simplicibus ageret, non indigeret aliquo statuto.

Ad §. Dominus etiam Comes &c. Domino Comiti de Nadasd nullum, occasione ædificii, causatum impedimentum, quandoqu dem idem Dominus Comes de Nadasd, beneficium, ubi se ædificare voluisse prætendit, contulit, cui conferre nec potuisset, nec debuisset, uti qui publico Regni articulo prohibitus esset, ne bona stabilia possidere posset.

Ad §. Tandem in Babot &c. Templum illud, uti sub disturbiis occupatum, juxta articulum 13. præteritæ Diætæ omninò restitui debebat.

In Mosoniensi &c. Ratione interempti Juvenis Catholici conveniatur Dominus ipsorum Terrestris, & coram judicibus Comitatus utriusque Religionis pari numero procedatur contra eosdem, uti homicidas, de lege Regni.

In Jauriniensi &c. Templum quoque in Eôdevin sub disturbiis occupatum, quod Incolæ interdictum reassumpserint Religionis exercitium, & apprehenderint templum ab ipsis occupatum, non est peccatum contra Diploma, & conditos in præterita Diæta articulos.

In Posoniensi, ad §. Parochia & Schola &c. Hac in parte executio Dominorum Commissariorum observanda juxta articuli 13. paragraphum: sicut & illorum templorum &c.

In Comaromiensi. cum summa intelligunt displicentia Evangelici, hujusmodi & consimilibus contumeliis affici parochos Dominorum Catholicorum, verùm hac in parte major esset Evangelicorum querela difficultatibus Dominorum Catholicorum, quæ imposterum ne fiant, utrinque præcavendum.

In Nitriensi. Hanc quoque illatam Dominis Catholicis injuriam, consimili intelligunt Evangelici displicentiâ, Domini namque Osztrosith, hic in Diæta personaliter constituti, uti primum de hoc casu intellexissent, pro accurata ejusdem casus cognitione expediverunt ad Ludan certos servitores suos, qui comperta rei veritate paratos se offerunt, in reos juxta demerita, coram judicibus Comitatus utriusque Religionis pari numero convocandis, servatis de jure servandis, animadvertere.

Ad §. In possessione Liszko &c. Excessus per eosdem commissus, quandoquidem Domini ipsorum terrestres, excepto uno, omnes Catholici essent, si requisiti superinde fuerint, poterit puniri.

In Barsiensi ad §. Palàm est, in quali &c. Quia super domo illa, in rationem Civitatis notabilis summa existeret, & alioquin divenditio eadem contra immunitates Civitatis subsecuta esset, ex eo nullam Domini Catholici possent prætendere injuriam.

Ad §.

Ad §. In Oppido Szarnocza &c. Querela hæc per transactionem inter partes totaliter sublata est.

In Thurocziensi &c. Quantum ad negotium Belense, ex quo Incolæ possessionis ejusdem uterentur Ministerio Evangelici concionatoris, vigore articuli 12. novissimæ Diætæ Posoniensis, solutionem quoque personalem, ut eidem præstent, dignum omnino esset.

Quoad terras &c. nullæ ad Parochiam pertinentes sunt ibidem occupatæ.

Quoad quartam &c. quæ Parochia careret ibidem plebano, ea etiam redditur illi, cujus Ministerio de præsenti misera plebs utitur.

In Neogradiensi. Quantum ad templum Maskfalva siquidem idem in punctis accordatis in serie 90. templorum, nomine tenus fuisset specificatum, prout ex originali constaret, nescitur tamen, qua de causa ex serie reliquorum specificatorum in articulo 6. Templorum, exmissum esset, dignum igitur est, pro tollendis futuris difficultatibus, ut articulis Regni de præsenti inseratur.

In Scepusiensi. Coram Vice-Comite & deputatis utriusque Religionis Commissariis, comprobatum fuerat à memoria hominum templum in Pongraczfalva fuisse Evangelicorum, quòd & vigore articuli iisdem fuisset adjudicatum; nostri muneris est, superinde apud Majestatem Vestram Sacratissimam conqueri, ut idem superiori æstate per Catholicos occupatum, cum executione pœnæ contra occupatores juxta articulum exequendæ, nobis iterum restituatur.

Ad §. Templum Catholicorum &c. Templum Donavecz grompach in numero 90. templorum existens, & per Catholicos occupatum, dum sub præsenti Diæta restitutum esset, articulis violari nequit.

Ad §. In Körtvúlós quoque &c. Parochia in Körtvúlós nulla fuit, sed Ministro Evangelico, per familiam Döke, ad beneplacitum non ita pridem una domus inquilinaris concessa, ministro abhinc aliò migrante, domus eadem rediit ad Dominum.

Templum autem ibidem existens, per Catholicos & Evangelicos possidebatur; post comitia tamen per quendam Jesuitam occupatum.

Quia verò familia Döke, uti Evangelica, sepulturam, in eodem templo haberet, ut in pristinam restituatur conditionem, justitia ipsa efflagitat.

In Saarosiensi. Ad §. Tempore comitiorum &c. Quoad insurrectionem Civitatensium Eperjes, contra Sacerdotem Catholicum, sub proximè præterita Diæta prætensam, Nuntii ejusdem civitatis nihil sibi superinde constare asserunt.

Ad §. Si quis etiam Catholicorum &c. Quoad sepulturam Catholicorum, contrarium practicari manifestum est, cum iidem in eadem civitate honeste sepelirentur, uti videre fuit in exequiis Josæ Szoltan, & aliorum Catholicorum.

Ad §. ad colloquium &c. & venerabile quoque &c. Quoad non admissionem Sacerdotum Catholicorum, sine præscitu judicis, ad colloquia captivorum, nulla dignosceretur injuria, quia hoc ipsum fieret & ex parte Evangelicorum Ministrorum. Similiter etiam quoad administrationem Sacramenti.

Ad §. Liberum erat &c. In occlusione portarum, cum fit cum Catholicis, quod cum Evangelicis, ex observantia bona Civitatis, & præcavendo incommodo, nulli fieret injuria.

In Abauyvariensi, ad §. Templum Cassoviense, &c. contra Cassovienses procedatur juxta normam Articuli novissimæ Diætæ.

Ad §. Cum verò venerabile &c. Non concernit paragraphus iste negotium Religionis.

Ad §. Quam gravè sit &c. Ratione proventuum Alsomeczensis templi, extat determinatio Vice-Comitis Comitatus, & eidem adjunctorum utriusque Religionis Judicum, juxta articulum 14. proximæ Diætæ, quæ si desideratur, produci potest authenticè.

Ad §. Præterea &c. Maximo licet &c. Si conquerendum foret super coactione miseræ plebis ad contrarium Religionis exercitium, longè majorem haberent Evangelici querelam, quàm Domini Catholici; contenti manent Evangelici, ut in Vice-Comites, in officio juxta normam articulorum vel non procedentes, vel contrarium agentes, animadvertatur.

Ad §. Graviter sentiunt &c. De testamentariis dispositionibus vetus & antiquitus observata consuetudo obtinuit, ut eædem, sicut & fassiones, super bonis civilibus, eodem modo instituantur.

Ad §. Valde præjudiciosum &c. Super præsentatione plebanorum conditus ille articulus, Catholicos duntaxat ligaret plebanos.

Quantum ad quartam Classem. Quoad prætensos in gravaminibus *Picarditas* & *Hussitas*, non constat Evangelicis, ubinam locorum iidem habitent, & qui sint. Si verò contra Szakolczenses, & Puchovienses Helveticæ confessionis intelligatur, iidem omnes in proximè præteritis adhuc Regni Comitiis confessioni Helveticæ subscripserunt, & articulo novissimæ Regni Diætæ 8. confirmati sunt.

Quantum ad quintam Classem, executiones nempe per Status & Ordines Regni exmissorum Commissariorum, Templorumque & proventuum assignationes concerneret, siquidem superinde per eosdem Statibus & Ordinibus relatio facta, eademque acceptata extitisset, easdem in vigore suo relinquendas dignum judicant.

Hæc sunt Sacratissime Imperator, Domine Domine noster Clementissime, quæ nobis, loco responsi ad sæpius dicta Dominorum Statuum Catholicorum gravamina, Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè erant repræsentanda: ex quibus cum luce meridiana clarius pateat causæ nostræ æquitas, & erga mutuam concordiam fovendam sinceritas; Majestati Vestræ Sacratissimæ supplicamus humillimè, perpendendo benignè, quantum damni intervenerit publico, ex tot & tantis hactenus inaniter erogatis communibus expensis, quantamve jacturam sentiat totum Regnum, ex hoc dispendio pretiosi temporis, dignetur clementer præscriptas rationes nostras, Diplomati Majestat.

Vestræ Sacratissimæ Regio & constitutionibus novissimæ Diætæ consentaneas, æqua lance trutinare, eaque de quibus jam semel utrinque inter nos conventum esset, quæve per Majestatem Vestram Sacratissimam benigne confirmata extitissent, per eosdem Dominos Status Catholicos in dubium vocari non facere, ut hoc modo sublatis, quæ ex ipso tenore Diplomatis, ac constitutionibus novissimæ Diætæ fluunt, difficultatibus nostris, pax postliminiò restituta indies magis ac magis floreat, exindeque communis permansionis Regni securitas, adhibita salutari provisione, cum maxima utilitate vicinorum etiam Regnorum, firmius emolumentum sumat. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam, humillimis fidelibus servitiis nostris promereri non intermittemus.

Replica Dominorum Evangelicorum, ad resolutionem Dominorum Catholicorum, contra Gravamina eorundem Evangelicorum factam.

AD primum. Quoad Cassoviense negotium, ut tam ex parte Dominorum Catholicorum, quam Helveticorum procedatur secundum articulum, contenti manent Domini Evangelici.

Ad secundum. Æquum censent Domini Evangelici etiam, ut excisio locorum pro templis, scholis & parochiis, fiat juxta articulum, judicesque superinde requisiti officium faciant; nescimus tamen causam, cur arceri debeant Ministri Evangelici, à faciendis querelis coram Comitatibus, cum alioquin hoc Catholicis plebanis non interdicatur apud Evangelicos Comitatus, jusque gentium etiam paganos & Judæos non prohibeat ab injuriis coram Christianis exponendis, & satisfactione petenda; Imò per istam denegationem manifestissimus contemptus Religioni Evangelicæ infertur, justitiæ itaque consentaneum est, ut paritas in admissione querelarum, Catholicorum plebanorum & Evangelicorum Ministrorum observetur, Ministrorumque vel plebis miseræ instantiæ, super excindendis locis, pro templis scholis & parochiis coram Comitatibus exaudiantur.

Quod autem attinet loca Domanisch, Szlopna, Bicse & alia passim, cum in iis juxta articulum (siquidem in gravaminibus fuissent specificata) debeat fieri excisio, nulla hic potest urgeri emendatio vel institui disputatio; Articuli enim circa hoc negotium non emendari, sed observari potius debent.

Ad tertium. Cum sine intertentione Ministri non possit fieri exercitium Religionis; liceat Dominæ Relictæ Valentini Erdődy, Aulicum duntaxat concionatorem, in Monyorokerek intertenere, Religionemque suam liberè exercere.

Ad quartum. Contenti redduntur Domini Status Evangelici, ut comperta rei veritate, ex autographo, bina templa, utpote tepla in Liptoviensi & Maskfalva, in Neogradiensi Comitatibus existentia, in numero 90. templorum comprehensa, articulo tamen Regni novissimæ Diætæ exmissa, articulis modernæ Diætæ inserantur.

Ad quintum. Coactiva transactio non potest præjudicare Diplomati, alioquin per hoc, plebs, metu Dominorum Terrestrium perculsa, facilè ad permutationem Religionis compelleretur, sicque Diploma & Articuli super Religione fundati everterentur.

Templum etiam Levvka, cum per Commissarios esset restitutum, repeti per Dominum Comitem de Nadasd non potest, & sepultura etiam familiæ ejusdem in Arce Levvka, non autem in templo Oppidanorum existeret.

Ad sextum. Constat ex Articulo 12. Anni 1557. Decimas decimarum sedecimas & quartas, ab initio parochiales proventus fuisse, nec quicquàm juris ad easdem, Dominos vel Arendatores decimarum habuisse vel habere potuisse, ad quas itaque parochias, eædem ab initio perceptæ fuissent, ex nunc etiam ab iis, easdem abstrahi non posse, nec debere.

Hoc idem intelligendum est etiam de aliis proventibus, antiquitus ad parochias ordinatis, & absque interruptione semper à Parochis seu Ministris percipi solitis, nec non Molendinis, Inquilinis, & aliis bonis vel pertinentiis, ab antiquo ad Parochias spectantibus, tam per Dominum Dionysium Szecsy, quam alios occupatis, quæ omnia ut juxta Articulum per Vice-Comites, cum sibi adjungendis restituantur, æquitas postulat.

Ad septimum. Contenti manemus, ut Vice-Comes Comitatus Nitriensis, cum sibi adjungendis, juxta Articulum, sessiones Inquilinarias in Szobotitsa, & proventum Molendini in Szenicze, comperta rei veritate, Parochiis restituat, interim verò captivi Inquilini ex captivitate dimittantur.

Similiter etiam ratione terrarum ad Xenodochium Galgocziense pertinentium (prout & in Assa & Ablonczkůrth) per Commissarios restitutarum ac vicissim reoccupatarum, per eundem Dominum Vice-Comitem juxta Articulum satisfactio fiat.

Ad octavum. constat Capellam Hegy, nunquam per Catholicos possessam fuisse, verùm in uno eodemque Coemeterio, cum templo Hegyensi existente, semper ad templum idem pertinuisse; Nihil itaque juris Dominos Catholicos ad eandem Capellam prætendere posse, terras porrò illas arabiles, testantibus id ipsum sufficientibus literis authenticis, ab antiquo ad templum Hegyense pertinuisse.

Ad nonum & decimum. Repetimus hic etiam resolutionem nostram, ad secundum punctum, Replicæ Dominorum Catholicorum factam.

Ad

Ad 11. Contenti ſunt Domini Evangelici reſolutione Dominorum Catholicorum, dummodo judicatus ejusmodi impoſitio fiat ſecundum ordinem, nec alius ſubſit injurioſus prætextus; ſignatio etiam focalis parochis non interdicatur, ac Quartiriis Inquilini & bona Parochiarum non moleſtentur.

Ad 12. Quamvis Templum in oppido Uyhel ad Vagum non ſit in communi fundo Dominorum Terreſtrium, nihilominus tamen eo contenti manent Evangelici, dummodò ibidem pro parochia & ſchola, loca ſufficientia & commoda juxta normam articuli excindantur.

Ad 13. Habent reſolutionem Domini Catholici ſupra ad octavum.

Ad 14. Ratione Molendini in Alſo Mothesics, contenti ſunt Domini Evangelici, ut comprobentur prætenſiones partium juxta articulum, coram Vice Comite Comitatus Trinczinienſis & ſibi adjungendis pari numero potioribus ex utraque Religione Nobilibus, pro termino iisdem partibus per Vice-Comitem præfigendo.

Ad 15 Quandoquidem Dominus Comes de Nadaſdy, & Relicta Domini Blaſii Apony, contrarium aſſerunt, contenti ſunt Domini Evangelici, ut juxta articulum Vice-Comes, cum ſibi adjungendis potioribus pari numero ex utraque Religione Nobilibus procedat.

Ad 16. In eo etiam contenti reddimur, dummodò articulo ſatisfiat, & Vice-Comes juxta exigentiam officii procedat.

Ad 17 Dominus Vice-Comes Comitatus Moſonienſis non debuiſſet inquirere, (videlicet, an ante vel poſt 1608 annum, ibi Miniſter Evangelicus fuiſſet) ſed locum pro Templo, ſchola & parochia excindere. Illud enim etiam Templum in gravaminibus ſpecificatum exiſteret, & major pars Incolarum Evangelicæ profeſſionis eſſet. Nec propterea iidem oppidani, in pœna aliqua, propter introductionem Miniſtri Evangelici convinci debuiſſent; quandoquidem decreta ibidem etiam per Articulum Regni excisione loci, pro Templo, parochia & ſchola, reducere Miniſtrum profeſſionis ſuæ, iisdem oppidanis licitum fuiſſet.

Ad 18. & 19. Quoad negotium Raykenſe, non eſt propoſita querela contra Dominum Terreſtrem, ſed officialem ejusdem Franciſcum videlicet Szekeli, contra quem, ſicut & Dominam Terreſtrem Ruſtienſem, ut procedat Vice-Comes cum ſibi adjungendis, contenti manent Domini Evangelici.

Ad 20. Habent replicam Domini Catholici, in reſolutione ad ſecundum, cui ad præſens etiam inhærent Domini Evangelici.

Ad 21. Utinam obſervarentur Articuli, tam in ſolutionibus, quam aliis Religionis acceſſoriis, ſed videmus indies eosdem impune violari, plebemque miſeram Evangelicam, ad ſolutionem Plebanis Catholicis pendendam compelli, hocque etiam modo Religionem Evangelicam turbari.

Pro complanandis præſcriptis tam Catholicorum, quam Evangelicorum difficultatibus, licet Dominus Palatinus cum certis ſibi quibusdam adjunctis multum laboraſſet, nihil tamen efficere potuit. Proinde Majeſtatem ſuam Sacratiſſimam Status Evangelicus, die 27. Menſis Aprilis, hunc in in modum requiſivit.

Sacratiſſima Cæſarea, Regiaque Majeſtas, Domine Domine nobis Clementiſſime.

QUantum detrimenti acceſſerit Patriæ noſtræ dulciſſimæ, ex hoc pretioſi temporis diſpendio & hactenus inaniter perditis publicis ſumptibus, vix ac ne vix quidem effari poterimus; cum videlicet à Trimeſtri, imo amplius hic hærendo, nihilque in commune bonum efficaciter concludendo, tam nos ipſos perplexis Diſputationibus maceramus, quam Principales noſtros ingentibus expenſis exhaurientes, ſuſpenſos animis tenemus, atque ſic in ore rel quorum Orbis Chriſtiani Regnorum (quæ intra hoc tempus, bis vel etiam ter Diætas ſuas, cum fructu abſolvere conſueviſſent) fieri incipimus.

Cujus rei, & faceſſiti Regno incomodi, nos in cauſa minimè ſumus, utpote qui in termino Diætæ præfixo maturè comparentes, tam Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Auguſtiſſimum in medium noſtri adventum humillimè ſollicitare, quam etiam poſt ejusdem deſideratiſſimum ingreſſum, quæcunque ad curſus negotiorum diætalium pertinere videbantur, ea ſollicitè & arduè curare nequaquam neglexerimus.

Poſt inſtauratum eminentiſſimum Palatinalis dignitatis officium, non exigua nobis imprimis erat cura, in tollenda Fiſci Regii & Civitatum contradictione, veluti legibus & Libertatibus Regni præjudicioſa. Cujus quidem contradictionis ferendæ, cum multi fuerint acerrimi defenſores, poſſibile, imò extra omnem dubietatem credendum, eosd.m fuiſſe etiam illius Authores. Neſcitur qua conſideratione agantur hæc omnia, non enim ex utilitate Regni, concordiam Regnicolarum diſſolvere, ſalutaribusque & Patriam ſalvantibus tractatibus, contradictionibus, vel quibusvis repugnantiis, obviam ire.

Poſt caſſatam Fiſci Regii & Civitatum contradictionem, poſito veluti immoto progreſſus diætalis fundamento, opinabamur, ad reliqua faciliorem fore acceſſum, deſcendentesque ad Gravaminum compilationem, dum juxta Diplomatis Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Regii tenorem & noviſſimarum Conſtitutionum continentias, injurias in Religione Evangelica & Acceſſoriis ejusdem, poſt eandem noviſſimam Diætam (veterum namque ſiquidem per concluſionem Regnicolarum mutuam utrinque ſublata eſſent, non meminimus) nobis illatas eſſe exponimus, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Archi-Epiſcopo Strigonienſi, dummodo Maje-

jestatem Vestram Sacratissimam superinde non oneremus, easdem injurias se accommodare velle, oblationem accepimus.

Ne igitur Majestati Vestræ Sacratatissimæ oneri essemus, monitis ejusdem Domini Archi-Episcopi parentes, certum scriptum super difficultatibus, per nonnullos contra Diploma & Articulos novissimæ Diætæ admissis, Dn. Statibus Catholicis exhibuimus. Quô exhibito, Domini Catholici etiam sua nobis gravamina exhibent, ad quæ priusquam responsum nostrum mittamus, ipsos etiam ad nostra respondere nolle renunciant.

Nolentes itaque taciturnitate, eadem præterire, resolutionem nostram ad eadem transmisimus, reportantes ab iisdem quoque Dominis Catholicis ad nostra gravamina responsum, formantesque iterum ad resolutionem Dominorum Catholicorum Replicam nostram; dum ab iisdem simile quod expectamus, perfertur ad nos eosdem Dominos Catholicos, præcisa ulteriori facilitativa accommodatione, non observato Regni ordine usitato, sua Gravamina cum Replica nostra, ad Majestatem Vestram Sacratissimam detulisse, veteresque ipsorum prætensiones, quæ aliàs virtute Diplomatis, & novissimæ Diætæ Articulorum, sublatæ essent, eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ retexisse.

Ut verò Majestas Vestra Sacratissima Actorum eorundem seriem, ex nobis quoque plenissimè & benignè resciat, humillimè exhibenda censuimus, eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ gravamina nostra sub Liter. A. Resolutionem Dominorum Catholicorum, ad eadem Gravamina nostra sub Lit. B. Gravamina Dominorum Catholicorum sub Lit. C. ac Resolutionem nostram ad eadem, sub Lit. D. Item replicam nostram, quam eisdem Dominis Catholicis ad resolutionem, quoad Gravamina nostra factam, dare volebamus sub Lit. E.

Ex quibus omnibus Majestas Vestra Sacratissim. clementer cognoscere poterit, nos satis sincerè cum Dominis Catholicis processisse, inque tam variis querelarum & defensionum labyrinthis, planam & placidam viam, normam videlicet Diplomatis & Constitutionum novissimarum monstrasse, ac ea, quæ contra idem Diploma, & dictas constitutiones Diætæ novissimæ, per nos admissa extitissent, juxta easdem constitutiones complanaturos, nosmet ipsos obtulisse. Ad ea vero, quæ semel jam per Diploma, & articulos novissimæ Diætæ, sopita & determinata essent, (prout lucidè in resolutione nostra sub Lit. D. declaratum haberetur) nos respondere nec teneri nec posse.

Nunquam enim hoc vel in mentem Nobis, vel Principalibus nostris venisset (ac propterea Instructiones quoque nostræ, à Principalibus nostris nobis datæ & conformatæ essent) ut ea, quæ jam semel inter nos sopita essent, in arenam revocaremus, sed potius ulterioribus Diplomatis ac novissimarum constitutionum violationibus modum & finem poneremus. Aliàs si interpretationibus, quas Diploma juxta primum punctum ejusdem, jam non admitteret, locus dari deberet, oleô & operâ perditâ, recrudescenteque priorum discordiarum Civilium vulnere, quid certi, repetitâ dissonantiâ animorum, nobis de comuni permansione, & publica tranquillitate promittendum esset.

Quare supplices ad Majestatem Vestram Sacratissimam confugimus, eandemque etiam per misericordiam Dei humillimè oratam habemus, clementissimè considerando faciem gemiscentis & afflictissimæ patriæ, quæ discordia civili, ac externorum etiam hostium rabie pressa in tantum devenit, ut non amplius Regnum, verùm umbra duntaxat illius dici possit verissimè, ne permittat, sopitas veteres offensas reviviscere, aut eos, qui tranquillitatem publicam, novarum quæstionum institutionibus convulsam esse cuperent, voluntate suâ potiri. Quid enim exinde aliud spectandum, nisi priorum discordiarum semina, ac apud exteros admiratio, imo verius scrupulus, tam citò mutatæ, ante biennium inter nos factæ concordiæ.

Parati sumus alioquin omnia ea, quæ post Diplomatis confirmationem, contra idem Diploma, vel Articulos novissimæ Diætæ, per nos admissa extitissent, complanare, quod etiam ex parte Dominorum Catholicorum fieri postulamus, imò ut id ipsum Majestas Vestra Sacratissima procurare dignetur, humillima subjectione contendimus; Ut hoc pactô sublatis, juxta exigentiam Diplomatis & Articulorum novissimæ Diætæ difficultatibus, in pace & tranquillitate mutua viventes, eò alacrioribus animis, & fideliter Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquam Imperatori & Regi nostro clementissimo servire valeamus.

Quam in reliquo, Divino favore commendantes, diutissimè valere, florentemque victoriosè imperare desideramus. Benignum expectantes responsum.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Fideles humillimi & perpetui Subditi universi

Status & Ordines Evangelici.

Præscriptam supplicationem, cum adjunctis scriptis, quæ omnia dictam supplicationem ordine præcedunt, exhibuit Generosus & Egregius Dominus Georgius Bereny, Dominæ Relictæ Viduæ Principis quondam Transylvaniæ, ablegatus, sequentem autem sermonem, ad suam Majestatem Sacratissimam oretenus præmisit.

SAacratissimæ Imperatoriæ Regiæque Majestatis Vestræ fideles subditi, Status & Ordi-

Ordines istius Regni Evangelici, Majestati Vestræ Sacratissimæ tanquam Domino Domino eorundem Clementissimo, ad Augustissimam Imperii sui dilatationem, ac universorum populorum divinitus sibi commissorum tranquilliorem permansionem & quietem, prosperrimos comprecantes progressus, fidelia ipsorum servitia, cum devota subjectione, humillime deferunt.

Et quamvis, Augustissime Imperator, nihil magis desiderabilius eisdem evenire potuisset, quam ut post felicem Majestatis Vestræ Sacratissimæ in medium ipsorum adventum, ea quæ in negotio Religionis, vigore Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regii, ac publicarum novissimarum Regni constitutionum, sancita quidem, nec tamen omni ex parte effectuata fuerant, quantocius debito effectui mancipari potuissent.

Præter omnem tamen eorum expectationem accidit, quod Inclyti Status Catholici conclusiones illas, quæ post multas, ultrò citroque inter Statum Catholicum & Evangelicum, superioribus Comitiis factas dispositiones, semel in perpetuum sopitæ extitissent, reassumpserint.

Quô admisso, cum Status Evangelici satis luculenter animadvertant priorum controversiarum incommoda iterum repullulare, ne hoc ipsum iisdem adscribi & imputari dignoscatur, ad avitam Majestatis Vestræ Sacratissimæ clementiam confugiendo, repræsentant Eidem, medio nostri, demissum memoriale cum annexis, quod ut Majestas Vestra Sacratissima benignissimis oculis suis perlustrare, ac Gravamina nostra, quæ ex vi antelatarum novissimarum Constitutionum, mox post dissolutam proximè præteritam Diætam complanari debuerant, clementissimè complanare & complanari facere, non dedignetur, supplicant humillimè. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam, perpetua fidelitate, demissisque obsequiis nostris promereri contendemus.

Domini Catholici, ex parte ipsorum suam Majestatem, sequentem in modum informârunt.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime,

PAlàm est, clementissime Imperator, quanta benignitate & clementia, ut ipsi quoque recognoscunt Majestas Vestra, in proximè præterita Diæta, dilatas ante nec sopitas, quibuslibet ferè Comitiis Evangelicorum difficultates, ac Religionis gravamina, complanare dignata sit, quam liberalem sese in gratiis & concessionibus, nunquam ante in hoc Regno obtentis, pacis studio & amore, illis exhibuerit.

Omnis justitiæ ratio & æquitatis leges exigunt, ut idem fiat Catholicis, quorum si non potior, deterior certè nequit esse conditio, ac pressuræ eorum, præjudiciaque & gravamina non minus ad æquitatis leges, quam ad omnimodam animorum quietem, sinceræque & radicatæ charitatis malaciam reducendo complanentur.

Neque defuerunt ullo tempore suis rebus Catholici, aut sua proponere, eorumque complanationem postulare intermiserunt. Quin imò quoties ab altera parte querelæ aut gravamina Religionis exhibita, quoties seposita, ac in aliud tempus reservata fuêre, id ipsum ex parte Catholicorum præstitum, uti ex articulis Diætæ 1619. & 1638. aliisque apparet.

Idem observârunt, in proximè præterita 1647. Diæta, uti visis Evangelicorum Gravaminibus, suas ipsi quoque ferè plures & ponderosiores difficultates ac pressuras exhibuerunt, earumque complanationem efflagitârunt. Verùm cum jam annus fere integer Comitiorum effluxisset, negotiaque gravissima Imperii & Christianitatis Majestatem Vestram Sacratissimam avocarent, neque de tempore esse videretur, ea tunc in discussionem acciri, habitisque superinde in Consilio Majestatis Vestræ Sacratissimæ iteratis consultationibus, differri ea placuit, & in aliud tempus reservari.

Quod verò per hoc, aut conclusis in præterita Diæta Articulis, derogare velint Catholici, bonæ charitatis & pacis jura conditionesque violare (quod immeritò queruntur Evangelici) tantum abest, ut potius fateantur, non esse sibi animum ac mentem, quæ in præterita Diæta constituta sunt, Diplomaque & Articulos convellere, quin potius contentos etiamnum reddi, ut ea, quæ in complanationem Gravaminum & satisfactionem Evangelicorum edita sunt, serventur, maneantque illibata, id solum agere, ut postea quàm Evangelicis, in suis prætensionibus esset satisfactum, Catholicorum quoque salvis prædictis conditionibus & articulis, pressuræ & injuriæ tollerentur, avitaque Religio Catholica libertatem quidem aliis concessam pateretur, suam tamen opprimi, juribusque propriis derogari, ac libertate privari non concederet.

Quod porrò asserunt, ut difficultates nostras declinare, earumque complanationem evadere valeant Evangelici, in proximè præterita Diæta sopitas esse & compositas difficultates nostras, rem aliter se habere patet tum ex eo, quod in præterita Diæta, ne quidem ipsis repræsentata, aut in discussionem accepta fuerint, sed in aliud tempus rejecta nostra gravamina.

Ex eo quoque evadit manifestum, quod continentia ipsa Articulorum & Diplomatis ostendunt, nihil ibi Catholicorum gravaminum complanatum, nullum Articulum in favorem Catholicorum conditum, sed omnia in causa ipsorum & ex gravaminibus eorum composita & constituta.

Tandem quod ante asseruimus, nos illæsis hactenus conclusis articulis, libertatem nostram ac injurias ab oppressionibus Evangelicorum cupere vindicari, neque aliis sed iisdem plane regulis ac norma, quibus ipsi suis in gravaminibus pacificationis Viennensis occupatis ab an. 1608. Templis, locis assignandis & similibus uti velle, si enim ipsis justum fuit, ista à nobis poscere & evincere, non erit injustum, ut nos quoque ab ipsis eadem postulemus & obtineamus.

Humillimè igitur Majestati Vestræ supplicant Catholici, dignetur æquissimis eorum postulatis clementer annuere, neque admittere, ut quæsitis hujusmodi subterfugiis ac declinatoriis exce-

exceptionibus nos eludant; quin potius, ut communi legi, justitiæque ac libertati, iisdem plane Regulis, & ad eandem, quam ipsi tenuerunt amussim, in protectionem & conservationem Avitæ & sacrosanctæ Religionis Catholicæ satisfiat, benignè & efficaciter demandare.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Fideles

Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Catholici.

Antecedens Catholicorum scriptum, ad perlegendum quidem, manibus Evangelicorum assignatum; sed metu, ne id ab Evangelicis describatur, quantocius per Domini Palatini Secretarium, repetitum fuit. Nihilominus tamen iidem Catholicì præcavere non poterant, quin paria scripti, specioso quodam sub prætextu, Evangelici non essent consecuti.

Lit. C.

Acta Comitiorum Posoniensium, Anno MDCLXII. ad diem I. Maji indictorum, in quibus gravissimæ inter Regnicolas Catholicos & Evangelicos ortæ sunt dissensiones: Catholicis urgentibus, ut à propositione Cæsaris, de subministrando contra Turcas auxilio, fieret initium, prætermissâ Religionis causâ: contra Status Evangelicos, ab usu roboratâ consuetudine, & antiquo modo procedendi (nempe à complanatione gravaminum, ne Evangelica Doctrina exterminium totale pateretur) noluit discedere. Quapropter die quinto Junii in negotio Religionis exortorum Gravaminum, per Georgium Draskoczi & alios Delegatos Libellum supplicem cum Gravaminibus Cæsari tradidit, sequenti præmissâ oratiunculâ:

Fideles Status & Ordines Evangelici, Majestati Vestræ Sacratissimæ à Deo Altissimo, Rege Regum, & Domino Dominantium, vitæ longævitatem, omnigenam prosperitatem, felix & diuturnum Imperium, per totum Orbem Christianum longè latèque expansum, animitùs precantur, suaque humillima obsequia, cum perpetua fidelitatis devotione offerunt.

Et nihilominus freti Majestate Vestra Serenissima, Domini Domini sui clementissimi benignitate, quâ erga omnes fideles suos, pro Regia S. clementiâ & paterna indulgentia duci solet, ad Thronum Majestati Vestræ S. supplici libello suo medio nostri venerabundi accedunt & confugiunt: S. M. V. humillimè, exorantes dignetur, eundem sereno vultu acceptare, benignis oculis suis placidè perlegere, perlectoque eosdem suos fideles Clementi Resolutione sua exhilarare: Quam M. V. S. Paternam clementiam perpetuis fidelibus atque humillimis obsequiis suis, iidem fideles intimè semper studebunt demereri. Quâ peroratione finitâ sequens *Memoriale Gravamina Evangelicorum in se comprehendens*, Eidem S. M. porrexit.

Augustissime Imperator, Domine Domine nobis Clementissime.

Dum afflictissimæ hujus nostræ Patriæ, tot olim Regnorum & Provinciarum Dominæ, luctuosissimam in partibus Regni Trans-Tibiscani sortem quam intra unius Lustri (ut vetustiora sileamus) spatium, primo quidem ab irruptione Polonica, postmodû verò ab infesta Ottomanica Potentiæ rabie experta est, mente revolvimus, tantarum calamitatum seriem commemoraturis, lachrymæ & singultus verba præcludunt, & ipsa vox faucibus hæret.

Observantur enim quotidie oculis nostris, tot Myriades Christianarum animarum, earumque ense, fame, frigore, & mille aliis modis extinctarum, lacera & humi prostrata funera, partim sine discrimine sexus & ætatis abactarum nefanda

fanda servitus, quæ à nobis abreptæ aërem ejulatibus ac gemitibus implendo, nobis nihil præter Christianæ compatientiæ immensum dolorem, suæque infinitæ infelicitatis tristem reliquerunt memoriam. Fortunacior videbatur aliis reliquarum hujus Regni partium constitutio, quas tamen penitius introspicientibus, expandunt eæ quoque afflictionum suarum sibi optimè consciæ, perpessarum in pluribus Comitatibus turbationum & oppressionum prolixissimum catalogum, ingenuum testem, quod quantum ab extraneo & naturali hoste per perpessam cladem desolata & subjugata illa Regio: tantum hic à domestico sanguine, funesto sanè spectaculo experta Evangelica Religio, nec superest aliqua illi tot & tantorum infortuniorum casibus agitatæ, prosperitatem aliquam invidendi, aut exprobrandi materia. In eo quidem hi reliqui Comitatus felices, quod furoris Paganici non expertæ sunt depopulationes, infeliciores tamen, quod mutua membrorum unius corporis collisione, potentiorum utpote aliquorum in inferiores sævitiam & arrogato in conscientias, per earum subjugationem, quod DEUS sibi soli reservatum voluit, absoluto Dominio, lethalia acceperint vulnera, tanto quidem acriore dolore, quanto vulnera cognatæ sint graviora manus. Habentur quidem Sacratissime Imperator, super libertate Religionis, in qua Pax & tranquillitas Regnique quies consistit satis claræ & cuivis certos limites præscribentes conditiones & constitutiones per universos Status sancitæ, perq; M.V.S. prædecessores, Imperatores videlicet & Reges Hungariæ, felicissimæ teminiscentiæ, confirmatæ, signanter Anni 1608. Art. 1. ante Coronationem in pacificatione Viennensi fundatæ. Diplomata itidem Regia An. 1622. Art. 2. & Anni 1638 Art. 1. Item Pacificationi Linzensi superstructi articuli, Anni 1647. à 5. usque ad XIV. Anni 1649. Art. 10. & An. 1655. Art 18. quæ omnia & singula per M.V.S. tempore auspicatissimæ suæ Inaugurationis, singulari Diplomate, sunt in verbo Regio ratificata. Non defuerunt tamen aliqui potentia pollentes, qui licet inter reliquos defensio Constitutionum Regni ipsis quoque incubuisset, exquisitissimis mediis Evangelicos expellere, in captivitates deducere, ac de præsenti etiam aliquos in iis detinere, Ecclesias, Parochias & scholas occupare, nonnullas demoliri, aut solitis proventibus privare, miseram plebem in corporibus affligere, & facultatibus mulctare, taliterque Religionis excidium intentare, contra præcitatas leges & Sacratissima Diplomata Regia, non formidarunt. Sperabamus equidem Clementissime Imperator, juxta præcitatum An. 1655. art. XVIII. omnium in negotio Religionis exhibitarum & ab Anno 1647. emersarum difficultatum, solutâ statim illâ Diæta, complanationem, certoque pollicebamur nobis, quoad Gravamina nostra circa eandem Religionem, in proximè præteritis Comitiis, M.V.S. humillimè per nos præsentata, omnimodam satisfactionem, innixi firmiter tam oblationi & asſecurationi orali, Illustrissimi Domini ArchiEpiscopi Strigoniensis, quàm verò ad benignissimam M. V. S. resolutionem & commissionem, ad singulos Comitatus, per Excellentissimum Dominum Regii Hungariæ Palatinum expeditis, literarum Declaratoriis & præceptoriis, juxta statuta Regni determinationem controversiarum circa Religionem, Magistratui Comitatensi injungentibus, verum non ut eatenus quidpiam alleviationis sensissemus, quin imò ut supra attactum Potentiores aliqui & aliorum exemplo, soluta statim Diæta, perfracto quasi præmissarum Legum repagulo, liberè in subditos Evangelicos, non solum suos, verùm etiam aliorum Dominorum desæviendi, magisque cum iis in dies, per atrocia quævis media ubi videlicet persuasiones & minæ non suffragabantur, eos affligendi sumpta licentiâ, nihil intentatum reliquerunt, quod oppressioni Evangelicæ Religionis deservire videbatur.

Nec substitit hæc illorum audacia in sola, in quibus initium sumserant plebejæ conditionis hominum afflictione, verùm ad Nobilium quoque Evangelicorum personas & Curias sese effudit; aliqui in exilium pulsi, aliorum consortes, liberi & Familia, non in Domiciliis suis tuti, non res, facultates eorum à rapinis manserunt immunes. Si qui nostrum illatas Religionis injurias, ad normam præcitatarum constitutionum, jure mediante vindicare intendebant, omnis generis obstacula, quæ excogitari poterant, eis posita.

Vice-Comites nonnulli Catholici existentes, nunc hanc nunc aliam alicujus defectus exceptionem prætendentes, rem ita protrahere studuerunt ut miseri instantes, alibi tædio laborum, & inanium expensarum fatigati, alibi gravissimis comminationibus abstracti & deterriti, ab incepto desistere debuerint. Ubi vero processus legitimus institutus, ejus cursus vel aliis interjectis impedimentis, vel verò mandatis inhibitoriis, (cum vero omnia Juridica media talis processus excluderet) est præpeditus, imò in aliquibus Comitatibus, frequenter licet urgentibus Evangelicis, prælibatæ literæ Palatinales, ut perlegerentur, dignæ non sunt habitæ. Quapropter libertate Religionis nostræ tot spiculis allisâ, ad M.V.S. Thronum refugium sumendo, ejus augustissimum auxilium implorare compellimur, quos, quamvis ab interpellatione M.V.S. hoc periculosissimo rerum Christian. statu, arduis pro eadem Respublica curis implicitâ, verecundia retrahere deberet, cum tamen inevitabilis Religionis turbatæ necessitas nobis eam excutiat, ad pedes M. V. S. provoluti, eam per viscera Misericordiæ Divinæ, per fidem Regiam, sacratissimo suo Diplomate contestatâ oramus, dignetur has nostras lamentabiles Querelas & Gravamina clementissimè excipere manibus nos præsidio gratiæ tradendo, ab oppressorum nostrorum ausibus vindicare, in eos tanquam publicarum Constitutionum violatores, quippe qui per læsas partes, potentiâ ipsis impares legibus coërceri nequirent severè animadvertere, ipsos ad observationem Diplomatum adigere, nostramque liberam Religionem, tantoperè turbatam & injuriatam ante omnes Tractatus Diætales vigore conditonis V. Pacificationis Lincensis, in integrum restituere, & eô alacriore animô, in aliis necessariis negotiis, ad conservationem Patriæ spectantibus, pro cujus, sicut & M. V. S. salute, nec vitæ nec bonis nostris parcere parati sumus, progredi valeamus.

Namque periclitante hac libertate, nulla felicitas temporalis nobis grata, nulla pax externa, de Religionis securitate incertis chara esse potest.

Quænam itaque, & ex quibus locis contra allegatas constitutiones Regni ab Anno 1647. us-

que ad Annum 1655. ab ipso vero, usque ad Annum 1659. præjudicia sint illata, denuo M. V. S. sub Lit. A. & B. ex quo earum complanationem, ut præmissum, nondum obtinuissemus: recentia verò & post proximè præter Diætam emersa, summarie saltem, cum multa adhuc restarent, ad evitandam prolixitatem repræsentata, M. V. S. clementissimè ex infrà scriptis intelligere dignetur.

In Comitatu Sopronienſi.

Illustrissimus Dominus Comes Paulus Eszterhazy, sub proximè præterita Generali Diæta, miseram Evangelicam plebem, in bonis Arcium Frakno & Kis-Marton, totâ denique Ditione, penes Lacum Ferthœ, per varias afflictiones ad mutandam Religionem inducendi initium faciens, eandem in fide suâ nihilominus constantem, post solutam Diætam, in dies majoribus ac majoribus aggravare perrexit oneribus, in singulos enim majori numero distributis Equitibus, (qui eos omnibus modis vexandi licentiâ habitâ, nullum petulantiæ & inquietudinis genus prætermiserunt) miseros homines tot enormium injuriarum pertæsos, rerumque suarum indemnitati studentes, ad assumendam Religionem Catholicam coëgit. Templum Sandorffiense, una cum sui Parochia & Proventibus semel articulariter inter nonaginta Templa numeratum & restitutum, per homines ac milites suos, ad id specialiter expeditos præoccupari fecit: quorum insolentia in sola occupatione Templi & vexatione subditorum non substitit, verum insuper in Parochiam hostiliter irruendo, Libros, Frumentum, Vinum, reliquamq; supellectilē ibidem repertam, in prædam converterunt, neque ipsius Parochi vitæ pepercissent, nisi furentium manibus sese subduxisset.

Idem Illustrissimus Comes Paulus Eszterhazy, Vashenienses & Sarfoldienses, in Insula Rabilicz existentes, medio Plebani Gornensis & Officialium suorum, adhibita vi ac terrore, à Religione Evangelica abstraxit.

In Bonis similiter Illustrissimi Domini Francisci Nadasdy, militibus Hungaris pariter & Germanis, pedestris Ordinis stipati, in possessionem Baboth venientes, cum rusticos, quos imminentis periculi metus ad suas, quas invenire poterant, latebras abstruserat, non reperissent, milites undiquaque scrutari jussi sunt, qui ubicunque quempiam deprehenderunt, in Judicis ejusdem loci domum pertractum, ad communionem Catholico more, minis & terroribus adegerunt, ejecto Evangelico Parocho.

In Oppido Kapu, incolæ hactenus in sua Religione pacificè viventes, turmatim per Heydones ejusdem Domini Comitis, in Arcem ibidem habitam pulsi, eis quamvis renuentibus, ac præ animi dolore lamentantibus, Sacramentum obtrusum est per Plebanum.

Ex Oppido Szent Miklos, idem Dominus Comes de Nadasd, circa Festum Nativitatis Christi, quatuor ex oppidanis primariis, Evangelicæ Religionis, in Arcem Scheibesdorff, extra Regnum abduci curavit, quos statim in vincula conjectos, non dimisit priusquam confiterentur Sacerdoti Catholico. Postmodum similiter quatuor, quinque, quandoque sex personas noctu, nihil adversi metuentes,, per Heydones capi, ligarique & sic vinctos ad Arcem Kapu deportari, incarcerari, post perpessos varios carceris squalores eximi, tribus baculis verberari, & sic ad Catholicam Relig. eosdem cogi & compelli curavit.

Intra & cis-Rabam per eundem Comitem de Nadasdy Patres Jesuitæ, quibus adjuncti erant nonnulli milites Germanici & Heydones expediti, passim in ditionibus Ejus, miseros subditos Evangelicos partim variis excogitatis modis, blanditiis & pollicitationibus, partim verberum comminationibus, ut sibi templorum claves traderent, compulserunt, & ab Evangelica Religione abstraxerunt, prouti in prænominato Oppido Szent Miklos Georgius Tomties, Rationista Kapuvariensis, adjunctis sibi undique ex vicinioribus pagis rusticis, ac sancita in contravenientē quadringenta florenorum pœna, Templum magno impetu & caterva hominum adorsus ac inde Concionatore Evang. excluso, parochiam & templum, cum Proventibus occupavit.

In Possessione Nagy-Czenek idem Comes Nadasdy, per servitorem suum Policarpum Gluboczer, alias Evangelicum, serio demandavit Ministro Evangelico, ut egrediatur sponte Parochiâ alioquin per media sibi minus grata egressurum. Qui libertate Religionis fretus, cum se minis absterreri passus non fuisset, interjecto non longo temporis intervallo, idem Minister, per exmissos armatâ manu satellites, datis in prædam facultatibus ejus, ejectus est, ac nisi singulari Dei providentiâ, manus furentium evadere contigisset, ibidem horrendè interfectus fuisset. Templum verò cum Parochia, earundemque pertinentiis occupatum.

In eadem Possessione Czenek, Evangelicis sepultura denegatur, & utut cum solitis ceremoniis non expeterent, solam tamen terram mercari coguntur: prout in Festo Paschatos Petrus Szabo, plebano ibidem pro licentia sepeliendi uxorem suam, florenos duodecim dare debuit. Incolis etiam prænominatæ Possessionis Czenek, per Jesuitas præterito Festo Paschatos, sub pœna florenorum XXIV. commissum est, ut omnes ad confessionem accedant, ad quam etiam immaturæ ætatis & puellæ pulsi: Cumque Judicis Stephani Kovacs, uxor accedere noluisset, duo boves mulctæ loco sunt abacti, ipsaque Keresztúrinum deducta atque ab Officialibus durissimè habita, confiteri coacta est.

Templum Horpachiense Patres Jesuitæ, simili ausu & potentiâ mediante occuparunt, Parocho contumeliosè excluso.

In Oppido Los, Johannes Tolnyai, ejusdem Comitis de Nadasd Servitor, nescitur unde motus, adjunctis sibi nonnullis aliis, de nocte in Parochiam irruens, foribus præfractis, fornace, obviaque suppellectile concussa, furibundus hinc inde per parochiam, & hortum ingenti vociferatione cursitando, sclopetaque exonerando, Ministro necem inferre conatus est. Quo postmodum exinde ejecto templū & parochia occupata.

In possessione Roytœk, nobilis quidam Adamus Hertelendi, contra cœterorum Dominorum compossessorum voluntatem & authoritatem, Concionatorem Evangelicum, per inhumanas vexationes barbam evellendo, & ædibus parochialibus in Curiam suam nobilitatem, per famulos suos extrahendo, violenter exturbavit & Templum occupavit.

Ma-

Magnificus Johannes Viczay suo & Illustrissimorum Comitum de Nadasdy, & Pauli Eszterhazy, nec non Reverendissimi Domini Episcopi Jauriensis nomine, ad Incolas possessionis Rœtœk & Musai Juratum Assessorem Comitatus Soproniensis Michaelem Telekesy misit hisce formalibus denunciando: Dominus Magnificus Johannes Viczay ex voluntate prælibatorum Dominorum Comitum, sic etiam Episcopi Jauriensis misit me, ut Juratum Assessorem, ad vos Musaienses & Rœytœkienses, ne vestrum quispiam Concionatori Evangelico hospitium dare præsumat, sub pœna prohibitionis perpetuæ à piscatione, & lignorum sectione.

In Oppidum Kil, memoratus Comes de Nadasd. servitorem suum Balintfi (melius Bolondfi) expedivit, qui terroribus clavem Templi Evangelicorum, tàm à Pastore, quam à Plebe extorquere tentavit; quâ non obtenta abiit, majorum calamitatum comminatione effusâ, nec in vanum, paulo post enim Nobilis Petrus Landor, prætacti Comitis itidem Servitor, & in persecutione instrumentum, cum valida annatorum manu, oppidum invasit, incolis inclementer tractatis, post tædia vexationum claves templi ademit, & pulsu campanarum dato, sub gravi pœna in Templum omnes congregari, sine sexus discrimine coëgit. Ubi postmodum plorantibus & ejulantibus Sacramentum porrigi jussit.

In possessione Juan, idem Comes de Nadasdy, non absimili modo processit, non Ministro Evangelico illius loci, quem in contumeliam Aurigam appellabat, necem atque omnia primò extrema minatus, postmodum à minis ad effectuationem condescendit, siquidem præmentionatum servitorem suum Bolondfi, cum nonnullis Heydonibus illuc expedivit, qui circumcinctâ undiquaque parochia, Ministrum Evangelicum injuriis variis affectum, à parochia exturbavit, parochiam cum proventibus præviâ confiscatione Bonorum universorum ejusd. Ministri, violenter occupando, in templum beneficio scalarum descendit, effractisque foribus aperuit, Catholicisque assignavit.

In possessione Szeplak, Magnificus Sigismundus Megyeri, dum ex congregatione in oppido Los celebrata, domum rediisset, vocato ad se concionatore Evangelico, eidem strictissimè injunxit, ut à modo in perpetuum, officio abstineret, nec amplius in ditione suâ, Ministerium suum exercere præsumeret, gravia eidem comminando, Quo postmodum expulso, Templum cum parochia occupavit,

In possessione Hegykü, templum tam per possessores prædecessores, quam modernos Incolas ab Evangelicis possessum, servitores ejusdem Comitis de Nadasd, aggressi sunt, cumque per Servitorem quendam, nunc secum abductum, aperire frustrà tentassent, postibus Januæ evulsis, templum temerario ausu occuparunt. Postmodum Stephanus Szekhely, Judicem illius loci, & quinque cum illo Juratos in fœtidissimum anserum & gallinarum stabulum conjici curavit, in quo per integram noctem detenti, sequenti die, manibus eorum, non secus ac si ad torturas ducendi essent, atrocissimè ligatis, extractos, vexationumq; pertæsos & præsentium periculorum, Religionem mutare coëgit.

In possessione Csapod, Ministro Evangelico per ejusdem Comitis Officialem primo, tandem per Heydones, deniq; verò per Georgium Tomsics Rationistam Kapuvariensem denuntiatum est, nisi benevolè parochia excessent, clavemque templi unà cum calicibus, manibus eorum assignaverit, cum toto corpore verberibus contusum ac ensibus ad frusta concisum, foras ejectum iri. Quo sponte cedere nolente, postmodum antelucano tempore sub quarta videlicet noctis vigilia, comparatis nonnullis auxiliis, janua conquassata, eundem Ministrum cum omnibus suis reculis, publicam in plateam ejecit, Judicem verò & cum illo sex Primarios vinctos, in Kapu-Var abduci curavit, ubi jussu Castellani Ladislai Gyœngyœsi, per Heydones tribus baculis ad cruorem usq; percussi sunt. Neq; hoc crudelitatis specimine saturatus, dum miseri post perpessos verberum dolores humi jacerent, pedibus eos calcans securi tam immaniter verberavit ut laterum ossa nonnullis confregerit, non Christianum saltem, sed & humanum modum totaliter excedendo. Prædicti autem Ministri uxore quatuor dierum saltem puerpera existente, Parochiaque egredi coactâ: infans ejusdem, per agitationem & concisionem in curru exanimatus est.

In Kœhalom aliter Steinberg / incolis in Festo Pentecostes nomine ejusdem Comitis de Nadasd, per Nobiles Petrum Gadoczy & Paulum Despoth, serio demandatum extitit, ut Concionatorem suum ordinarium exautorent, Templum aperiant & Plebanum Catholicum introducant, sicque per omnia voluntati præfati Comitis pareant, & sese omnimodè accommodent. Qui posteaquam libertati Religionis Evangelicæ firmiter inhærendo spe avertendi à se mali, Dominum Comitem supplici suo libello injurias suas repræsentando, protectionemque & quietem conscientiarum implorando requisivissent, Comes sub eo prætextu, quasi non à tota communitate hæc agendi haberent potestatem, demisit. Qui ut fidem, communis consilii sui ac consensum facerent, sexaginta è medio sui delectas ad Comitem expediverunt, iis itaque in præsentiam admissis, quæsituri ex ipsis fuit. Num Catholici esse vellent an verò Rebelles? Quâ quæstione simplices homines irretiti, & terroris pleni, infecta reabierunt, nec postea à parte Comitis cessatum donec Pastore violenter remoto plebs ad Religionis mutationem compulsa est, per ipsiusque satellites crudelissimis verberibus, mulctis, carceribus, & aliis hujusmodi diris mediis enormiter divexata, clavem templi assignare recusassent. Cum autem sequenti die Concionatori Evangelico funus ibidem humandum, ac solitis ceremoniis templi eundum esset Patre Priore Leutevienfi, cum Dominis Petro Anyos, Petro Godoczi & Paulo Despoth inter venientibus, clavis templi attunc in mensa parochi inventa per Gadoczium abrepta & priori correcta est, qui accepta eâ, templum illicò ingressus, illud occupavit.

In possessione Bogyoszlœ, ipso Festo Pentecostes Evangelicis in templo meridiana sacra peragentibus, sæpè mentionatus Bolondfi dum ipsemet Concioni interfuisset, finita eadem, una cum auditoribus aliis egressus ac in Parochum sarcasticis & contumeliosis verbis à quibus pia mens abhorret, invectus, eum injuriosè tractavit:

Incolis verò, ne Evangelicum Pastorem intertenerent, seriò demandavit: post aliquot dierum intervallum, una cum Petro Landor, idem Bolondsi, certis quibusdam Equitibus assumptis, nomine comitis de Nadasd in Parochiam ibidem habitam iterum supervenit, & Ministrum Evangelicum Georgium Bükü novis contumeliis & conviciis proscindens, severe minatus, nisi intra spatium viginti quatuor horarum Parochia excesserit, clavemque Templi eisdem assignaverit, sese certò superinducturos Musquetarios ac per eos vulneribus ac verberibus affectum ejecturos, facultatibus ejus in prædam datis. Postquam verò idem Pastor Templi clavem, utpote quæ à Nobilibus Ecclesiæ ejusdem Patronis asservabatur, resignare non potuisset: statim Jesuitæ simul præsentes medio cujusdam satellitis, Matthiæ Csorbo, seris in janua Templi pensilibus perfractis, Templum occuparunt.

In Possessione Uyker, ejecto per ejusdem Comitis de Nadasd, pedites armatos, loci Parocho Evangelico, Templum est ademptum.

In Possessione Scopor, idem Comes de Nadasd, in transitu Sarvarinum serras ad januas cœmeterii & Templi applicatas confringi & alias apponi curavit, atque sic Ministrum Evangelicum ut & auditores loci ejusdem Nobiles pariter & ignobiles, à cultu divino exclusit, ac postmodum anno nunc currenti Dominica Invocavit, Jesuita Pater Bacsi cum sibi adjunctis Clericis, pariter & servitoribus antelati Comitis, templum occupavit.

Similiter anno præterito, in Festo Nativitatis Christi, dum Borgoczienses Nobiles pariter & ignobiles, ad cultum divinum & Sacramentorum usum Nemeskerum venissent, finitisque ibidem sacris, domum sese contulissent, à custodibus sylvarum prælibati Comitis de Nadasd, vestibus ac omnibus armis sunt despoliati, & ab eo tempore, nullus eorum audet venire ad suæ Confessionis Ministros Evangelicos.

Eodem Anno, Dominica Palmarum Johannes Kisfaludi, adscitis sibi militibus, toties fati Comitis de Nadasd, ferè ducentis, Templum possessionis Miguly, Insulæ Rabalicz, armatis manibus occupare conatus est, ac nisi Patroni ejusdem loci Evangelici, cum auditoribus sese opposuissent, Templum eis ademptum fuisset.

In Pordany, Barbacs, & Bodahely in Insula Rabakœcz, homines ejusdem Comitis Nadasdy, Ministros Evangelicos appellentes, Parochias ibidem prout & Templa eorum occuparunt.

In Keczel, Generosus Dominus Stephanus Radvany, & consors ejusdem, Ministrum Evangelicum expelli Parochiam & Templum occupari fecerunt.

Magnificus Adamus Cziraki, Templa in possessionibus Beled & Rabakocz, & Czirak occupavit, exclusis Evangelicis, introduxitque Catholicos.

Similiter etiam Templum possessionis Vasarosfalu, Filiale Ecclesiæ Beled, Evangelicis est ademptum.

In Possessione Musay, cum Nobilis quidam Jacobus Horvath, filiolo suo demortuo, in communi cœmeterio Roytoliensi, sepulchrum fieri curasset, famuli Adami Hertelendi & Casparis Josa, Vespilionibus pulsis, illud iterum terra repleverunt, & sic miser coactus defuncti filioli cadaver, in aperto campo sepelire.

In Valbersdorff, aliter Barbollya, duo ex militia Germanica, ad hyberna illuc collocati præcipui Officiarii, præter Mensem Februarium versus Parochiam equitantes, eam sibi aperiri postularunt, quod dum ibidem constituti tres vigiles denegassent, ipsemet Generalis Adjutant, ab equo desiliens, transcensaque porta, evaginato gladio, vigiles insequutus est, & expulit.

Postmodum effractis interioribus januis, reliqui simul adsciti, Parochum quæsiverunt, quem cum invenire non potuissent, Simon Desposh fenestras concutere cœpit, ac unam bombardam, & duos gladios vigilum illuc destinatorum, secum abstulit. Sequenti die Dominus Comes Paulus Eszterhazi superveniens, clavem templi, à Judice & Juratis postulavit qui excusantes sese quod sine præscitu Dominorum Terrestrium in præjudicium eorum nihil facere possint, à Servitoribus ejusdem Domini Comitis, verberibus & aliis probis pessimè sunt tractati ac tandem clave ipsis ereptâ, ipsemet Dominus Comes Templum ingressus, illud occupavit, clavemque adstanti Clero assignavit.

In Veperd, Dominus Comes Franciscus Keri, postquam non ita pridem Evangelico Ministro denunciari curasset, ut si vitæ & facultatibus suis consulere velit, sine mora Parochia excedat, sequenti die similiter sub carcere & alia gravi comminatione, obtenta miseris subditis clave, Templum ibidem habitum, una cum Filiali in Kabold occupavit.

Sic quoque Templum Büense, in feriis Pentecostalibus, à Patribus Jesuitis Soproniensibus adjunctis sibi militibus Germanis, Sarvariensibus pedestris Ordinis, ejecto loci Ministro ordinario est occupatum, confiscatis omnibus Ministri rebus.

In Possessione Keresztur, in Insula Rabokœcz, quod Evangelici defendendo Cœmeterium & campanas, quas Dominus Præpositus Csornensis, tempore illuc peractæ Processionis per suos pulsare voluit, id non admiserint, ob hoc per breves articulos super violentia aliquot ex Keresztúriensibus & Sebehaziensibus in litem attracti, in onere actionis convicti sunt.

In Comitatu Castriferrei.

In Possessione Peczel, servitores Domini Comitis Georgii ab Erdœdi una cum Plebano Veszpriensi, manibus armatis Parochiam Evangelicorum invadendo, Ministrum eo tum planè domum redeuntem, diris verberum plagis afficiendo, per brachia arreptum, universisque bonis suit exutum extraxerunt, & exturbarunt.

Idem Dominus Comes Georgius Erdœdi in oppido suo Vep, non solum Ministrum Evangelicum, per homines suos ad id deputatos violenter exturbando, Parochiam, locumque simul pro Templo & Schola, per Commissarios Regni iisdem Evangelicis loca antea occupatorum assignata, excisa & deputata à reque proprio Evangelicorum exoluta, prævia tali quali illegitima æstimatione occupare fecit: verum etiam rebus

ejus-

ejusdem Ministri universis, in publicam plateam ejectis, nec in domos Colonorum importari permisit; sed in atrocissimo frigore, per tres dies atque noctes, ibidem custodire coactus, alio tandem vehi curare, idem Pastor debuit. Subditorum etiam Evangelicorum rebus universis conscriptis, registratis, eisdem intimari curavit, nisi Religione sua desertâ Catholicam amplecterentur, cum jacturâ omnium bonorum suorum, singulos eorum singulis quatuor florenis contentatos, cum bacillis in exilium relegaturos. Sed cum eosdem nec his minis flectere ad suam opinionem potuisset, conscripta & congregata in bonis suis Valachicis certâ quasi malitiâ, ad præfatos Colonos suos, variis quibus possent, injuriarum & calamitatum gravaminibus affligendos & vexandos, sub prætextu quartiriorum condescendi fecit. Sed nec his contentus eosdem ferè omnes, sine discrimine sexus, in Castellum suum, ibidem extructum accersiri, & ad mutationem Religionis variis modis cogendo, nonnullos veluti Johannem Szeker, alioquin etiam senectute gravatum, tribus baculis crudeliter verberari, ac semi-mortuum in carcerem suum injici curavit; alios verò, donec Religioni suæ pristinæ renunciarent, ex captivitate non dimisit.

In Eolybo, Petrus Landor, Comitis Francisci de Nadasd, certorum militum Ductor, Parocho ejusdem loci Evangelico primò denunciavit ut Parochiam eandem sponte relinqueret, quod cum idem facere nollet, mox plebanus Sarvariensis cum præfato Ductore, & viginti Musquetariis prælibati Comitis ad latus habitis eundem in Parochia constitutum hostiliter invaserunt, & una cum conjuge Ductor quidem flagello seu scuticâ, alii verò sclopporum ictibus, per omnia corporis membra, durissimè per integram ferè horam tractatum & vexatum, extorta demùm ab eodem Templi quoque clave, & universis ejusdem Bonis in prædam actis ejecerunt & exturbarunt. Quem Ductorem cum quidam ex laboribus redeuntium Auditorum hæc oculis tristibus intuens, modestè satis, vix hæc ex mandato Domini Comitis fieri, alloquutus fuisset & monuisset, lethaliter ab eodem vulneratus est.

In Szemieny, idem Petrus Landor, crudelem & injuriosam hanc executionem ulterius quoque continuare volens, hujus etiam loci Evangelicum Ministrum, cum ad ternariam severissimam & quidem vinculis & compedibus minatoriam ipsius denunciationem, Parochiâ cedere nollet, una cum plebano Sarvariensi, assumptis secum sedecim Musquetariis, & quatuor Equitibus, violenter invaserunt, eundemque exinde cum summâ indignatione & ignominiâ, contrà expressas constitutiones exturbarunt. Ubi postea pro sepultura Nobilis Michaelis Isdenezi, absque pulsu campanarum & aliis solennitatibus peractâ, decem Imperiales plebano Catholico solvendi erant.

In Rött, quoque Parochiam primùm Paulus Despoth, & Petrus Gadoczi, toties fati Domini de Nadasd servitores, nomine ejusdem Domini ipsorum, magno cum fremitu & vehementiâ invaserunt, evaginatisque gladiis, nisi loco cedere vellet, Parocho Evangelico mortem præsentem minati sunt. Ob quam ipsorum violentiam, quamvis miseri subditi, apud prætitulatum Comitem, mediante supplici Libello conquesti sint, tantùm tamen abfuit ut exaudirentur, ut potius paulò post Prior Monasterii Lucensis, assumptis secum satellitibus, & parochiam & templum Evangelicorum ibidem violenter occupaverit miserosque subditos omnibus, quibus potuit, violentis mediis, ad assumendam Romanam coegit Religionem.

In Possessione Bunya similiter templum Evangelicorum, vi constitutionum Regni, antea ipsis per Commissarios Regni assignatum, Judex ejusdem Comitis de Nadasd Leucensis, assumptis & sub pœnâ quinque florenorum convocatis Oppidi ejusdem inhabitatoribus, manibus armatis primò violenter invadens, effractô templi tectô, campanam propriis Evangelicorum expensis non pridem comparatam auferri, & in prætactum Oppidum Leucense transportari curavit.

Altari deinde, suggestu, sellis, aliisque templi ornamentis, à majoribus ibidem fundatis, confractis & comminutis, cum jubilo, veluti egregio ab eodem perpetrato facinore, abinde recessit, & tandem sequenti die, exturbato cum ignominia Pastore Evangelico, & templum & parochiam, cum suis accessoriis ademerunt & violenter occuparunt.

Templum similiter Pörgoliense Evangelicorum, una cum parochia & eorum proventibus per homines ejusdem Comitis violenter occupata sunt, calices item proprio Evangelicorum ære comparati, magno eorundem damno & præjudicio erepti & ablati.

Pastorem Evangelicum possessionis Szedeny, plebanus Oppidi Csepreg, Johannes Szakony, nescitur qua temeritate ductus, cum sex aliis personis ad latus habitis, per Oppidum cum sibi associatis itineris comitibus, pacifice transire volentem, veluti ex improviso insidiis hostiliter invasit, detractum curru terræ allisit, & ferè ad extremum vitæ habitum durissimis verberibus affecit.

In Possessione Alsokelesztholy, Stephanus Horvath, idem repetiti Comitis de Nadasd servitor, certis Equitibus, & Musquetariis stipatus cum resistente Francisco Szelesthi, templum loci istius Nobilium Evangelicorum, occupare primò intuitu nequivisset, sequenti die Licenciatus quidam Eolbiensis, serario Sarvariensi, & nonnullis peditibus secum assumptis, attactam Possessionem clancularie subintrantes, fores templi aperuerunt, datoque campanæ pulsu, Pater quidam Jesuiticus cum aliis, & præmentionati Comitis de Nadasd Capellanus Lenthensis, Alexander Valdinai, cum satellitibus secum habitis, ex sylva ibidem proxima, ubi se occultarant, prodeuntes, idem templum pro se violenter occuparunt.

Illustrissima quoque Domina Comitissa Sara Draskovicz, Comitis quondam Dionysii Sechi de Rima Sech relicta vidua, templum Evangelicorum Felso-Lindaviense, una cum scholâ & pertinentiis violenter ademit.

Saariense quoque templum, cum omnibus suis pertinentiis, per præfatum Comitem de Nadasd, Evangelico Ministro ibidem amoto, licet

cet antea à Dominis Regni Commissariis tribus vicibus fuerat Evangelicis restitutum, ademptum est.

Ita etiam in Szent Groth, templum, una cum Parochia & proventibus bonisque parochialibus, occupatum est. Similiter in Nygér, templum, parochia & coloni parochiales cum omnibus pertinentiis, ejecto per ante memoratum Comitem de Nadasd, concionatore Evangelico, possidetur à Catholicis.

In possessione quoque Csakany, ejusdem loci Capitaneus, Blasius Kisfaludi Ministrum Evangelicum exturbavit, templumque violenter occupavit.

In Comitatu Mosoniensi.

In possessione Pomogy, cum Minister istius loci Evangelicus, ad severam Domini Comitis Pauli Eszterhazi, per officialem Bonorum suorum, ad lacum Ferthô adjacentium, factam denunciationem, statutis & superinde Religionis libertate fundatis legibus fretus, Parochia sua spontaneâ voluntate cedere nollet, quidam ex Servitoribus Aulicis, præfati Domini Comitis, Patribus Jesuitis & quatuor peditibus Germanici stipatus, in pagum venit, & Parochum abesse animadvertens, foribus templi ab intra apertis, alii quoque ingressi sunt, ubi in despectum & contumeliam Evangelicæ Religionis, libro agendarum ceremoniarum ad Altare reperto, conscisso & dilacerato, organum quoque Regale dictum exinde abstulerunt, & hac ratione templum illud, violenter occuparunt. Sed his non contenti, verum pluribus etiam complicibus associatis, in miseram plebem conversi sunt, quos miris & crudelibus mediis divexantes & affligentes, ad deserendam Religionem Evangelicam compulerunt, & demum sub mulctâ quinque florenorum, singulis inhabitatoribus audiendam Missam indixerunt & promulgarunt.

In Oppido Naisider seu Neusidel Religioni Evangelicæ addicti incolæ, per Dominos Johannem & Georgium Lippai, variis modis affliguntur & opprimuntur, in libero Religionis exercitio turbantur, cum videlicet Leges & puncta, huic libertati manifestè contraria, & nimis præjudiciosa, sub gravissimis mulctis, cum læsione conscientiarum suarum observanda iisdem imponuntur: nempè ut templum ibidem Catholicorum frequentarent, ceremoniasque Religioni suæ contrarias, sub quadraginta florenorum mulcta; ne unquam duo vel tres præcisè Evangelicorum convenirent in unum: & si contingat vel postulet quatuor vel quinque eorum convenire, unum ejusdem conventui Catholicum adhibeant bona itidem sua ibidem habita, sine præscitu, vel prævia apud Judicem loci intimatione facta, impediantur divendere, aliis verò domos ibidem emere volentibus, emptio non admittitur. Item viduæ Evangelicis nubere, funera Evangelicorum cum cantu seu Processione Evangelica abduci, iisdem publica officia gerere, nonnullis qui hactenus in similibus constituti fuissent amotis, non permittuntur. Ac contra expressa Regni sancita, verbo Regio confirmata, arcebuntur ab introductione Ministri Evangelici, sub confiscatione universorum Bonorum introducentis: vel si nomine totius Evangelicæ communitatis fuisset adductus, mulcta sexaginta florenorum cum interminatione mortis, Pastori Evangelico Golczensi, idem oppidum contrà præmissa statuta intrare præsumenti, inferendæ indicta est. Supplicatum quidem extitit, iisdem Dominis Lippay, de relaxanda, intuitu Diplomatum Regiorum & articulorum super libertate Religionis sancitorum, hac rigorositate, sed frustra laboratum.

In Oppido Golz aliter Galos, iidem Domini Lippay, cum loci istius Pastorem Evangelicum exturbare frustrà tentassent, præcipuos incolas, subditos suos possessionatos citatos, Rebelliumque & refractariorum criminis accusatos, in Residentia Archi-Episcopali, ibidem in vinculis & carceribus detentos non nisi depositâ grandi pecuniariâ mulcta dimiserunt.

Templum quoque possessionis Kility iidem Domini Lippai, sub prætextu debiti, quod censum ordinarium ipsis uti Dominis Terrestribus incolæ præstare nequivissent occupari curaverunt.

In Comitatu Jauriensi.

Templa possessionum Eottereny, Zamoly & Darno, per Reverendissimum Dominum Episcopum Jauriensem, sunt occupata, & Ministri Evangelici contumeliosè exturbati.

Inhibent etiam officiales Dominorum Johannis & Georgii Lippai, incolas Evangelicos possessionis Radvany ab intertentione Ministri Religionis ipsorum: Virgines autem Moniales Posonienses ab eadem tanquam Matre Ecclesia, incolas Patasienses, gravi cum comminatione abstraxerunt, & contra voluntatem eorumdem incolarum plebano Posiensi applicuerunt.

In Præsidio Jauriensi, à trium duntaxat annorum spatio, opifices juvenes Evangelici, signanter Pelliones in Contubernium seu Cecham seniorum opificum Pellionum, contra antiqua ipsorum Privilegia & usum in contubernio ipsorum antea semper continuatum, ob reminiscentiam cæterorum Magistrorum pellionum Catholicorum Cechæ eorumdem adhærentium, odio & contemptu Religionis manifesto non recipiuntur. Similiter & cum sartoribus proceditur: Ex quorum contubernio nonnullis, Magistris ejusdem artis anno jam præsenti, per Reverendum Dominum Franciscum Gorup, Episcopum Noviensem ad se accersitis, certos ipsorum articulos Cechales, antea ex eodem Capitulo Jauriensi, sub sigillo Capituli, per modum Privilegii emanatos & ipsis elargitos, longoque temporis spatio usu pacifico roboratos, sibi sub certo prætextu assignari curavit, atque ultrà unius Mensis spatium, præ manibus suis retinendo, nonnisi ad creberrimam sollicitationem atque instantiam præmemoratorum Magistrorum sartorum, cum præjudiciosæ clausulæ & conditionis, ad calcem appositæ additione, ne imposterum Cechales prærepetiti quemquam sartorum Evangelicorum Jauriensium, sub mulctâ florenorum quadraginta, in contubernium suorum recipiant, extradavit. Quos quidem extradatos articulos cum unanimi consensu Cecharum prælibatorum tam Catholicorum quam Evangelicorum, tanquam per adjectam præmissam clausulam præjudiciosos,

me-

mediante Protestatione restituissent, subq; pristina forma, in qua nimirum Prætitulato Dño Episcopo concredidissent, ipsis extradari absque cujusvis clausulæ additione sollicitassent, petitos tamen nullatenus ad hoc usque tempus obtinere potuerunt; Non sine gravi Diplomatum Regiorum & legum Patriarum læsione.

In Comitatu Comaromiensi.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Georgius Lippay, Archi-Episcopus Strigoniensis, relegavit & exclusit Evangelicos subditos ex possessione Balvany-Szakalas, ex eo quod Catholicam Religionem amplecti noluissent, & alios loco eorum Catholicos condescendere fecit.

Inhibent Moniales Posonienses, incolas possessionis Apaczaszakalos, sub gravi mulctâ, & concionibus Ministri sui & exercitio Religionis Evangelicæ.

Turbantur Jajenses quoque, à Domino suo Terrestri, libero Religionis suæ exercitio.

Illustrissimus Dominus Comes à Buchain, exturbavit Ministrum Evangelicum ex possessione.

In Comitatu Veszprimiensi.

In præsidio Papensi, Illustrissimus Dominus Comes Paulus Eszterhazi de Galantha, attunc supremus Capitaneus ejusdem præsidii Papensis, in Anno 1659. occasione denegatarum clavium, & sepulturæ, in cæmeterio intra idem præsidium adjacente, fiendæ, ac ex accepta superinde Evangelicorum resolutione, præconceptæ imaginative conspirationis, in perniciem, ut nonnulli diversæ Religionis homines opinabantur, ejusdem Domini Comitis & reliquorum Catholicorum vergentis & tendentis dictos loci Evangelicos apud superiores Magistratus super inde deferendo, & præter omnem culpam & demeritum eorundem per Generalem præsidii Jauriensis tres Veyvodas Evangelicos, odio duntaxat Religionis, in præsidio Jauriensi arestari, & per bimestre spatium detineri curavit, quos nonnisi post sufficientem innocentiæ eorumdem trecentas & octoginta testium fassiones, contestatas per binas inquisitiones, ex mandato quoque M. V. S. ex prædicto aresto, idem Dominus Generalis Jauriensis dimitti fecit.

Secundò: Idem Dominus Comes, post annualem revolutionem in præsidium præscriptum Papense, cum Servitorum nec non militum Devenserieasium ac libertinorum suorum copioso ingressu, Oppidanos Evangelicos, per condescensionem præmissorum aggravare volens, excogitatis mediis & terroribus ad deserendam Evangelicam & subeundam Catholicam Religionem præsuppositis, cum ablatione rerum victui & amictui deservientium, & suppellectilis domus deprædatione, eosdem summoperè aggravabat.

Tertiò: Postmodum dictos Oppidanos Papenses, nec non incolas possessionis Borsos Győr hactenus cum Evangelico milite & militibus stipendiariis ejusdem Præsidii Papensis, attunc aliquantisper templum possidentes, & muros Evangelicos intertenentes, sub mulctâ duodecim florenorum ab exercitio cultus Divini, in templo Evangelicorum continuando, tam ipsos, quam verò familiam ipsorum, inhibuit solutionem Evangelicorum Ministrorum, & Ludi-Magistris per eosdem præstari solitam interdixit: eorundemque filios à liberalibus Artibus & ludo literario Evangelicorum deterruit, victu quoque ordinario Scholæ Alumnos prohibendo privavit & honesta sepultura cum usu campanarum per Ministros & Scholasticos Evangelicos fienda inhibuit, infantes quoque Baptismi per Ministros Evangelicos administrandi usu privari fecit.

Sed quartò: His idem Dominus Comes non contentus, verùm certas quoque Nobiles Personas Evangelicæ confessionis, templo Evangelicorum & cultu Divino, sub Birsagio duodecim florenorum, prohiberi curavit.

Quinto: Pariformiter antelatus Dominus Comes, ex Colonis suis, in eodem Præsidio Papensi degentibus, viginti quinque potiores & seniores seligi & capi curavit, quorum duodecim in Arces suas Lanser & Frakno captivos transmisit, eosdem in dira captivitate detinendo, reliquos autem in Arce sua Papa asservari curavit, quorum (cæteris per diversas coactiones & terrores à Religione suâ deficientibus) unus nempe Georgius Vesprini dictus Szabo, licet variè etiam cum comminatione alligationis ad caudam Equinam fiendæ territus, in sua tamen Religione tum permanens, iri pedibus & manibus vinctus, ac in Arcem Lakonbach transmissus, ibidem in dira captivitate, in tantum detentus est, usquedum Evangelicæ Religioni renunciasset.

Postmodum reliquos quoque suos Colonos, ibidem degentes, sinè discrimine sexus, uti & annosas vetulas, capi curavit & squallore teterrimi carceris divexando, excogitatis aliis terroribus vi ad Religionem Catholicam, reclamante eorumdem conscientiâ, adigere nihil pensi duxit: Nec aliter quam obtentione confessionis, ab insolentibus militum condescensionibus liberati fuerunt: Nonnulli verò conscientiâ ducti, relictis hæreditatibus & rebus ipsorum, ac in rationem Domini Comitis confiscatis, clancularia fugâ sibi consuluerunt.

Sexto: Inquilinos quoque tam Nobilium, quàm militum stipendiarios utriusque sexus capi & persequi curavit, & ad mutandam Religionem ipsorum compulit. Unde quamplurimi ejusmodi coactione captivitatis & persecutione territi, Præsidium M. V. S. Libertini milites & Mechanicarum Artium sectatores alioquin defensioni & commodo Præsidii deservientes, ultra sexcenti aliorsum sese conferendo, denudatum reliquissent.

Septimò: Insuper Præfatus Dominus Comes, eo licentiæ progressus, ut Nobiles quoque Evangelicæ confessionis Personas per incaptivationes ad Religionem Catholicam, nullo habitô respectu prærogativæ Nobilitaris, etiam cum confiscatione hæreditatum & rerum mobilium, in rationem ejusdem Domini Comitis factâ, quàm plurimas damnificando, compelli curavit. Ita etiam relictæ Michaelis Csor, in

in eadem Arce Papensi per certum tempus in captivitate detentæ, cibum per ejusdem homines administrare vetitum fuit, quæ dum nullis minis, aut carcerum cruciatibus, ad fidem Catholicam induci potuisset, per certum lacum eidem Præsidio contiguum, licet diversis conviciorum generibus, honestam famam proscindentibus affecta, & Caninæ fidei insimulata, ac in eodem Lacu submersione territa, scapha trajiciendo ad ripam, de universis hæreditatibus rebusque suis, bacillo manibus suis tradito, ignominiose ejecta, exilium pati, & ex post filia quoque ejusdem, relicta videlicet quondam Georgii Bogacs, ob Religionem Evangelicam subsequi coacta fuit.

Octavò: Præsidiarios etiam Mechanicos, ex quibus aliqui Nobilitari prærogativa gauderent, usque ad mutationem Religionis Evangelicæ ipsorum, ab exercitio artis suæ, sub mulctâ duodecim florenorum prohiberi fecerat quidem, requisitione tamen medio Vice-Capitanei facta, usque ad ulteriorem suam declarationem usum earundem Artium vicissim concessit. Nihilominus Articulos seu literas superindè Privilegiales antiquas, pro reservatione tantùm in Arcem induci procuratas, idem Dominus Comes apud se detinendo, iisdem novos Articulos, ac Religioni ipsorum contrarios, cum gravi eorundem præjudicio, confici curavit.

Nonò: Et licet per integrum Regnum Hungariæ, externis quoque Nationibus, signanter verò Rascianis, Anabaptistis, Zingaris, imò & Judæis ac Turcis, venditio libera existeret, quam plurimis tamen Evangelicis Papensibus, ante mutatam ipsorum Religionem, sine scheda interdicta fuit. Proh dolor! Quod aliis Nationibus sine Diplomate æque libere permittitur, in illo tamen Evangelici, licet Diplomate assecurati, interturbantur.

Decimò: Colonis itaque ejusdem Domini Comitis, excogitatis mediis & terroribus, ab Evangelica ipsorum Religione deficientibus, iidem Coloni ex insinuatione nonnullorum certum libellum supplicem confici curarunt, mediantequeeo templum reliquorum Evangelicorum ejusdem loci sibi ipsis per Dominum Comitem assignari postularunt. Idem etiam Dominus Comes, idem templum, una cum cœmeterio, turribus, campanisque, noctis sub silentio, pro Catholicis occupavit, ac etiam in præsentiarum detinetur.

Undecimo: Similiter certa quædam bina molendina, ad Parochias Evangelicorum pertinentia, contrà præscriptam libertatem Evangelicæ Religionis, jam antea sub specie talis qualis æstimationis occupari curavit.

Postmodùm sigilla tam Oppidanorum Colonorum suorum, quam verò nonnullarum Mechanicarum Artium Ceecharum in Arcem Papensem inducta sunt, ibidemque iisdem pro parte attacti Domini Comitis, juxta nutum & voluntatem ejusdem, tales quales testimoniales confectæ ob sigillatæ sunt.

Duodecimò: Majestas Vestra Sacratissima, clementer recordari dignetur excessuum ejusdem Comitis Pauli Eszterhazy, per eosdem Evangelicos Papenses jam antea uberius repræsentatorum, & per eandem Majestatem Vestram, ad ordinarium processum, cum libero tamen recursu, relegatorum; tantum tamen abest, ut idem Dominus Comes, ab ulterioribus injuriis inferendis abstinuisset: quin potius sub diversis prætextibus, eosdem Evangelicos aggravare, damnificare, condescensioneque colluviei libertinorum ac colonorum, in formam Germanicæ militiæ armatorum, ad id assumptorum, in Domos Nobilium Evangelicorum facta, odio Religionis opprimere & per reliquos præmissos, nonnullorum januis effractis, vina eorundem & alias res Domesticas, diripi facere haut supersederet; Unde non ita pridem, nescitur ex quo respectu, ejusdem Domini Comitis Heydones, quosdam Evangelicos persequentes, ac iisdem in scholam Evangelicorum sese recipientibus, ibidem eos incaptivare volentes, fores & scholæ securium ictibus petendo, unus eorum Heydonum invadentium, explosione sclopeti, socium suum excitavit, cujus violento irruptionis rumore per præsidium sparso, Evangelici ab occupatione Parochiarum & scholâ sibi metuentes, sua jura circa Religionem libera defendentes, nihil tamen incommodantes excitati: Ex post per memoratum Dominum Comitem Paulum Eszterhazy, ex respectu contrà eundem, tanquam supremum Capitaneum ipsorum insimulatæ insurrectionis, centum & sedecim personæ, ad sedem militarem Præsidii Jauriensis citatæ, ibidemque nonnullæ circa petitionem parium, suo & reliquorum nominibus comparentes, ad revisionem alterius termini indirectè Arestatæ: Postmodùm autem adveniente alio termino, meritoriis & quidem legalibus eorum Evangelicorum exceptionibus, ex vi strictæ commissionis Domini supremi Generalis, simpliciter rejectis, tandem super justa defensione parochiarum & scholarum ipsorum allegata tuitione comprobanda, terminum obtinentes, & adveniente termino super præassumpta proba, contestandaque sua innocentia, testes quàm plurimos statuerunt, & insuper literalia documenta produxerunt; tantùm abest tamen, ut judicium ex parte probæ juxtà priorem deliberationem recepissent, quin potius nullo habito respectu deliberationis prioris, alii qui nimirum circa primordia, & qualificatam deliberationem causæ non interfuissent, surrogati extranei judices, eosdem Evangelicos capitaliter sententionatos pronunciassent re ipsa à revisione novi pendente. Quæ præmissa ex processu contra eosdem instituto, si ita requireretur coram M. V. S. reproducendo uberius patebunt. Itaque M. V. S. status Evangelicus humillimè supplicat, quatenus eundem processum consequenterque deliberationem indirectam simpliciter invalidare dictosque Evangelicos ab onere sententiæ exonerare clementer dignetur.

Decimòtertiò: Non sine obortis lachrymis, & Christiana compassione, ausus etiam temerarios Domini Comitis Francisci Eszterhazy, de prædicta Galantha, ejusdem Præsidii Papensis moderni Capitanei, vindictam DEI provocantis, coram Majest. Vestræ Sacratissimæ repræsentare cogimur, qualiter Oppidanos ejus-

ejusdem Præsidii Papensis, diversis terroribus, & per incaptivationes eorum, in præscripta Catholica Religione, prævio modo compulsive acceptata, conservare nisus, plurimos ipsorum capi curando, à quibusdam diversa Birsagia extorsent, quam plurimos autem ad eandem Religionem Catholicam juramentaliter obligavit, ac omnibus fermè coactivam Religionem imposuerit. Unus tamen nomine Georgius Barbely, quod iteratò confiteri noluisset, incaptivatus, in eadem captivitate mortuus est. In terrorem verò aliorum, quam plurimos baculos ad templum adferri curavit, ut si confiteri nollent confiscatis universis hæreditatibus & rebus mobilibus, cum baculo in exilium proficisci cogerentur: Pro Matronis autem ligneos Cancellos, formam & speciem caveæ repræsentantes, alioquin publicis scortis & prostibulis per Magistratus in terrorem erigi solitos, fieri curando, in easdem quam plurimas honestas Matronas, preces aut Conciones Ministrorum Evangelicorum exaudientes, injici fecit, & à quibusdam lytrum exegit.

Decimò quarto: Sic etiam Nobili Martino Tôlsôr, aliter Molnar, idem Dominus Comes Franciscus Eszterhazy, medio Martini Lindvay Provisoris sui, bacillum transmitti fecit cum hac denunciatione: Si pristinæ Evangelicæ Religioni inhærere vellet Religionemque Catholicam quam antea coactivè, & quidem in captivitate, unâ cum conjuge amplexus erat, continuare nollet, tum eodem bacillô de universis hæreditatibus & rebus suis, in exilium proficisci compelleretur: prout conscientiæ compunctione ductus, cum eodem bacillo unà cum conjuge sua in exilium profectus est, universis hæreditatibus ejusdem, rebusque mobilibus in rationem Domini Comitis confiscatis. Sic etiam Nobilis Matthias Eximar, postquam captus ac in eadem captivitate demortuus, universæ ejusdem hæreditates & res mobiles, confiscatæ sunt. Aliorum quoque Nobilium, diversi generis Hæreditates, ex eâ solummodo ratione, quod ad Religionem Catholicam sese obstringere nollent, occupatæ sunt.

Decimo quintò: Liberum sepulturæ usum alias Evangelicis & Catholicis communem in coemeterio, intrà præsidium habito, idem Dominus Comes Franciscus Eszterhazy, Evangelicis interdixit, neq; eosdem in proprio ipsorum sepulturæ loco, antea continuato, sepelire permisit.

Decimò sextò: Ad exterminandos & eliminandos Ministros ipsorum Evangelicorum Papensium, memoratus Dominus Comes, Franciscus Eszterhazy, sub eo prætextu, quod iidem Ministri Evangelici, certa bona rusticana, per mortem & defectum nonnullorum ad se tanquam Dominum terrestrem legitimè devoluta, in præjudicium ejusdem Domini Comitis, pro seipsis violenter occupassent, certas quasdam suas parochias ipsorum Evangelicorum indirectò processu adimere intendens, primò quidem in facie sedis oppidi Papensis, coram Colonis suis, judicibus suis sibi obligatis, deinde verò in sede suâ Dominali, in Arce Semptaviensi coram, per eundem Dominum Comitem, convocatis Judicibus Arbitris, quosdam lites moverat, per hoc sub titulo caducorum bonorum, Parochias ipsorum Evangelicorum, per eosdem diutius, & quidem bona fide possessas, nitebatur in suo foro, medio suorum Judicum, à dictis Ministris Evangelicis, tanquam temporaneis inhabitatoribus adimere, cum Ministris Evangelicis, ratione actionum personalium, in sua sede litigare: quodsi acceptassent, taliter utriusq; libertati renunciassent. Et licet memorati Evangelici Papenses, ad quos nimirum præscriptarum domorum parochialium, in lite existentium, justa possessio, manutentio, & Juridica defensio legitimè pertinebat, contra indirectum & juribus Regni contrariantem processum, super Jure Regni fundatas protestationes in utroq; loco exhiberi fecerunt: quibus tamen Protestantioribus à dictis utriusq; loci Judicibus nullo modo curatis, hi ad adjudicationem earundem domorum parochialium, convictionemq; Ministrorum Evangelicorum, cum injuriâ protestantium, positarum super inde legum, ingentiq; damno processerunt, ac idem etiam Dominus Comes, easdem deliberationes executioni mandare ausus est. Instat itaq; Status Evangelicus, quatenus M. V. S. ex rationibus eorundem, eidem M. V. S. sat, superq; scriptotenus humillimè expositis, eosdem in Dominio earundem parochiarum, clementer protegere Dominum Comitem ad ordinarium juris processum relegare dignetur. Non obstantibus quibusdam prætensis Testimonialibus, sub nomine nonnullorum confectis, id quod iidem Evangelici Papenses, contrariis Recognitionalibus eorundem recognitorum, invalidare parati sunt. Decimò septimo: Idem Dominus, Comes sub termino præsentis Diætæ, Cechis Mechanicarum Artium novos Articulos seu literas super Cechis ipsorum Privilegiales confici curavit: ac super iisdem articulis, quilibet oppidanorum Magistrorum Artium Mechanicarum, absq; omni tenoris eorundem articulorum coram iis facta prælectione, juramentum præstare cogebantur, quod videlicet omnia in iisdem contenta observare vellent. Inter reliqua autem eorundem articulorum puncta, id quoque insertum erat, ut videlicet in Religione Catholica (quam alioquin coactivè acceperunt) permanere velint: Qui verò id ipsum facere neglexerint, ipso facto incaptivati, omnibus hæreditatibus & rebus mobilibus privabantur. Milites etiam M. V. S. Artium Mechanicarum Magistros, ibidem degentes, viribus earundem artium amovere nisus, à Cechis ante mutandam ipsorum Religionem inhiberi, usumq; artium suarum interdici curavit. Decimò octavò: Memoratus Comes Franciscus Eszterhazy, in oppressionem Religionis Evangelicæ, quosdam Evangelicos milites, licet meritos & qualificatas personas, partim degradari, nonnullos verò exautorari curavit. Super quo Dominis, etiam supremo & Vice Generalibus Præsidii Jauriensis, conquesti sunt.

Decimò nonò: Idem Dominus Comes oppidanis, suis Papensibus demandari fecit, quatenus restantias, salaria, Ministris Evangelicis & Magistro ludi literarii, minimè persolverent.

In Præsidio Veszprimiensi.

Egregius Stephanus Gyalody, artis militaris sufficienter expertus & quidem qualificata persona, officium Waywodatus præsidii Weszprimiensis, à M. V. S. medio decreto pro se obtinuit quidem; sed postmodum objecta ipsi Religionis mutatione, quam facere nequivit, idem offi-

officium Weyvodatus artis Mechanicæ Sartori, Religionis tamen Catholicæ, collatum est. Proh dolor! quod in opprobrium Religionis Evangelicæ, omnes ferè Evangelici, quamvis bene meritæ personæ, à gradibus officiorum amoti existentes, omnes Catholicæ Religionis licet minus qualificatæ, Evangelicis præferantur. Si qui verò Evangelicorum aliquod officium solicitare vellent, primo cuique conditio Religionis suæ objecta fuit. Cum tamen sine discrimine Religionis, bene meritis personis, legibus Patriæ dictantibus, conferantur.

In possessionibus Nyarad, Nagy Gymod & Szerecsen, per antelatum Dominum Comitem Paulum Eszterhazy, medio officialium suorum, Ministri Evangelici amoti & expulsi sunt: ac parochiæ, nec non templa ibidem habita, in rationem Catholicorum occupata: Incolæ autem earum possessionum, prout & inhabitatores possessionis Tsoth à Ministerio Ministri Evangelici possessionis Wanyolka, tanquam Matris Ecclesiæ avelluntur, iidemque per homines dicti Francisci Eszterhazy, ad mutationem Religionis ipsorum Evangelicæ adiguntur & compelluntur.

In possessione Borsos-Győr, licet incolæ ejusdem possessionis, tanquam Filialis Evangelicæ Papensis, jam ante per Dominum Comitem Paulum Eszterhazy, sub certo Birsagio in cultu Divino Evangelico more continuando, aliisq; Religionis accessoriis inhibiti fuerint: nihilominus dictus Comes Franciscus Eszterhazy, ex iisdem Incolis quosdam, sub mulctâ inobedientiæ, in arcem Papensem accersiri jubens, ad Religionem Catholicam variis minis & terroribus coëgit: quam qui acceptare noluerunt, eosdem facietenus versus terram, in cippum conjici demandando, ibidem integris diebus & noctibus detineri curavit. Iisdemque abinde dimissis, vicissim à singulis Domibus, singulæ personæ sub mulcta quadraginta florenorum, in eandem arcem accersiri jussæ, variis modis ad Religionem Catholicam compellebantur.

In Oppido Ugod, templum & parochiam, pro Catholicis occupantes officiales ejusdem Domini Comitis Francisci Eszterhazy, universos Incolas ejusdem loci, variis modis ad mutandam Religionem Evangelicam cogebant.

In possessione Vaszar, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Georgius Szecheny, Episcopus Jauriensis, ex Incolis ejusdem possessionis, duodecim Seniores in Præsidium Jauriense ad se accersiri curando, eosdem excogitatis mediis a . Religionem Catholicam adegit. Ministrum verò loci Evangelicæ confessionis ejectum amoveri, parochiam & templum una cum pertinentiis, pro Catholicis occupari, ac ibidem Licentiatum constitui fecit.

In Comitatu Trenchiniensi.

Licet juxta Articulum decimum, Anni MDCXLVII. in possessionibus Tyrnovæ & Visnovæ, pro templis, parochiis & scholis; loca idonea & sufficientia exscindi debuerint, tantum tamen abest, in præsentiarum usque esse excisa, ut jam Magnificus Dominus Franciscus Revay, contra vim & mentem, tam Diplomatum Regiorum, quàm constitutionum Regni, possessionum earum Incolis, in libero Religionis usu atque exercitio, in tantum turbare & impedire veritus non sit, ut ne dum ipsis licentiam ad templum Oppidi Solna accedendi; sed nec in possessiones easdem Ministrum Ecclesiæ Evangelicæ Solnensis, alias Matris earundem filialium introire, ibidemque sacra in privatis eorum domibus, sub severissimâ comminatione mortis, & inter necionis eorundem Ministrorum, exercere permiserit.

Pari ratione neque in possessione Sztranszka, & ejusdem filialibus, similis excisio est facta, quin imò per eundem Dominum Franciscum Revay, qui in possessione Bisicze, & aliis locis, similiter liberum Religionis exercitium turbat, subditos à frequentatione templorum Evangelicorum, sub gravi pœnâ prohibendo.

Patres Jesuitæ Trenchinienses, possessiones Liborcza, ab Ecclesia Nemsoviensi, & Szamarocz à Trenchiniensi Evangelica ademerunt, incolas vario sub prætextu, in libero eorum exercitio Religionis Evangelicæ turbarunt, ac ad Religioni ipsorum contrarias ceremonias assumendas, invitos adigere non desistunt. Idem fecerunt incolis possessionis Piecho, ab Ecclesia Beloschoviensi abstrahentes, cujus præcipuos incolas per decursum quinque septimanarum, in Abbatia Szkalka carceribus inclusos, ob Religionem Evangelicam, diversimodè divexantes aggravabant, siti & fame premebant, diversisque minis ac carceribus affligebant.

Similiter Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus, Georgius Szelepcseny, Regni Cancellarius medio certorum hominum suorum, superioris Drietoma, Dobrastovv, & Istelnik, incolas primum convocatos severe admonuit & hortatus est ad deserendam Religionem Evangelicam, nolentes carceribus sordidis inclusit ac detinuit, donec voluntati ipsius coacti annuissent. Qui ex post per satrapas ad templum Kostolanense Catholicorum violenter pertracti sunt, non absque maximo eorundem ejulatu & clamore: Ubi etiam proventus Ecclesiastici sunt adempti & occupati.

Pari ratione generosa ac Magnifica Domina Clara, Trstanszky, Consors Magnifici Domini Pauli Seriny, proximè demortua, possessionum Zablath & Riba, miseram plebem strictâ, prohibitione & comminatione, imò afflictione etiam adhibita ab usu liberi exercitii Evangelicæ Religionis cohibuit, & ad deserendam Religionem Evangelicam compellendo, proventus Ecclesiasticos, ad Ecclesiam Trenchiniensem ab antiquo spectantes, occupavit.

Nec minor querela est, ratione facti ejusdem Dominæ Mariæ Claræ Trstanszki, quæ similiter Dominos, in possessione Kis-Zablath commorantes, ad Evangelicam Ecclesiam Trenchiniensem, semper & ab antiquo spectantes & pertinentes, armata & violentâ manu, adjuncto servitoribꝰ suis officiali, Illustrissimi Domini Cancellarii Costolensi, in possessionem Kosztolna, Driemota, & consequenter in Domum prælibati Domini Cancellarii ibidem habitam, impelli & induci captivariq; fecit: & inde antequam fidelitatis juramentum, tam in parte assumendi Catholicæ Religionis exercitii, quam obedientiæ Jobbagiorialis sibi præstitissent, eosdem ex captivitate, nullatenus dimittere voluit, sicq; à prætacta parochia eosdem abstraxit. Ab eadem Ecclesia Trenchiniensi, possessiones Zlasocz & Orechove, per Dominam Comitissam Mariam Forgacz, Illustrissimi Domini Comitis Georgii Illeshazy consortem,

sunt

sunt quoque occupatæ & ademptæ, cum proventibus ordinariis parochialibus.

Similiter præfata Domina Maria Clara Trstanski occupavit templum filiale, in possessione Darath Lehota habitum, alias ad Ecclesiam Szolakoviensem similiter occupatam spectans, una cum universis ejusdem appertinentiis.

Accedit quod dicta Domina Comitissa Maria Forgach, & itidem post idem tempus in oppido Baan, duo; nec non in possessionibus Prassi, Bobor, Szoblahof, Gradna & Nagy Cleven, templa existentia occupavit, Ministrosque eorundem turpiter & ignominiose tractavit, & verberibus affectos ejici & expelli curavit, cum simili rerum ac bonorum, per eandem ablatorum, dispendio, gravique eorundem damno: Et insuper subditos ad eadem spectantes, Evangelicæ Religioni addictos, ad deserendam Evangelicam Religionem, diversis exquisitis adactionum mediis, cruciatuumque generibus impulit: non curato quod plurimi eorum subditorum, præ manibus alienis titulo pignoris extitissent obligati.

Præmentionatus Illustrissimus Comes Georgius Illeshazy, templum & parochiam Suchensem atque sacellum thermarum, ademit violenter, clavibus per violentiam extortis: subditos autem possessionis Sucza, ejecto Ministro, partim minis, partim carcere, quo plerique diu detinebantur, ad Religionem Catholicam compulit. Cæteros Also-Suczenses, Domina Comitissa Maria Forgacz, sub prætextu frumenti mutuo dandi in Alodiaturam suam Nemchoviensem evocatos, in certam Domum uti pecora stabulis inclusit, nec ullo modo, quamvis nimium flentes, clamantes & gementes, exinde dimisit, donec omnes ritu Religioni Evangelicæ contrario communicassent.

Idem Illustrissimus Dominus Comes Georgius Illeshazy, Dobra & Tepla, possessionum templum cum parochiis & scholis occupavit, Ministrosque eorundem vehementer & ignominiose ejecit & expulit, incolas vero locorum, variis cruciatuum generibus, carcere & Birsagiis, à Religione Evangelica deterruit.

Similiter Dominus Comes Gabriel Illeshazy, templum oppidi Dubnice, cum parochia & schola, post tempus novissimæ Diætæ occupavit, parochumque ejusdem loci, contra fidem eidem datam, & Jusjurandum suum literatoriè factum, inde amovit, expulit. Cujus oppidi Incolæ, fustibus pulsi, & compedibus catharactisque sine discrimine sexus arestati, imò etiam propriarum Domorum ingressu & egressu, apposito ad fores, usque dum deficerent, sigillo prohibiti, ad deserendam Evangelicam compellebantur & compelluntur. Et insuper cum quidam eorum subditorum, uxore suâ in agone constituta, pastorem ex eodem loco amotum, pro administratione morituræ uxori Venerabilis Sacramenti, advocatum habuisset, eundem subditum compedibus constringi, & pro libitu suo, gravissimè puniri, mortuæque demum uxoris corpus, ad locum sepulturæ compedibus constrictum, concomitari fecit.

Eadem Domina Maria Forgacz, post tantas templorum occupationes, Pastorum exturbationes, præmissas, rerum ipsarum violenter factas ablationes & usibus suis applicationes, Reverendum Virum Johannem Viczianovicium, ex parochia Ecclesiæ Moushoviensis pulsum, & ejectum, dum alias idem ex hospitio conductitio suo, in possessione Nobilium Divarecz habito, versus vagum, certo suo in negotio exspaciatus fuisset, nec sibi aliquid adversi eventurum sperasset, per certos suos servitores, ad id destinatos, diris verberum plagis affici, captivari, & in Domum suam Nemsoviensem induci & raptari, ibidemque vinculis constringi, sicque verberatum & constrictum, inde nocte mediâ, in Arcem Zethin, Marchionatus Moraviæ, extra Regnum abduci curavit, super cujus quidem Ministri dimissione, licet tam per Excellentissimum Dominum Comitem Palatinum, quam & Nobilissimum Comitatum Trenchiniensem, requisita & admonita fuisset, tantum tamen hoc eidem Ministro profuit, ut indè odii sui virus eadem Domina, in miserum captivum magis præconcipiens & exonerans, eundem ex familiari custodiâ, in carcerem publicum Latronum squallidissimum, conjici & detrudi faceret: ex quo carcere, licet jam in lucem tractus esset, non tamen ex Arce prælibata eundem dimittere voluit, antequam vel à Religione deficeret, vel reversales super se exhiberet, quod prætactam injuriam suam non sit jure vindicaturus, & loco & Comitatu cessurus.

Similiter Magnificus Adamus Balassa, occupato templo possessionis Prechin, parochum ejusdem inde ignominiose amovit, & nec in præsentiarum in alienorum Dominorum subditorum ædibus pati volens, ab accessu attactæ possessionis, mortis interminatione prohibuit.

Illustrissimus Dominus Comes Franciscus de Nadasd, Judex Curiæ Regiæ adscitis sibi in consortium Comitibus Paulo Eszterhazy, & Nicolao Draskovith, assumptisque secum trecentis circiter militibus, oppidum Beczko, armatâ ingressus manu, primum & ante omnia, cum attactâ trecentorum militum cohorte, in & ad templum Evangelicorum ejusdem oppidi irruendo, idem templum medio eorundem hominum suorum, ad id destinatorum, effractis valvis templi violenter, occupari: sed nec eo contentus, parochum loci ejusdem, ex ædibus parochialibus ignominiose ejici, suppellectilemque & universas res ejusdem, prout & Bibliothecam, in cujusdam oppidani peculiarem Domum, securitatis gratia servari datam, violenter adimi, cheitam deportari, ibidemque eosdem libros, cum codice sacrorum Bibliorum, in Area Castelli ejusdem comburi fecit, ipsumq; Ministrum omnibus facultatibus privatum, ad mendicitatem redegit: His peractis, miseros oppidanos, carceribus, compedibus, verberibus, aliisque exquisitis afflictionum mediis, ad ceremonias Religioni Evangelicæ contrarias adigi, infantesque ab Evangelico Ministro Sacramento Baptismi initiatos demortuos, sicut & adultos Evangelicos, post mortem sepulturæ & Christianarum exequiarum honore privari manifestum est.

Per ejusdem Bonorum Comitis Judicis Curiæ Provisorem, & alios officiales incolis possessionis Melczicz, Halusicz, & Moravicali Lyesko, ac filiali in Bosacz, primum præmissæ sunt minæ, quod nisi sponte templa ipsorum ipsis dare, ministrosque expellere noluerint, adventu trecentorum militum, pagos eosdem

solo adæquare & ad extremam depopulationem deducere vellent: Quæ res dum parum profuisset, tandem supervenit Dominus Præpositus Uyheliensis, certis militibus stipatus, qui scala arrepta, ædes sacras ingressus, templaque dehinc occupata: Ministri vero exinde ejecti, & cum ignominia pulsi sunt.

In Comitatu Posoniensi.

In Oppido Szencz, quemadmodum in aliis Illustrissimorum Dominorum Comitum Pauli & Francisci Eszterhazy Bonis ac Dominiis, militum quoque condescensionibus, eorumque inauditis processibus, miseram plebem Evangelicam divexandi & affligendi modus, neutiquam est intermissus. Occupatis siquidem templis, eorundem militum enormes crudelitates, nonnullos ex subditis in fide constantes, desertis & derelictis omnibus bonis, vacuis manibus loco cedere in exilium, quosdam tot injuriarum pertæsos, indemnitatique consulere volentes, (quod singulis permittebatur) humanâ imbecillitate fractos, ad subeundam Catholicam Religionem mœstos coëgerunt. Nec Ministris seu Pastoribus pepercerunt, sed etiam ipsis, in eorum quoque Domos seu Parochias magno numero militibus, universa victualia, præter necessitatem ab iisdem violenter extorta, consumserunt & in vanum dissipaverunt: supellectilia & alia quævis ipsis obvia diripiendo, effractisque cellariis vina avehendo, omnia in prædam converterunt, eosdemque Ministros Evangelicos, non curata eorundem Personæ Ecclesiasticæ prærogativa, variis & innumeris contumeliis afficiendo, Provisore etiam præfati Domini Comitis Francisci Eszterhazy Toma Santa, in præmissis & præsertim in occupatione cellarii alterius Concionatoris Evangelici, & instrumentorum ad vindemiam necessariorum, diligenter cooperante, damnificarunt. Quorum efferatam licentiam abusumque, fœnerarios erga ipsos intentatos, in dies crescentes gemebundi intuentes, cum ingenti bonorum suorum & vitæ jacturâ parochiam relinquere coacti sunt. Tandem Promissis iteratis super effractiva Religionis oppidanorum mutatione inquisitionibus, posteaquam etiam nonnullarum personarum Nobilium, & Domos exemptas possidentium, universos sumptus domesticos, non curatâ libertate Nobilitari, diripuissent, bonaque universa similiter occupassent, & non solum Ministris Evangelicis ab ingressu oppidi, sub pœna Confiscationis rerum secum habitarum, & personæ etiam propriæ incaptivationis ac in arcem Sempthaviensem inductionis, publico edicto, plausu tympanarum promulgato, verum etiam iisdem Personis Nobilibus, publicâ proclamatione inhibitis: cum Pastor Evangelicus Saapiensis, hujus fortè inhibitionis ignarus, residuorum vinorum suorum, in ejusdem oppidi Szempesziensis promontorio procreatorum, avehendi gratiâ eo fuisset profectus, Martinus Lindvay, jam fati Domini Comitis Francisci Eszterhazy bonorum præfectus, manibus armatis, nulla legitima causa habita, eundem invasit, & non nisi providentia Divinâ se idem Pastor ex violentis manibus ipsorum salvare potuit.

Eodem ferè tempore, quendam antea ejusdem Domini Comitis subditum Szempeczi-ensem, per ipsum tamen Dominum Comitem, ex eo quod Religionem mutare noluisset, relegatum, tunc verò in oppido repertum, dictus Martinus Lindvay incaptivari, rebusque suis secum habitis privari, & tam crudelibus verberibus curavit affici, ut etiam exinde vitam cum morte permutare debuerit. Ministri quoque ibidem Evangelici, sub eo prætextu quod calicem & Altaris ornamenta sibi non resignaverit, vineam propriam occupavit, & undecim urnas vini ibidem violenter auferri curavit, occupatis in medio Oppidi, sumptibus vel maximis Principis Georgii Rakoczi, aliarumque partium Regni superiorem Evangelicorum subsidiis tam ædificato templo, quam vero altero Auditorio, quæ & de præsenti violenter possidentur à Catholicis.

Templa quoque possessionum Nagy Mached, Felsö Szely, Nagy-Szegh, Kûrth-Nek, Vezekin, Tallos & Eperies, una cum parochiis & pertinentiis, per Prætitulatos Dominum Paulum & Franciscum Eszterhazy, exclusis Ministris Evangelicis, occupata sunt.

Relicta etiam spectabilis ac Magnifica Domina, Francisci Eszterhazy, templum possessionis Taxon, exturbato Concionatore Evangelico, occupavit.

In Insula Csalokôz & oppido Csotortek, Præfectus Bonorum Csakokiensium, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Regni Hungariæ Cancellarii, templum loci istius, militibus & aliis secum assumptis, violenter invasit, effractisque per fabrum ferrarium templi foribus, Ministrisque Evangelicis exturbatis occupavit, miseros vero incolas, minis, vinculis, vulneribus, ac mulctis, ad Religionem Catholicam pertraxit. Posteaquam ad iterata memorati Præfecti mandata & requisitiones incolæ possessionis Pruck, Pastorem suum Evangelicum sponte dimittere noluissent, apud Prætitulatum quoque Illustrissimum Dominum Cancellarium, pro eodem, & libertate conscientiarum suarum, iisdem incolis frustra supplicantibus, imò vix Vienna Domum reversis, aderat idem Præfectus, cum quodam Clerico, satellitibus adjunctis, & primò quidem claves templi extorquere, Ministrum verò Statutis Regni innixum, cum minis & terroribus nequiret, nocturna violentia (quamvis inaniter) exturbare satagebat. Tandem intentionem suam hac vice circa parochiam effectuare nequeunte, continuo tamen insistens, templum simili violentia invasit, non obtentisque clavibus, in fores templi phalanges & aliis instrumentis arreptis, violento impetu irruentes effregerunt, hisque effractis & occupatis, Missam in eodem immediatè celebrarunt: ac ultimatim Pastore quoque plurimarum calamitatum, verberum & afflictionum minis territo, parochiam vacuante, seque in quandam exemptam Domum recipiente, nec ibidem pacifice permanere potuit, verùm se exinde totaliter aliorsum conferre coactus est, miserâ plebe variis afflictionum generibus, vinculis & carceribus ad mutationem Religionis pertractâ.

In

In Possessione Mischerd, aliter Mischdorff, siquidem Templum in fundo Dominorum Kerekessiaonorum istius loci fuisset exstructũ, illud primò quidem intuitu non erat oppugnatum, sed duntaxat subditi Ejusdem Domini Cancellarii, iis quibus reliqui aliorum locorum Evangelici, violentis & illicitis mediis, ut aut Evangelicum Ministrum ipsi demitterent, aut ad minus Conciones ejusdem non frequentarent, tentati sunt.

Quibus apud eosdem non suffragantibus, in duriora & multò inclementiora rigorositatis jura sunt attracti: suprafatus enim Domini Cancellarii Præfectus, frequentioribus mulctis, durissimis verberibus, vinculis, carceribus, & quibusvis enormium injuriarum mediis, eò pauperculos adegit, ut literas à se reversales, per Præfectum ipsis obtrusas, se videlicet nemine cogente, verum sponte & benevole, Religionem Evangelicam abnegaturos, sacram Communionem in certo termino ad id præfigendo more Romano-Catholico acceptaturos, contra dictamina conscientiarum subscriberent. Et licet nec ipse idem Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Cancellarius intermisit visitare ejusdem possessionis Incolas, claves templi postulare, quas dum Præfectus à Curatore subdito Dominorum Kerekessianorum renuente attulisset, ex quo non sponte tradiderat, easdem rursus remittere, ulteriusque nihil violentiarum iisdem tum inferre, post discessum tamen ipsius Monachi quidam ad id fortè subordinati, missis ad Pastorem Evangelicum schedulis, ut parochia cederet, hortati sunt, & tandem tertia planè Nativitatis Feria, præfato ordinario Pastore periculosè Informato, & sacris interesse nequeunte, cum loco ipsius studiosus quidam Theologiæ Concionem habere deberet, populo jam in Templo congregato, atque credo in unum DEUM cantante, sæpe dictus Domini Cancellarii Præfectus, nonnullis militibus stipatus, templum ingressus, ubi paululum persistens, inchoatâ concione sacra, Clericum ad Missam celebrandam præparatum advocari & induci curavit: cujus ingressu tantisque violentiarum ausibus misera plebs consternata, cum ejulatu & suspiriis Templo egredi volens armatorum per Præfectum ad fores Templi subordinatorum strictis gladiis prohibita est, nonnullos multis verberibus compulerant, quosdam parere nolentes invitos capiebant, alios Sclopetorum explosionibus terrebant & etiam Mulierculam quandam in facie ictu globi vulnerabant, binas autem gravidas in tantum terrorem præcipitarunt, ut abortum passæ ambæ, una cum fœtu miserabiliter interierint; Templo totaliter occupato. Ministrum quoque Evangelicum periculosè decumbentem, ea adhuc vespera è parochia exturbarunt, occupataque contra omne jus & æquum possidentur ab ipsis etiam de præsenti.

Dominus Franciscus Illeshazy, adjuncto sibi Officiali Virginum Monialium, Posoniensium Georgio Labrovics, militibusque Domini Cancellarii opem ferentibus, Templum possessionis Nagy Magyer contra expressissimas Regni Leges impunè occuparunt, miseros subditos gravissimis mulctis & aliis superius denominatis injuriarum illusionibus, ad Religionem Catholicam impulerunt, ubi Minister Evangelicus in Nobilitaribus quoque Curiis, vix ob memoratorum insolentias pacificè permanere potest. Plebanus itidem nunc ibidem constitu us Domum Concionatoris ejusdem propriis sumptibus extructam, ad Templum pertinere prætendens violenter occupavit, & magno libertatis præjudicio tenet etiam de præsenti.

Reverendus quoque Dominus Abbas Sancti Martini subditos suos nonnullos in Diœcesin huic præmemoratæ Parochiæ antea incorporatos, iisdem violentis modis & mediis, ad deserendam Evangelicam Religionem coëgit.

Templis etiam Possessionum Fel & Szent Mihalyfalva, per homines Domini Cancellarii violenter occupatis, misera plebs ad assumendam Religionem Catholicam, similibus violentiarum generibus est adducta: Minister Szent Mihalyfalvensis autem enormiter tractatus, verberatus, turpissimis convitiorum nominibus affectus, & tandem ligatus in arcem Nitriensem, in duram captivitatem penes aquam est deductus, in qua captivitate detinetur etiam de præsenti: Dominus Johannes & Georgius Lippay amoto Evangelico Ministro & templum possessionis Csoleszthe, violenter occupavit, plebem quoque gravissimis eidem impositis mulctis, ad deserendam Evangelicam Religionem adegerunt.

In Libera Regiaque Civitate Tyrnaviensi, subditi & discipuli Patrum Servitorum, Evangelicis, gravissimas injurias inferri non formidant, scholas eorum invadere, studiosos verberare, Templum lapidibus impetere, fenestras concutere, Ministrum sub concione vexare, eidem convitiari, ac Templum etiam equitando intrare præsumunt.

Incolas Possessionis Torony, à Matre Ecclesiæ abstraxit Capitulum Posoniense, & Plebano Szempliensi applicavit, sub gravi mulcta: Eodem modo proceditur etiam cum Kötsnosdiensibus, prout & incolis possessionis Nimet-Bel, virgines Moniales Posonienses, hos quoque Plebano Szempezienʃi applicantes Filialis quoque Papfalva à Matre Ecclesiæ Jauriensi, per præmemoratum Capitulum Posoniense violenter est occupata: Incolæ ejusdem loci Evangelici, sub pœna quinquaginta florenorum, ad communionem Catholicam gradatim adducti, & ab emeriti Ministri sui Evangelici, annualis salarii exsolutione sub peculiari duodecim florenorum mulcta sunt inhibiti.

Similiter turbati sunt, & ad Evangelicam deserendam Religionem contrariarum Ceremoniarum inductionibus (prout fit, in Comitatu Posoniensi, cum magno libertatis Religionis præjudicio) aliisque violentiis, bonorum nempe ademptionibus, vinculis & carceribus aliisque rigorosis mediis, contra expressa Regni statuta adacti. Per idem Capitulum Posoniense, incolæ quoque Possessionis Csukard turbantur etiam de præsenti.

Instat etiam singulariter Status Evangelicus de & super oculis obversante, imperfectâ structura Turris & Templi Posoniensis Hungarici, non modo commoditati incolarum hujus civitatis, verum etiam Diætali tempore, aliis quoque Regnicolis deservientis quatenus non modo ea structura hactenus diversimodè impedita, plenariè juxta necessitatem perfici, & alia necessaria ædificia exstrui jubeatur: verum & usus campanarum ibidem constitutarum, ut aliis etiam, ita significan-

gnanter circa sepulturas, non obstante quorumcunque & signanter Fisci Regii, contra Regni constitutiones, interposita protestatione imposterum impediendi, liberrimus sit, ac plenariâ libertate futuris semper temporibus continuari possit.

In Comitatu Nitriensi.

Dominus Comes Judex Curiæ Regiæ, itidem cum nonnullis Dominis Compossessoribus Arcis Beczko, in bonis ejusdem Arcis, signanter autem Templum Oppidi Uyheli, alias in fundo Nobilitari hæreditariô, hæredum Generosi quondam Domini Johannis Fitter, Evangelicorum expensis ejusdem Familiæ, ac aliorum Evangelicæ Religioni addictorum, ex fundamento extructum occupari, dirui, solo æquari, & in dedecus prænotatæ Familiæ, Evangelicorumque vexilla & alia sepulturæ monumenta, ibidem habita destrui, & pessundari curavit, maximo cum sepultorum ibidem & quiescentium corporum contemptu & injuriâ: Ubi Parochia quoque & schola ibidem existens, similia omnia per eundem fuissent occupata, una cum organo, campanis, & aliis ad cultum Divinum necessariis apparementis, per præpositum loci ablatis & asportatis.

Idem Dn. Comes Judex Curiæ, cum nonnullis Dominis Compossessoribus Templa possessionum Kostolyan, Lessethe, alias Padollya, oppidorum item Cseithe & Verbo, sicuti & possessionum Brezova, Miana, Wagocz, Krayna, & Othma, è manibus Evangelicorum, unà cum parochiis, scholis & parochialibus proventibus occupavit, Ministrosque Evangelicos violenter & contemptuosè exturbari ac populum ad ceremonias Religioni, ut præmissum est, ipsorum contrarias compelli curavit: Ubi tam plebs, quam Nobiles ibidem degentes mirum in modum divexantur, ad productionem Privilegiorum coguntur, non curato quod Dominale Tribunal jam semel sit sublatum articulariter, quibus pascuatio Territorii, Aquæ & Religionis usus interdicitur, & alias diversimodè comminationes non solum per Prærecensitos Dominos, eorumque homines, verum etiam Plebanos locorum, illuc post occupationem Templorum collocatos, instituuntur.

Ubi multi majorum rusticorum sunt fustigati, ad carceres & in compedes dati, nec inde dimissi, quousque fidem & Religionem Evangelicam jurassent, aliorsum euntes ad confessionem & audiendum verbum DEI per satrapas in viis infestabantur. Contigit in possessione Michava, ut dum quidam plebejæ conditionis vi ad communionem adigeretur & hostia à Plebano ipsi porrigeretur, eum publicè exclamasse: " *Pater Deum juro, quod certe tibi dentibus præcidam digitum, si mihi obtruseris.* Et " quod horrendum, plerosque ebrios ad communionem tractos, & ab Altari ad sedilia templi reversos, magna cum profanatione porrectarum hostiarum, apud se continere ob temulentiam non potuisse.

Similiter & Templum Possessionis Veszek à Dominis loci esset ademptum & occupatum.

Pari ratione violento & indirecto processu, Templa possessionum Baratfalva, Rusov, & Bori, idem Dominus Judex Curiæ Regiæ, alias præter omnem assensum Dominorum Terrestrium, locorum eorundem, potiori ex parte Evangelicorum, per suos milites armatis manibus invadi & aperiri, diversosque excessus ibidem ac in parochiis committi & patrari fecit.

In Bonis Arcis Baymocz, Generosa ac Magnifica Domina Comitissa, Francisca nata Kain, Illustrissimi quondam Comitis Pauli Palffy, aliter Regni Hungariæ Palatini, relicta vidua, quamvis adhibitis variis terroribus atque minis, simulque accedentibus ad id ejusdem promissis, quod si exterius eidem dabitur Templum in Oppido Privigye, ubi incolarum ejusdem loci habetur Sepulturæ locus, Templum majus quod intra Oppidum est, ab iisdem occupasset, simul cum parochia, schola, proventibusq; aliis Ecclesiasticis: sicut & utrumque Filiale in possessionibus Szebedrai & Szegely habitum: Ministrumque ejusdem loci Prividiensis, aliter Superattendentem, consensu & confirmatione præfati Domini & Mariti sui introductum, propria in persona ibi comparentem, per satellites suos manu arreptum, ignominiosè Parochia ejici & exturbari curavit, dato eidem pro exportatione rerum suarum tridui spatio.

Occupavit quoque eadem Domina Templa, Nimeth-Prona cum Filialibus Techlina & Szach Possessionibus, item possessionum Koss, Andlava, Csarnorecz, Bresan, Gaydel, Poruba, Rasztoczne una cum Parochiis & scholis, ac aliis pertinentibus.

Ac insuper miseram plebem, in locis denotatis, aliisque illuc pertinentibus Pagis degentem, ad ejurandam Religionem Evangelicam, & acceptandam Catholicam, diversis minis carceribus & incarcerationibus adegit, carceribus inclusos nonnunquam intra septimanam inedia, fœtore, siti, emacerari, aliosque baculis pulsari nonnullos autem à mensa, tam domi, quam alibi cibis refertos caustico vino, & cerevisia repletos & temulentos ad communionem Religioni Evangelicæ contrariam compelli, recusantes senes & honestas, honoratasque personas, nullo habito sexus, ætatis, aut personarum respectu, fustibus impelli curavit, eoque perduxit, ut quod coacti fecissent, id tamen se sponte fecisse nonnulli eorum fateri debuissent; quin etiam militibus oppressi fuerunt, impositumque ipsos, ut literas reversales sibi darent, Templa sibi benevole assignata esse, aut aliquos eorum in suam Religionem devenisse.

Literas autem ipsi Officiales, quales voluerunt, formarunt, sigillaque à miseris subditis impetrando & extorquendo, nomina eorum quod benevolè dederint, apposuerunt.

Unde etiam ad Reversales Generosi Domini Francisci Nagy de Lessenye, attunc Personalis præsentiæ, nunc verò Palatinalis Protonotarii, sub sigillo Majestatis Vestræ, penes Dominum Personalem Præsentiæ habito, quædam recognitionales extractæ fuerunt, acsi nimirum iidem in occupationem peractam sponte & ultrò consensissent.

In Bonis ad Arcem Senthe spectantibus Illustrissimi Comites Paulus & Franciscus Eszterhazy de Galantha, in Oppido quodam Senthe Templum non solum occupari, verùm etiam funditus

ditus destrui: Possessionibus autem Soporny & Patha, Filialia templa, cum parochiis & scholis Evangelicorum occupari, Ministros contumeliosè ejici, miseramque plebem ad deserendam Evangelicam Religionem, diversis oppressionibus, mulctis & cruciatibus adigi, & ad confitendum temulentos plurimos, compelli fecerunt.

In Possessionibus quoque Medrova, & Hradek, per Egregium Casparum Sandor, similiter templa cum Parochiis & Scholis sunt occupata.

In Bonis Arcis Galgocz Illustrissimus Dominus Comes Adamus Forgacz de Gimes, templa Oppidi Galgocz, unum hospitale vocatum Hungarorum Nationis, & alterum expensis Evangelicorum in exciso articulari loco, pro Sclavonicæ Nationis Evangelicis extructum, illud quidem occupari, hoc autem pariter occupatum desolari, Ministros autem ademptis eisdem propria pecunia comparatis Domibus & Bonis, expelli fecit, parochiasque & scholas, unà cum proventibus & pertinentiis, simili viâ occupatas detinet.

Idem Dominus Comes Adamus Forgacz, Templa oppidorum Pistin, cum filiali Sauka & Uylak, nec non possessionis Udvarnok Paszto, unà cum Parochiis Ecclesiasticis, è manibus Evangelicorum ademit & occupavit Ministrosque similiter ejecit.

Occupatum quoque est etiam Templum possessionis Kis Bab per Dominum Cancellarium medio suorum hominum, una cum suis pertinentiis, prouti & possessionis Moravan, per Dominum Franciscum Csaki.

Patres Jesuitæ Collegii Tirnaviensis, Templum Possessionis Vaag-Szerclahely vocatæ, una cum Parochia & schola, è manibus Evangelicorum violenter occuparunt, Ministrumque, cujus consors tum gravissimè infirmabatur, non concesso vel tridui, nedum pernoctandi in parochia vel alibi intra viscera possessionis spatio, ejecerunt. Etsi Evangelici Nobiles, cum Dominis Catholicis possessionis Alsó Lelœcz, occasione Templi ibidem habiti Filialis, ad Ecclesiam possessionis Kamenecz spectantis, ratione feriatim ibidem peragendorum sacrorum, mutuæque & communis ibidem eorum sepulturæ, certam transactionem invicem haberent, nihilominus tamen Egregius Michael & Johannes Nagy de Lessene, non curatâ eâdem, tam templi, quam & Cœmeterii usum, jam totaliter Evangelicis prohibuerunt, & quod maximum Evangelicis Nobilibus etiam, ne dum ignobilibus in propriis eorundem Residentiis, cultum peragere sacrum vetuerunt, prout hoc mox effectu comprobarunt, nam Rector Scholæ dictæ Ecclesiæ Kamenecziensis, pro exangui consorte, ritu Evangelicorum solito exportando, & ad eandem Ecclesiam, ad sepulturam deducendo, cujusdam subditæ Generosæ Dominæ Platy, Relictæ quondam Domini Georgii Tarnoczi, ad eandem Possessionem Lelecz veniens, & comparens, fuga sibi consulere necesse habuit, cum videlicet in Eum cantum ibidem instituentem, armatis manibus irruissent, & exangue corpus deserere coëgissent. Quod ad sequentem diem inhumatum ibidem jacere, ac tandem sine omni ceremoniâ, quasi clam ad prædictum templum Kameneczense deduci debuit.

Egregii Stephanus & Blasius Apony, Templum possessionis Nagy & Kis-Apony, superioribus temporibus per Turcas incineratum, & totaliter varagine ignis consumptum, medio autem tempore, per Generosum Dominum Casparum Apony restauratum, & adornatum unà cum parochia, schola & proventibus parochialibus è manibus Evangelicorum occuparunt, Ministrumque Evangelicum exturbarunt.

Reverendissimus Dominus Andreas Placidus Archi-Abbas Sancti Martini, de Sancto Monte Pannoniæ, Templum possessionis Deaki, unà cum parochia, schola & proventibus parochialibus occupavit. Ministrumque sat graviter prius verberatum, barbaque, manu & pedetenus raptatum, ex parochia exturbari, & contemptuosè ejici, populum denique ad ceremonias Religioni Evangelicæ contrarias vi & birsagiis cogi fecit.

Quamvis Templum & Parochia Possessionum Alsœ & Felsœ Vecze, adhuc præ manibus Evangelicorum existant, tantam nihilominus Officiales nonnulli, Patrum Jesuitarum Selyeiensium sibi vendicant licentiam, eoque audaciæ persæpè progrediuntur, ut non solum Rectorem scholæ dictarum possessionum in medio præfatæ possessionis Vecze, ac schola ipsa invadere, vulnerare, imò & Ministrum Evangelicum, in Domo parochiali inquietare verbera ac mortem, nisi loco cedat eidem minari, nihil pensi ducant, cum gravi læsione libertatis exercitiique Religionis.

Supra mentionatus Dominus Cancellarius templum oppidi Ormund, è manibus Evangelicorum, unà cum Parochia & schola proventibusque occupari, Ministrum autem cum gravi bonorum suorum dispendio ejici fecit, cum præjudicio juris Compossessorum dicti Oppidi, Religioni Evangelicæ addictorum.

Idem Dominus Cancellarius, Templa possessionum Negyed & Fargacsd, unà cum Parochiis & scholis è manibus Evangelicorum occupata detinet, Ministrisque ejectis, alterum eorundem videlicet Farkasdiensem incaptivari curavit & detinet.

Superius declaratus Dominus Comes Forgacs, Templum Oppidi Komiathy Evangelicorum, similiter cum Parochia & schola occupari, Ministrumque inde ejici & exturbari fecit.

Patres Jesuitæ Collegii Tirnaviensis, immediatè post novissimæ Diætæ, expanso vexillo, tympanisque instructi ad domum Parochialem Oppidi Sellye, armatâ manu venientes Ministrum Evangelicum ejusdem loci, ad instar alicujus malefactoris, contemptuosè ejicere, bonaque ejus & res mobiles curribus imponi & unà cum ipso ex territorio ejusdem oppidi exportari & excludi fecerunt.

Eo non contenti, Templum expensis Evangelicorum ibidem extructum, totaliter demoliri & solo æquari curarunt.

Tandem iterum collocantes & disponentes super ipsis incolis centum militum numerum, diversis cruciatibus eosdem affecerunt, catenis, vinculis, verberum plagis, bonorumque direptionibus, ad ceremonias Religioni contrarias impelli curarunt, ita ut vix non omnibus fortunæ bonis essent exuti.

Demum trecentos Imperiales, quos piè defuncta quondam Principissa Susanna Lorandffi, Celsissimi Principis Transylvaniæ Georgii Rakoczy

koczy senioris, relicta vidua, ad rationem dictæ Ecclesiæ Evangelicæ Eorum, pio ex affectu contulerat, Plebanus ejusdem Oppidi Sellye, ex manibus Reverendi Domini Georgii Rassotis Concionatoris Evangelici Oppidi Ormeny, una cum Interesse, in toto nongentos octoginta florenos facientes, exquisito sub prætextu extorsit: quos & de facto penes se detinet, ac insuper precium sertorum trium Equorum, per certos prædones ablatorum, ex bonis Ministri Evangelici exequi curavit.

Sed nec his præmissis contenti Patres Jesuitæ, eosdem Evangelicos ad violentum juramentum adegerunt, ipsos nullo unquam tempore à Catholica Religione velle descissere, tale autem juramentum præstare nolentes, carceribus inclusos fame & siti eo usque premebant & excruciabant, donec jurejurando, Religioni Catholicæ seipsos adhæsuros promitterent.

Templum Oppidi Holics, expensis Evangelicorum extructum, per Reverendum Dominum Stephanum Sennyei, Episcopum Veszprimiensem, & Dominum Comitem Adamum Csobor, pro tunc Tutorem, non solum est occupatum; sed & funditùs eversum & dirutum.

Cujus Campana quoque est ablata & occupata, ac insuper misera plebs, ad defectionem Religionis suæ Evangelicæ, multis modis & violentiarum congressibus, coacta ad suscipiendam Religionem Catholicam.

In Comitatu Liptoviensi.

Possessores possessionis Inachusfalva, videlicet Nobiles Familiæ Rady, Decimam Parocho Divo-Michaliensi semper & à memoria hominum præstari solitam, Ordinarium vice ejusdem Ecclesiæ proventum, occupant & denegant.

In Comitatu Barsiensi.

In Oppido Oszlany, Templum cum parochia & schola universis denique suis proventibus, per homines præfati Domini Cancellarii, per fenestram quandam suorum immissorum, est apertum & occupatum. loci ejusdem Ministro, tam in Parochia, quam in sacrario, per satrapas, quos Officialis secum ibidem habuit, omnes res habitæ sunt direptæ, prout illud & in aliis locis pluribus factum est, dum libri & aliæ res possessoris per vim ab occupatoribus sunt ablatæ.

Ordo Patrum Monachorum, B. Pauli Primi Eremitæ Elephantensium, templum possessionis Velka-Polye occupavit, Ministrum ejusdem loci ejici, percuti & magnâ contumelia affici curavit.

Cujus loci plebs similibus violentiis & mediis, prout & in Dominiis Baymociensibus & Cheytensibus est factum, ad deserendam Religionem Evangelicam, est coacta & pertracta.

Præterea Ecclesiæ Filiales Czelenye, & Kis Ugrocz, per Dominum Johannem Maytini à matre suarum Ecclesiarum sunt abstractæ, subditique ibidem commemorantes, diris verberum plagis affecti & carceribus divexati, ad Religionis defectionem sunt coacti.

Similiter & Templum Filiale in Nitra-Szegh habitum, per Generosum Dominum Magistrum Franciscum Nagy de Lessenye, fuit occupatum.

Templum item in Possessione FelsuHamor habitum, occupatum est per Dominam relictam Hedervarianam, Ministerque Evangelicus abinde est ejectus. Sicut & incolæ Oppidani Sarnocza variis & exquisitis mediis, in exercitio Religionis ipsorum Evangelicæ turbantur, Ministro Evangelico inde excluso.

In Comitatu Arvensi.

Licet Illustrissimus Dominus Stephanus Thœkhœly Arcis Arva & Bonorum ad eandem spectantium Director, vi constitutionum Regni non obligatus, benignæ tamen requisitioni prædefunctæ sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis in eo satisfacere & parere volens, in possessione Oravka, pro extruendo Templo Catholicorum & schola, idonea loca demonstrari & exscindi curasset, Plebanus tamen Catholicus ejus loci, cum suis Auditoribus eo non contentus, templum Evangelicorum ibidem habitum porro occupavit.

In Comitatu Zoliensi.

Provisor Bonorum Arcis Viglesh, erexit novum Macellum in fundo Ecclesiæ Oppidi Nagy-Szalathna, in præjudicium Macelli ad Ecclesiam ejusdem loci Evangelicam spectantis, aliàs ibidem ab antiquo haberi soliti: Lanione etiam Parochiali incaptivato, & minis perterrefacto, proventum ejusdem Ecclesiæ ademit.

In Comitatu Zempliniensi.

In Oppido Saaros Patak Celsissima Principissa Sophia Bathori, Celsissimi quondam Domini Rakoczy Transylvaniæ Principis relicta vidua ac Filius ejusdem Franciscus ex præfato marito suo progenitus, proventus ex collatione quondam Gabrielis de Pereny, per Sacratissimum olim Romanorum Imperatorem & Hungariæ Regem Maximilianum, gloriosæ reminiscentiæ, attunc jure Fisci Arcem & Bona Patakientia possidentem confirmatâ, scholæ Saaros-Patakiensis provenientes, & consequenter per Successores etiam possessores Cath. æquè ac Evangel. prout & piæ memoriæ prædecessores eorundē Principissæ ac Filii absque ulla renitentia, singulis in Augariis administratos, licet & iidem in Anno MDCLX. præstiti essent, ac eo ipso antiquum usum solutionis præmissorum proventuum approbassent & acceptassent: Post sepulturam nihilominus prætitulati Domini Principis Mariti & Patris, in Anno videlicet MDCLXI. detinuerunt extradare recusarunt, imò seriò inhibuerunt, inhibent etiam de præsenti.

Haut absimili ratione ducti, Proventus etiam prætactæ scholæ Saaros-Patakiensis Trium Magistrorum, quatuor Classicorum Præceptorum & Cantoris, ex Eadem Arce Saaros Patakiensi

rhsi administrari solitos, iisdemque non modo per prædecessores eorundem realiter præstitos, sed & per celsissimam quondam Principissam Susannam: Loransffi, celsissimi quondam Principis Georgii Rakoczy Senioris Relictam, Arcis & Bonorum Patakiensium Coaquisitricem Testamentaliter (cujus Testamenti vigore iidem Domina Principissa & Filius ejusdem in Bonis Patakiensibus successerunt) legatos, licet tempore obitus dicti Domini Principis Mariti & Patris ipsorum, anno videlicet MDCLX. piorum Avorum & prædecessorum suorum exemplo moti administrassent, sequenti nihilominus A. MDCLXI iisdem scholâ Magistris, Præceptoribus & Cantori ademerunt & detinuerunt ademptosque & detentos, proprio ipsorum usui applicaverunt, contra articulum XII. & XIV. An. MDCXLVII.

In eodem Oppido Saaros Patak, proventus parochiales, ab antiquis temporibus ex arce Saaros Patak, per Possessores Catholicos & Evangelicos, Ministris Evangelicis administrari solitos, neque â memoria hominum per quospiam, ullo sub prætextu præpeditos, turbatos, & controversos, imò & per sæpèfatos, Dominam Principissam & Filium ejusdem, in Anno MDCLX. præstitos proximè præterito anno detinuerunt, detinerique fecerunt.

In Oppido Satorallya-Uyhely, pari potentiâ memorati Domina Principissa & Dominus Filius ejusdem Franciscus Rakoczy, proventus parochiales ex Gabrielis de Pereny, benignâ collatione, ac superinde facta confirmatione, dicti olim Imperatoris & Regis Maximiliani secundi, beatæ reminiscentiæ, (qui attunc reale Dominium Arcis & Bonorum Patakiensium, jure Fisci tuebatur) ex prætacta arce Saaros-Patak, annuatim pervenire debentes ac abinde Ministris Evangelicis, tum per Catholicos tum Evangelicos possessores persolutos, exsolvi neutiquam permiserunt, imo Officiales suos ab administratione hujusmodi proventuum parochialium, serio inhibuerunt, & de præsenti inhibent, contra genuinum sensum prætactorum Anni MDCXLVII. Articulorum.

In Oppido Bodrog-Keresztur, eodem violentiæ motu, dicta Domina Principissa & Filius ejusdem proventus ex Decimatione seminaturarum Autumnalium & Vernalium, ac Vino Ministris Evang. provenire debentes ac antea absq; omni difficultate & controversia per possessores arcis & Bonorum Tokay administratos, extradare recusârunt, contra præcitatos Regni Articulos.

In Oppido Tokay, proventum Sabbathalem ex Naulo super fluvio Tibisco, ibidem decurrente provenientem & ad parochiam Evangelicorum pervenire debentem, vinum item ad triginta & duas Tonnas excedens, ex arce eadem Tokaiensi, â memoria hominum, per Catholicos & Evangelicos possessores, imò & tempore olim Domini Maximiliani II. Regis, attunc Jure Fisci Arcem & Bona Tokaiana tenentis, administrari solita, ex nulla evidenti ratione, Ministris Evangelicis ademerunt, & iisdem extradare noluerunt.

In Oppido Tarczal, quadraginta Tonnas vini, per possessores ejusdem loci â tempore Divi olim Maximiliani II. Imperatoris & Regis (Ministros Evangelicos in usu perceptionis præmissi proventus parochialis conservantis & confirmantis) iisdem Ministris Evangelicis administratas, iidem Domina Principissa & Filius ejusdem subtraxerunt & detinuerunt.

In Oppido Kiraly-Helmecz, quatuordecim vasa vini, quæ vigore certi concambii inter Ministrum Evangelicum, pro tempore convictum, pro iisdem quatuordecim vasis vini, vineam parochialem in promontorio ejusdem loci plantatam & habitam, spectabili ac Magnifico olim Stephano Nyari de Bedegh, adhuc possessori Curiæ & Bonorum Kiraly Helmeczensium, conferentem & concambiantem ab unâ; parte verò ab altera eundem Stephanum Nyari pro eadem vinea parochiali præmemorata quatuordecim vasa vini Ev. Ministro conferentem, & annuatim per se & successores suos extradaturum se obligantem initi provenire debentia, dicti Domina Principissa & Filius ejusdem, Ministro Evang. ademerunt & extradare nolunt etiam de præsenti. Pariter in possessionibus Alsœ & Felsœ Tornya Abara & aliis diversis in bonis, ad Arces & Castella eorum pertinentibus, proventus parochiales antiquis semper temporibus, extra omnem controversiam Evangelicis Ministris & parochis locorum eorundem præstitos & administratos detinuerunt & detineri fecerunt, contra sensum præcitatorum, super administratione parochialium proventuum sancitorum Articulorum. Quos quidem proventus, cum ad instantiam & delegationem nonnullorum Superintendentum Evangelicorum, Comitatus Zempliniensis & Aba-Unguariensis, certi è medio suo Delegati Nuncii, à memorata Principissa & Filio ejusdem, Ministris Ev. juxta antiquorum usum, & jure eisdem Privilegiorum collato, ex vi præcitatarum Regni constitutionum administrandos esse postulassent, & iteratis vicibus petiissent: mox iidem principissa & Filius ejusdem præcitatos Regni Articulos, in diversum sensum trahentes, & solutionem Parochialem cum solutione personali confundentes haut quicquam ex præmissis proventibus sese extradaturos resolverunt. Quin in manifestissimum universi Status Evangelici derogamen & contemptum Evangelicos in sua Religione, per Aulæ Familiarem suum, Michaelem Mikes Transsylvanum conceptâ, & scripto tenus Comitatibus transmissâ, vituperaverunt.

In Oppido Varano, Catholicus plebanus, assumptis secum sibi adhærentibus nonnullis complicibus, scholam Evangelicorum aggressus, Ministrum Ev. ab evitando malo eosdem dehortantem dirissimis verberibus afficientes, humi prostraverunt & sauciarunt. Idem Plebanus Catholicus, Decimas ex nonnullis terris arabilibus ad parochiam Evangelicorum provenientes manu armata auferri fecit, ac superinde peragendæ inquisitioni quoque resistendo eandem admittere noluit. In possessione Nagy Tomaca, parochiam Evangelicorum Officialis Magnifici Domini Sigismundi Pethœ ejusdem Curiæ Nagy Tomakensis occupando, quandam Columnam ibidem collocavit. In possessione Kayna, Ruthenorum Minister Casmiriensis, Ministrum Ev. & ejus loci Ministrum, quod dictum Ruthenum, ratione sepulturæ cujusd. Rutheni defuncti, cum ceremoniis Religioni ipsorum contrariis Ruthenicis, immittere in templum noluissent, dirissimis verberibus affecit, & nisi fugæ præsidio sese in templũ

recepissent. crudeliter interemisset; ac etiam de præsenti iidem Rutheni, excidium vitæ eidem minari non formidant.

In Comitatu Abauyvariensi.

In Oppido Munkacz, prætitulata Domina Principissa & Filius Ejusdem certos Proventus Ministris Evangelicis ejusdem loci, aliasque ex Arce Munkacz annuatim præstare solitos: Item Proventum Sabbathalem à memoria hominum ex Molendinis super fluvio Satorcha ibidem de currente extructis, iisdem administrari consuetum, uti & Decimam vini, & ipsa fundatione ejusdem loci, ipsis Ministris Evangelicis provenire debentem subtraxerunt & extra dare nolunt.

Similiter in Oppido Beregh Szasz, proventum ex molis ac Decimam frugum ab antiquo ad Ecclesiasticos ejusdem loci spectantem, & alios his similes Proventus, ibi ac aliis in Bonis, ad Arcem Munkacz pertinentibus, iidem Domina Principissa & Filius, administrari haut permittunt.

In Comitatu De Ugoesa.

In Possessione Salang, Familia Rakoczy, moderni utpote Domini Terrestris, ejusdem Possessionis Proventum Sabbathalem, ex mola ipsis ministris Evangelicis præfatæ Possessionis Salang hactenus administratum, de præsenti præstare recusat.

In Intalab, Sacellum Evangelicorum per spectabilem ac Magnificum Dominum Georgium Pereny restauratum, usque realiter legitimè possessum. Magnificus Dominus Gabriel Pereny propriâ authoritate occupavit.

In Comitatu Gonioriensi.

Generosus Dominus Nicolaus Andrasi, de Szent Kiraly, primùm quidem Ministrum Evangelicum Possessionis Olak-Pataka exturbari, subinde Judicem dictæ possessionis cum præcipuis aliquot Civibus & incolis incaptivari, compedibus implicari, inque Arce Kraszna-Hurka, quoad usque Parochiæ & Cœmeterii claves traderent, detineri curavit. Sed nec eo contentus Templum Cœmeterium, Parochiam, campanas, omniaque ad eandem spectantia, ademit & occupavit: cui etiam templum incolarum Gœczensium adjecit, inque locum expulsi Ministri, quempiam Jesuitam, contra mutam & expressam Incolarum reclamationem surrogavit. Qui quidem Jesuita Incolas sæpe fatos, ad Ceremonias Religioni eorum contrarias adegit.

Pari ratione, templum Incolarum Possessionis Bethlier, remoto Ministro Evangelico, substantiisque ejusdem nonnullis combustis, simul cum universis pertinentiis, Parochia, Schola & Cœmeterio & generaliter omnibus templi apparatibus, prædictus Nicolaus Andrasy occupavit; Licentiatumque quendam Fratrem, loco Evangelici Ministri adhibuit atque locavit.

Excellentissimus & Reverendissimus Dominus Princeps Georgius Lyppai de Czombor, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis ArchiEpiscopus, in Anno uti prædicatum est, MDCLXI. Oppidorum Pelschocz, Csetnek, Rosno-Bany nec non Possessionum Berzete, Also-Szajo, Gocz, Olach Pataka, Goczœlacz Ocizna & Restirsic dictorum, Ministris Evangelicis omnem Parochialem Proventum & annualem solutionem, decimam videlicet frugum, tam Autumnalem, quam Vernalem, à memoria hominum (cum certâ solummodo pecuniaria solutione, quæ eidem Domino ArchiEpiscopo annuatim deponenda est) ab iisdem eorumdemque Prædecessoribus, pacificè nemineque renitente, tentam & possessam, medio certi cujusdam Servitoris sui Nobilis Stephani Nagy Lessenei, & eidem adjunctorum, ad numerum circiter sexaginta militum Germanorum Cataphractorum, adimi vi & manu potentiaria, Parochiarum horrea fortiter obserata reserari, ac non solum Decimam rusticorum, verùm etiam Nobilium ac Dominorum Terrestrium ex propriis eorundem Alodiaturis, Prælibatis Ministris pro solutione Eorundem exolutam in sui rationem percipi, triturari, inque suum commodum converti curavit.

Prætitulata Domina Principissa cum Filio Francisco Rakoczy, similiter certorum Ministrorum Evangelicorum, parem Proventum Parochialem, & certis molendinis & signanter Felsucensibus & Szentenkiensib' Ev. Ministris cedentem, & ab iisdem pacifice tentum, usque reali roboratum contrariô, propriâ sua autoritate ademit, ademptumque suis adjunxit proventibus.

In Comitatu Szatmariensi.

Dicta Domina Sophia Bathori Principissa, cum Filio prætacto, certos duos pagos, per Illustrissimum quondam Dn. Stephanum Bethlen, è manibus alienis redemptos, ac ad Parochiam Ecsediensem perennaliter applicatos, item Proventum Decimalem ex oppido Bathor, à memoria hominum ad eandem Parochiam Ecsediensem possessum & provenientem: Item Proventum Sabbathalem ex Molendinis Mathociensibus, ab antiquo ad eandem Parochiam administratum & præstari solitum, Principumque & Dominorum Terrestrium Bathori & Bethlen, perennali collatione ab antiquo realiter possessum, & continuô usu roboratum violenter occupari fecit, neque ad iteratas Comitatus requisitiones, restitui curavit, contra Articulum XIII. & XIV. Anni MDCXLVII. Daniel Pap Provisor Szatmariensis, Proventum Sabbathalem ex Molendino super Fluvio Szamos extructo ad Arcem Szatmar spectante, scholæ ejusdem loci Alumnis ab antiquo administratum, ademit.

In Comitatu Borsodiensi.

Præfata Domina Sophia Bathori, cum Filio Proventus Parochiales ex Molendinis Onodiensibus & Sajo Szent, Peteriensi Ecclesiæ Eloniensi & Crassariensi, Ministris Evangelicis, in iisdem locis residentibus, ab antiquo provenire solitos, ac à Dominis & Dominabus Terrestribus eorumdem locorum Catholicis semper, defectuque absque omni præstitos continuoque usu roboratos, contra vim, tenorem & continentiam articulorum Diplomatum & constitutionum superinde sancitorum ademit, ad iteratosq; Comitatus requisitiones haud restituta, de præsenti quoque detineri fecit.

In

In Comitatu Tornensi.

Præscriptus Dominus Nicolaus Andrasy, An. modo currente MDCLXII. Templa Evangelicorum Possessionis Harskut violenter occupavit, Ministrum Evangelicum inde ejusdem loci exturbando.

In Comitatu Scepusiensi.

Quamvis in Districtu Dunaviciensi Templum Evangelicorum, Possessionis Krompach Evangelicis restitutum, & inter nonaginta annumeratum Templa, tamen receptum Anno Domini MDCLXII. per quendam Polonum Sacerdotem, Adelbertum Csadursky, ex dispositione Reverendi Domini Johannis Palfalvay, Episcopi Varadiensis & Præpositi Scepusiensis, Ordinarius Minister quidem loci Evangelicus Parochiâ exclusus, Proventibus privatus, in dies majoribus minis, verberibus & nece, per suprascriptum Catholicum Sacerdotem infestatur.

Ministri Evangelici, ubi solis Parochialibus Decimarumque Proventibus gaudent, quamvis Reverendo Domino Præposito Scepusiensi, Cathedralem censum plenariè solvant, tamen ademptio talium Proventuum, per expressum à Dominis Catholicis non cessat: prout Generosa Domina Elisabetha Gombos, aliter Egregii quondam Alexandri Gorgei relicta vidua, proventus Anni MDCLXI. Pastori & Rectori Gœrgegensi præstare recusat.

Templum Possessionis Olczno, Dominii Arcis Scepusiensis, Anno MDCLXI. Illustrissimus Comes Stephanus de Csak senior, primariò Ministro Evangelico ejusdem Possessionis per certos homines ejecto, tandem per Reverendum Dominum Johannem Palfalvay, ordinato Sacerdote Catholico, Templum & Parochia cum proventibus sunt occupata.

Et licet Dominus Vice-Comes, ejusdem Comitatus Scepusiensis, super præmissis omnibus articulariter processurus terminet, tamen ex parte Catholicorum indictione deputatorum Judicum, cum variis excusationibus & exceptionibus fit defectus, adeò ut hujusmodi negotium finem minimè sortiri queat.

In Comitatu de Zabolcz.

Incolas & inhabitatores Oppidi Heidonicalis Nanas, per metum & formidinem Turcarum, duas Campanas, tutioris causa, Thokainum transportantes, modernus Arcis ejusdem Capitaneus utrasque in Arcem transvehi curavit: & licet jam iteratis vicibus superinde requisitus esset, nihilominus restituere recusavit.

In Comitatu de Saaros.

In Oppido Nagy Saaros, præmemorata Domina Principissa, Sophia Bathori cum Filio, Decimam ex seminaturis Autumnalibus & Vernalibus, Ministro Evangelico, à memoria hominum provenire solitam in Anno MDCLXI. ademit, & ab extradatione ejusdem Proventus Parochialis, Officialem suum Saarosiensem inhibuit.

Ad quæ præmissa omnia Majestatis Vestræ Sacratissimæ Resolutionem cum exoptata satisfactione præstolaturi, eandem Majestatem Vestram, gloriosè regnantem, & triumphantem felicissimè valere devotè exoptamus.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi ac perpetuo fideles Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Post hæc die X. ejusdem mensis Junii, nonnulli Ablegatorum Comitatensium & Civitatensium, ad Reverendissimum Dominum Cancellarium, pro hora septima matutina, vocati sunt. Comparentibus monstratæ & perlectæ sunt Literæ Principis de Portia, ad Dominum Cancellarium scriptæ, quarum summa hæc fuit:

Se velle præsente Domino Cancellario promulgare Statibus & Ordinibus Evangelicis suæ Majestatis. Resolutionem unde idem Dominus Cancellarius se obtulit, velle cum privatis illis, qui suæ Majestati exhibuerunt, hora X. ad Principem de Portia ascendere, quod & factum die XI. Junii & Resolutionem suæ Majestatis Sacratissimæ per Principem Portiæ in hæc verba oraliter acceperunt.

„Nomine Sacr. Cæsareæ Regiæq; Majestatis „Domini Dn. Gratiosissimi & Clementissimi „significare debui, Dominationibus vestris, Sa„cratissimam Majestatem suam, cum displicentia „intellexisse, quod Dominationes Vestræ & alii „se à publicis tractatibus abstraherent, cum ta„men Sua Sacratissima Majestas unicè intendat, „ea tractanda esse, quæ ad publicam tranquilli„tatem faciant, neque nunc tempus esse compla„nationis querelis, cum etiam aliorum deberent, „revideri gravamina. Habent Dominationes „Vestræ Leges superinde & quoad processum & „quoad pœnam, iis utantur nec remorentur pu„blicos tractatus Diætales: habeant sibi cordi, „afflictum Patriæ Statum & maximè necessitatem. „Aliàs Sua Sacratissima Majestas, cum iis, qui „præsentes sunt & laborant, tractatus absolvet.

Ad quæ verba Dominus Draskoczi ita fatur: „Agimus gratias pro paterna suæ Majestatis cura, „reportaturi Principalibus nostris.

Dominus Portia: " Dominationes ve„stræ ita referant, ne amplius recurrant huc, cum „instent Imperialia Comitia, quibus Sua Maje„stas interesse debet.

Dominus Ladislaus Tarcas, ad Dominum Cancellarium: „ Minekünk aztaz Mi Principa„lisunknak kel Reportalunk.

Dominus Cancellarius: „ Agunt gratias „Suæ Majestati pro paterna cura, dicuntque quod „velint Principalibus reportare.

Portia: „ Ita velim reportent & persuade„ant, ut sint capaces Dominationes suæ, neam„plius, sicut etiam spero, huc recurrant: Cum se„ria suæ Majestatis voluntas sit tantum de iis, „quæ ad publicam Regni tranquillitatem faciunt, „tractare quam unicè ut & de conservatione Hun„gariæ, ideoque Dominatione Vestræ seponant „etiam alia.

Qua Majestatis sacratissimæ Resolutione, Status Evangelicus non contentus, impetratâ audientiâ, per Ablegatos suos denuo suæ Majestati istum qui sequitur libellum supplicem die XII. Junii per generosum Dominum Ezechielem Gœrgei, subsequenti oratione præsentavit.

Augustissime Imperator, Domine Domine nobis naturaliter Clementissime.

„MAjestatis Vestræ Sacratissimæ fideles sub„diti Status & Ordines Regni Hungariæ „Evangelici, à Deo optimo felix & diuturnum „gubernium, ad Augustissimi Imperii Regnique „sui dilatationem demissè comprecantes fidelia, „humiliaque obsequia, ad extremum usque illo„rum halitum, supplices deferunt & offerunt. Et„si, sacratissima Romanorum Imperatoria & Re„gia Majestas, inter tot & tantas curas, ac solici„tudines, quibus circa Imperium & afflictissimum „hoc Regnum suum Hungariæ ducitur, retarda„re Majestatem Vestram Sacratissimam integrum „minimè foret, verum enim verò, Augustissime „Imperator, urget ingens & ardua necessitas, à „qua videl. salus & permansio eorum peoderet, li„berum nimirum Religionis Exercitium. Sua„det denique plus millies, erga fideles suos Maje„statis Vestræ Sacratissimæ contestatæ gratiæ & „clementiæ propensitas. Proinde Augustissime „Imperator, quia post Deum in nullo alio præ„terquam Majestate Vestra Sacratissima, spes & „fiducia illorum locata est, iteratò ad Thronum „sacratissimæ Majestatis Vestræ provoluti acce„dunt, necessitatemque suam præsenti hocce „supplici Memoriali, supplices exponunt expe„ctantes superinde Majestatis Vestræ Sacratissi„mæ clemens & benignum Responsum. Quam „Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam & cle„mentiam, fusis ad Deum precibus, fidelibusque „& perpetuis eorundem officiis humillimè nocte „dieque demereri intendent.

Quâ peroratione præmissâ, hocce sequens Memoriale Sacratissimæ Majestati porrexerunt.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

„QUaliter Augustissime Imperator, circa illi„citam & indebitam Templorum occupa„tionem & demolitionem miseræ plebis afflictio„nem, à Religione Evangelica abstractionem mi„nis, blanditiis, carceribus, mulctis exiliis, priva„tione omnium facultatum, opprobriis, ignomi„niis & mille modis atque mediis, per non„nullos ex Dominis Catholicis variè exquisitis & „adhibitis, hactenus fuerit processum Ministri „Evangelici Parochique turbati & expulsi, verbe„ribus & carceribus excrutiati, facultatibus exuti, „Nobilium quoque nonnulli in Exilium acti, & „bonis æque mobilibus ac immobilibus privati „ac contra Nobilitatem suam prærogativam di„vexati, quamvis longa Gravaminum serie Ma„jestati Vestræ Sacratissimæ, per nos debitæ ex„hibitorum, sat superque sit declaratum undeque „illud fiat, quod in processu executionis violato„rum & turbatorum Regiorum Diplomatum, „non solum in verbo Regio, sed in publicis quo„que & variis iteratis Regni constitutionibus con„firmatorum, approbatorum & acceptatorum, „debitum nequeant habere Evangelici progres„sum, esset quoque deductum, & exinde virtute „Diplomatis Lincensis conditionis Quartæ:

„ Gravamina autem &c. Complanationis „eorundem Gravaminum Nostrorum effectus „cum debita satisfactione, per nos certâ spe, ex „gratiosâ M. V. S. tempore præsentationis reso„lutione conceptâ expectabatur, præcipuè cum „nihil indignum, verum per omnia Constitutio„nibus Regni ac Regiis Diplomatibus consen„taneum postulemus.

„ Quia tamen ex benigna Majestatis Ve„stræ Sacratissimæ medio Celsissimi Principis „Domini Johannis Ferdinandi à Portia supremi „Aulæ M. V. S. Præfecti, nobis oraliter heri fa„cta resolutione Majestatis Vestræ Sacratissimæ „eam esse intentionem accepimus, quatenus „pro præsenti tempore negotium complanatio„nis Gravaminum nostrorum lamentabilium se„ponatur, tum ex eo, quod præsentia Regni Co„mitia non Generalia sed Extraordinaria essent „promulgata: tùm verò leges quoque superinde „extarent, quæ Judici Processum in casu turba„tæ Religionis manifestè ostenderent, imò & im„perialia negotia hic ulterius Majestatem Ve„stram Sacratissimam detineri non paterentur.

„ Cum autem & nobis & Principalibus no„stris, de Titulo extraordinariæ alicujus Diætæ, „nihil quicquam constaret, negotiumque Reli„gionis Evangelicæ turbatæ, summæ nimirum „& præcipuæ libertatis, principaliter per datas „nobis strictas eatenus instructiones ad pro„ventum ante alios universos Tractatus habea„mus delegatum: sed & prætacta conditio quarti „Diplomatis Lincensis, complanationem Grava„minum in negotio Religionis emergentium, a„liis universis anteponere, ac tam singulis Diætis „absque injuria Evangelicorum plenariè adhibe„ri debere, per expressum dictaret: manifestumq; „esse, nos non ad aliquam extraordinariam verùm „ad publica Comitia, Generalemque Regni Di„ætam à Principalibus nostris esse expeditos, ni„hil superesse videmus, quàm ut officio fidelium „legatorum fungentes, delegatumque nobis in „Religionis Evangelicæ graviter turbatæ nego„tio munus administrantes, complanationem „gravaminum Evangelicorum, apud Majestatem „Vestram Sacratissimam præ reliquis humillimè „urgeamus, gravem existimationis jacturam pas„suri, nisi obligationi & officii nostri tuitioni, o„mni ex parte satisfecerimus, tanto graviorem, si „in instructionibus nostris ad inconsueta Diplo„matibusque Regiis contraria recessum fecerimus „& ad ignotum extra-Ordinariæ Diætæ termi„num, citra præscitum & voluntatem Principali„um nostrorum quodammodo consenserimus.

Ita

,, Ita Augustissime Imperator est quidem ,
,, habere nos judicem , & annexam turbatæ Re-
,, ligionis pœnam, sed lex illa in volumine dunta-
,, xat decretali scripta continetur , nullum hacte-
,, nus effectum sortita , adeoque eâ per plurimum
,, abutuntur, ut citra metum pœnæ ibidem decla-
,, ratæ (quam nullus adhuc Judex in contraveni-
,, entes , propter alia impedimenta ex adverso il-
,, lata, promovere voluit aut valuit) universa sur-
,, sum & deorsum volverent , nonnulli ex eorum
,, numero , quibus assertio & defensio ejusdem
,, legis , vel effectuatio virtute officii incumbe-
,, bat , signanter autem Dominus Comes Judex
,, Curiæ Regiæ , Dominus Cancellarius & alii
,, plurimi Comitatuum supremi & Vice-Comi-
,, tes , quos in causa propria quales experiri po-
,, tuissemus aut possemus judices alto Majestatis
,, Vestræ Sacratissimæ subjicimus judicio.
,, Et quod majus est, Sacratissime Imperator
,, impunè hæc peccandi licentia eo abripit non-
,, nullos , ut nec gratiosa M. V. S. præsentia ,
,, nec autoritas Palatinalis , eos quicquam mo-
,, veat , quo minus animo semel conceptam Re-
,, ligionis Evangelicæ turbationem , sub decursu
,, præsentis etiam Diætæ , in effectum deducere
,, ausint , dum præmentionatus Dominus Can-
,, cellarius Ministrum Evangelicum antehac in-
,, dignè tractatum , incaptivatum & in Arce Ni-
,, triensi detentum , ac proximè præteritis die-
,, bus in libertatem assertum , stante Diæta de-
,, nuò incaptivari , verberibus affectum in com-
,, pedes compingi curavit , nosque pro captivo
,, Ministro laborantes , partes latronis suscipere
,, ac tueri , gravi nostra ac Principalium nostro-
,, rum injuria indigitaverit.
,, Pari passu & Dominus Comes Georgius
,, Illeshazy , alium Evangelicum Ministrum ,
,, præter jus & æquum , incaptivatum , extra Re-
,, gnum in Arcem Szétén , Marchionatus Mo-
,, raviæ adductum , in præsentia detinet , vincu-
,, lis , carcere & fame ac siti affligere , nihil pen-
,, si ducit : imò nec ad admonitionem Excel-
,, lentissimi Domini Palatini iteratis vicibus fa-
,, ctam , reduci aut dimitti facit. Sed nec pu-
,, blicus consessus citra contumeliam celebrari
,, potest ; Egregius enim Stephanus Morocz ,
,, nescitur unde motus , in talia erupit verba ,
,, quæ Evangelicum statum , fideles Majestatis
,, Vestræ Sacratissimæ subditos , non parum læ-
,, sisse constat , dum Turcicas nos , celebrare
,, congregationes , barbaro vocabulo Devany
,, vocatas , contumeliosè exclamavit , ac ulte-
,, rius duntaxat præstolemur , visuros nos alium
,, quendam cum termino eventum , minaciter
,, asseruit.
,, Simile quid experti sumus in præcitato
,, Domino Cancellario , qui in Curia Archi-
,, Episcopali , præsentibus Excellentissimo Do-
,, mino Comite Palatino , Archi-Episcopo &
,, aliis in Vice-Comites & ablegatos nonnullo-
,, rum Comitatuum , per Dominum Comitem
,, Palatinum eo convocatos , nullo habito con-
,, sidentium Regni & extraneorum optimatum
,, respectu , iratus plurimas minas effudit. Quæ
,, cum in præsentia Majestatis Vestræ Sacratissi-
,, mæ , ac Excellentissimi Domini Comitis Pa-
,, latini , sine metu pœnæ designari videamus ,
,, Majestate Vestra Sacratissima curis orbis Chri-
,, stiani è medio fidelium suorum ulterius avoca-
,, ta majora nobis impendere pericula , nisi ma-
,, gnitudine animi , pietate , justitia & Clemen-
,, tia , M. V. S. fulciamur , cum dolore perspici-
,, mus.
,, Quo circa ad Augustissimum Majestatis
,, Vestræ Sacratissimæ Solium , humillimè pro-
,, volvimur , innatæ Clementiæ & magnitudini
,, animi S. M. V. cum lachrymis supplicantes ,
,, dignetur ea nos complecti gratia , ut ex ratio-
,, nibus , tam hic , quàm in Gravaminibus no-
,, stris designatis , Regiis Diplomatibus , legi-
,, busque & constitutionibus Regni , Augustissi-
,, mo Majestatis Vestræ Sacratissimæ velo firma-
,, tis , Gravaminum nostrorum plenaria com-
,, planatione , per restitutionem occupatorum ,
,, stante Diætâ , ante alia adhibita (cum maxi-
,, ma pars templorum & Ecclesiarum nostra-
,, rum , post decursum novæ Diætæ sub ingres-
,, su in Regnum Majestatis Vestræ Sacratissimæ
,, militum ablata sit & adempta) satisfiat pœnæ-
,, que à turbatoribus , in exemplum aliorum ir-
,, remissibiliter in instanti desumantur , ad ordi-
,, natas Regni necessitates convertendæ : quo
,, his obtentis alacriores & ad reliquos tractatus
,, Diætales , promptiores reddamur. Majesta-
,, tisque Vestræ Sacratissimæ Clementia & justi-
,, tia , sine qua Regna consistere nequeunt toto
,, Orbe Christiano deprædicari , æviternoque
,, laudis fastigio locata , ad seram posteritatem
,, transmitti possit celebranda ; Et DEUS ter
,, optimus maximus Majestati Vestræ Sacratis-
,, simæ , pro tanta erga nos gratia , longævam
,, vitam , felix ac diuturnum Imperium , læta
,, incrementa & immortales Terræ Cœlique
,, triumphos rependat , quod nos animitus pre-
,, camur & vovemus , benignissimam Majestatis
,, Vestræ Sacratissimæ expectantes resolutio-
,, nem.

Humillimi ac perpetuò fideles subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

TITULUS.

Ad Sacratissimam Cæsaream ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque Regni Regem, demissa Evangelicorum instantia.

TAndem tamen post multas & varias alterationes cum Palatino Regni & Principe de Porcia, die 4. Julii porrexit & præsentavit Palatinus Statui Evangelico resolutionem Suæ Majestatis scriptotenus , & quidem clausam cum tali præfatione : *Optare se, ut antequam præsens Suæ Majestatis resolutio Statui Evangelico exhibita fuisset, sub idem tempus sibi potius de mortuo pulsus campanarum fieret, & hæc dies, hæc hora perpetuis tenebris & atro calculo involuta haberetur.* Unde Evangelici illud scriptum Suæ Majestatis prima fronte

fronte acceptare nolebant, præconcipientes illud in forma decreti conceptum esse. Obtestante tandem Evangelicos Domino Comite Palatino, illud omnino resolutionem Suæ Majestatis in se continere, cum protestatione idem scriptum Dominus Matthias Szuhay ad se recepit. Evangelici deinde conspicientes in superficie prætacti scripti talem intitulationem: *Fidelibus Evangelicæ Confessionis in sua Diata præsentibus assignandum*, adeoque animadvertentes, sibi tanquam legitimo Statui Regni competentem, & antehac semper assignari consuetum titulum denegari, non aperto nec perlecto eodem scripto Suæ Majestatis, actutum illud solenni legatione mediante, Domino Comiti Palatino remiserunt, neque illud ad se recipere voluerunt, antequam Dominus Palatinus errorem præmissum in Cancellaria Suæ Majestatis corrigi curasset.

Quo facto, tandem die 6. Julii Palatinus ablegatis Status Evangelici resolutionem Suæ Majestatis, sub secreto majori sigillo clausè confectam & emanatam porrexit, tali tenore:

TITULUS.

Spectabilibus, Magnificis, Egregiis, Nobilibus, prudentibus item ac Circumspectis, universis Statibus Regni Hungariæ Evangelicæ confessionis, nunc Posonii ad Generalem Diætam congregatis assignetur.

„Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis „nomine Spectabilibus, Magnificis &c. universis Statibus Regni Hungariæ Evangeli„cæ confessionis nunc isthic ad Generalem „Diætam congregatis, præsentibus significandum, intellexisse benignè præmemoratam „Suam Majestatem Cæsaream & Regiam, quæ „in exhibitis eorum præteritis Gravaminibus sub nomine Statuum Evangelicorum hujus „Regni demissè porrecta fuerunt. Ad quo„rum quidem humillimam instantiam, prælibatam Suam Majestatem Sacratissimam sese „clementer resolvisse sequentem in modum.

Et quidem primò, non constare Suæ „Majestati, ex jussu aut voluntate sua, quid„piam in præjudicium immunitatum & libertatum Religionis prætactorum supplicantium „fuisse admissum.

Secundò, si quæ verò inter privatos si„miles Controversiæ intercessissent, extare le„ges & articulos Regni, præsertim in Anno MDCXLVII. conditos, penes quos integrum „ipsis esset, contra talium Patratores procedere, „id quod non solum leges & articulos Regni suadere, verum etiam Catholicorum jura & „immunitates, illorumque libertates dictare. „Quibus prohibetur quenquam Nobilium, præter legibus consuetum juris processum, con„vinci & aggravari. Similiter verò Religionis querelarum causæ, non nisi per appellationes „ad Comitia essent relegatæ.

Tertiò: Non intermisisse Suam Maje„statem, ipsos quoque supplicantes accersiri, ac per fideles suos intimos consiliarios, iteratis „vicibus audiri curasse & tentari, si quid pro„ferrent, quod sine læsione ac præjudicio Nobilitaris libertatis Catholicorum, & articuli XIV. „Anni MDCXLVII. propositum & repræsen„tatum extitisset; verùm cum nihil apparuisset, vel ab ipsis prolatum fuisset, Suam Majestatem „benignè hortari, ac seriò monere prædictos supplicantes, ut sepositis ejusmodi remoris & „impedimentis, semet nullatenus subtrahant & „absentent, sed una cum reliquis fidelibus Statibus & Regnicolis convenire, deque conser„vatione Regni & Patriæ, in tam arduis & vi„cinis periculis, in commune consulere, nullâ ratione intermittant, declarando ideoque, „quod si qui adhuc ulterius benignæ huic Suæ Majestatis admonitioni morem gerere, & cum „aliis tractatus Diætales prosequi nollent, Suam „Majestatem unà cum iis, quibus salus Patriæ „super omnia alia cordi foret, progressuram, „& quicquid pro salute conservatione & defensione dictæ Patriæ idoneum & necessarium exi„stimatum fuerit, concludere & statuere, non intermissuram. Dictatum id ipsum est Regni „legibus & articulis, signanter autem Uladislai, „Decret. 2. Art. 25. & quidem etiam Decret. 1. art. 108. nec non Anni MDCXLIX. art. 44. „renovato. Eisdem de reliquo Suam Majesta„tem gratiâ & Clementiâ Suâ Cæsareâ benignè propensam manere.

„ Per Sacratissimam Cæsaream, Regiamque Majestatem Posonii, die 1. Mensis Julii „Anno MDCLXII.

Stephanus Orban:

Die VIII. Julii obtentâ Audientiâ, ablegati Status Evangelici hora IV. pomeridianâ, verbotenus perorante Magnifico Dño Georgio Berenyi, in scripto sequentem porrexerunt Suæ Majestati Sacratissimæ supplicationem.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime.

„Quamvis Sacratissime Imperator, non ejus fuerimus intentionis, ut Majestati Vestræ „Sacratissimæ, gravissimis Orbis Christiani curis distentæ, supplici instantia & prece nostra „molestiam creare præsumamus, in eam spem „erecti fore, ut Majestate Vestra Sacratissima, „omnes Regii animi eo intendente vires, negotia fidelium suorum subditorum M. V. S. re„præsentata, felici fine, ex benignâ M. V. S. reso„lutione secuturo, ad nos redeant coronata. Quia „tamen aliam, quam expectabamus à M. V. S. „(quæ videlicet nullam gravaminum nostrorum nobis faceret complanationem) recepimus re„solutionem, vel inviti reiteratò ad Augustissi„mum M. V. S. Thronum, supplices provolvi cogimur: Majestatem Vestram Sacratissimam, „humillimè exorantes, dignetur pro innata ani„mi sui magnitudine, gratia, Clementia, „rationes ex serie gravaminum præexhibitisq; libellis

libellis nostris supplicibus denotatas, ponderosas & prægnantes, aliasque ad id accedentes, præcellenti Regii animi judicio pensitare, causamque nostram, omni ex parte justam, in Diplomatibus Regiis fundatam, declaratis tamen in contextu Gravaminum, imò longè etiam majoribus modis læsam & violatam, cordi sibi sumere.

Licet enim Augustissime Imperator, rationes Majestatis Vestræ Sacratissimæ iterato repræsentatas, pro complanatione Gravaminum nostrorũ sat ponderis habere existimemus; accederet nihilominus, quod vix aliquando Religio Evangelicorum libero exercitio, in hoc Regno Privilegiata, tantas perpessa sit turbationes, pressiones & injurias, quam in decursu novissimæ Diætæ: Quas si longiori serie, quam in Gravaminibus Majestati Vestræ Sacratissimæ exhibitis, exprimamus variasque Ecclesiarum profanationes, & publica ac horrenda Christianitatis scandala, ut ea passim in rei veritate à nonnullis jam in parte declaratis fiebant, suo colore delineemus, exhorrescet Orbis. Quibus tamen in suo Statu relictis, hæc quoque paucis attingere visum est.

Etsi in Anno M DCXLVII. post varias ultrò citroque factas, Statuum & Ordinum Regni ratione occupationis templorum quæstiones, disputationes & propositiones, Diplomati Lincensi, interveniente etiam autoritate prædefunctæ Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Genitoris Majestatis Vestræ Sacratissimæ desideratissimi, gloriosæ reminiscentiæ, satisfactum esse videbatur; dum & Diploma peractum, juxta conditionem ejus sextam, pro tollendis ulterioribus Regnicolarum dissensionibus, per universos Status esset acceptatum, approbatum, & confirmatum, ac publicis Regni quoque Statutis insertum, vigore cujus nonaginta quoque templa Evangelicis restituta, alia denique plura eidem Diplomata fuissent accommodata, ut constat ex Anni ejusdem, Articulis à sexto ad decimum quintum.

Imò & quæ per inadvertentiam, ex impressis iisdem Articulis, fuissent exmissa, utpotè possessionum Tepla & Maksfalva, subsecuta Generali Diæta, nonaginta templis articulariter sunt annumerata, restitutioque occupatorum, tàm ante, quam post acceptationem ipsius Diplomatis, nulla aliqua prætensione interveniente, Peracta: subsecuto Anno porrò MDCXLIX. sicut & Anno MDCLV. dum prædefunctæ Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati, certa Gravamina fuissent exhibita, utriusque Diætæ tempore, ut juxta articulos constitutionum anni MDCXLVII. in negotio Religionis utriusque procedatur, est statutum, medio tamen tempore emergentibus per plurimis ac gravissimis in negotio turbatæ Religionis Evangelicæ injuriis, nobisque in processu diversimodè impeditis, nec articulorum effectuatio, nec Gravaminum ulla haberi potuit complanatio. Sed nec recentem Majestatis Vestræ Sacratissimæ fugit memoriam, quantum sub ingressum novissimæ Diætæ Anno MDCLIX. tempore videlicet suscepti per Majestatem Vestram Sacratissimam Regiminis Gravaminum M. V. S. exhibuerimus copiam, quæ vigore Regii sui Diplomatis, ac per id confirmati Lincensis statim tunc in initio felicis Regiminis sui, per Majestatem Vestram Sacratissimam penitus fuerunt tollenda, & cum satisfactione nostri penitus complananda: Verùm datâ nobis per M. V. S. Excellentissimum Dominum Comitem Regni Palatinum ac Dominum Archi-Episcopum Strigoniensem, super effectuatione articulorum, ac non admittendis in futurum Religionis Evangelicæ turbationibus assecuratione, id unicum experiri licuit, ut ab eo tempore adeo gravibus affecti sumus injuriis, quas audire, nedum pati horrendum est, ut liquet ex gravaminibus Majestati Vestræ Sacratissimæ demissè præsentatis, quod non alia tantùm infinita, sed ex nonaginta etiam templis plurima sint occupata & reoccupata, ac non solùm misera plebs, sed & Nobilitas graviter & injuriosè tractati, per hocque Diplomata Regia, usque adeò per nonnullos, qui Regni Columnæ, & Patriarum legum assertores non videri, sed esse debebant, violata, ut nisi intentioni & ausibus eorum tempestivè autoritate Regia occurratur, virtus & autoritas Diplomatis extremo exponatur periculo.

Et quia non magis nostræ libertatis quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ prædefunctorum Augustissimæ recordationis prædecessorum autoritatis derogamini, hæc ipsorum facta, & intentio vergere dignoscuntur, licentiaque apud illos longo jam usu, diuturnaque impunitate in tantum increbuit, ut non solum gravissimarum discordiarum in se alere fomites, oppressiones Civium meditari & adornare, verùm & infesta bella, sanguinolentasque in Patriæ Cives insurrectiones nunciare Dominus Comes Judex Curiæ, non vereatur: An non hæc sint, evidenter se erigere & opponere contra Statum Publicum Regis & Coronæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ, altissimo dijudicandum humillimè submittimus judicio.

Cæterùm, ut ad Majestatis Vestræ Sacratissimæ triplices benignè nobis propositas rationes, brevibus respondeamus; Absit Clementissime Imperator, nos vel cogitare, nedum dicere, jussu & voluntate Majestatis Vestræ Sacratissimæ tot & tantos, totque horrendos excessus & oppressiones fieri, aut factas extitisse: Quin imo humiliter detegimus Majestati Vestræ Sacratissimæ benignè constare, novissimæ Diætæ tempore in præsentiarum M. V. S. quidnam ejusdem Fiscalis seu Director contra Evangelicos Posonienses facere veritus non sit, dum eos non solum in campanarum usu turbaverit, sed & quod structuram Turris coepissent, non curata Evangelicæ Religionis libertate, aut Diplomatum Regiorum autoritate, inaudito modo, & ordine legibus contrario, ad tertium diem citari curavit, fortè etiam periculo alicui involvendos, nisi idem Director autoritate M. V. S. Regiâ à processu inhibitus fuisset, nihilominus tamen negotium continuandæ structuræ, sicut

&

& campanarum usus, defacto etiam ab eodem „Directore impediri constat, dum nec unam „tegulam ædificio ab eodem tempore ausi sint „applicare, atque in hoc eodem negotio triplicia mandata inhibitoria, contra eosdem Posonienses Evangelicos ex Cancellaria Regia „per Dominum Cancellarium extra data esse manifestum sit.

„ Qui quidem Dominus Cancellarius, uti „etiam in gravaminibus Majestati Vestræ Sacratissimæ repræsentavimus, cum tantas instituerit Religionis turbationes, ac defacto etiam „Ministrum Evangelicum (Domino quoque „Comite Georgio Illeshazy pariformiter in detentione alterius Ministri Evangelici perseverante) longâ & gravi captivitate afflictum, nihil metus Augustissimâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ præsentiâ, detinere non formidet: „Quales nos habuerimus ac in futurum etiam ab „ipso in Cancellaria Majestatis Vestræ Sacratissimæ sperare possimus negotiorum præcipuè „Religionis promotores, in hoc quoque ad „benignum Majestatis Vestræ Sacratissimæ humillimè provocamus judicium.

„ Quantum ad secundam rationem, ubi „lex & libertas ex adverso nobis proponuntur, „bonum omninò & pernecessarium esset; si aperti tam Regiorum Diplomatum, quam „publicarum Regni constitutionum transgressores, illud observarent, viaque juris, & non inverso violentiarum ordine, contra Regiam „autoritatem, & expresse contra Regni libertatem vergerent & procederent, ac non in „eversionem Diplomatum Regiorum, præcipuèque libertatis Evangelicæ satagerent. Verùm Clementissime Imperator, quia tam ante „Diplomata, per nos citata, ut constat ex Articulo XIV. Anni MDCXLVII. non minus „publicarum Constitutionum Regni transgressores, quàm Civilium discordiarum Autores, „& miseræ plebis oppressores Regiæque Autoritatis violatores nullâ præviâ citatione, & immunitatis similis assertione, etiam per Capitaneos, nedum per Majestatem Regiam coërcitos & punitos fuisse constet, cum dignum sit, „qui propria vult gaudere libertate, ut alienam „observet: Quantò magis interveniente jam Diplomate Regio, ubi absoluta Regiæ Majestati singulis Diætis Gravamina Evangelicorum plenariè & absque injuria Evangelicorum, complanandi data est facultas, postulato nostro satisfieri æquum est, præsertim dum „tàm ante approbationem & confirmationem „Regnicolarum, quàm ex postusu id esset receptum, & praxi autenticatum, maximè autem cum appellationis omnis desit ratio, ubi „nec ad ingressum processus, ex declaratis sat superque rationibus, via admittitur; Et alias „inter Gravamina & appellationes magna sit „distinctio: Gravamina siquidem sunt totius „Evangelici Status; appellatio autem privatam „concernit personam.

„ Quantum ad tertium: Licet non omnes, „plurimæ tamen ex prædeclaratis rationibu Majestatis Vestræ Sacratissimæ, intimis Dominis „Consiliariis præpositæ fuissent, quos nos sufficientes, tanquam in Diplomate Regio fundatas, ac instructionibus nostris, à Principalibus nobis datis conformes existimavimus, „alias ad majorem eorum illustrationem & instantiæ nostræ æquitatis evidentiam, in præsentiarum adjicimus. Declarando insuper „humillimè, neque nos, neque Principales „nostros, aliquâ duci contumacia, qui ab ipsis „expediti, in ipso statim Diætæ termino comparuimus, ab eoque semper tempore præsto sumus, nihil à justitia alienum postulantes, „verum ex vi Diplomatum, instructionum nostrarum, ac usu hactenus in praxin deducto „procedentes, quo ex respectu articuli allegati, „& longè aliis ex rationibus conditi, nihil contra nos & Principales nostros militant, quin „imò tam libertati, quàm in articulo primo Anni MDIV. descriptæ modalitati, continuo hactenus usu roboratæ, aliisque posterioribus Regni constitutionibus ac Regiis Diplomatibus è diametro videntur contrariari. Cum „& alias licet Regnicolæ in quatuor divisi essent Status, ex recepta tamen consuetudine, sicut „ex publicis Regni constitutionibus videre est, „idem quatuor non nisi in duos resolverentur Status, Catholicum videlicet & Evangelicum, „quo ex respectu inter eosdem non datur magis „& minus, cum tàm in Electione Domini Comitis Palatini, quam Custodum Coronæ, pari „numero ex utroque candidentur Personæ, sed nec integrum sit uni Statui citra consensum & „voluntatem alterius ad aliquid præstandum obligare, utroque unâ eademque libertatis prærogativâ gaudente.

„ Quocirca ad Augustissimum Majestatis „Vestræ Sacratissimæ solium humillimè accedimus, per viscera misericordiæ DEI eandem obtestantes, patiatur prægratioso suo in fideles suos affectu, propensione & Clementiâ Regium suum animum, ea exerceri cura, dignetur que Gravamina & injurias nostras, quibus „Cœlum & Terra ingemiscit, cum plenariâ „satisfactione, stante præsenti Diætâ, juxta sensum Diplomatis complanare, in transgressores verò ac publicæ tranquillitatis turbatores „Diplomatumque & verborum Regiorum juramento firmatorum violatores, quàm evidenter se contra Statum Publicum Regis & „Coronæ erigentes & opponentes, seriò animadvertere: ut hoc pacto publicæ fidelium suorum paci & Regni tranquillitati consuli, nos „ad admovendas aliis Publicis Tractatibus manus alacriores reddi, Principales autem nostri „felici negotiorum Diætalium successu, possint „exhilarari, alioquin Sacratissime Imperator fixum nobis est, Majestatis Vestræ Sacratissimæ innata Clementia, Diplomatumque Regiorum nunquam violanda fide fretis (cum nec Principalium nostrorum instructiones „aliud permittant nos facere) eousque ad pedes „Majestatis Vestræ Sacratissimæ cum lachrymis acclamando procumbere, donec cum Jacobo „Patriarcha & Cananæa Muliere exauditi, Benedictionem consequi, Gratiosaque & optatâ Majestatis Vestræ Resolutione erecti, tot & „tantis malis nostris medelam, ex sinu Majestatis Vestræ Sacratissimæ, juxta benignissimum „Diploma reportare valeamus.

Decæ-

„ De cætero eidem Majestati Vestræ Sacra-
„ tissimæ felix ac diuturnum comprecantes Im-
„ perium.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Fideles ac humillimi subditi,

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

POstea Palatinus Regni, multoties Statum Evangelicum, partim benevolentia sua, partim precibus, partim minis, partim denique lachrymis admonuit, ut à sua propositione discederent; & ad alios tractatus publicos, sepositis gravaminibus suis, accederent: Nihilominus Status Evangelicus à veteri observatâ consuetudine noluit discedere, sed ut à Gravaminibus ipsorum fiat initium, (ne Evangelicæ Doctrinæ exterminium fieret) omnimodè institit: neque amplius publicum concessum adire volebat, donec à Sacratissima Cæsarea Majestate ad libellum supplicem alterum resolutionem accepisset.

Die XIV. quin renunciatum erat Domino Personali, Statum Evangelicum inhærere suis rationibus jam superius allegatis, ac etiam instructionibus, quæ recentius in dies magis, magisque per Comitatus rectificarentur.

Solutâ præsenti sessione, ad horam IV. pomeridianam, per Principem Portia accersiti sunt priores Evangelici Ablegati, quibus sua Celsitudo sequentem dedit, nomine Sacratissimæ Majestatis resolutionem.

Quamvis Sua Majestas, tempore exhi-
„bitionis per Statum Evangelicum illius me-
„morialis, sat superque resolvisset: nihilo-
minus Sua Majestas eandem resolutionem
„per me repetere voluit, non esse in Arbitrio
„Sacratissimæ Suæ Majestatis, ut differentias
illas in scripto eorum comprehensas pro velle,
„eo modo, quo Status Evangelicus sibi elegis-
„set, componat, præsertim cum universis ra-
„tionibus & circumstantiis, in Intimo Consi-
„lio discussis, nullam aliam præter eam, quam
scripto, quam verbo sat fusè declarasset,
„Statui Evangelico, dare possit resolutio-
„nem.

Ad quam Sua Majestas Sacratissima,
„Statum Evangelicum relegat, & eidem inhæ-
„ret, adhortando medio mei, quatenus post-
positis ejusmodi privatis, ad tractatus publi-
„cos manus communes admoveamus, jam
„etiam septimanis aliquot inaniter consump-
tis.

„ Sua Majestas Sacratissima, pro Regia
sua solicitudine ab ipsis disturbiis Rakoczia-
„nis aliquot Milliones exposuit, nullo alio re-
„spectu, quam pro emolumento istius Regni
& Christianitatis, id vero vi obstrictionis
„suæ, universos fideles suos sine discrimine Re-
„ligionis complectitur.

Historia Hungar.

Quantum ad Germanum militem, fru-
„stra est, etsi idem miles immobilis foret, &
„ab omni esu & potu abstineret, dum vel ex
præsentia sola ejusdem adhuc Gravamina sub-
„urgent: ideò ratione ejusdem militis, Crasti-
„na die, per Intimos Consiliarios Hungariæ
apud me consultatio instituetur, & pro
„commodo Regni concludetur.

Rogo Statum Evangelicum, ut habeat ra-
„tionem armorum in Transylvania strepen-
tium, quorum virus facilè in hoc Regno sese
„diffundere poterit, præsertim cum milites
Germanici, Turcas ab obsidione Claudiopo-
„litana fugere coëgerint. Quod Turca pro-
„cul dubio ulcisci non intermittet.

Die 24. Mensis currentis, impetratâ iterum audientiâ, apud Cæsaream Majestatem, Dominus Georgius Bereni, (qui licet primum variis & ponderosis rationibus, munus hocce à se removere satageret, postea tamen victus amore Patriæ, voto Christianitatis, Religionisque Zelo, eidem oneri lætos subjecit humeros, dicendo se non solùm sudore, labore & verbis, & animi dexteritate, verùm etiam sanguinis effusione fidem & Religionem Orthodoxam promovere paratum esse) una cum aliis ablegatis, in præcedentis memorialis oblatione præsentibus, *Libellum supplicem* exhibuit, cujus tenor est talis.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine, Domine nobis Clementissime.

„GRavissimus omninò dolor & perturbatio,
„Sacratissime Imperator, nostros incessit
animos, quod, dum Majestatis Vestræ Sa-
„cratissimæ Regia & Paterna gratia, atque Cle-
„mentia freti, Gravaminum nostrorum com-
planationem ad demissas supplicationes no-
„stras, Majestati Vestræ Sacratissimæ, humil-
„limè tot vicibus exhibitas, in diu desideratam
nostram & Principalium nostrorum exhila-
„rationem exspectantibus, à Celsissimo Prin-
„cipe Johanne Friderico Portia, Majestatis
„Vestræ Sacratissimæ supremo Aulæ præfecto
„& Consiliario Intimo, intelleximus, non a-
liam à Majestate Vestra Sacratissima, quam
„quæ jam data esset, nos habere resolutionem:
„nec esse in arbitrio Majestatis Vestræ Sacra-
tissimæ, ut gravamina nostra Majestati Ve-
„stræ Sacratissimæ demissè exhibita, eo quo in-
„staremus, per Majestatem Vestram Sacratis-
simam complanarentur modo, nosque beni-
„gnè hortari, ut postpositis ejusmodi priva-
„tis, ad publicos tractatus manus commu-
nes, aliquot septimanis jam inaniter consum-
„ptis, admoveamus.

„ Quod, quam dolorosum sit, dum ne-
„gotium Religionis nostræ, & circa idem tot
„& tantorum emergentium Gravaminum o-
nera, non pro publicis, sed privatis quibus-
„piam, contra fundamentum summæ
„& præcipuè nostræ ac Principalium libertatis,

„ reputentur negotiis, nec esse in arbitrio, seu „ Autoritate Majestatis Vestræ Sacratissimæ, „ eo, quo demissè instamus, Gravamina no„ stra complanare modo, exprimere vix possu„ mus.

„ Verum enimverò Augustissime Impera„ tor, sive Autoritatem Majestatis Vestræ Sa„ cratissimæ Regiam in Diplomate fundatam, „ sive libertatem Religionis nostræ Evangeli„ cæ sat superque declaratam, modalitatemque „ Gravamina nostra complanandi, ex verbo „ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regio manan„ tem, consideremus, Majestati Vestræ Sacra„ tissimæ absolutè & citra exceptionem, Gra„ vaminum nostrorum complanationem cum „ satisfactione nostri & Principalium nostro„ rum, stante Diætâ, adhibendam competere, „ manifestè deprehendimus.

„ Supplices proinde Majestatis Vestræ Sa„ cratissimæ gratiosam benignitatem & Clemen„ tiam, iterum atque iterum imploramus, hu„ millimè exorantes, quatenus tot fundamen„ talium rationum nostrarum momenta, cle„ menter perpendere, considerataque Reli„ gionis Evangelicæ fideliumque suorum, tot „ persecutionum turbinibus exagitatorum, mi„ seranda & lamentabili sorte, benignâ reso„ lutione Regia circa complanationem Gra„ vaminum nostrorum, juxta continentias „ Diplomatis, sanctumque & inviolabile Re„ gium verbum, ad satisfactionem nostram „ & Principalium nostrorum pleno cum „ effectu, jam tandem dignetur accommoda„ re.

„ Ut eo pacto primum & ante omnia Ma„ jestati Vestræ Sacratissimæ, ulterioribus in„ stantiis inter tantas regendi Orbis Christia„ ni desudationes onerandæ, & postmodum „ pretioso tempori & expensis fidelium suo„ rum, alias etiam hac tempestate, ex ingres„ su extranei militis, ac longè latèque in præ„ sentiarum in visceribus grassantis exhausto„ rum parci, alia Diætalia bono ordine ne„ gotia progredi, Principales autem nostri, „ obtenta tot & tantorum malorum medela, „ cum sera posteritate Augustissimam Maje„ statem Vestram Sacratissimam nostro, ab „ innata pietate, clementia & justitia, æter„ næ laudis præconio, Orbi Christiano „ suspiciendam proponere possint & va„ leant.

„ Cum autem nos Sacratissime Imperator, „ ad quæcunque tandem hic detineamur in„ tervalla, à Majestatis Vestræ Sacratissimæ „ gratia impetranda absistere minimè possi„ mus, istud sicut in novissimo Majestatis Ve„ stræ Sacratissimæ humillime exhibito scri„ pto declaratum est, non importunitati, „ verùm causæ nostræ æquitati, rationumque „ ex Diplomatibus, Verboque Majestatis „ Vestræ Sacratissimæ Regio & instructionibus „ nostris promanantium ponderi, jure meri„ to imputari debet.

„ In reliquo Majestati Vestræ Sacratissi„ mæ felix ac diuturnum comprecantes Im„ perium, gratiosam præstolamur resolutio„ nem.

Majestatis Vestræ Sacra-
tissimæ

*Fideles ac humiles
subditi*

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

Die XXVI. Julii congregati sunt Domini Evangelici summo mane, Dominis etiam Bereny & Vitnyedi præsentibus, & ex quo Princeps Porcia per Dominum Regni Cancellarium nonnullis Dominis Evangelicis denunciaverat, ut hora octava Domini Ablegati ultimum memoriale Suæ Majestati exhibentes, apud eundem Principem se sistant, finalem Suæ Majestatis resolutionem reportaturi; ea propter Domino Bereny cum sibi adjunctis ad exaudiendam & reportandam resolutionem Suæ Majestatis expedito, congregatio soluta est.

Eodem, hora nona, Dominus Regni Cancellarius omnium Civitatum ablegatis, in residentia sua comparere jussis, præsente Fisco Regio ac una persona capitulari sequentia proposuit.

„ SAcratissima Cæsarea Regiaque Majestas, „ Dominus, Dominus noster Clementissi„ mus, me Ministrum suum, coram Directo„ re causarum suarum, Suis Dominationibus „ proponere voluit hæc duo puncta.

„ Primò: Cupit Sua Majestas Sacratis„ sima causas scire, cur & quare Suæ Domi„ nationes, tam pertinaciter sese hactenus „ gesserint, inque Domo Regnicolarum com„ muniter non comparuerint, cum Sua Ma„ jestas Sacratissima eosdem per Regales, ad „ præsentem Regni Diætam convocari cura„ verit.

„ Secundò: An pertinaci hoc suo propo„ sito Dominationes Vestræ ulterius quoque „ perseverare voluerint nec ne?

Finito sermone Dominus Andreas Feja, Civitatis Cassoviensis Ablegatus reposuit: „Be„ nignam Suæ Majestatis Sacratissimæ volun„ tatem & mentem, debita cum observantia „ percepimus, & habito respirio, ut fideles „ ejusdem Majestatis Sacratissimæ decet, nos „ resolvemus.

Dominus Regni Cancellarius itidem dixit: Sua Majestas, Crastina die, dum redient, percipere & intelligere cupit Suarum Dominationum resolutionem.

Dominationes itaque Vestræ, se ita accommodent, ut voluntati Suæ Majestatis satis fiat.

Director certam petiit determinari diem vel horam, ut & ipse tempore dandæ resolutionis præsens esse posset.

Die XXVII. Julii ante congregationem generalem Status Evangelici, summo mane, hora

hora nimirum quinta, congregati sunt ablegati Civitatum in hospitio Dominorum Ablegatorum Cassoviensium, ubi quæsitum & propositum extitit, quid resolutionis ad hesternam Domini Cancellarii propositam materiam dandum sit? Super quo determinatum est, ut eadem quæstio cùm totâ suâ serie in publica Dominorum Ablegatorum Comitatuum & Magnatum Evangelicorum congregatione proponatur, eorumque suffragia & vota expostulentur, quid eatenus facto opus sit? Dissolutis itaque Dominis Ablegatis Civitatum, generalis congregatio Evangelicorum habita est, præsentibus etiam Dominis Bereny & Vitnyedi, ubi primum & ante omnia resolutio Suæ Majestatis, hesterna die per Principem Porcia Statibus Evangelicis data, per legatos suos reportata extitit modo subsequenti.

Postquam Spectabilis ac Magnificus Dominus Georgius Bereny nomine Statuum Evangelicorum Suam Celsitudinem præfatum Principem Porcia condecenter salutasset, ac nos per præfatos Status ad suam Celsitudinem eo fine esse ablegatos declarasset, quatenus juxta novissimam oralem ac tandem Suæ Majestatis finalem & ultimam resolutionem à sua Celsitudine intelligere, ac eandem Principalibus nostris reportare valeamus, præfatus Princeps responsi loco reposuit taliter:

„Sacratissimam Majestatem indifferenter omnino quoslibet fideles suos, sine discrimine Religionis, gratiâ & Clementiâ Suâ Cæsareâ & Regia complecti, nec per Suam Majestatem, vel jussu, aut voluntate ejusdem, in præjudicium libertatis Religionis Evangelicæ, hactenus quidpiam factum esse fieri. Verùm quantum ad exhibita Gravamina Evangelicorum attineat ex rationibus in nupero Decreto Suæ Majestatis Sacratissimæ expressis, non esse hujus temporis eorundem discussionem & complanationem.

„Ac proinde hortari Suam Majestatem Sacratissimam, quatenus una cum reliquis Statibus & Ordinibus Regni, manus communes, ad promovenda publica, promptè adhibeamus, nec (uti hactenus factum esset) concessum publicum detrectare præsumamus.

Ad hæc subsumsit Dominus Bereny: „Ergone Celsissime Princeps, in dies tantas pressuras, sine spe ulterioris medelæ, diutius etiam subire cogemur?

Ad quæ Princeps: „Non, Sua Majestas, de securitate Dominationum Vestrarum providebit, & quæ contra leges Regni (quod ego non assero) attentata sunt, mederi curabit.

Addidit ulterius idem Princeps: „Ego melius consilium, etiamsi Evangelicus essem qualem me non profiteor, dare non possem, quàm hoc, quatenus nempe Dominationes Vestræ visis his maximis incommoditatibus, antequam dissensio hæc cum Catholicis excrescat, potius præsentem Controversiam different ad commodiora tempora, in eo quo nunc sunt Statu, cum & alias brevi alia debebunt celebrari Comitia, nec nos ex Aula vos juvare possimus, & potius consulant cum reliquis Statibus Regni in commune bonum, & suffragio suo, neque patiantur cum jactura Status sui, per alios præcise in commune quidpiam concludere. „*Cogitentque & invicem ineant ea Consilia, quod licet in Religione opinione dissentiamus, omnes tamen Christianissimus. Et sic vel pacem aliquam cum Turcis faciamus, vel ut Christianos decet, ad bellum nos viriliter præparemus.*

Retulit quoque idem Princeps, quendam Ministrum, magni Principis Imperii alias etiam Electoris, hic in Aula Suæ Majestatis Sacratissimæ constitutum, literas ejusdem Principis, alioquin Religioni Evangelicæ addicti, suæ Celsitudini repræsentasse, quibus idem Princeps innueret, se omnino mirari, cur tantopere Status Evangelicus Hungariæ, præ aliis omnibus complanationem Religionis Gravaminum urgeret, ac interim pro permansione Patriæ in medium nihil proferret aut concluderet.

Quibus omnibus attento studio exauditis, idem Dominus Bereny respondit: Nos tamen Suæ Majestatis Sacratissimæ benignam Resolutionem, quam etiam ad partem insinuatum consilium, Statibus & Ordinibus Evangelicis fideliter repræsentaturos, interea tamen ea spe & confidentia nos duci, si præhabitis diligentioribus considerationibus ad Suam Celsitudinem ulteriorem recursum habere necessitemur, eatenus Suam Celsitudinem gratiam & propensionem suam in promovendis ulterioribus negotiis nostris, declarare haut dedignaturum esse.

Qua in parte Sua Celsitudo promptitudinem suam se quoque adhibituram obtulit.

Præmissis itaque conclusis Dominus Andreas Feja, Civitatis Cassoviensis Ablegatus, è medio reliquorum Evangelicorum exurgens, exposuit ordine acta, hesterna die coram Domino Regni Cancellario tractata; ad quæ, inquit, nos scientes esse æque statum, & quidem Regni quartum, ac per consequens etiam Status Evangelici membrum, separatim nullum dedimus responsum, verum Dominationibus Vestris Illustrissimis, magnificis & generosis, uti in negotio Religionis commembro nostro, proponenda ea duximus, quatenus nos consilio & suffragio suo juvare, nobisque consulere dignarentur, quid responsi Domino Regni Cancellario ad proposita quæstiones dandum sit.

Expositione rei gestæ intellectâ, placuit Statui Evangelico Dominis Civitatensibus competentes ex Dominis Comitatuum Ablegatis adjungere personas, quæ unà cum illis Dominum Regni Cancellarium adeant, conjunctimque se ad propositas quæstiones resolvant. Deputati sunt itaque Dominus Ezechiel Görgey, Gedey & Thomas Farkas; ex Civitatensibus, autem Dominus Splenius, Raymanus & Daniel Guth, hac ipsis assignata resolutione: Percepisse Statum Evangelicum, qualiter Dominus Regni Cancellarius hesterna die Dominos Ablegatos Civitatum, ad præsentia Regni Comitia exmissos, ad se accersiverit, causamque, ex commissione Suæ Majestatis, hactenus in Domo publica Regnicolarum non comparitionis, & publicis Tractatibus manus communes non adhibitionis, assignari ab eisdem postulaverit; & an ulterius quoque in hoc pertinaci co-

eorum proposito perseverare velint necne? Ad quod Status Evangelicus conjunctim sic se resolvit, quod hactenus in domo regnicolarum ablegati Civitatum non comparuerint, hoc non ex contumacia factum esse, siquidem toties quoties de comparitione in domo Regnicolarum certificati sunt per Juratum Domini Personalis, justam non comparitionis rationem eidem Domino Personali per competentes è medio sui deputatos nuncios, inter quos semper Civitatum Ablegati adfuerunt, assignarunt. Accedere & hoc, quod Domini Ablegati Civitatum instructiones tales haberent, ut in negotio Religionis per omnia cum nunciis Comitatuum se simul sociarent.

Et hactenus etiam Ablegatos Civitatenses in omnibus Diætis cum Comitatensibus Evangelicis, uti statum quartum, unum sensisse in negotio Religionis, & alias Gravamina in negotio Religionis Suæ Majestati demisse sub nomine etiam quarti Status exhibita fuisse; Resolutionem quoque Suæ Majestatis æque illis ut cæteris ablegatis Evangelicis intitulatam fuisse. Quare conjunctim ad propositas quæstiones hoc responsi loco Statum Evangelicum Suæ Illustrissimæ Dominationi dare voluisse.

Ad quæ Dominus Cancellarius respondit: se non Statui Evangelico, verum ablegatis solum liberarum Civitatum exposuisse mentem & voluntatem Suæ Majestatis; ac ea propter etiam ab iisdem peculiarem resolutionem expectare velle.

Cui Dominus Splenius respondit: Eandem ipsorum esse resolutionem, nec se aliter resolvere posse.

Die XXXI. Julii, denuò novum Memoriale nomine Evangelici Status conceptum, Suæ Sacratissimæ Majestati exhibendum, in congregatione Evangelicorum publice perlectum est, cujus tenor fuit talis.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas Domine, Domine nobis Clementissime.

EO quidem, Sacratissime Imperator, spes nostræ ferebantur, fore, ut post tot humillimas instantias nostras, in verbo & Diplomate Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regio superædificatas, à Majestate Vestra Sacratissima, complanationem Gravaminum nostrorum, cum plenâ satisfactione consecuti, manus communes ad alios tractatus jam tandem admovere valeamus. Quia tamen resolutionem Majestatis Vestræ Sacratissimæ scriptotenus acceperamus, nobisque non esset integrum aliorsum provocare, quam ad Majestatem Vestram Sacratissimam, cui cura afflictissimi hujus Regni divinitus unicè esset concredita, ad quærendam tot & tantis malis medelam, quibus contra verbum & Diploma Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regium, barbaris etiam gentibus venerandum, affecti sumus, recurrentes, humillimè ad Thronum Majestatis Vestræ Sacratissimæ procidimus, per vulnera Christi, etiam atque etiam obtestantes, dignetur tot & tantas ac in invictissimæ fidei Regiæ Petro fundatas instantias nostras, post tantam pretiosi temporis jacturam admittere, complanationemque Gravaminum nostrorum complanandam, quam à tempore feliciter suscepti per Majestatem Vestram Sacratissimam Regiminis habuimus nullam, nobis virtute assecurationis Regiæ, jam tandem (decurrentibus in expectatione tribus penè Mensibus) pro autoritate suâ Regiâ benignè elargiri: Cum & alias Sacratissime Imperator, indies ac per singula momenta majores ac majores, in negotio Religionis Evangelicæ experiamur aggravationes, spem publicæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ fidelium quietis præscindentes, dum in præsentiarum etiam salvo universorum Statuum conductu, novas inferre Statibus Evangelicis turbationes nonnulli haut reverecantur; prout in Civitate Szent Guorgiensi, per occupationem cujusdam templi deserti, medio plebani ejusdem loci, in præjudicium & libertatis ac Jurisdictionis Magistratus Civilis læsionem factum fuisset: Sed & per propositionem, nomine Majestatis Vestræ Sacratissimæ, medio Illustrissimi Domini Cancellarii, Regiarum ac liberarum Civitatum ablegatis Evangelicis factam, ac per interpositas à Cæsareæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Directore, ibidem ea de causâ præsente, admonitiones & protestationes, terrores facilè involventes, iidem Ablegati, (qui tamen libera ac conjuncta nobiscum vota, & circa Gravamina suam habentes interessentiam, ab antiquo, sine ullo impedimento, nobis cooperati sunt, quorumque instructiones adeò nostris correspondent, ut ab invicem separari nequeant, ac quos etiam in præmissa scriptotenus facta clementi suâ resolutione, Majestas Vestra Sacratissima, more hactenus semper observato, per intitulationem nobis conjungere dignata est,) à corpore Statuum Evangelicorum, tanquam legitima membra, abstrahi videantur.

Per quæ negotia, æquè ipsis ac nobis communia, tanto magis aggravari, complanationemque Gravaminum, quam à Majestate Vestra Sacratissima, certo certius vi Diplomatis & Verbi Regii, cum plenaria satisfactione speramus, confundi & aggravari manifestum est. Cæterum veniam nobis à Majestate Vestrâ Sacratissimâ humillimè dari oramus, dum tot vicibus, humillimis instantiis nostris, Majestati Vestræ Sacratissimæ molesti esse debemus, aut non desinimus, cum id tam intuitu instructionum nostrarum, quam officii nostri ratione, eousque facere cogimur, donec humillimè exoptatam Gravaminum nostrorum complanationem, à Majestate Vestra Sacratissima, clementer elargiendam, obtinere valeamus, Justitiâ causæ nostræ sic exigente.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Fideles ac humiles subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Able-

Ablegati Evangelicorum in præsentatione libelli supplicis fuerunt, Andreas Szekely, Dominus Ottik, Balik, Feja, Splenius & alii: qui die 8. Auguſt. in conſpectum Sacratiſſimæ Majeſtatis admiſſi, hac peroratione per Andream Szekel præmiſsâ, præſcriptum memoriale exhibuerunt.

Sacratiſſima Cæſarea Regiaque Majeſtas, Domine Domine naturaliter Clementiſſime.

„Fideles Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ, humillimi & perpetui ſubditi & Ordines Regni „Hungariæ Evangelici, in præſenti Regni Diætâ conſtituti fidelia ſua obſequia, cum demiſſa „ſubjectione, Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ, felix „gubernium, cunctaque felicia & omnia proſpera „humillime apprecantur.

„ Quartus jam vertitur Menſis, Clementiſſime Imperator, ex quo iidem Status & Ordi-„nes Evangelici, acceptis benignis Majeſtatis „Veſtræ Sacratiſſimæ literis Regalibus, ad præ-„ſentia Comitia invitati comparuerunt & com-„planationem Gravaminum ſuorum, in negotio „Religionis emerſorum, juxta benignam Maje-„ſtatis Veſtræ aſſecurationem, Diplomate Lin-„cenſi fundatam, ac conditione ſecunda ejuſdem „Diplomatis expreſſam, nimirum quod ſua Sa-„cratiſſima Majeſtas, ſingulis Diætis Gravamina „Evangelicorum, cum ſatisfactione eorundem „complanare velit, toties, inque jam quatuor ſup-„plicationibus Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ ſu-„perinde demiſse porrectis, humillime poſtula-„verunt.

„ Quia tamen hucuſque, nullo pro contento „ipſorum impenſa fuiſſet ſatisfactio, ulterius quo-„que ad Thronum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſi-„mæ, ſupplices accedere neceſſitati ſunt: Oran-„tes Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam, tanquam „Patrem Patriæ, pientiſſimum Dominum, ac Re-„gem ipſorum Clementiſſimum dignetur Maje-„ſtas Veſtra Sacratiſſima, præſentem quoque „quintam ſupplicationem, clementer acceptare, „acceptam perlegere, ad contenta ſe clementer „reſolvere, ita etiam gravamina dictorum fideli-„um, Majeſtatis Veſtr. Sacr. Evangelicorum, primùm quidem ab obitu Sacratiſſimi quondam Im-„peratoris & Regis Hungariæ, Genitoris autem „Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ deſideratiſſimi, „felicis recordationis, proxime verò à ſuſcepti „Regiminis tempore, Majeſt. V. S. ineffectuata & „complananda clementer cum ſatisfactione E-„vangelicorum complanare.

„ Quam Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ, „gratiam & clementiam, perpetuis ſemper preci-„bus humillimisque ipſorum Officiis demereri „ſtudebunt. Eandem Majeſtatem Veſtram Sa-„cratiſſimam, bono Imperii valere deſiderantes, „clemens expectaturi reſponſum.

Finito ſermone & exhibito ſupplici ac demiſſo Memorialis, Sacratiſſima Majeſtas ſic ſeſe oraliter reſolvit.

„ Votum Status Evangelici per vos nobis „allatum, benignè acceptamus, quia tamen nu-„perrimè per Principem Portia, reſolutionem & „voluntatem noſtram ſatis fusè denunciavimus, „ſperabamus Eosdem eâ forecontentos, ac ad „publica Regni negotia tractanda aggreſſu-„ros.

„ Speramus quoque impoſterum noſtræ „voluntati, ſeſe accommodaturos. Nihilomi-„nus intellecta ſupplicatione veſtrâ, gratia & „clementia noſtra benignè propenſi manebi-„mus.

Die X. Auguſt. Excellentiſſimus Dominus Comes Palatinus, medio Generoſi Domini Michaelis Bori tranſmiſit ſcriptotenus ſibi à Principe Porcia datum reſponſum, quoad noviſſimam Status Evangelici ſupplicationem Sacratiſſimæ Majeſtati exhibitam cujus reſponſi tenor talis fuit.

Excellentiſſime Domine.

„Sacratiſſima ſua Majeſtas, in diſceſſu ſuo juſ-„ſit me Excellentiſſimæ Dominationi Veſtræ „ſignificare, ut Statibus Evangelicæ Confeſſionis „ad heſternum ipſorum Memoriale, dicere Suæ „Majeſtatis nomine velit, quod ſi potuiſſet peti-„tioni ipſorum ſatisfacere, id ab initio, ſtatim ſua „Majeſtas feciſſet: ſed quia hoc præſentis temporis conjunctura, & rei qualitas non permiſit, re-„fert ſe ſua Majeſtas ad priores tam ſcripto, quam „per Miniſtros ſuos ipſis datas Reſolutiones à qui-„bus recedere non poteſt.

„ Hortatur illos, ut ſepoſitis illis ad nego-„tia, publicam neceſſitatem concernentia unà „cum aliis manum apponant, & Patriæ bonum , promovere contendant. De cætero ſua Ma-„jeſtas Sacratiſſima illos, non minus quam alios, „paterna ſua cura & gratia Regia amplectitur. „Maneo ut ſemper Veſtræ Excellentiæ obligatiſ-„ſimus & verus ſervitor, Johannes Ferdinandus „à Porcia. Ex arce Poſonienſi 9. Auguſti Anno MDCLXII.

TITULUS.

Ad Excellentiſſimum Dominum Palatinum.

Die XVI. Auguſti hora IV. pomeridiana, obtentâ apud ſuam Sacratiſſimam Majeſtatem iterum audientia, ſtatus Evangelicus, per Ablegatos ad ſuam Sacratisſimam Majeſtatem delegatos, Egregium nempe Andream Szekhely, cum ſibi adjunctis Collegis, penultimam legationem, obeuntibus, ſolo paulo Szepeſy in locum abſentis Johannis Otuk ſubſtituto, ſubſequentem porrexit ſupplicationem.

Sacratisſima Cæſarea Regiaque Majeſtas, Domine Domine naturaliter Clementisſime.

„Bene recordari dignabitur Majeſtas Veſtra „Sacratiſſima, non paucas ab ingreſſu præſen-„tis Generalis Diætæ, occaſione complanatio-„nis Gravaminum noſtrorum, demiſsè exhibito-„rum, ad Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam hu-„millimè direxiſſe nos inſtantias, ad quarum po-„ſtremam, cum per Celſiſſimum Dominum Prin-„cipem à Porcia, præſentium temporum con-

„juncturas, & rei qualitatem non permittere gravaminum nostrorum complanationem, ideoque Majestatem Vestram Sacratissimam, ad priores, tam scripto, quàm per Ministros suos nobis datas resolutiones sese referre, responsum intelligamus.

„Etsi maximè nos ad silentium componere velimus, erumpunt tamen injuriæ nostræ, & verba cum lachrymis vel invitis exprimunt, nec patiuntur, ut humillimas instantias effectivæ & plenariæ complanationis tot & tantorum gravaminum nostrorum, apud Majestatem Vestram Sacratissimam, cui vi Diplomatum, verbi Regii, & Fidei Christianæ unicè illa incumbit, iteratis vicibus factas oblivione sepeliamus, non aliam præsentis omninò temporis videntes esse conjuncturam, nisi ut gravissimæ injuriæ nostræ per plenariam complanationem stante Diæta tollantur, & condignâ qualitatis rei Gravaminumque nostrorum habita ratione, futuræ fidelium Majestatis Vestræ Sacratissimæ, permansioni & tranquillitati (quam alioquin polliceri nobis possumus nullam) prospiciatur.

„Humillimè proinde Majestatem Vestram Sacratissimam per salutifera JEsu Christi vulnera, sanguinisque in ligno crucis effusionem obtestamur, dignetur jam tandem pro innata sua Magnitudine Pietate & Justitia, quæ sola Regna stabilit, sereno vultu opem Regiam implorantes nos intueri, ac in tanta persecutionum & Religionis Evangelicæ turbationis tempestate, sub tectum benignitatis fidei & verborum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiorum sese recipientes, clementer admittere, factaque & accommodata plenaria Gravaminum nostrorum complanatione, pretioso tempori & expensis Fidelium suorum, extranei militis in visceribus Regni omnia sine delectu vastantis, injuriis & insolentiis extremè afflictorum & exhaustorum, parcere; quin imò eundem militem extraneum, tanquam contra Diplomata, Legesque & Constitutiones Regni, signanter Articuli XIX. Anni MDCLV. Et Artic. XXI. Anni MDCLIX. novissimæ Diætæ, & alios inductum, ac nec in præsentiarum ab Executionibus, aliàs Juribus Regni & Libertatibus Patriæ contrariis desistentem, (dum sub præsenti etiam Diæta, in occupatione Decimarum, in Comœriensi Comitatu & Districtibus Rosno-Banensibus, Czetnekiensibus, Pelsokiensibus & Dopsinensibus, ab antiquo ad Proventus Parochiales pertinentium & percipi solitarum, ad instantiam Illustrissimi ac Reverendissimi Archi-Episcopi Strigoniensis, penes potens Mandatum Majestatis Vestræ Sacratissimæ procedunt, in bona Nobilium in ascensu & descensu passim condescendentes, obvia quæque vastant, & prædantur, persecutionemque & Religionis Evangelicæ turbationem, assistentiâ suâ promovent) educi facere.

„Cum aliàs Sacratissimè Imperator, præmissis justis & prægnantibus ex causis ulterius etiam humillimis Instantiis nostris ad Majestatem vestram Sacratissimam, Patrem istius Patriæ pientissimum, recurrere cogamur, nec in nostra sit libertate, donec gratiosum cum plenariâ satisfactione à Majestate Vestra Sacratissimâ reportaverimus scriptotenus præstolaturi Responsum.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi ac perpetuo fideles Subditi.

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Die XVII. August. Coram statu Evangelico, per hesternos Ablegatos reportatur series oralis resolutionis suæ Majestatis Sacratissimæ, per eosdem Dominos Ablegatos scripto comprehensa. VOTUM STATUS CATHOLICI (ut Domini Ablegati ex ore suæ Majestatis Sacratissimæ se percepisse retulerunt, quamvis unus ipsorum loco Catholici, Acatholicos nominasse dixerit) " benignè intelleximus; quia verò i.t s- factionem & resolutionem ulterius postulant & supplicant recordamur nos superinde jam satis resolvisse. Si potuissemus Statui Catholico aliam dare resolutionem, omninò dedissemus, & tam diu negotium istud non distulissemus: Cum igitur præter priorem, tam scriptotenus, quàm per alios fideles nostros datam aliam dare minimè possimus: Hortamur Statum Evangelicum, ut jam tandem in medium Statuum & Ordinum veniant, & in commune consulat: Gratiâ & Clementiâ eis propensi manentes.

Quâ quidem resolutione intellectâ non parum exacerbari videbatur Status Evangelicus, quod post tantam expensarum profusionem, & prætextu brevitatis temporis, nulla sibi impenderetur, imo nec sperari quidem posset satisfactio, gravaminaque de die in diem, non diminuerentur, sed augerentur, ut ex instantia Comitatus Gœmœriensis Ablegati, simul etiam Egregii Casparis Abaffi, Ablegati Comitatus Arvensis constaret, qui ab una Curia sua Nobilitari, militi Germano, in dicto Comitatu constituto, in singulas septimanas, quatuor imperiales vel ob eum respectum, quod in ea Curia Quarterium sibi non designasset, solvere cogeretur. Accederet insuper nova querela Civitatis Szent Georgiensis. cujus Plebanus currules Equos, unà cum curribus Civitatis ex eo, quod Dispensator Civitatis, eidem Plebano duo plaustra lignorum, in die Festo Assumptionis B. Virginis Mariæ, ad Plebaniam transmisisset, arestasset, & in præsenti etiam detineret, per quod eosdem ad Ceremonias Religioni Evangelicæ adversas compelleret. Unde præmissis diligenter consideratis, D. Matthias Szuhay, cum sibi adjunctis, ablegatur ad Comitem Palatinum, quatenus sua Celsitudo, jam tandem officio suo mediatorio satisfaciat, præmissas Instantias & exorbitantias tollat, ac simul Majestati sacratissimæ detegat. Supplicationem suam

am non solum in negotio Religionis, verùm etiam alias Instantias in se continere, ac proinde se ad singula optatam scriptotenus expetere resolutionem.

Die XXIV. Augusti S. Bartholomæo Apostolo sacra, Statu Evangelico in loco solito congregato, præmissaque relatione hesternæ legationis ab eodem ad Dominum Palatinum institutæ, occurrebat hic ulterius detentionis & inanis mansionis ratio: unde pro captando consilio, ac mutua correspondentia accersiti sunt nonnulli Ablegati Comitatenses Catholici: quibus in medium venientibus, difficultates præsentia negotia retardantes, in accuratiorem sumptæ sunt considerationem.

Et primò quidem terminum trimestris, aliàs tractatibus Diætalibus articulariter præscriptum, dudum jam effluxisse, cum inani expectatione Ablegatorum & Principalium, nec dari ulteriorem spem obtinendæ complanationis, tam in negotio Religionis, quàm etiam eductione militis extranei.

Secundò: si considerentur strictissimæ instructiones, in utroque negotio, à Pricipalibus datæ, quas recenter per allatas Missiles denuò consolidarint, ab illis sine dispendio existimationis recedere ipsis esse impossibile.

Tertiò: Comportatis itaque præmissis extremitatibus nihil aliud concludi posse, quam hic diutius manendo ipsis inanem molestiam & macerationem creari: & quod majus, Principales suos quoq; undiquaq; alias afflictos & exhaustos, inanium expensarum profusione aggravari, cum aliàs quotidianæ ærumnæ hac æstate, partim per gelidationem temporis, & inundationes aquarum, partim verò per expressiones militis extranei, continuatâ quasi serie Regnicolis illatæ sat superque molestiarum procreassent.

Quartò: Periculum subesse, ne grassans quoque in partibus Regni superioribus pestis sese ulterius diffunderet. Ac proinde his & aliis circumstantiis bene ponderatis, mediante solenni Legatione, præmissæ omnes rationes calculo ad dijudicandum Domino Celsissimo Palatino subjiciendæ decernuntur, tali cum modalitate, quatenus sua Celsitudo iisdem accuratius ruminatis, in utroque præmisso negotio, optatam à sua Majestate Sacratissima, jam tandem procurret resolutionem: aut si eam procurare nequeat, cum ex præmissis, se quoque à justitia nostra recedere non posse, percipere valeat, pro authoritate & discretione sua modum adinveniat, quo pactò ex istis molestiis, absque ulteriori tædio eluctari possint.

Pro qua quidem Legatione obeunda eliguntur ex Dominis quidem Catholicis Generosi Domini Johannes Ebeczky, Franciscus Cliseri & Nicolaus Michalek: Ex Statu autem Evangelico Generosi Domini Andreas Szekely, Johannes Otlik, Nicskazi, Andreas Raykai, Andreas Gedey, Georgius Szent Mikloši, Petrus Nyakas, Ablegati item Civitatum Semproniensis Eperiensis & Trenchiniensis.

Qua quidem legatione per eosdem Domino Comiti Palatino sic proposita; Sua Celsitudo singulis præmissis rationibus recapitulatis quæsitâ Legatis, quatenus directè voluntatem & intentionem suam eidem declarent, utrum nimirum eo in casu veniam ad discedendum expetant, si in utroque negotio condignam satisfactionem à sua Majestate Sacratissima non obtinuerint.

Ad quæ ipsis implicitè porro per affirmativam respondentibus, obtulit operam suam, quod uti priores, ita hanc quoque modernam Instantiam & declarationem suæ Majestati Sacratissimæ fideliter sit per Principem à Porcia repræsentaturus, & obtento responso, idem cum iisdem fideliter communicaturus.

Die XXIX. Augusti Celsissimus Dominus Palatinus, ad proximè exhibitum Status Evangelici memoriale, suæ Sacratissimæ Majestatis extra datam Resolutionem eidem declaravit talem: Quantum ad negocium Religionis, Majestatem Sacratissimam à prioribus suis Resolutionibus recedere non posse: sed neque hanc complanationem Gravaminum eâ qua intendat viâ & methodo impendere valere, siquidem rationes (quibus Majestas Sacratissima duceretur) ab eo nondum enodatas esse videret; verum ut juxta articulos & Constitutiones Regni, in negotio Religionis editos, contra Turbatores, ejusdem procedatur, suam Majestatem interim clementer providere velle, ne obices & obstacula, ea in parte, à quibusvis ponantur, cum promissâ in promovendo assistentiâ.

Quantum ad postulatum, eductionem militis extranei attinens pro moderno rerum statu ac imminentibus periculis, in toto effectuari esse impossibile.

Licet enim sua Majestas Sacratissima Armistitium cum Turcis habeat, nullam tamen pacem solidam, cum ipsis esse initam, quæ antequam fieret, Regnum à tali extraneo milite denudari non esse consultum.

Et quia status certam partem ejusdem militiæ Germanicæ ad breve & exiguum tempus, certis & strictissimis sub conditionibus, jam acceptasset, itaque hortari se statum Evangelicum, ut jam tractatibus Diætalibus, eatenus jam ferè in fine finali pendentibus, in Domum Regnicolarum, ad reliquos Status ingrediatur, ibique visis & calculo suo etiam approbatis ipsorum Tractatibus, intra spatium novem circiter dierum, præsentem Diætam concludat, sicque unitis animis ab invicem separati, ad suos penates redire possint.

Quantum ad intimatum discessum: Nec suam Majestatem, nec se cum Statui Evangelico concedere posse, cum non particulariter solus Status Evangelicus, sed reliqui etiam Status Regni in præsentem Diætam conjunctim essent vocati, ac proinde conjunctim etiam omnibus simul discessum permittendum.

Interea Status priori sententiæ inhærendo, liberam discedendi facultatem retinuit, ac promissam declarationem pro majori elucidatione indemnitatis suæ scriptotenus comprehensam, suæ Celsitudini Palatinali exhibuit. Superaddendo & detegendo novissimam etiam injuriam, per Magistrum Adolescentem Georgium Haller, Comitis Nadasdy Aulæ Familiarem, Ecclesiæ Evangelicæ Posoniensi illatam, qui in contemptum & pessimationem incontinuatæ Turris, Templi Evangelicorum Hungarici supremitatem, globis iteratis vicibus trajicere non erubuisset aut abhorruisset;

Sed

Sed nec ex Claustro Franciscanorum fenestras Templi ejusdem, lapidibus concutere non destitisset.

Pari passu novas & recentiores persecutiones miserorum Evangelicorum incaptivationes, & exquisitas horrendas afflictiones, quas in dies & horas, stante etiam præsenti Diætâ, provisor Bonorum Arcis Baymocz, Johannes Mednyansky, in iisdem Bonis, & signanter Teuto-Bona continuaret, coram sua Celsitudine Palatinali verbo & scriptotenus recensuit, ac ut his & aliis imminentibus malis, debitam in tempore medelam, adhibere dignetur, quàm maximè institit.

Quæ omnia sua Celsitudo se diligenter perlecturam, pensitaturam, & cum illis quorum interest communicaturam, ac tandem ad omnia præmissa, se resoluturam obtulit. Redeunte Statu ad consuetum consessus sui locum, dignum is judicavit, paria præmissæ declarationis, tam Domino Comiti Bano, quam etiam substituto Personali transmittere, ut cum primis apud præfatum substitutum personalem, tanquam Præsidem Regnicolarum constaret præmissa intentio, ac ut sibi extra dari petitas Testimoniales, apud suam Celsitudinem Palatinalem quoque proponeret, ac tam apud Sacratissimam Maiestatem, quàm alios ubi necessum fuerit, se super præmissis omnibus excusaret, summoperè rogavit.

Declaratio Status Evangelici, circa præsentis Diætæ publicationem ac celebrationem, indeque subortas difficultates Celsissimo Domino Comiti Palatino, die XXIX. Augusti exhibita.

PRimò: Status Evangelicus, circa præsentis Diætæ publicationem & celebrationem, præter alias has perpessi sunt & experiuntur difficultates: Primò quidem Regalium intitulatio non est veteri stylo hactenus observato accommodata, quæ dum ad solas Nobilium Universitates dirigebatur, nihilominus tamen in præsentis Diætæ Regalibus, Magnatibus etiam sonat, peculiaribus, aliàs Regalibus ad eandem Diætam vocatis & vocari solitis, qui arreptâ inde occasione interessentiam ad universitatis Nobilium negotia, instructionesque Ablegatorum earundem prætendunt, litesque & contentiones cum Nobilibus miscent.

Secundò: Forma veterum & antiquarum Regalium in Archivis Regnicolarum conservatarum demonstrat, " inusitatè & præter morem " adjectam esse in modernis clausulam Regali- " bus: sepositis & in aliud oportunius tempus " dilatis, quibusvis odiosis, & privatis quæstio- " nibus. Ex cujus adjectione, Gravamina E- " vangelicorum, in negotio turbatæ Religionis, " summæ alias & Fundamentalis Libertatis pro " privatis quibusdam habentur & reputantur.

Tertiò: Regales tardius, quam vi Articuli LXXIX. Anni MDCXXXV. debuissent, transmissæ sunt, & publicatæ Regnicolis; & quamvis tot & tanta essent Gravamina, quæ facilè legationes Regnicolarum remorari possent: sperantes nihilominus tam horum, quàm aliorum in præsenti Diæta, modo & ordine consuetis, imponendam sibi complanationem & satisfactionem, non curatis etiam plurimis militis Germani, contra Leges patriæ & Diplomata Regia introducti, quibus passim affligebantur insolentiis, citra omnem dilationem aut habitæ legitimæ excusationis prætensionem, in termino præsentis Diætæ comparuerunt, cursum Comitiorum, secundum suæ Majestatis Sacratissimæ benignam commissionem, admaturaturi.

Atque dum optatum & felicem suæ Majestatis adventum, trium septimanarum spatio, & quod excurrit expectassent, temporis in progressu plurimis à nonnullis Catholicis affecti sunt injuriis, & opprobriis: & quidem tum in Regnicolarum consessu, alius Turcicos eos conventus celebrare, barbaro vocabulo Devany vocatos clamabat, alius minus ipsis favebat, ut patet ex supplicibus Libellis, Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati exhibitis.

2. In publico consessu Comitatuum Ablegatis sessiones, per Dominorum Magnatum Ablegatos, alias ex vi Articulorum, post Comitatus Nuntios sua loca & vota habentes, præripiebantur, ubi nullæ aliàs contumaciæ fieri, verum Comitia quiete debent peragi, juxta Articulum LXII. Anni MDCXXV.

3. Dum ad modum agendi, & Diætales Tractatus promovendi Status devenissent, ordinem & antiquam consuetudinem atque Regni Libertatem urgentibus & allegantibus Evangel. Dn. Catholici post habitis his omnibus, particularitatem Diætæ, & Extraordinariorum quorundam Comitiorum publicandorum & celebrãdorum objiciebant, & habere volebant: Tractatusque non à septendecim Conditionibus vel Pacificatione Viennensi, sed à propositionibus Regiis incipere satagentes, ac antiquatæ Legi, non autem recentibus novissimisque Constitutionibus insistentes, per hoc rem incertam reddere, & Regalibus præter morem adjectam clausulam roborare, ac confirmare intendebant.

Religionis negocium pro privata quæstione reputantes. Quæ in quantum Regiorum Diplomatum, Regum, & Libertatum Regni præjudicium & derogamen vergant, suæ Majestati Sacratissimæ humillimè, repræsentatum est.

Hæc sic experti Status & Ordines Evangelici, Gravamina sua in negotio Religionis gravissimè turbatæ, juxta morem & veterum praxin suæ Majestati exhibuerunt, vi Diplomatis Regii ante alios Tractatus complananda, in quibus quod nonnulli Catholici occuparint Ecclesias, Templa, scholas, Parochias & Proventus Ecclesiasticos, quamque exercuerint & exerceant persecutionem, ministrorum ejectionem, miseræ plebis & Nobilium oppressionem, suæ Majestati Sacratissimæ demissè declararunt.

Quibus exhibitis, sua Majestas Sacratissima primò, brevitatem temporis & imminentem Imperialium Comitiorum Tractationem, quo minus ea complanari possint, per certos Dominorum Catholicorum intimos causabatur.

Secundo: Ad Articulos & processum quem haberent in Constitutionibus, relegabantur, verùm

num quia Diploma Regium Evangelicorum Gravamina singulis Diætis nullo omninò excepta complananda, & quidem cum satisfactione, sine injuria eorum dictaret: atque uti processu posse, nec potuisse eos diversimodè tàm à suæ Majestatis Cancellario, quam aliundè impeditos demonstrassent, ulterius suam instantiam suæ Majestati repræsentarunt.

Ad quam scriptotenus hanc à sua Majestate Sacratissima reportarunt resolutionem. Et primò quidem non constare suæ Sacratissimæ Majestati, ex jussu aut voluntate sua, quidpiam in præjudicium immunitatum & libertatum Religionis, prætactorum supplicantium fuisse admissum.

Secundò: si quæ verò inter privatos similes controversiæ evenissent, extare Leges & Articulos Regni in An. MDCXLVII. conditos, penes quos integrum ipsis esset contra talium patratores procedere. Quod non solum Leges & Articuli suadent, verùm etiam Cath. jura & immunitates Nobiltaresq; Libertates dictitant: quibus prohibetur quemquam Nobilium, præter legibus consuetum juris processum, convinci & aggravari. Similiter Religionis querelarum causæ non nisi per appellationes ad comitia sunt relegatæ.

Tertiò: Sacratissimam Majestatem ipsos quoque supplicantes accersi fecisse, & tentasse, si quid proferrent, quod sine læsione & præjudicio Nobilitaris Libertatis Catholicorum, ex Artic. XIV. Anni MDCXLVII. propositum ac repræsentatum extitisset. Verùm cum nihil tale apparuisset, vel ab ipsis prolatum fuisset, suam Majestatem Sacratissimam benigne hortari, ac seriò monere prædictos supplicantes, ut separatis ejusmodi remoris ac impedimentis, semet nullatenus subtrahant & absentent: sed unà cum reliquis statibus fidelibus & Regnicolis convenire, deque Conservatione Regni & Patriæ, in tam arduis & vicinis periculis Regni, in commune consulere nullâ ratione intermittant. Declarando id quoque, quod si hic adhuc ulterius benignæ suæ Majestatis Sacratissimæ admonitioni morem gerere, & cum aliis, Tractatus Diætales persequi nollent, suam Majestatem Sacratissimam unà cum iis, quibus salus Patriæ super omnia alia cordi foret, progressuram, & quicquid pro salute, conservatione, defensione dictæ Patriæ, idoneum & necessarium existimatum fuerit, concludere & statuere non intermissuram.

Sic dictante idipsum Regni Legibus & Articulis, signanter Ladislai Regis Decreto Artic. XXV. Et Decret. I. Articulo CVIII. nec non Anni MDCXVIII. Articulo XLIV. renovato.

Quâ acceptâ præmissis antecedenter plurimis & ponderosis rationibus, in exhibitione Gravaminum, instantiam suam apud Sacratissimam Majestatem justificantibus, his super adjectis sic responderunt.

Non percogitare Statum Evangelicum, nedum dicere, jussu & voluntate suæ Majestatis Sacratissimæ, tot & tantos, tamque horrendos excessus, oppressiones, Religionis turbationes & persecutiones fieri, humillimè tamen detegere.

Notum esse suæ Majestati Sacratissimæ, quas Evangelici Posonienses à Fiscali ejusdem seu Directore Causarum Regalium in usu campanarum & structura turris habuerint, & etiam in præsentiarum habeant turbationes: qualiterque eos triplicibus Mandatis Inhibitoriis ex Cancellaria suæ Sacratissimæ Majestatis Regiæ extradatis, contra Religionis Evangelicæ Libertatem, Diplomatumque Regiorum Authoritatem infestans, dum structuram attactæ turris continuare cœpissent, sub termino novissimæ Diætæ, ad tertium diem citari curasset, forte etiam periculo alicui involvendos, nisi authoritate suæ Sacratissimæ Majestatis, à processu inhibitus fuisset, negotium nihilominus continuandæ Diætæ Turris structuræ, de facto etiam ab ipso inhiberi.

Quantum ad secundum: Ubi Lex & Libertas ex adverso eis proponeretur. Bonum omninò & pernecessarium esse, si aperti tam Regiorum Diplomatum, quam Regni Constitutionum transgressores illud observarent, viâque juris & non inversô violentiarum ordine, contra Regiam Authoritatem, & expressam Regni Libertatem vergente, procederent, ac non in inversionem Diplomatum Regiorum, præcipueque Libertatis Evangelicæ satagerent.

Verùm quia ante Diplomata per se citata ut constat ex Articulo IV. Anni MDCXLVII non minus publicarum Regni Constitutionum Transgressores, quam civilium Discordiarum Authores miseræ plebis oppressores, Regiæque Authoritatis violatores nullâ citatione, & immunitatis similis assertione præhabita & obstante, etiam per Capitaneos, nedum per Authoritatem Regiam coërcitos & punitos esse constaret, cum dignum sit, qui propria gaudere vult Libertate ut alienam observet:

Quantò magis interveniente Regio Diplomate, ubi absolutè Regiæ Majestati, singulis Diætis Gravamina Evangelicorum, plenariè cum satisfactione, & eorum injuriæ complanatione data est facultas postulato Status Evangelici satisfieri æquum esse, præsertim cum tam ante approbationem & confirmationem per Regnicolas, quam ex post usu id esset receptum, & praxi autenticatum.

Maxime autem cum appellationis remedio uti, nec ingressus ad processum ex declaratis sat superque rationibus & impedimentis admitteretur.

Et alias inter Gravamina & Appellationes esse distinctionem: Gravamina siquidem totius esse Status Evangelici: Appellationis autem privatas duntaxat concernere Personas.

Quantum ad Tertium: Licet non omnes, plurimas tamen ex præattactis rationibus, intimis Majestatis Sacratissimæ Dominis Consiliariis propositas fuisse, quas Status Evangelicus, tanquam in Regio Diplomate fundatas & Instructionibus suis à Principalibus datis conformes existimasset: alias ad majorem earundem illustrationem, & instantiæ suæ æquitatis evidentiam, in præsentiarum adjiciendo & humillimè

superinde declarando, neque se, neque Principales suos, aliqua duci contumacia, qui ab ipsis expediti in ipso statu diætæ termino comparuissent, ab eoq; semper tempore præsto sunt, nihil à justitia alienum postulantes, verum ex vi Diplomatum, Instructionumque suarum usu hactenus in praxin deducto, procedentes.

Quo ex respectu, Articulos allegatos, & longè aliis ex rationibus conditos olim, nihil contra se, Principalesque suos militare, quin imò tam Libertati, quam in Articulo I. Anni MDIV. descriptæ modalitati, continuo hactenus usu roboratæ, aliisq; posterioribus Regni Constitutionib⁹ & Regiis Diplomatibus è diametro contrariari.

Cum & aliàs licet Regnicolæ in quatuor essent divisi Status ex recepta tamen consuetudine sicut ex publicis Regni constitutionibus videre est, eosdem quatuor non nisi in duos resolvi Status, Catholicum videlicet & Evangelicum, quo ex respectu, inter eos non dari majus & minus, cum tam in electione Palatinali, quam custodum Coronæ, pari ex utroque numero candidarentur personæ.

Sed nec integrum esse, uni Statui, citra consensum & vota alterius ad aliquid præstandum obligare, utroque una eademque Libertatis prærogativa gaudente. Ad Augustissimum proinde Sacratissimæ Majestatis Solium humillimè accedere, per viscera misericordiæ divinæ Eandem obtestantes, patiatur Regium suum Animum eâ exerceri curâ, dignarique Gravamina & injurias eorum, quibus cœlum & terra ingemiscit, cum plenaria satisfactione, stante præsenti Diætâ, juxta sensum Diplomatis & verbum Regium juramenta firmatum, complanare, in turbatores autem publicæ tranquillitatis ac Diplomatum, & Fidei Regiæ violatores, tanquam evidenter se contra publ. Statum Regis & Coronæ erigentes & opponentes, seriò advertere, publicæque suorum Paci & Regni tranquillitati consulere.

Sed cum nec hic alia quam prior data eis Resolutio, imo verò per Celsissimum Principem à Porcia, nomine suæ Majestatis Sacratissimæ respondentem, non esse in arbitrio suæ Majestatis Sacratissimæ, ut differentiam Evangelici Status in scripto eorum comprehensam, eo quem sibi elegissent modo componat, superadditum fuisset:

Directo alio ad suam Sacratissimam Majestatem supplici libello, sive autoritatem Sacratissimæ Majestatis Regiam, in Diplomate firmatam, sive Libertatem Religionis Evangelicæ, & sat superque modalitatem declaratam, Gravamina eorum complananda, ex verbo Majestatis Sacratissimæ Regio manantem considerent, suæ Majestati Sacratissimæ absolutè & citra exceptionem, complanationem Gravaminum Evangelicorum, cum plenaria satisfactione, stante Diætâ adhibendam competere ostenderunt, effectum juxta continentias Diplomatis, sanctumque atque inviolabile verbum Regium, humillimè urgentes.

Atque cum hic etiam prætitulatus Dominus Princeps à Porcia, nomine suæ Sacratissimæ Majestatis, non nisi receptam scriptotenus factam suæ Majestatis Resolutionem repeteret:

Status Evangelicus, non esse sibi integrum aliorsum, quam ad Sacratissimam Majestatem, cui unicè cura afflictissimi hujus Regni divinitus sit concredita, ad quærendam tot & tantis malis, quibus contra verbum suæ Sacratissimæ Majestatis & Diploma Regium, etiam Barbaris gentibus venerandum, affecti essent, medelam recurrere, ac proinde tantas, in invictissima fidei Regiæ petrâ fundatas Instantias suas, post tantam pretiosi temporis jacturam admitti, complanationemque Gravaminum suorum, quam à tempore feliciter suscepti per Majest. Sacratissimam Regiminis, habuerint nullam, virtute assecurationis & Autoritatis Regiæ, decurrentibus in expectatione tribus mensibus administrari, demisse exhibito Memoriali, apud suam Sacratissimam Majestatem, per Vulnera Christi supplicantes orabant.

Suâ Majestate Sacratissimâ tamen non nisi ad priora provocante, per Excellentissimum Dominum Palatinum, habere eos Mosen & Prophetas replicantem: Status Evangelicus gravissimis à turbatoribus Religionis, quos nulla Lex à præconceptæ persecutionis Filiorum Patriæ intentione deterrere potuit, affectus injuriis, Mosen suum & Prophetas, non alium, quam Majestatem suam Sacratissimam, in Diplomate & verbo Regio Fideque eos assecurantem agnoscere, nec opem ac auxilium ab alio rogare, cum non ulli, nisi Majestati suæ Sacratissimæ, authoritatem Gravamina, Evangelici Status cum plenaria satisfactione, singulis Diætis complanandi, vi Diplomatum datam esse manifestè sciat:

Articularem autem processum, ad quem ingressum habere possent & potuissent, injustissimâ etiam causa juvare eos minimè posse, multò fariam se expertos, suæ Majestati Sacratissimæ humillimo & recenti scripto detexerunt Complanationem gravaminum suorum apud suam Sacratissimam Majestatem juxta Diploma & verbum Regium sacrum, juramento firmatum, supplices implorando.

Verùm prælibatus Dominus Princeps à Portia mediante scripto, ad Excellentissimum Dominum Principem Palatinum directo, præsentis temporis conjuncturam, & rei qualitatem non permittere suæ Majestati Sacratissimæ, Gravaminum Status Evangelici complanationem: ideò suam Sacratissimam Majestatem referre se ad priores, tam scripto, quam per Ministros suos datas resolutiones, nec ab iis recedere posse respondit.

Status autem Evangelicus, etsi maximè se ad silentium componere vellet, erumpere tamen injurias eorum, & verba cum lachrymis vel invitis exprimere, nec pati, ut humillimas instantias effectivæ & plenariæ complanationis, tot & tantorum Gravaminum suorum, apud Sacratissimam Majestatem, cui illa vi Diplomatum verbi Regii & Fidei Christianæ unicè incumbat, iteratis vicibus factas, oblivione sepeliant.

Nec aliam omninò præsentis temporis videre se conjuncturam, nisi ut gravissimæ eorum injuriæ, per plenariam complanationem, stante Diæta tollantur, & condignâ qualitatis Gravaminum Religionis ratione habitâ, futuræ fidelium Majestatis suæ Sacratissimæ permansioni & tranquillitati (quam alioquin polliceri sibi possint nullam) prospiciatur, de recenti Majestati suæ

suæ Sacratissimæ per supplicem Libellum repræsentavit; per salutifera JESU Christi vulnera, sanguinemque in ligno crucis effusum, Majestatem Sacratissimam obtestantes, dignetur jam tandem, pro innata animi sui Magnitudine, Pietate & Justitia, quæ sola Regna stabilit, sereno vultu Opem Regiam implorantes intueri, ac in tanta persecutionum & Religionis Evangelicæ turbationum tempestate, sub tectum benignitatis, fidei & verborum Majestatis suæ Sacratiss. Regio Juramento firmatorum, sese recipientes clementer admittere, factaque & accommodatâ plenariâ Gravaminum eorum complanatione, pretioso tempori & expensis fidelium suorum, Extranei militis in visceribus Regni omnia, sine delectu Vastantis, injuriis & insolentiis extremè afflictorum, & exhaustorum parcere: eundemque militem, tanquam contra Diplomata Legesque & Constitutiones Regni, signanter Articuli XIX. Anni MDCLV. & Articuli XXV, novissimæ Diætæ & alios inductum, nec in præsentiarum ab executionibus, aliàs Juribus Regni & Libertatibus Patriæ contrariis, desistentem (dum sub ipso etiam præsentis Diætæ termino, in occupatione Decimarum in Comitatu Gœmœriensi, ab antiquo ad Proventus parochiales pertinentium, & per Evangelicos Ministros percipi solitarum, ad instantiam Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Strigoniensis penes potentiæ Majestatis Sacratissimæ, & Celsitudinis suæ Palatinalis Mandata procedat, in Bona Nobilium, in descensu & ascensu passim condescendens, obvia quæquæ vastet & prædetur, persecutionemque & Religionis Evangelicæ Turbationem assistentia suâ promoveat educi facere.

Verùm quidem est, Evangelicum Statum, extraneum militem non in suæ gentis odium, cujus virtutem & militarem scientiam in Art. XI. Anni MDCIX. declaratam habet, educendum asserere: sed quod idem sine præscitu, & consensu Regnicolarum, contra Diplomatum & Pacificationis Viennensis expressum sensum Articulumq; XXIX. Anni MDCXV. & XXV. novissimæ Diætæ præcitatorum, aliorumque in Regnum introductus esset, introductusque bona & commoda afflictissimæ hujus Patriæ promovere non studuisset.

Nam primò ad Rakomoz, sub GENERALI DOMINO SUSA, castra metatus miles & obsidionis Varadianæ Tartarorumque, Christianos in diram captivitatem abducentium, inanis spectator existens, de dandis tanto Christianitatis propugnaculo suppetiis, ne cogitavit quidem sed officio satisfecisse se putavit, si partes illas (præter mentem sine dubio & intentionem Sacratissimæ Majestatis benignissimam) jam ante excursione Polonica & Tartarica attritas, prædetur, vastet, Curias Nobilitares, oppida & Possessiones diripiat, incineret & solo æquet.

Huic militi alius successit mox exercitus, deductus à SUPREMO CAMPI MARESCHALLO DOMINO DE MONTE CUCULI, qui, ne priori in enormitate facinorum, & in Hungarorum gentem crudelitate cedere videretur, omni ferè Christianitatis sensu deposito, devastatis primùm Comitatibus Trans-Tibiscanis, ad nihilum ferè jam antea redactis, posteaquam in miseros, à tot & tantis cladibus residuos Incolas, Nobiles & ignobiles, non sexus „ aut ætatis habito respectu, cruciatibus, morte, „ ferro & igne sævisset, in alios etiam superio- „ rum Regni partium Comitatus (non curato, „ quam Partes illæ in copia iisdem subministra- „ re non neglexissent Commeatum & annonam) „ delatus, universa sacra & profana diripere, „ prædari, oppida evertere, Curias & Residen- „ tias Nobilitares solo æquare, miseræ plebi vi- „ tam cum facultatibus adimere virginibus vim „ inferre, matronis etiam prægnantibus & par- „ tui proximis ad nefandam libidinem abuti, ex- „ pletaque, nonnullas trucidare, plerasque præ „ violentia abortum passas, unà cum fœtu ene- „ care vagientem in cunis infantem flammis injicere, pecora & pecudes gregatim abigere, sepulchra violare, miseros mortales currui jungere instar jumentorum, nihili duxit.

Sed nec inferiores Regni Partes manus vastantis hujus militis, præcipuè circa confinia antemontana, effugere poterant, in reditu enim miseros Incolas omnibus vitæ ducendæ mediis, per plurimos excoriatos, alios igne tostos alios alio mortis genere, vita ipsa etiam privabant, Matronis (quarum nonnullas nec senectus scelere eripere valuit) & virginibus vim inferebant, ut vel ad memoriam tantæ enormitatis mens Christiana exhorrescat.

His omnibus quotidianæ eorum insolentiæ, & perplurimæ injuriæ accedunt, quibus tam præscriptas superiorum, quam alias Regni partes, ad præsens etiam in Quartiriis constituti, aut in confinia distributi, stante Diæta, uti jam præmissum afficiunt.

Quantum apud ipsos Authoritas Palatinalis valeat & valuerit, apparet exinde, dum contra leges Patriæ expressas, nullam ab Excellentissimo Domino Regni Palatino, uti par erat, dependendentiam habere voluerunt, ut nec exinde aliquid malorum suorum levaminis, afflicta habere potuerit Patria. Et quod vel maximè animos exacerbat Regnicolarum, non DEUM, non Sacratissimam Maiestatem, non Palatinum se timere & vereri denunciabant. Libertatis Ecclesiasticæ & secularis, quantus apud eos sit & fuerit respectus, cum omnia violant, constat ex antecedentibus.

Nunc maximè aperto Marte Turca invadendus esset, quia tamen decurrente jam æstate & appropinquante brumâ (tempore ad belligerandum incommodo) procedere id nequit, cum tanto Regnicolarum incommodo diutius hic detineri minimè possunt; exhaurient enim ante tempus Regnum, & imposterum necessitate aperti belli postulante, nec viros, nec vires, nec victualia administrare valebunt: penuria etiam moderni temporis, ac annonæ caritate accedente. Et licet tam in Religione à persecutoribus & turbatoribus, quam in bonis ab extraneo milite, nonnunquam ab utroque gravissimas tulerint & perferant Evangelici injurias, uti hoc tam ex serie Gravaminum & Supplicationum suæ Majestati Sacratissimæ exhibitarum, quàm resolutione Status Evangelici, Statui Cath. scriptotenus assignata patet, instantiasq; & rationes suas, tam in negotio postulationis complanationis gravaminũ Rel. quam educendi extranei mil. in legib' ipsis Regni

Diplomatibusque Regiis fundatas habeant: Quia tamen nulla in utroque, uti par esset, datur satisfactio, quin potius novas Religionis suæ, in dies turbationes, extraneique militis recentiores insolentias, incinerationes, homicidia & enormitates, accepta sub ipsa Diæta vulnera, non sine gravissimo doloris sensu sibi refricari experiuntur:

Quo fine hic ulterius cum tantarum inani expensarum profusione morari possint aut debeant, non percipiunt, Statuum Evangelicorum Ablegati. Præterea manifestum est, celebranda Diætas tempus, utpote Bimestre (juxta Articulum XLIV. Anni MDCXLIX.) jam effluxisse, nec eos contra datas sibi instructiones, Diplomata Regia, Constitutiones, & Libertates Regni, ad ullos Tractatus, contra veterem agendi modum, ante obtentam Gravaminum Complanationem. condescendere & consentire posse, imo nec si Status Catholicus, contra vota & consensus eorum, aliqua sub publico Regnicolarum nomine tractanda & concludenda præsumeret ea pro rato ac firmo ac Regni Constitutione agnoscere velle.

Instant proinde apud suam Celsitudinem Palatinalem, ne gravetur juxta exigentiam Officii sui Palatinalis & Mediatorii, in eam incumbere curam, ut Complanatio Gravaminum eorundem cum seria & gravi in transgressores Diplomatum, verborum Regiorum, Constitutionumque Regni administratione, ac etiam Germani militis (ad cujus vel retentionem, vel contributionem contra jura & Libertates Regni, nequaquam consentire volunt & possunt) eductione, ex vi Diplomatum, constitutionumque Regni obtineatur.

Alioquin expensis destituti, nihil aliud superesse advertunt, nisi ut ad Principales suos redeant, præmissaque referant, præsertim cum tam ex literis Missilibus certorum Comitatuum, proximè suæ celsitudini medio spectabilis Ablegati eorum, exhibitis, quam & aliorum quoque Comitatuum rationibus deductis, sat superque dignata sit intelligere:

Status Evangelicos ad nullos alios Tractatus accedere & consentire posse antequam in præmissis effectivam habeant complanationem & satisfactionem:

Monentque tot & tantas rationes Evangelici Status proponendo, Libertatibus Patriæ, sub tanta afflictionum mole sat fatiscentis, ita prospiciat, ne quas sanguine Avorum partas, per manus acceperint immunitates, sub Palatinali autoritate amissas esse, ad posteritatem transmittatur: neve illa tanta dexteritate gentis Hungaricæ, per tot secula servata, ignavia cum Regnicolarum dedecore & ignominiâ sit exulatura: quin potius in sua Celsitudine reviviscat pristinoque splendori restituta, Nomen suæ Celsitudinis æviternæ memoriæ consecret.

Cum dolore autem sentire coguntur, quod, dum & aliis universis præmissis Diplomatibus verbis Regiis suæ Sacratissimæ Majestatis juramento firmatis, Libertatibus & Immunitatibus Regni, firmiter insistunt, Instructionibus principalium suorum (uti tenentur) constanter inhærentes, satisfactionemque & complanationem sibi impendi supplicant, nescitur cujus Rebellionis & contumaciæ, contraria quædam interpretatione à nonnullis argui, & incusari videantur, uti ex verbis suæ Celsitudinis Palatinalis colligerent manifestè.

Cum autem ut ex præmissis apparet, supplicantes sint, nihilque alienum à justitia postulent, non alienam, sed suæ Sacratissimæ Majestatis opem implorent, instantiasque suas in Fide, suæ Sacratissimæ Majestatis Christiana & Regia, tanquam immotâ rupe fundent & ædificent, parati in omni fidelitate erga Sacratissimam Majestatem immoti permanere, propter rationabilem hanc Constantiam, atque debitam & necessariam perseverantiam, talibus coloribus depingi non merentur.

Rogant itaque suam Celsitudinem Palatinalem, ut innocentiam Eorum, pro debita Officii sui ratione, tam apud suam Sacratissimam Majestatem, Dominum Clementissimum, repræsentare, quam alibi, ubi opus erit detegere, Testimonialesque super præmissis omnibus eisdem suo modo extradare dignetur.

Die 1. Septembris, Status Evangelicus per allegatos suos coram sua Celsitudine Palatinali exposuit, eundem juxta declarationem Eorum amplius hic morari non posse, & crastinam diem pro infallibili discessu sibi præfixisse, optasse quidem, si cum impetrata satisfactione ad Principales suos (aliis quoque pro communi permansione necessariis Tractatibus publicis conclusis) iisdem redire licuisset, quia tamen uti præmissum novercante moderno Temporis Statu, felicitatem Eorundem invidente, voti compotes non redderentur, nec licuisset iisdem contra Instructiones sibi datas, ad quidpiam contrarium accedere: agereque summas gratias suæ Celsitudini Palatinali, pro tot & tantis, quæ in promotionem negotiorum Status Evangelici, tam apud suam Sacratissimam Majestatem, quam Aulam, Principesque, ac ubi conveniebat, dextrè exantlasset, fatigiis, recommendando semet ipsos, Principalesque suos, in tutelam Sacratissimæ Majestatis Regiam, & suæ quoque Celsitudinis.

Quibus hoc modo, coram Domino Comite Palatino præpositis, resolvit sese, mirari quod Status Evangelicus immemor, quoad postulatas Testimoniales suas coram sua Celsitudine, præcedentium similium Testimonialium repræsentationis ita strictè discessum pararet, atque nondum conclusa & negotia sua indeterminata hic relinquere satageret. Cum necessarium esset, ut Status Evangelicus, primum circa confectionem extradandarum Testimonialium, cum sua Celsitudine invicem conveniret. Ac etiamsi ad publicos Tractatus, in Domum Regnicolarum, cum Statu Catholico convenire nequiret, nihilominus tamen sua Celsitudo Eidem suaderet, ut donec Status Catholicus acta sua concludat, hic expectaret & aliquod dierum spatio moraretur: tandemque ubi Catholici Gravamina, vel Articulos adornatos, nomine Regnicolarum exhibuerint & præsentaverint, Status quoque Evangelicus coram sua Sacratissima Majestate compareret, & si eidem ita placuerit, ibidem eisdem Actis & conclusis Catholicorum non contradiceret, ut sic sua Majestas Sacratissima, cum benedictione utrumque Statuum & Catholicum & Evangelicum, dimittere valeat.

Siqui-

Siquidem Sua Majestas Sacratissima, maximo cum disgustu, præconceptum discessum Status Evangelici intellexisset, & Princeps quoque à Portia in hæc verba erupisset (ibunt, ibunt, certè pœnitebit illos) prout sua Celsitudo nobis detegeret. Ideo se autoritate Regia & Palatinali suâ, Statum Evangelicum à discessu serio inhibere, & per septem Sacramenta & omnia Juridica remedia, eum obtestari.

His vicissim coram Statu Evangelico relatis, varii discursus ibidem instituuntur, præsertim ubi Suæ Celsitudinis Palatinalis præcedentis diei resolutio cum moderna maximè discreparet. Et simul recurrebat & illud: Statum Evangelicum, tot & tantis suis, ad viscera misericordiæ DEI, vulnera, sanguinemque in ligno Crucis effusum, ac acerbissimam Domini nostri JEsu Christi mortem, provocantibus instantiis, nihil obtinere potuisse, ergo nos quoque per septem Sacramentorum provocationem, nihil itidem moveri: Et cum ei constet quo fine ac intentione hic detineatur, non videlicet, ut sibi aliqua satisfactio impendatur, verùm ut per præsentiam suam, solummodo Acta Catholicorum roborentur, in hanc sententiam itum est: Necessariò mediante legatione perquirendum esse, ex Domino Comite Palatino: Primò: Quo fine, aut respectu, Statum Evangelicum hic detineat, quamvis ille exhaustus sumptibus sit? Si tamen satisfactionis aliqua spes super esset, destituturum se à cœpto, & re ita exigente, in ulterius quoque tempus moraturum. Secundò: quo fine, aut intentione Princeps à Portia, Statui Evangelico comminatus fuisset. Tertiò: Cum ex præmissis, Status Catholicus in Statum Evangelicum, in libero hoc Regno æquali prærogativa gaudentem, sibi quodammodò Imperium vendicare præsumeret, vel ex hac quoque ratione præconcepto discessui, Statum Evangelicum inhærere.

Quæ cum denuò in præsentia Comitis à Rottal Domino Comiti Palatino fuissent exposita, Sua Celsitudo, verborum suorum quemque interpretem esse dicebat, & credibile quod Princeps à Portia, non eâ intentione præmissa verba protulisset, ac si Ense, Igne, Ferro, vel aliis violentiis in eum sæviretur & animadverteretur, verùm & se & Principem à Portia, ejus esse mentis, quod Sua Majestas Sacratissima, ob vilipendium & contemptum, autoritatis Regiæ, quem præmisso actu nostro intentari concludi posset, jure in nos animadvertere non sit neglectura: se itaque porrò inhærere suæ resolutioni, & iteratò Statum à discessu prohibere, cùm & alias hæc per Dominum Comitem à Rottal, in instanti Suæ Majestati Sacratissimæ repræsentare velit; eo etiam ex respectu se eum rogare, quatenus patienter in crastinum diem, pro hora octava præstolaretur Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem, seque contineat, & à molimine discessus supersedeat. Alioquin se solenniter protestari, ac, ut supra, Statum Evangelicum inhibere à taliter præconcepto discessu.

Domini Ablegati ad hæc Suæ Celsitudini reposuerunt: Hæc se quidem omnia Statibus Evangelicis, fideliter repræsentaturos, nihilominus tamen, si idem præconceptus ipsorum discessus non variabitur, ipsos quoque nomine Statuum Evangelicorum, coràm Sua Celsitudine solenniter reprotestari, eum non in contemptum autoritatis Regiæ, aut Suæ Celsitudinis fieri, verùm se certis & immotis rationibus, toties jam coram Sua Celsitudine declaratis, eatenus duci; Recommendando iteratò & se, & Principales suos gratiæ & Clementiæ Suæ Sacratissimæ Majestatis Regiæ, ac ut Sua Majestas Sacratissima etiam, cum de ipsis, tum Principalibus suis, tanquam humillimis & fidelibus suis subditis, optima quæque sentire dignetur, idque ut sua Celsitudo efficere velit, eandem se iterum atque iterum obtestari.

Et sic finis fuit impositus laboribus Status Evangelici, sub decursum Diætæ exantlatis.

DUm hæc peraguntur & exequuntur, & jam concessus solveretur, Egregius Nicolaus Maylath, Suæ Sacratissimæ Majestatis causarum regalium Director & Fiscalis, cum Jurato Tabulæ, sibi adjuncto supervenit, ablegatis tamen orationem ejusdem non audientibus & exeuntibus, idem per hospitia quoque ipsorum ostiatim decurrebat, & quorum præsentiam habere poterat, nomine Suæ Sacratissimæ Majestatis, sub pœna decretali, indignationeque Sacratissimæ Majestatis à discessu prohibebat. Nihilominus tamen ad invicem, & in privato qui convenire poterant, ex sequentibus rationibus instantiam non admittendam judicaverunt.

Primò: Constare ex articulis Regni, universos Status & Ordines, ad Comitia Regalibus convocatos, intrepidè agendi, sibique commissa tractandi, facultate præditos esse; salvique Conductus rationibus idem dictare: Alioquin si legati nomine Principalium suorum ibi existentes eadem potestate non gauderent, Principalium suorum expectationi nullô modô satisfacere possent, iidemque Principales eo ipso ad quosvis tractatus non spontanee accederent, verùm minis & terriculamentis quibusvis coacti pertraherentur; quod non solùm juri gentium, sed etiam Civili repugnaret, universamque liberam tractandi facultatem penitus tolleret.

Secundò: Statum Evangelicum, recenti tenere memoria, qualiter nimirum prædecessores sui, ab ejusmodi legatorum fienda evocatione, vel citatione, solenni assecuratione quoque, literis instructionalibus inseri solita, se tutos reddidissent; Igitur ipsis quoque à Principalibus suis defensionis rationem expectandam.

Tertiò: Nullum subesse periculum legatis, vel Principalibus suis, ut Fiscus aliquo processu, eosdem damnificare posset dum iidem debito tempore, nomine sui, ipsos expedivissent, iidem quoque in termino præfixo comparuissent, articulique præscriptum bimestre tempus, juxta instructiones Principalium, in probatione negotiorum sibi commissorum, complevissent.

Quartò: Pœnam Decretalem, quam Fiscus irrogandam exaggeraverit, non in præsentes &

& agentes; verùm absentes & non comparentes, deservire.

Quintò: Nullam extare legem, quæ Ablegato Instructioni suæ inhærenti, & satisfactionem nullam obtinere valenti, hincque ad Principales suos sese recipienti, irrogari possit.

Sextò: Status Evangelici ablegatos non obligari, ut ibi & statim penes similes prohibitiones, legationis suæ rationem reddant, verùm requiri, ut legati eam apud Principales suos exequantur.

Septimò: Id quoque cum jure gentium pugnare, si legati alias semper libera agendi facultate suorum Principalium gaudentes, pro Principalibus suis, legationis ipsis delegatæ rationes reddere cogantur.

Octavò: Ex præcedentibus Suæ Sacratissimæ Majestatis resolutionibus, actisque Statui Evangelico palam constare, ipsum à Sua Majestate Sacratissima, nullam satisfactionem obtinere, nec se ab instructionibus suis recedere posse, exindeque ad Principales suos redire necessitari.

Nonò: Hinc nullo modo ex discessu suo contemptum autoritatis Regiæ Majestatis prætensum, contra se concludi posse, quod sufficienter Status Evangelicus, scripto & verbotenus, coràm Sua Celsitudine Palatinali diluisset.

Die 2. Septembris, summô mane, & nonnulli sub ipsa aurora, DEO & Angelis comitibus, ablegati Status Evangelici, cum primis partium Regni superiorum, ad Principales suos sese receperunt. Ubi hæc Comes Palatinus subintellexisset, Juratum suum Dukovis cum literis suis, ad revocandos eos expediverat: Verùm ipsi in præconcepto itinere constanter perseverabant.

Lit. D.

VERITAS TOTI MUNDO DECLARATA:

Argumento triplici ostendens,

Sac. Cæs. Regiamque Majestatem non obligari, tolerare in Hungaria Sectas, Lutheranam & Calvinianam.

Quàm

Catholicæ Religionis Zelo concinnavit

G. B. C. V. R. S.

S. C. R. M. C. C.

S. Augustinus ad illud Psal. 57.

AD nihilum devenient, tanquam aqua decurrens. Non nos terreant, Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit: diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantùm potuerunt; decurrerunt, sicuti sunt rivi; vix eorum memoria reperitur.

Argumentum I.
Ex Legibus Hungariæ.

PAcificatio Viennensis, Anni 1606. Art 1. concessit quidem Lutheranis & Calvinistis, liberum suæ Religionis exercitium; sed sub tribus conditionibus.

Prima conditio; *Absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis.* Hæc conditio cum sit impossibilis; de lege habetur pro non adjecta: sensus enim hujus conditionis hic est; Si Lutheranorum & Calvinistarum Religionis Exercitium, in Ungaria, sit absque præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis; conceditur illis; Si

Si vero non sit absque præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis; non conceditur, sed certum est, illarum Religionum Exercitium esse cum præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis; ergò illarum Religionum exercitium non conceditur.

Secunda conditio: Ut clerus, templa, & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum, intacta & libera permaneant. Hæc conditio à Lutheranis & Calvinistis sæpius est violata: nam cum Principe Transylvaniæ, Gabriele Bethlehemio, non tantum templa invaserunt & Ecclesias (exspoliando, evertendo altaria, detruncando, & concidendo) verùm etiam Clerum, & Personas DEO Sacratas: Sacerdotes videlicet persequendo, vulnerando, imò (quod vel ipse Christiani nominis juratus hostis Turca perpetrare cohorruit) crudelissimè occidendo, & martyrizando. Testantur hoc crudele facinus, tres Martyres Cassovienses. Deinde violarunt hanc conditionem, cum altero Principe Transylvaniæ, Georgio Rakoczio; quod etiam à nemine negari potest.

Tertia conditio: Ut occupata disturbiorum illorum tempore, rursum restituantur. Sed neque hanc servarunt conditionem: Ostendant enim, quas Ecclesias nobis restituerint? Quæ bona Ecclesiastica, & Religiosorum, aut Monialium in liberis Civitatibus occupata reddiderint? Nonne actu tenet Civitas Sopronienſis plurima beneficia Ecclesiastica, unà cum Ecclesiis nostris? Proh dolor! fundationes illæ piæ, ad laudandum & glorificandum DEUM à Catholicis institutæ, in usus profanos & abominabiles, ab hæreticis convertuntur. Etiam in reliquis liberis Civitatibus, similes piorum Catholicorum fundationes, atque Ecclesiæ ipsæ, divorum quondam Ungariæ Regum liberalitate & munificentia exstructæ & adornatæ, actu ab Hæreticis possidentur.

En, quomodo conditiones illas, sub quibus permissum fuit in Ungaria Lutheranis & Calvinistis liberum suæ Religionis exercitium, servaverunt!

Teneturne itaque Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, eosdem in libero Religionis illorum exercitio conservare? Neutiquam: Nam regula juris nota est; non servatis conditionibus, non servari pacta: & violatis conditionibus, violari pacta: & illud, frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Verùm dicit aliquis, hæc prærecensita, juxta continentiam articulorum Ungariæ, pridem in Amnestiam abivisse: Diplomaque Regium FERDINANDI II. occasione Pacis initæ cum Principe Transylvaniæ Georgio Rakoczi, editum: atque articulo 5. Anni 1647. insertum: aliud dictare: adeoque teneri Suam Majestatem Cæsaream & Regiam, prædictorum Lutheranorum & Calvinistarum Religionis exercitium, liberum permittere.

At legatur præscriptus articulus 5. & deprehendetur, illum non esse consensu & unanimi voto quatuor Statuum Regni conditum & factum. Imò constat ex eo manifestè, quod primus Regni Status, nempe Clerus, contradixerit ex integro: item secundi, tertii & quarti Status potior pars: id est, universi Magnates, Nobilesque Catholici, cum Catholicarum Civitatum ablegatis, eidem articulo, & Clausulis ejusdem Diplomatis, Catholicæ Romanæ Religioni præjudiciosis contradixerunt. Sequitur igitur, illum articulum, unà cum aliis, eodem Diplomate in favorem Religionis Lutheranæ & Calvinianæ specificatis, conditos & factos esse solummodo ab ipsis Lutheranis & Calvinistis, armis Rakoczianis tunc prævalentibus: Ex præmissis itaque sequitur.

Argumentum II.

Rationes deductæ ex Legibus.

Sacra Cæsarea Regiaque Majestas non obligatur ad articulos Regni Hungariæ servandos, qui non sunt conditi consensu & unanimi voto quatuor Statuum Regni: Sed ex præmissis, articuli in favorem Lutheranæ & Calvinianæ Religionis conditi, non sunt ex consensu & unanimi voto quatuor Statuum Regni: ergò Sua Majestas non obligatur ad servandos illos articulos.

Et alioquin etiam juxta antiqua Regni Ungariæ Statuta, Part. 2. Tit. 3. leges seu Articuli, condi & explicari non possunt, nisi unanimi consensu Regis & Regni, seu populi: Regni autem seu populi nomine, non intelliguntur Lutherani & Calvinistæ, sed illi quos declarat Titulus 4. part. 2. in hæc verba: Nomine autem & appellatione populi, hoc in loco intellige solummodo Dominos Prælatos, Barones & alios Magnates, atque quoslibet Nobiles: sed non Ignobiles. Horum igitur est Leges & Articulos condere, cum Regio consensu & confirmatione. In quemcunque ergò Articulum hi non consenserint: talis articulus, pro vera lege Regni haberi non potest: sed in præscriptos Lutheranorum & Calvinistarum articulos, Domini Prælati, Barones, Magnates, & Nobiles Catholici non consenserunt: Imò, uti patet, contradixerunt: ergò illi articuli pro veris legibus haberi non possunt: Et consequenter Sua Majestas ad observandos illos non obligatur: etiam juxta Titulum 5. Part. 2. Ex quo apparet, illis solummodò Legibus & Decretis obligari Suam Majestatem, quæ per prædictos Dominos, Prælatos, Barones & Magnates, Nobilesque, cum consensu & confirmatione ejusdem Majestatis, sancita fuerint.

Cum itaque Articuli illi, in favorem Lutheranæ & Calvinianæ Religionis conditi, contradicentibus Dominis Prælatis, Baronibus & Magnatibus Nobilibusque Catholicis sint facti: nullo modo Sua Majestas illis tenetur, & obligatur.

Iisque etiam ipsorumet judicio Lutheranorum in Hungaria & Calvinistarum, qui Articulos Diætæ Anni 1662. non volunt pro legitimis Articulis agnoscere, ex eo solùm quod illis absentibus, seu non consentientibus sint conditi: ergò longè minus universi articuli, in favorem Luthero-Calvinicorum conditi, pro legitimis sunt habendi, cum sint conditi contradicente primo Ungariæ Statu ex integro: item contradicentibus potioribus ex 2. 3. & 4. Statu, Baro-

nibus, Magnatibus, Nobilibus & liberis Civitatibus, ut supra. Ergò si ideò non dicunt se vel Sacram Majestatem obligari Articulis Anni 1662. quia iis aliqua pars non consensit, à fortiori articulis in favorem Lutheranorum & Calvinistarum factis, quibus potior & principalior Status ex integro contradixit, & alii Status ex potiori parte contradixerunt: Sacra Majestas non obligatur.

Vel ex eo etiam, quod licet prædicti Lutherani & Calvinistæ sint de numero Regnicolarum: nihilominus nullus ex illis est, vel de numero Prælatorum, vel de numero Baronum Regni, qui specificantur Part. 1. Tit. 94. qui videlicet sunt, Regni potior & sanior pars; quæ juxta Articulum 25. Uladislai, Decreti secundi anni 1495. in Diæta concludere solet, acceptis per Magistrum Janitorum Suæ Majestatis, uti Baronem Regni, singulorum votis.

Fiat reflexio itaque quis, vel in Anno 1606. vel 1608. & subsequentibus, vel 1647. Dominorum Prælatorum Baronum & Magnatum, Nobiliumque Catholicorum, pro libero Lutheranæ Calvinianæ Religionis exercitio votum dederit? Imò ab his contradictum est, uti jam constat ex supra citato Art. 5. Anni 1647.

Et utinam itum fuisset tunc per vota, juxta præcitatum Uladislai Regis Articulum! Sed non placuit Lutheranis & Calvinistis: præviderant enim multitudinem votorum (sibi contrariorum) Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium Catholicorum: & animadverterant bene, condendis in favorem sui Articulis, à tredecim Comitatibus, non plura, quàm 13. vota, earundemque partium à 5. liberis Civitatibus 5. vota & totidem fortè à suæ Religionis Magnatibus: pauciora verò ex inferiori Ungariâ habituros: ideò solummodo solitis suis clamoribus (contra tenorem etiam hac in parte præcitati Articuli Uladislai Regis) & minis Armorum Articulum illum 5. Anni 1647. conscribi fecerunt: contradictione tamen ibidem specificata, interveniente.

Cum autem nullum violentum sit durabile: jure merito Articulus ille, cæterique ibidem in favorem Lutheranorum & Calvinistarum citati, non modo observari non debent: sed absolutè tolli, cassari, & annihilari: Articuli verò Ludovici II. Regis, Decreti Budensis, Anni 1523. Articulus 48. & Anni 1526. Articulus 4. & Rudolphi, Anni 1604. Articulus 22. in eodemque, divorum quondam Ungariæ Regum citati, reassumi, confirmari & debitæ executioni mancipari debent.

Argumentum III.

Ex adversariorum Confessione.

DAto, non tamen concesso, quod tolerandi essent Calvinistæ & Lutherani in Ungaria: in tantum essent tolerandi, in quantum Calvinistæ profiterentur Helveticam, Lutherani verò Augustanam confessionem; nam articuli illi, quos in favorem illorum conditos prætendit utraque pars, loquuntur solùm de hominibus Helveticæ & Augustanæ Confessionis. At Calvinistæ in Ungaria non profitentur Confessionem Helveticam; sicuti nec Lutherani Augustanam ergò nec Calvinistæ, nec Lutherani sunt tolerandi in Ungaria.

Minor hujus Argumenti posset in longum & latum probari: Sed quia non est hujus fori, nec instituti, ut in controversias excurramus: ideò solummodò paucissima adferentur, ut sicut ex ungue Leo, ita agnoscantur Calvinistæ, an Helveticam, & Lutherani, an Augustanam confessionem profiteantur.

1. Helvetica confessio, Art. 11. f. 22. hæc habet: Comprehensa symbolis, ac sententiis, quatuor primarum & præstantissimarum synodorum, celebratarum Nicææ, Constantinopoli, Ephesi, & Chalcedone: credimus corde sincero. Sed moderni Calvinistæ in Ungaria, non quod corde sincero crederent comprehensa primis hisce quatuor synodis: quin planè credunt contrarium; nam teste Justiniano, Novell. 123. c. 1. 12. 14. & Ambrosio, Epist. 82. inter Canones Consilii Nicæni hoc legitur: Patres Nicæni Concilii statuere; neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus est. Hoc ipsum Statutum, credunt esse doctrinam Dæmoniorum moderni Calvinistæ; ergò non consentiunt cum Helveticâ Confessione, sincero corde Statuta Nicæni Concilii acceptante; ideoque nec tolerandi in Hungariâ, tanquam non Helvetici.

2. Idem Concilium Nicænum, Canone 39. ex Arabico per Pisanum verso, hæc habet; Qui tenet sedem Romæ, caput est, & Princeps omnium Patriarcharum. Sed & huic moderni Calvinistæ non consentiunt; ergo non sunt Helveticæ confessionis, cum Nicena synodo, corde sincero consentientis.

3. Idem Concilium Nicænum Edition: Pisan. lib. 3. fol. 177. hæc habet. In Divina Mensa, non abjecti intenti simus ad propositum panem, & poculum; sed cogitatione sursum erectâ fide intelligamus, in sacra illa mensa situm esse Agnum qui tollit peccata mundi, incruente à Sacerdotibus immolatum. Et Canone 16. Arabico, alias 15. in eadem materia, sic loquitur: Diaconus offerendi sacrificii non habeat potestatem, sed Sacerdos offerat corpus Christi. Sed & hanc veritatem Calvinistæ in Hungaria execrantur; ergo non consentiunt Helveticæ confessioni, Nicæna Statuta sincero corde acceptandi: ideoque nec tolerandi in Hungaria.

4 Idem Concilium, Canone 65. Arabico sic habet: Nuntietur mors Episcopi in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis Diœcesis, ut fiat oratio pro eo. Sed & huic Statuto Nicæno, Calvinistæ in Hungaria sunt contrarii: ergo nec sunt Helveticæ confessionis, acceptantis corde sincero Statuta ejusdem Concilii Nicæni: consequenter nec tolerandi in Hungaria.

5. Concilium porro Constantinopolitanum, Canon. 1. confirmat & statuit fortiter ea omnia quæ Nicænum ideoque adhærens corde sincero Statutis Concilii Constantinopolitani Helvetica confessio, declarat manifestè Calvinistas in Hungaria non esse confessionis Helveticæ, ideoque nec tolerandos.

Demum in Canonibus Concilii Ephesini habetur, quod ei synodo, vice sancti Cælestini

Papæ (verba sunt Consilii) præsedit beatissimus quondam Cyrillus, Alexandriæ Episcopus. Itaque Consilium Ephesinum, ratam habuit præsidentiam & præeminentiam in spiritualibus omnem, Sancti Cœlestini Papæ: qui tamen (uti habetur etiam in Chronicis adversariorum) pro Sacro Missæ & Sacrificio instituit Introitum, Graduale, Tractum, Offertorium, Communionem: scilicet quoad sacras sententias, non autem substantiam. Itaque consentiens Ephesino Consilio Helvetica confessio ostendit non esse Helveticos Hungariæ Calvinistas: qui damnant & exsibilant Sancti Cœlestini Papæ factas quoad Missam institutiones.

7. Chalcedonensis autem Consilii Patres, ad Leonem Pontificem Romanum, Act. 3. in relatione Concilii, sic loquuntur: Nos convenimus, quibus tu, sicut membris caput præeras, rogamus igitur, tuis Decretis nostrum honora judicium: & sicut nos capiti adjecimus consonantiam: ita summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.

Actione item secunda circa medium, expresse habet idem Concilium, quod S. Petrus per Leonem Pontificem loquatur. Item act. 14. *Can.* 16. sic habet: Si qua Virgo se dedicavit DEO, similiter Monachus: non licet eis jungi nuptiis: Si verò inventi fuerint hoc facientes, maneant Excommunicati. Hæc & multa similia, dicit se admittere confessio Helvetica, dum ait, se sincero corde credere comprehensa in Concilio Chalcedonensi, quæ tamen Hungarici Calvinistæ damnant ac rejiciunt; ideoque minimè Helvetici, & consequenter nec tolerandi in Hungariâ.

Quoad Lutheranos.

Hi etiam in tantum essent tolerandi, in quantum sunt Augustanæ confessionis, à qua tamen planè in substantialibus discordant, præsertim in negotio Cœnæ Dominicæ, ita ipsimet fatentur in Præfatione libri concordiæ, ubi sic est: quod ad alteram Augustanam confessionem cujus in Naumburgicis actis fit mentio, attinet, animadvertimus quosdam sub prætextu verborum posterioris illius editionis, corruptelas in negotio Cœnæ, & alios errores contegere. Nos sanè nunquam posteriorem editionem in ea sententia accepimus, quæ à priori illa, quæ exhibita fuit, ulla ex parte dissideret.

Dissident autem Lutherani in Ungaria & quidem substantialiter. Nam prima illa Confessio Augustana Carolo V. exhibita cujus exemplar in Archivis antecessorum suorum dicunt repositum, Conc. Artic. 10. de Cœna Domini ad verbum sic habet: Docent, quod verum corpus & sanguis Christi veraciter sub speciebus Panis & Vini in Cœnâ præsens sit.

Sed hoc Lutherani in Hungaria non docent; dicentes, non sub speciebus Panis: sed vel in pane, vel cum pane, vel sub pane esse Christum: ideoque discordant substantialiter ab Augustanâ confessione. Quod ipsum objecit illis Calvinistica Palatinalis admonitio ad librum concordiæ cap. 4. ubi sic habet: In editionis Germanicæ decimo articulo cum in Cœna verum corpus & sanguis Christi dicitur esse sub speciebus Panis & Vini, non substantia, sed duntaxat species Panis & Vini adesse, dicitur: unde & Papistæ, transsubstantiationem verbis illis tradi crediderunt.

Hinc apparet, quod & Calvinistarum judicio, moderni Lutherani non sint Augustanæ confessionis, ideoque nec tolerandi in Hungariâ.

2. Præterea Augustana confessio, Art. 21. §. de Missa, ad initium sic loquitur: Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes: præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicui Germanicæ quæ additæ sunt ad populum docendum Nam ad hoc opus est ceremoniis, ut doceant imperitos.

Ab hoc moderni Lutherani manifestè dissentiunt, dicentes: Missam esse maximam & horrendam abominationem, atque ipsam idololatriam: ergò non sunt Augustanæ confessionis, quæ non tantùm substantiam Missæ, sed & ceremonias ferè omnes, ait se retinere: nisi quod tantum cantiones linguæ vulgaris admisceantur subinde Latinis.

3. Dicit insuper Augustana confessio prout recitatur lib. concord. art. 21. de potestat. Eccles. Quod Episcopo competit cognoscere doctrinam; & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere: Hic necessariò, & de jure Divino debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud: qui vos audit, me audit.

Hæc Augustanæ confessionis sententia, admittens judicem controversiarum ipsum Episcopum, vehementissimè exploditur ab omnibus in Hungaria Lutheranis, qui in hac materia solùm ad criteria & nescio quos cujusque hominis Spiritus privatos recurrunt: vel ex hoc, Augustanam confessionem minimè profitentes: consequenter nec tolerandi unà cum Calvinistis uti tales, qui sui in Ungariâ receptionem nullo articulo probare possunt: positô enim, quod Lutherani non profiteantur Augustanam confessionem: neque Calvinistæ Helveticam, nullibi se in articulis Regni reperient; multoque minùs in illis, quibus contradictum est, ut supra.

Præstat igitur ut in unitate Sanctæ Romanæ fidei Catholicæ, juxta S. Petrum. Ep. 1. cap. 2. ℣. 17. fraternitatem diligamus: DEUM timeamus: Regem honorificemus. Amen.

Pro Complemento.

Sequitur Decretum Constantini Magni, primi Romanorum & Græcorum Imperatoris Christiani, pro Pontificis Romani præeminentiâ ac privilegio singulari: descriptum à Græco Authore Balsamone, in supplemento expositionum: & sic habet.

Æquum esse judicamus cum universo Senatu, &c. ut sicut S. Petrus est DEI in ter-

terris Vicarius, ita etiam Episcopi Successores Principis Apostolorum, Principalem in terra habeant potestatem, amplius quam nostræ gloriæ Imperatoria Majestas. Ideò & volumus, Apostolorum Principem ejusque Successores esse primos apud DEUM Patres & defensores, & sicut Imperatoria nostra potestas honoratur & colitur; ita etiam decernimus, coli & honorari, sanctam Romanam Ecclesiam: & plus quam Imperium nostrum & terrenum thronum, sanctam sancti Petri Cathedram glorificari & exaltari: ac decernentes statuimus: ut habeat Principalem potestatem, & sit caput omnium totius Orbis Ecclesiarum. Et si quid est, quod ad DEI cultum & Christianæ fidei correctionem & confirmationem pertineat: id ab eo judicetur. Æquum enim est: ut sancta illa Lex, illic Caput & principium habeat, ubi sanctus Legislator, Servator noster JESUS CHRISTUS jussit B. Petrum Apostolum sedem tenere: & gentes illic caput suum per nominis Christi confessionem inclinent: ubi Doctor earum B. Paulus Apostolus, Martyrii coronam accepit. Tradimus ergò ipsis SS. Apostolis, beatis Dominis meis Petro & Paulo, & post ipsos B. Sylvestro Patri nostro, magno Episcopo & Papæ Romano, & omnibus ejus Successoribus, qui ad finem mundi sessuri sunt in sede B. Petri, nostrum Imperiale Palatium Lateranense, &c. Porrò ne Episcopatus autoritas contemnatur, sed ultra nostrum terrenum Imperium, etiam potentiæ gloriâ decoretur: Romanam Civitatem, & totius Italiæ, & Occidentalium Regionum Provincias, Beatissimo Episcopo nostro Sylvestro, universali Papæ, ejusque Successoribus tradimus. Denique par esse censuimus, ut nostri Imperii potentiam in Orientem transferamus: quod ubi est Principale Sacerdotium & caput Christianæ Religionis datum à Rege Cœlorum: non est æquum, ut terrenus Imperator illic potestatem habeat. Hanc autem Imperii nostri cessionem, propriis manibus compositam, in pretiosis Reliquiis S. Apostolorum Principis Petri posuimus: & illic nos omnia firma & illabefacta servaturos, nostrosque Successores, juravimus &c.

Injuriam nemini facit qui suo jure utitur: & hoc ipsum jus Pontificium disponendi Ecclesias habet Rex Hungariæ Apostolicus, vivat!

Lit. E.

FALSITAS VERITATIS TOTI MUNDO DECLARATÆ,

In negotio tolerantiæ exercitii publici Religionis Protestantium in Ungaria.

Breviter & dilucidè ostensa.

à

S. A. S. T. D. E. P. P. H.

S. Augustinus ad illud Psal. 57.

SI vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.

MUlta sunt, de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo? nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, Socius tuus est: & omnes facti ad imaginem DEI, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formavit. Quod ergò tibi non vis fieri, noli alteri facere.

Idem ibidem.

Peregrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non suscipitur ille: tunc clamat inhumanam esse illam civitatem, facile apud Barbaros sibi esse potuisse refugium: Sentit iniquitatem, quia patitur, tu fortè non sentis: Sed oportet ut & te cogites peregrinum, & videas, quomodo tibi possit displicere qui tibi non præstiterit, quod tu in patria tua non vis peregrino præstare.

Idem

Idem ibidem in illud: Erraverunt à ventre, locuti sunt falsa.

Loquuntur sua, loquuntur inania: ille tradidit, & ille tradidit: imò & ego dico, & ille tradidit, & ille tradidit, & verum dico. Sed quid ad me? nec tu mihi quos nominas ex Evangelio legis, nec ego quos nomino ex Evangelio lego. Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex DEI: audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem, prædicari in nomine ejus, inquit, pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Non, inquiunt, sed quod nos dicimus, audite, quod dicit Evangelium, nolumus audire.

Incidi pronuper in scriptum breve, auctoris anonymi quidem, sed tamen, quantum ex primis elementis, quibus nomen suum expressit, colligere licet, haud infimæ in Aulâ Cæsareâ dignitatis, qui, ut profitetur, Catholicæ Religionis Zelo commotus, argumento triplici conatus est ostendere, Sac. Cæs. Regiamque Majestatem non obligari tolerare in Ungariâ Sectas, ut vocat, Lutheranam & Calvinianam, tantum istis fidens, ut non veritus sit, hoc suum Schediasma VERITATEM TOTI MUNDO DECLARATAM inscribere, adeo non defugiens in hac causa vel ipsos Americanos Antipodas (partem quippe totius mundi) judices admittere. Tanta est fiducia formæ. Obstupui primo aspectu ad arma Vulcania, & commiseratione ductus Protestantium in Hungaria, de quorum (præcipuè Cassoviensium & Posoniensium) calamitate, multa publicè audiveram narrari, ac simul gnarus, titulis non esse fidendum, avidè percurri lepidum novum libellum. Sed lectione finitâ, non potui has esse aliquid putare nugas. Deprehendi enim confidentiæ multum, scientiæ parum, & charitatis, quam homo homini debet, nihil. Adeò exterminium istarum, quas vocat, Sectarum quærere videtur, ut id sub ipsum introitum dicto S. Augustini putarit designandum. Quamvis ergò scriptum nullius in se momenti arbitrarer, nec nociturum quicquam apud peritos: tamen aliquid putavi reponendum, etiamsi idem ab aliis jam factum foret, in causa communi fas esse credens, æquè ac incendio, unumquemque ad defensionem consurgere, & si quid possit, ad sustinendam ruinam afferre. Agedum ergò triplici nodo triplicem cuneum quæramus.

Argumentum I.

A Violatis conditionibus desumitur, sub quibus, ait, concessionem liberi exercitii Religionis, Protestantibus in Hungariâ factam.

Harum prima est, ut id fiat absque præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis. Quam conditionem, ait, esse impossibilem. Resp. itaque verbis Authoris. Hæc conditio cum sit impossibilis; de lege habetur pro non adjecta. Aut enim eo sensu accipienda, quo possibilis, & sic nil obstat, quo minùs rata maneat concessio. Aut si eousque extenditur, prout ab Authore fit, ut impossibilis videatur, nil incommodat, quia de lege pro non adjecta habetur.

Altera conditio est, ut Clerus, templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera permaneant. Sed hanc ait à Lutheranis & Calvinistis sub Betlenio & Ragoczio violatam. Resp. Ergò adimatur illis exercitium, qui ita nefanda perpetrarunt. Si etiamnum supersunt ulli, quibus ista jure imputari queant, in Regno Hungariæ, nil causæ dicimus, quin omni excidant libertate.

Cur insontes & fideles subditi S. C. R. Q. Majestatis ferant pœnam illorum, quæ nec ipsi commiserunt, aut eorum ullatenus fuerunt participes, nec facta fuisse probant, imò improbant & detestantur? Cur Religioni adscribitur, id quod à militibus irreligiosis & sceleratis, per tumultum belli tempore fuit commissum, exacerbatis à Clero, cujus fervidis consiliis, insidiæ Religionis Protestantium exercitio semper structæ, & causæ belli, meritò imputabantur? Num illud, quod ab ipsis Rom. Catholicis sæpius factum fuit, rectè Religioni contrariæ vitio datur? Sanè exercitus Adolphi Imperatoris (addicti Ecclesiasticis eousque, ut vulgò Der Pfaffen-König h. e. Rex sacrificulorum vocaretur, teste Doctissimo P. Serrario S. I. Rerum Mogunt. lib. 5. pag. 847.) qui anno 1295. Thuringiam invasit, ex Protestantibus haud constabat.

Quàm religiosè tamen is rem gesserit, de eo lubet audire Additiones ad Lambertum Schafnaburgensem ad annum dictum. Nusquam (ajunt) pax, ubi Mars: nusquam Christiana pietas, ubique paganica iniquitas & crudelitas debacchatur: insuper claustra sanctimonialium invaduntur, DEOque Sacratæ virgines protrahuntur & ab immundis hominibus prostituuntur.

Sed nec vel sic cessatur: cum famelici canes in villis jam exhaustis nil rerum victualium invenirent, ad Ecclesias convertuntur, fores effringuntur, vix à Sacerdote celebrante manus cohibentur, altaria nudantur, vestes sacræ, missales libri cum calicibus distrahuntur, & (quod Christianæ aures exhorrescunt) pyxides hostiarum vivifici corporis Christi, in quo totius humanæ salutis summa consistit, abjecto nonnunquam Sacramento, abripiuntur. Quid diceret Autor, si hæc Lutherani aut Calvinistæ perpetrassent? Ut taceam, justis de causis supplicio affectos, in Calendario Romano Martyribus quandoque annumerari, quales S. Jacobus Clemens, parricida inclementissimus, S. Edmundus Campianus, & similes.

Tertia conditio: quam violatam queritur, est, ut occupata disturbiorum illorum tempore rursum restituantur. Hujus autem conditionis sensum non fuisse, ut Ecclesiæ redderentur à longo tempore possessæ à Protestantibus, aut bona Ecclesiastica, sed ut restituerentur castra & villæ quædam, occupatæ forsan à Stephano Botzkajo & Regem Hungariæ pertinentes, patet exinde; quòd nunquam alias Protestantes in eam conditionem fuissent consensuri quæ concessioni contraria erat, & executio quoque à Clero Romano-Catholico dubio procul statim quæsita fuisset, quod tamen haud factum credimus, donec author probet. Quòd si conditio ista callidè fuit ex instinctu Cleri Romano-Catholici sic generaliter concepta, ut ad negotium

Religionis deinceps tempore oportuno posset extendi, quodcunque in fraudem legis factum est, id ipso jure pro nullo habetur.

Verùm ipsemet author honoratissimus fatetur, si quid adversus has & similes conditiones (quas ita se habere, ut author scribit, supponimus solùm, de fide alias ejus merito dubitantes, ob specimina quæ post videbimus) peccatum fuisset, illud per Diploma Regiam FERDINANDI III. occasione pacis initæ cum Principe Transsylvaniæ Georgio Rakoczi editum atque articulo 5. anni 1647. insertum, videri posse pridem in amnestiam abivisse. Sed excipit tantùm, illum articulum 5. non esse consensu & unanimi voto quatuor Statuum Regni conditum & factum. Et hinc etiam,

Argumentum II.

SEu rationem deductam ex legibus format, ut probet, S.C.R.Q. Majestatem ad istum articulum servandum non obligari, quoniam eidem contradictum sit à parte Romano-Catholica quatuor Statuum Regni & is minis armorum intervenientibus conscriptus, adeoque cum nullum violentum sit durabile, jure merito articulum illum cæterosque ibidem in favorem Lutheranorum & Calvinistarum citatos, non modo observari non debere, sed absolutè tolli, cassari & annihilari.

Quod assertum periculosissimum est & paci publicæ directè oppositum, imò classicum quasi belli sacri, eodem tendens quo Scioppianum. Nam, si illa quæ per amnestiam à gloriosissimæ memoriæ Imperatore FERDINANDO III. pridem sopita & sublata fuerunt, neutiquam sopita sunt, nec tenetur filius ea quæ per Parentis clementiam dudum condonata fuerunt, vel alias transacta, ut talia agnoscere eorumque haud reminisci, imò è contrario damna Clero illata persequi illique jus postliminii ubivis concedere obligatur: quæ hæc amnestia foret? Quæ tum fides aut firmitas ipsi Instrumento Pacis deinceps constaret? Dicerent, minis armorum id æquè ac transactionem Passaviensem, fundamentum cæterarum quæ secutæ, extortum. Factum, Nuncio Apostolico adversus illud protestante, invito Clero Romano-Catholico, cui tot opima beneficia Ecclesiastica, sine spe restitutionis quasi jure erepta, v. g. Archi-Episcopatus Magdeburgensis & Bremensis, Episcopatus Halberstadensis & Mindensis, Abbatia Hirschfeldensis &c. atque insuper injuncta cessio tot Monasteriorum, collegiorum &c. quæ recuperata ex edicto FERDINANDI II. tenebant. Adeoque non teneri S. C. R. Q. Majestatem ad illud servandum, quod non consensu spontaneo omnium Ordinum Imperii fuerit conclusum. Nam quid aliud intempestivus & præfervidus Cleri in Hungaria Zelus indicat, quàm idem se in Imperio quærere quod in Regno impetrant, modo æquè posint illud vi armorum obmorum obtinere? Pactis & pacificationibus, indultis & privilegiis, etiam juramento confirmatis, nec S.C.R.Q. Majestatem, nec se obligari, cum inviti fecerint & hæreticis non sit habenda fides, nec quicquam valere debeat, quo Clerus ullatenus gravetur. Velim authorem dignitate præstantem hic meminisse sententiæ, quam commodè protulit sed minùs commodè juri applicavit: Nullum violentum durabile. Saltem non rectè consulere S.C.R.Q. Majestati, qui Zelo, sed non secundum scientiam, istarum persecutionem sunt autores, omnes rerum intelligentes facile dijudicabunt.

Inquisitio Hispanica num servavit Belgium, an perdidit? Edictum Cæsareum de restituendis bonis Ecclesiasticis, utrum Imperatoriæ Majestati, an libertati Germanicæ plus profuit? Num perinde est, imperare volentibus an invitis? Et num illi publicæ tranquillitati consulunt, qui dum hominum conscientias vexant, illos ad desperata consilia impellunt, ut Barbarorum auxilia quærant, sub illorum malint jugo, salvâ conscientiarum libertate, quàm, hac interceptâ, sub Christianorum Imperio vivere? Atqui Hungaria sub jugum missa est. Debellatis imponuntur leges, addito: Væ victis? Oderint dum metuant. Omnes sunt obscuri, ignobiles, qui non aliter quàm per compelle intrare, convertendi, extirpandi, ut ad nihilum deveniant & tanquam aqua decurrant.

In Bohemiâ successit, fateor. Quid in Hungariâ futurum sit, tempus docebit. Cum duplicabantur lateres veniebat Moses. Lilia interim florent & crescunt. An quoque ideo, quod Hugenotarum (quos dicunt) libertatem restrinxerint potius quàm sustulerint, & maluerint in publicis cætibus quasi in enumerato habere professos (ut vocant) Acatholicos & subditos interim fideles, quàm in clandestinis conventibus Nicodemitas non satis compertæ fidei, meum non est decidere. Saltem Rex Christianissimus etiam est & vult esse Rex Catholicus. Arbitros conscientiæ non minus religiosos habet. In ipsius potestate, post Rupellam expugnatam, humanitus fuit, idem permittere quod in Hungaria fit. Et permisit ante paucos annos sæpius. Permissurum vero, ut ad nihilum deveniant & tanquam aqua decurrant, qui frænum sunt insolentiæ Clericorum, necdum verisimile videtur.

Audiunt potius Zelatores illi Catholici consilium Gamalielis: Discedite ab hominibus istis & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: Si vero ex DEO est, non poteritis dissolvere, ne fortè & DEO repugnare inveniamini. Si qui autem eorum pro unitate sanctæ fidei Catholicæ laborare volunt, videant manticæ quod à tergo est, & lapides offensionis tollere conentur. Urgeant reformationem in capite & in membris, à Pontificibus notæ melioris, Hadriano VI. ex Marcello II. frustra tentatam. Quorum ille, cum (teste Onuphrio) constituisset inter cætera dissolutæ civitatis mores corrigere, Maranos delere, blasphemos, simoniacos, fœneratores & adversæ veneri deditos, imprimis ex legum scitis acerbissimè castigare, morte maturiori artibus Italicis sublatus est: hic verò, perpendens Romano Pontifice neminem esse miserabiliorem, manu mensam percutiens, (ut idem Onuphrius, eidem familiarissimus, narrat) Non video, dixit, quomodo

do qui locum hunc latissimum tenet, salvari possit.

Non clamoribus & figmentis, non minis & persecutionibus; sed factorum luce ostendant, meras esse calumnias, quæ non Catholicis in Papatu, sed propriæ Religioni Papatus, quam tempora Apostolica ignorarunt, à Protestantibus ejectis constanter objiciuntur.

Inducantur decreta quotquot facta sunt clave errante. Curet Clerus spiritualia magis quam temporalia. Nusquam Canonici sine Canone, & Regulares irregulares, conspiciantur, ne opus sit (id quod vetusto ritu apud Canonicos Monasterienses observatum fuisse, ex Goropio Becano narrat Limnæus Lib. 8. Jur. Publ. cap. I. num. 30.) illis morituris caput suillum ostendere, quo agnoscant, se non humanam sed porcinam vitam egisse, eoque ad veram pœnitentiam moveantur. Illi qui juventutis institutione se jactant, non superstitiosis opinionibus & odio Religionis mentes teneras imbuant, sed fide explicitâ articulorum fundamentalium, non impudentiâ & protervia, sed modestiâ & charitate.

Eliminentur inanes scholasticorum rixæ, & superstitionis alimenta cæremoniæ complures, Gentilismum magis & Judaismum quam Christianismum decentes. Ad legem & testimonium non ad commenditias & Pseudo-Apostolicas traditiones recurratur. Precibus ad numeros sine mente fusis & gulosis jejuniis, continua mentis ad Deum elevatio & temperantiæ studium jugè succedat.

Personent templa laudibus S.S. & individuæ Trinitatis, non sanctorum, qui nunquam in rerum naturâ fuerunt, aut quorum animæ cruciantur in inferis, dum eorum corpora (imò sæpissimè non eorum corpora) venerationi sunt in terris. Ne dicant (ut Epiphanii hær. 79. de Collyridianis verba, meæ faciam) Honoramus Reginam cœlorum, sed sufficiat, ut Maria in honore sit, Pater, Filius & Spiritus S. adorentur, Mariam nemo adoret.

Ne fingantur miracula ad quæstum, & quæ in ædiculas sacras congeruntur ultra modum & mensuram donaria, ad pompam mundanam & luxum, in pauperes potius & usum militiæ adversus Turcas & infideles, impendantur. Sint Sacerdotes æquè aurei ac calices. Purgatorium, piam fraudem, extinguant lachrymæ pœnitentiæ, etiamsi frigeat inde multorum culina. Agnoscatur plenitudo meriti sacrificii unius cruenti, sine iteratione & applicatione missatici incruenti. Urgeatur bonorum operum studium, inprimis caritatis sed non ad meritum de congruo vel condigno, nec opus operatum, pestis veræ devotionis, usquam locum inveniat.

Sit denique Papa, Episcopus Romanus, non universalis, ne (ex sententia S. Gregorii Papæ lib. 6. Epist. 30.) præcursor Antichristi habeatur.

Audiat S. Bernardi Considerationem ad Eugenium, nec ad oscula pedum admittat, aut pede superbo (exemplo Alexandri III.) premat illos, ad illos, ad quorum antecessorem Leo Papa (teste Adone Viennensi) claves confessionis S. Petri simul & vexillum Romanæ Urbis direxit, & cum more veterum Imperatorum adoravit.

Hæc ubi perfecerint, tum non Ecclesias solùm sponte istis trademus cum gaudio, sed nos ipsos, & prout ipsi tum ad veterem Apostolicam Ecclesiam accedent, sic nos ipsis lubenti animo jungemur, minus tum erit inter ipsosmet Atheorum & Epicureorum, qui cum Domitio Calderino ad Missam ceu ad communem errorem eunt. Minus erit umbrarum cultûs divini, plus solidi corporis veræque devotionis & omnes ad tantam in melius conversionem obstupescent, videbuntq; Romam non penitus fuisse irreformabilem.

Dum verò inanibus solum nominibus nos territant. Ecclesiæ Catholicæ, quæ Romana est; fidei totius orbis, quæ urbis est; Antiquitatis, cujus novitas toties demonstrata; successionis, quæ in ipsa sede (ut volunt) Petri toties interrupta; successuum & prosperitatis, quæ in Turcismo longè major; Sanctitatis, quam præcipuè claustra fratrum minorum Seraphici Ordinis & sororum tertiæ regulæ loquuntur; unitatis tandem, ubi nec caput cum capite in pluribus, nec caput cum membris, nec membra cum capite, nec membra inter se conspirant, ut patet ex Bullis Sixti V. & Clementis VIII. circa editionem Vulgatam, Sixti IV. & Pauli V. sententiis contrariis circa quæstionem de immaculata conceptione B. Virginis, Conciliis Pisano, Constantiensi, Basileensi, Florentino, imò ipso Tridentino, atq; novitiæ societatis JEsu cum antiquis Ordinibus quoad occupationem monasteriorum amicâ concertatione, imprimis in monasterio Woltigerodensi, de quo P. Crusii & Fr. Romani Hay adversaria scripta testantur: dum, inquam, fidem imperant solum, quæ erant suadenda, judicet totus Orbis Christianus, an S. C. R. Q. Majestas teneatur, tantum istorum importunis precibus deferre, ut subditos fideles possessione templorum, calculo Regiæ Authoritatis Majorum pridem confirmatâ excutiat, & exercitio privet Religionis, quæ per totum Imperium publico decreto permissa.

Sed lustremus

Argumentum III.

QUod Author hic Zelo plenus, ex adversariorum confessione sic format, ut commiseratione potius (imprimis quoad ista quæ Calvinistis objicit) quam refutatione dignus videatur. Ait, articulos Legum Hungariæ in favorem Protestantium conditos, loqui solum de hominibus Confessionis Helveticæ & Augustanæ tolerandis. Atqui nec modernos Calvinistas Hungariæ Confessionem Helveticam profiteri, nec Lutheranos Augustanam. Ergò neutiquam tolerandos. Major in confesso est. Minorem per partes probat, lepidè ut nil supra.

1. Quoad Calvinistas.

CUm nihil facilius fuisset, si aliquis reipsa esset dissensus, quàm articulum vel unicum Confessionis Helveticæ posterioris (quam Ecclesiæ Hungaricæ Reformatæ suam fecerunt) citare, quem moderni in Hungaria Reformati non apT 3 pro-

probent: noster, nil inveniens quod cum specie objiceret, rem aggreditur fraude manifestâ, dudum quidem familiari istis, quibus solenne est sic cum scriptis Protestantium agere, uti S. Patrum monumenta tractant, sed jam novo Exemplo confirmata.

Quam ut demonstrem, suffecerit, integra verba Confessionis Helveticæ supradictæ hîc exhibuisse, quæ auctor, (hoc certè nomine coram toto orbe Christiano calumniæ vel saltem supinæ negligentiæ reus) truncata protulit, ut haberet, cui fictitium dissensum inædificaret,

Sic ergo ista Confessio loquitur sub fin. cap. seu Artic. XI. cujus argumentum est: De JEsu Christo vero Deo & homine, unico mundi Salvatore.

Et (inquit) ut pacis multa hujus causæ dicamus, quæcunque de Incarnationis Domini nostri JEsu Christi mysterio, definita sunt ex scripturis sanctis, & comprehensa symbolis & sententiis quatuor primarum & præstantissimarum synodorum, celebratarum Nicææ, Constantinopoli, Ephesi, & Chalcedone unà cum beati Athanasii symbolo, & omnibus his similibus symbolis, credimus corde sincero & ore libero ingenuè profitemur, condemnantes omnia his contraria.

Unde evidens est I. Loqui Confessionem hanc, de symbolis istarum Synodorum, quibus & Athanasianum jungit, non canonibus quibuscunque. II. Approbare sententias istarum in articulo de incarnatione Domini seu persona Christi, de aliis vero, quæ istis symbolis continentur, hîc tacere.

Liquet etiam, quâ fide, auctor veritatis gravissimus, hæc verba Confessionis sic allegarit: Comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum & præstantissimarum synodorum, celebratarum Nicææ, Constantinopoli, Ephesi & Chalcedone: credimus corde sincero.

Quasi quicquid in istis synodis statutum foret, id confessio Helvetica his verbis approbasset, adeoque & quisquilias illas ab auctore & fictis Canonibus quatuor istarum Synodorum collectas. Quæ figmenta non Reformati solùm, sed etiam Lutherani pariter rejiciunt.

Qui tamen, & istorum symbolorum sententiam de persona Christi approbant, & hanc, ejusdem Confessionis Helveticæ artic. 2.

Non patimur (inquit) nos in controversiis Religionis vel fidei causis, urgeri nudis Patrum sententiis, aut Conciliorum determinationibus, &c. Ergò non alium sustinemus in causa fidei Judicem quam ipsum DEUM, per scripturas sanctas pronuntiantem quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quidve fugiendum.

Unde Author in hac causa communi utrosque potuisset conjungere, idque eo speciosius, quoniam Augustana Confessio art. 24. ad Canones antiquos, nominatim Nicænos provocat atque inde probationem desumit.

Quid fidei nunc adhibendum talibus, ubi ex archivis argumentantur, qui in publicis scriptis, quæ in omnium manibus sunt, adeò fraudulenter versantur? Ideoq; nec opus est, ut ad capita dissensus respondeatur; quamvis facilè sit ostendere, non melius Conciliorum Canones ab hoc auctore quam Confessionem Helveticam citari, fide nempe procul dubio alienâ. Unum & alterum tamen speciminis loco expendisse, haud abs re fuerit.

Omnium primò inde argumentum petit, quod bigamia Sacerdotum in Concilii Nicæni Canonibus sit prohibita. Cum verò nihil de eo in Canonibus istius Concilii legatur, geminum eam in rem citat testem: I. Justinianum Imperatorem Novell. 123. c. I. 12. 14. In quibus capitalis res ipsa quidem habetur. Sed de eo, quod in Concilio Nicæno ita statutum fuerit, altum in ista Novella silentium. Quod ex glossa quadam forte arreptum, auctor ipsi Imperatori per negligentiam attribuit. 2. Ambrosium producit, ejusque Epist. 82. citat.

Nempe non ex ipso Ambrosio, quem forsan non vidit, quoniam in eo, ex editione Romana Sixti V. (quæ Clero Romano authentica esse debet ab eo tempore, à quo publicata) jam tantum Epistolæ 74. & id quod citat, Epistola 25. legitur. Sed ex Bellarmino, qui veteri editione usus, ita citaverat Lib. I. de Clericis cap. 23. Lapsum autem in ista relatione fuisse Ambrosium, & aliam Synodi fuisse mentem, satis patet ex istis quæ de Paphnutio narrat Socrates Lib. I. cap. 8.

De hinc varia ex Canonibus Concilii Nicæni Arabicis producit, cum non ignoret, vel saltem non ignorare debuerit, istos haud admitti à plerisque antiquitatis Ecclesiasticæ peritis, & XX, tantum Canones Nicenos extra controversiam positos esse. Nec plures, vel agnovisse Gelasium, vel in suo Codice Canonum admisisse Justellum, JCtum doctissimum & harum rerum peritissimum.

At non est mirum, auctorem has res peregrinas ignorare, cum in domesticis adeo hospes sit ut scribat, istos Canones Nicenos suppositios ex Arabico per Pisanum versos esse, cum tamen Author illius versionis Latinæ horum Canonum, non sit Alphonsus Pisanus editor, sed Baptista Romanus, presbyter Societatis JEsu, ut ipse Pisanus in præfatione ad Stephanum Regem Poloniæ testatur.

Demum quasi nihil puderet commentorum, ait, haberi in Canonibus Concilii Ephesini, quòd ei Synodo vice Sancti Cœlestini Papæ (verba sunt, addit, Concilii) præsederit beatissimus quondam Cyrillus, Alexandriæ Episcopus.

Credo, hæc esse verba Concilii h. e. narrationis alicujus scriptoris Pontificii de hoc Concilio. Sed vel tale quid ipsum confessum Concilii prædicti agnovisse, vel in ejusdem Canonibus haberi, fraus mera est, quâ imperitis imponitur.

Imò quod rem ipsam & prætensam illam B. Cyrilli delegationem attinet, dico breviter cum M. Antonio de Dominis lib. 4. de Republ. Eccles. cap. I. §. 6. hanc neque fuisse veram legationem, neque hunc verum vicariatum, sed adjectionem suffragii: quo pacto Canonicus absens solet suum votum capitulare alteri suo Concanonico permittere. Unde ne tantillum, pro præsidentia & præeminentia omni in spiritualibus, in Cœlestino agnitâ, sequitur. Res ex actis Concilii liquida est & multoties demonstrata.

Agno-

Agnoſcatur ergo ex ungue Leo, (ſanè Leo, prædæ quippe intentus & id agens, ut homines innocentes graviſſimo damno afficiat) & concluſionis falſitas, cum inquit: Hæc & multa ſimilia dicit ſe admittere Confeſſio Helvetica, dum ait ſe ſincero corde credere comprehenſa in Concilio Chalcedonenſi quæ tamen Hungariæ Calviniſtæ damnant ac rejiciunt: ideoque minimè Helvetici, & conſequenter nec tolerandi in Hungaria.

2. Quoad Lutheranos.

QUæ his objicit, ut probet eos ab Auguſtanâ Confeſſione diſſentire, antiqua ſunt, ſæpius ab ipſis exploſa. Quod articulum X. attinet, conceſſo eum iſtis verbis conceptum eſſe, ut poſſit transſubſtantiatio ſub eo latere; aſſerunt tamen, quando de ſenſu verborum Confeſſionis quæritur, fidem potius illis ipſis adhibendam, qui eam ſequuntur, & negant per ſpecies nuda accidentia intelligi, quam adverſariis.

Ita nomine Miſſæ dicunt venire, non ſacrificium incruentum, ſed celebrationem S. Cœnæ. Quæ cum iisdem uſitatis cæremoniis ferè omnibus tunc fieret quo in Papatu: & iſta liturgiæ ratio in Eccleſiis Lutheranis modernis ſervetur, nec hinc ullum diſſenſum ab Auguſtanâ Confeſſione ſequi prætendunt.

Et denique cum judicium illud Epiſcopi miniſteriale, quod Auguſtana Confeſſio agnoſcit, etiam hodienum à Lutheranis agnoſcatur, malè illud ad quæſtionem de infallibili & ſupremo Judice controverſiarum referri, & diſſenſum hic fingi, qui nullus eſt, non ſine juſta cauſa monent.

Et quamvis moderni Auguſt. Confeſſ. Socii non ſequerentur, quoad omnes apices primum illud exemplar quod in Comitiis Auguſtanis Imperatori Carolo V. oblatum, tamen minimè vel ejus ſocietate, vel pace Religionis, aut privilegiis hominibus Auguſtanæ Confeſſionis conceſſis, ideò exciderent.

Quia eadem Confeſſio, vivente & approbante Beat. Luthero, non in ſubſtantia mutata eſt, ſed in modo loquendi elucidata & aucta, ne adverſarii in quibusdam Phraſeologiis (quæ ſano ſenſu & ex mente illorum qui eandem Confeſſionem concinnaverant & exhibuerant acceptæ, idem quod poſtea clarius dictum fuit continebant) inſidias Proteſtantibus ſtruerent, & vel invitos ad partes ſuas raperent.

Idque factum dudum, antequam ulla libertas Religionis à Regibus Hungariæ Rom - Catholicis, hominibus Auguſtanæ Confeſſionis in Hungaria concederetur. Quæ ipſa conceſſio loquitur de iſta Auguſtana Confeſſione, cui illi quibus conceſſio fiebat, tempore conceſſionis ſubſcribebant, quod certè de primo præciſè exemplari nequit intelligi.

Et ita quilibet jam nullo negotio hinc colliget, in vanum laboraſſe Authorem, ut ex adverſariorum Confeſſione aliquid contra eos eliceret, cum & moderni Calviniſtæ ſeu Reformati Hungariæ Helveticam, & Lutherani ejusdem Regni, Auguſtanam Confeſſionem etiamnum ſequantur, adeoque merito frui debeant privilegiis hominibus Helveticæ & Auguſtanæ Confeſſionis conceſſis.

De Complemento.

COronidis ergo Complementum Authoris egregium inſpiciamus, ubi Diploma commentitiæ Donationis Conſtantinianæ, ex Græco Authore Balſamone, (ut major ſpecies eſſet rei, antiquitatis ſcilicet venerandæ) non tamen ex Balſamone ipſo, ſed ſupplemento quodam expoſitionum producit, ut inferat, quemadmodum Conſtantinus Imperator Jure Pontificio Eccleſias diſpoſuit, donando Papæ Sylveſtro (ut fingunt) Palatium Latheranenſe & omnes Italiæ ac totius Occidentis provincias, atque Eccleſiam Romanam ſupra omnes alias extollendo: Sic Regem Hungariæ Apoſtolicum (qui vivat) hoc ipſum jus habere, ſuo jure uti, & per conſequens nemini injuriam facere, quando ereptas Proteſtantibus Eccleſias permittit à Clero Romano-Catholico occupari.

Et quidem, de iſta fictitia & ab ipſis Pontificiis Scriptoribus pridem exploſa donatione, cum autore non diſputabo. Si cui lubeat illam, non in corpore Juris Canonici ſolum (ubi c. Conſtantinus Diſt. 96. habetur) ſed etiam in Balſamone legere is commentarium hujus in Photii Nomocanonem Tit. VIII. cap. 1. evolvat, quem Gentianus Hervetus, Doctor Pontificius, qui etiam Concilio Tridentino interfuit, de Græco (ex Bibliotheca Johan. Tilii Epiſcopi Brioceuſis accepto) convertit & latinè edidit Pariſiis 1561. ac videbit, eadem fide authorem in hoc complemento verſatum, qua antea in Confeſſione Helveticâ & Conciliorum Canonibus, dum, non tantum ubi &c. poſuit, ſed & alibi, omittit, quæ fucum detegunt & hoc ſuppoſititiũ diplomafalſitatis convincunt v.gr. Ubi Autor ponit, ut habeat principalem poteſtatem & ſit caput omnium totius orbis Eccleſiarum; ibi in Balſamone legitur: Et ſit caput quatuor Sedium, Sedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ & Conſtantinopolitanæ, & ut ſemel dicam, omnium totius orbis Eccleſiarum.

Omiſſum autem id de quatuor ſedibus eſt, quia mentio Sedis Conſtantinopolitanæ, cujus nomen tempore Conſtantini M. necdum fuit in rerum natura, inter alia indicat, hoc privilegium ab eodem haud datum eſſe.

Id tantum quæro ex Authore, num Jus illud Pontificium diſponendi Eccleſias, ſolùm Regi Hungariæ Apoſtolico competat in Hungaria, an verò etiam Imperatori Romanorum Chriſtiano in Imperio ſuo, & ita cuivis Regi Chriſtiano in ſuo Regno? Prius non poterit dicere, ſi donationem Conſtantini velit tueri, & ita poſterius non audebit negare.

Dicat ergo etiam nobis, vel ipſe, vel alius ex iſtorum zelotarum turba, cur ob hoc ipſum Jus Pontificium, quod Pontifices Romani ſibi ſolis vendicabant mordicùs, inde à Gregorio VII. igneo iſto Papa, tantum ſemper turbarum in Imperio fuerit datum, ut etiam horrendo ſcelere filius contra Patrem, Henricus V. contra Henricum IV. concitaretur eumque ſolio dejiceret, & Papa Paſchalis II. rem tanti momenti duceret, ut

cessionem istius juris scripto factam Henrico V. & participatione corporis Dominici confirmatam, post revocaret, pravilegium vocans & dicens: Feci ut homo, quia pulvis sum & cinis.

Fateor me malè egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me apud Deum, ut indulgeat mihi, sicuti Abbas Urspergensis in Chronico narrat. Cur Urbanus II. & idem Paschalis II. per Anselmum Cantariensem & complices, de eodem Jure Pontificio (grandi secreto omnipotentiæ Pontificiæ) Regibus Angliæ Wilhelmo II. & Henrico I. tam acrem controversiam moverunt, excommunicationibus & interdictis eousque grassantes, ut tandem miser Rex Johannes, cognomento Extorris, coactus sit, ipsum regnum Papæ Innocentio III. resignare & turbibus conditionibus tributarium facere? Cur denique Pontifex Eugenius in Gallia Regem Ludovicum & totam Curiam ejus per integrum triennium anathemati subjecit, ut coacti sint fine publico cultu quas infideles tantisper oberrare, tantum quod nollet is hoc jus Pontificium Regum Christianorum, per obtrusum ArchiEpiscopum Bituricensem Petrum Aimerici filium, violari? Quæ omnia & multò plura, ex scriptoribus Pontificiis probatissimis Eadmero, utroque Matthæo, Parisiensi & Westmonasteriensi, Florentio Wigorniensi, Sigeberto Gemblacensi, Krantzio aliisque possent demonstrari.

At juxta nostrum Autorem, non sufficit Reges, ut isto jure fruantur, esse Christianos, nisi etiam sint Apostolici, h.e. Domino Apostolico (uti Papa olim vocabatur) penitus addicti, Reges Dei & S. Apostolicæ Sedis gratiâ, qui melius possint quàm Fridericus Barbarossa, stratoris officium præstare & dextram strepam tenere, ne excommunicationem incurrant.

Quoniam credi debet, Romanum Pontificem jure suo Imperium à Græcis ad Germanos transtulisse, aut Cardinalis Bellarminus id asserens Lib. 1. de translat. Imper. cap. 12. mendacii argueretur, qui tamen alias nunquam mentitus fuisse putatur. Id erat quod non prævideram. Tum verò credam demum, ubi idem aliquâ Bulla Aurea vel pragmatica sanctione, viderim à S. C. R. Q. Majestate approbatum, à cujus clementia confidunt omnes Protestantes, haut indultum iri fervidis Zelotis, (quorum causam hic autor Anonymus, sed miserè egit) ut (juxta Patriarchæ sui symbolum) ignem (non charitatis sed seditionis) mittant in terram.

Et quid volunt, nisi ut accendatur? Horum tumultus & fremitus à S. C. R. Q. Majestate compesci, ipsiusmet ac publicæ tranquillitatis magnoperè interest, ne illi quibus Religionis suæ exercitium auctoritate Sacra & Regia dudum confirmatum, qui cætera fideles & nullius criminis publicè comperti, nisi quod Deum juxta conscientiam colant, qui in ipso facto, ob quod Majestatis postulantur, S. Ambrosium ducem habent, qui cum Ecclesia veteri apud Tertulianum in Apologetico constanter orant, ut Deus T. O. M. vitam S. C. R. Q. Majestati det prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum: Clericorum libidini fiant præda, & vita fortunisque melius usibus S. C. R. Q. Majestatis, dum incolumes maneant, impendentis, per ludum & jocum à factione in perniciem suam conjurata evertantur.

Lit. F.

EXTRACTUS ACTORUM DIÆTALIUM HUNGARICORUM SOPRONIENSIUM ANNI MDCLXXXI.

Continens ea,

Quæ in illa Diæta circa causam Religionis Evang. & Helveticæ actitata sunt, necnon descriptionem actus Coronationis Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ in Reginam Hungariæ.

Die 14. Junii, nomine Status Evangelici propositum est: Velle summo cum desiderio informari, an Domini Regnicolæ velint Gravaminibus suis Gravamina Evangelicorum in facto turbatæ Religionis emergentia pro complanatione promovenda, adjungere vel non? ad quæ Dominus Personalis respondit, non esse situm istud in potestate Regnicolarum, sed Dominorum Magnatum, cum illis communicandum erit: His confectis circa horam quartam pomeridianam sessio soluta est.

Die 19. Junii, Intereà Evangelici recapitulant suam instantiam, an velint Status & Ordines negotii Religionis suæ gravamina, suis gravaminibus adjungere? satis superque disputatum est: ad extremum Ablegati ex Clero à tabulæ comitatuum & Civitatum Ablegatis ea de causa mittuntur ad Dominos Magnates, qui intellecta hac intentione, medio Reverendissimi Domini Nicolai Balogh, & Comitis Petri Szechi denunciant. Sepositis privatis laborari debere de provisione Confiniorum; Evangelici autem in suis gravaminibus non juvabuntur, supplicare & instare ipsis licitum esto. Evangelici intellecta hac Resolutione summè anxii redduntur, negotiũ Religionis inter privata rejici debere, quare denuo instant, ut Ablegati dirigantur, & clarius exprimatur, an Domini Magnates Religionis negotium inter privata numerandum censeant? rogando, quatenus Domini Magnates permitterent ut Evangelici duobus sequentibus diebus in compilandis suis gravaminibus licitè, suspensis aliis publicis negotiis, laborare queant;

Responsum datum, ut ab hora octava matutina ad duodecimam laboretur in publicis, residuum tempus impendant Dom. Evangelici suis gravaminibus;

Quibus soluta sedes Hora quartâ pomeridiana.

Die 20. Junii summo mane Evangelici Ablegati ad hospicium Generosi Domini Georgii Gerhard frequentes conveniunt: Ablegationem ad suam Majestatem Sacratissimam, ita etiam Excellentissimos Commissarios suæ Majestatis & Comitem Palatinum instituendam decernunt:

Ad Comitem Palatinum directo Memoriali, quo insinuatur, supplicare Evangelicos suæ Excellentiæ, ut Minister Evangelicus linguæ Hungaricæ officio sacris pro ipsis summè necessarius, authoritate suæ Excellentiæ Palatini, ab insidiis protegatur. Per eosdem Ablegatos repræsentatur suæ Excellentiæ, Evangelicos constituisse coram Sua Majestate, beneficio sui demissi Memorialis, non modo latè patentes & indefinitas injurias Evangelicis illatas humillimè repræsentare, sed & pro complanatione eorum supplicare, denique opinionem à sua Excellentia expetere, num consultius foret directò Ablegatos ad suam Majestatem Sacratissimam destinatos mittere, aut medio hîc relictorum ac denominatorum Commissariorum negotium, porrectô Memoriali, urgere.

Interea destinati Audientiam apud Commissarios obtinere non intermiserunt.

Quæ occupatio Evangelicorum extensa est usque ad horam 2. non sine admiratione tam Regnicolarum, quàm Dominorum Magnatum, nihilominus Evangelici, missis suis Ablegatis excusant absentiam; nimirum eosdem in incaminatione Negotii Religionis occupari, ac eo facto, affuturos: Nec intermisit Dominus Personalis medio Jurati Evangelicos admonere, cur non compareant, & an sint compariturі? Ac prior data est resolutio. Cum ad solitam ventum fuisset sessionem, Domini Magnates per Ablegatos, maximè Dominus Palatinus denunciant, cum disgustu absentiam Evangelicorum à sessione intellexisse, imo & rogare, ne idem fiat, si quid horis pomeridianis ad tractanda suã sufficiens haberent tempus.

Quoad Resolutionem Dominorum Catholicorum hesternam, dum negotium Evangelicorum privatum nuncupassent, mittitur pro clariori interpretatione ad Dominos Magnates Ablegatio: Respondetur. Sicuti Catholicorum Religionis negotium esset publicum, ita & Evangelicorum maneat pro publico.

Die 21. Junii, Evangelici, manè habita sessione sua, expeditionem illam ad Sacratissimam suam Majestatem perficiendam deliberarunt. Quare perceptore generali ordinato, expensæ, parato animo, signanter à quolibet Magnatis, Comitatus, Civitatis & communitatis, quos nimirum præsens Religionis negotium concerneret, Ablegato per Tallerum 1. comportatæ sunt.

Deinde legitur & purè describitur Memoriale & Ablegati, Comes Adamus Kollonicz, Georgius Gerhard & alii, duobus curribus post meridiem itineri sese dedunt.

Ne verò Dn Consiliarii hic relicti postpositione sui indignarentur, per Ablegatos Comes Noszticz salutatur, & par memorialis suæ Excellentiæ exhibetur, qui, accepto eo, dixit, non prodituram tam citò resolutionem ut Ablegati reportare queant, at nihilominus pro commoditate testaturum promotionem.

Memoriale Statuum Evangelicorum.

Augustissime Imperator ac Rex, Domine Domine Nobis Clementissime.

„SAcratissimam Cæsaream ac Regiam Majestatem Vestram benignè adhuc recordari, non „ambigimus, quænam Gravamina Majestati „Vestræ Sacratissimæ Status Evangelicus multis „injuriis in libero Religionis Evangelicæ exer„citio, publicis Regni constitutionibus, ac Sa„cratissimæ Majestatis Vestræ benigno Diplo„mate fundato fatigatus, cum supplici Memoria„li adhuc in Anno 1662. Posonii demissè per su„os Deputatos exhibuerit: humillimè tunc quo„que supplicando, quatenus Majestas Vestra Sa„cratissima tam præterita, ac in specie eorum re„præsentata Religionis Gravamina, authorita„te sua Regia clementissimè, & omni meliori „modo cum satisfactione injuriatorū complana„re, quam verò illos, qui posthabitis publicis Re„gni Constitutionibus, ac prælibato Majestatis „Vestræ Sacratissimæ sacro Diplomate, pro lu„bitu in Evangelicos grassari, liberum eorum „exercitium interturbare, ac variis artibus oppri„mere nil pensi duxerunt, coërcere dignata fu„isset;

„Verùm cum illa res tunc non solum in priori „turbato Statu remansissent, sed & illi; sicut & „eorum exemplo postmodum complures alii tur„batores Religionis, latiorem & ferè universa„lem, miseros Evangelicos persequendi sibi li„centiam arrogassent, eò devenit afflicti Evan„gelici Status calamitas, ut prioris felicitatis, ac „firmatæ per constitutiones Regni, & Regium „Diploma, exercitii Religionis indemnitatis, „vix quædam, eaque saltem deformia rudera „jam superesse videantur.

„Templa enim, Parochiæ, Gymnasia, Scho„læ, Xenodochia, proventusque eo pertinentes, „paucissimis exceptis, omnia, minis, terricula„mentis Armorum strepitu, aliisque exquisitis „sub coloribus, imo inauditis institutis Processi„bus, in quorum pacifico usu Evangelici & lega„liter & Diplomaticè erant, viâ facti occupata, „nonnulla ex illis funditùs eversa, materialibus, „in stabula ac alios profanos usus conversis: „Mortui in Cœmeteriis, non nisi gravi taxâ ex„acta sepeliri permissi. Ministri Evangelici, pro„ut & scholarum Rectores sub variis prætextibus „omnibus substantiis, per nonnullos Prælatos, „Magnates, Capitulares, Plebanos, Jesuitas, Confiniorum Officiales, & alterius cujusvis conditio„nis homines, prout & extraneam Militiam, e„muncti, post è Parochiis pulsi, capti, compedi„bus stricti, extra Regnum avecti, nonnulli pa„rietibus & humo catenis ex ferro onerati, in for„mam Crucis allegati & affixi; Alii ad instar „Turcicorum captivorum, percussi; alii non ni„si, lytro mediante, dimissi; posthac reliqui, u„na cum aliquibus Rectoribus scholarum, studio„sis & reliquis mendicantibus, ad insolitum Jus, „& quidem sub prætextu Rebellionis citati: non„nulli in exilium acti: alii ad triremes & mare „missi, ubi plurimi mortui; unus etiam præviâ „carnificis trinaria torturâ, vivus combustus; re„liqui verò ab officiis suis, extortis ab iisdem Re„versalibus remoti, ita, ut plurima Templa sine „Ministris populus absque ullo cultus divini exer„citio ad instar pecudum vivere coacti fuerint, „non pauci infantum absque Lavacro sacri Ba„ptismatis diem suum clauserint, claudantque. „Nobiles ita & misera plebs, variis excogitatis „sub prætextibus incaptivabantur; capti, in com„pedibus ad sacra deducebantur, nonnullis, per „vim ori Hostia introducebatur, ex bonis suis, u„no porrecto Bacello ejiciebantur, & plerubique „integræ possessiones, cum interfectione cujus„dam Nobilis expilabantur; Alii à Ministris Ev. „copulati, vel aliter ministerio Eorundem usi ad „Sacratissimam Sedem citabantur, alii verò pro„pterea mulctabantur, & sæpe Religionem mu„tare vi cogebantur: Ad solvendum parochis Ca„thol. militari etiam Executione mediante com„pellebantur, alii, etiam Nobiles, dum in privatis „ædibus ordinarias & domesticas suas ad Deum „fundebant preces, vel sacros decantabant Psal„mos etiam, per extraneæ Militiæ Officiales ritu „malefactorum arrestabantur, & non nisi datâ fi„dejussionis cautela, vel extorsione Lytri dimit„tebantur.

„In quibusdam confiniis, quamvis specia„les, à Majestate Vestra Sacratissima de libero Re„ligionis exercitio obtentæ fuissent Protectiona„les, per officiales tamen hujusmodi Locorum „Ministri Evangelici eum in finem introduci non „permittebantur.

„Nobiles in Comitatibus nonnullis Evan„gelici, ex judicatûs officio omnes ejecti, unde nec „ad generalia Regni Comitia Ablegati de me„dio Evangelicorum modo solito deputari qui„verunt; In nonnullis Civitatibus ac oppidis „Regiis & Privilegiatis, Magistratus locorum a„libi totaliter, alibi vero, nonnullis exceptis, e„jecti, eoque intuitu Electiones Senatus, ac alio„rum officiorum, contra mentem Privilegiorum „inter-

„interturbatæ, dum non antiquo more, liberâ „Electione per Cives, sed per Camerarum Hungaricarum Commissarios, ac in Confiniis per eorundem Officiales peragebantur. In aliquibus „Civitatibus ac Oppidis privilegiatis & Regiis „Evangelici in suis publicis institutis Consultationibus exclusi, imo tametsi Vestra Majestas Sacratissima benignas suas Regales non modo ad „Senatum, sed ad totam Communitatem clementissimè direxerit, attamen saltem Catholici convocati, & ad Comitia Regni, exclusis Evangelicis, contra morem solitum tantùm ex Catholicis Ablegati missi.

„Evangelici, utut indigenæ in numerum „Civium minimè vel difficulter recipiuntur, Bona emere prohibentur. Nonnullarum Civitatum Magistratus Evangelici ad instantiam Fisci Majestatis Vestræ Regii ex eo, quòd Catholicos ad officia Civilia non adhibuerint, licet „personas Civiles Catholicas ad id idoneas non „habuerint, gravissimè sunt mulctati.

„Aliarum Civitatum Templa cum Parochiis & domibus Civilibus, in præjudicium etiam „Juris Patronatus & proprietatis, Patribus Jesuitis sunt tradita, qui eadem occupando, se in iisdem Stationibus firmarunt, contradictionibus Civium interpositis vel suppressis, vel ad cassationem contradictionis Cameraliter coactis.

„Mechanici ad insolidas ceremonias adacti; „nonnullorum Mechanicorum Privilegia vetusta ablata & dilacerata, nova ipsis in oppressione „Evangelicorum per vim imposita, unde non nisi mutata Religione in consortium recepti. In „multis locis Copulæ Baptismata, aut introductiones non peractæ, donec similiter Religio „mutata, aut spes mutationis facta:

„Pia Legata Evangelicorum pro conservatione liberi exercitii ejusdem Religionis destinata, per larvatos processus ac subsecutam „vim abstracta, contra mentem testatorum in alios usus conversa, aliaque quàm plurima acta, „quæ in specie hîc exprimere eo respectu intermittere voluimus, ne Majestati Vestræ Sacratissimæ primo statim intuitu necessaria & prolixiori deductione in immensum excrescentes paginæ fastidium parere possint; parati primo „quoque tempore, summa necessitate etiam ita „adurgente, generalitatem nostrum specialius „ac fusius humillimè repræsentare.

„Quare repetitis quoque præmemoratis „nostris prioribus Gravaminibus, iisdem adjunctis eorum supplicibus Memorialibus ad Majestatis Vestræ Sacratissimæ Augustissimum Thronum demississimè denuò confugimus, per viscera Misericordiæ divinæ orantes, dignetur clementissimè huic nostræ calamitati condignam „medelam, Authoritate Regia, stante adhuc hac „Diætâ, vi gratiosissimi sui Diplom. adhibere, „læsos & damnificatos in integrum restitui facere, ac Turbatoribus liberi exercitii Religionis juxta demerita punitis, afflictum statum Evangelicum in pristinam ac firmam securitatem, in qua Diplomaticè & legaliter erant collocare.

„Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ „clementiam, non solum ardentissimis pro incolumitate Vestræ Majestatis Sacratissimæ & Augustissimæ Domus Austriacæ perennitate ad Deum fusis precibus, verum etiam perpetuâ fidelitatis subjectione humillimâ demereri omni „studio contendemus, benignissimam quantocyus à Majestate Vestra Sacratissima præstolari resolutionem; tanquam

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

*Humillimi perpetuoque fideles
Subditi.*

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Die 22. Junii. Die nimirùm solis. Quamvis ad horam 8. indicta fuisset sessio, at in sequentem diem dilata est. Evangelici nihilominus per Ablegatos suos insinuant, Excellentissimo Comiti à Kaplir, Commissario Sacratissimæ suæ Majestatis, Evangelicos ex certis considerationibus per nonnullos Ablegatos ratione Religionis suum Memoriale direxisse ad Sacratissimam suam Majestatem humillimum, cujus copia Excellentissimo Comiti à Nosztiez exhibita jam fuerit, rogando pro gratiosa secundatione, qui respondit: Eâ mente & intentione, suam Majestatem hic dereliquisse certos suos Commissarios, ut per eos Instantiæ suæ Majestati repræsentarentur, quod Domini Evangelici facere debuissent, alioquin subesset quædam diffidentia, hæc namque ordinatio Decretaliter instituta esset, nihilominus se facturum pro posse, & promoturum per opportunitatem negotium.

Die 24. Junii Evangelici ad solitum locum conveniunt, Ablegati Neostadio referunt ablegationis suæ seriem: habuisse audientiam omnes Deputatos: Sacratissimam Majestatem, Evangelicos, aliquot vicibus Statum Evangelicum nuncupasse, memoriale perlecturam, & quæcunque Justitiæ conformia fuerint, habito desuper consilio clementissimam Resolutionem Statui Evangelico suam Sacratissimam Majestatem elargituram, pro benigno Responso retulerunt.

Accesserunt post Domini Ablegati ad Aulæ Cancellarium, qui grato affectu, hanc Status Evangelici acceptavit confidentiam, asserendo se intellexisse Dominos Evangelicos Sacratissimæ suæ Majestati Memoriale, in quo injuriæ expressæ, si per decem saltem dies per Evangelicos portatæ fuissent, admirari deberet patientiam, nedum per decem Annos exantlatæ calamitates, quidquid ex re fuerit, promisit assistentiam eisdem. Mittunt denuo Evangelici Dominum Palatinum, ratione securitatis Ministri.

Die 29. Junii. Per Excellentissimum Dominum Nosztiez, Cancellarium Regni Bohemiæ, Domino Personali fit intimatio, ut Evangelicis significet suæ Majestatis resolutionem ad eorundem præexhibitum Memoriale ad manus esse, ideo priores Ablegati circa horam 8. matutinam adsint apud suam Excellentiam; ut cum sciri non

non potuit, quinam fuerint illi Ablegati? res dilata est ad crastinum.

Die 30. Junii. Evangelici manè conveniunt, primò auditur relatio Ablegatorum ad Excellentissimum Comitem Palatinum exmissorum: Respondit sua Excellentia, esse concessam per suam Majestatem inductionem Ministri, cum hac tamen cautione id fieri solum pro modernis Regni Comitiis, salvum passum se dixerat à sua Majestate obtenturũ & elargiturum, eò annexo, suam Majestatem graviter resentire præsentata medio memorialis acta: Asseruitque sua Excellentia Palatinalis negotium Religionis hâc hebdomadâ velle accommodare; Et quia partes superiores viderentur gravius præ reliquis oneratæ, ideò velle primò cum Ablegatis Tredecim Comitatuum agere, post cum reliquis, annectendo, quæ per Evangelicos essent ædificata Templa, illa cum nonnullis aliis, etiam invito Clero; Alibi autem cum excisione idoneorum locorum restitutum iri; ad quæ Comitatus Thuroczienfis Ablegatus paucis reposuerat in Comitatu Thurocziensi in possessionibus illis ubi Templa plusquam 25. sunt occupata, vix 25. personas Catholicas reperiri, cui itaq; bono tot templa deberent præ manibus Catholicorum relinqui? Ad quæ præterquam Accommodationem fiendam nihil respondebatur. His finitis, audiebatur relatio Domini Thomæ Hericz, Ablegati Neostadium ante triduum expediti, qui retulit supremum Cancellarium Aulicum, resalutando Statum Evangelicum respondisse, suam Majestatem medio Excellentissimi Domini Cancellarii Bohemiæ, veluti Commissarii, sese ad Memoriale Evangelicorum resolvisse, ibidem igitur inquirendum. Princeps Swarzenberg idem respondit, uti priores, promisitque promotionem. His relationibus illecti Evangelici, ad Comitem Nosztiсz pro obtinenda resolutione mittunt; At quia propter certam corporis alterationem non poterant admitti, promisit se horam destinaturum.

Die 1. Julii. Refertur Excellentissimum Comitem à Nosztiсz perquisivisse, quid Evangelici per Ablegatos proponere voluerint, an privati aliquid vel publicum? responsum est: Rediisse Evangelicorum Ablegatum Neostadio, cum hac resolutione: ad nuperam per exhibitum Memoriale factam apud Sacratissimam suam Majestatem instantiam, alte nominatam suam Majestatem sese resolvisse, haberique apud suam Excellentiam. Ad quæ idem Comes resolutionem suæ Majestatis esse præ manibus Dominorum Commissariorum, ut quia unus ex ipsis, Excellentissimus utpote Comes à Kaplier abesset, debere tantisper Evangelicos præstolari donec redierit. Interim compilatores laborabunt.

Die 3. Julii. Evangelicis à Dominis Commissariis denunciatur, ut suos homines horâ 10. ad ipsos mitttant pro resolutione. Horâ 10. destinati Ablegati de medio exurgentes, prævia intimatione erga Dominum Personalem super obeunda certa Ablegatione facta, rectâ ibant ad hospicium Excellentissimi Comitis de Nosztiсz, ubi ipso jacente, præsentibus Comite Kaplier & Hoffman, intromissi, præbitis subselliis, mandatur ut sedeant: Generoso Domino Gerhard paucis perorante, propositum Evangelicos habere ab Excellentissimo Domino Aulæ Cancellario, resolutionem esse præ manibus suæ Excellentiæ ad Memoriale suæ Majestati porrectum: Instare Evangelicos, dignentur suæ Excellentiæ clementissimam resolutionem suæ Majestatis impertiri: Comes à Nosztiсz, resalutatione factâ, dixit: Resolutionem suæ Majestatis esse ad manus, quæ ob absentiam Excellentissimi Comitis à Kaplier Evangelicis dari non potuit: Dixitque ulterius Sacratissimam Majestatem inspexisse Memoriale Evangelicorum, illudque examinasse: At quia in eodem nonnulla essent magnæ considerationis, constituisse in eo, ut & altera pars audiatur: Ideò negotium esse cum Dominis Catholicis communicandum, ab ipsis expectaturos informationem. Interim dixit Dominus Nosztiсz, memores debere esse Dominos Acatholicos, esse patriæ cives, in Regno Hungariæ sub uno Rege degentes, ideò præstare ut suavioribus mediis pro tranquillanda sua patria, sepositis odiis mutuis, agant. His peractis, ablegati redierunt ad sessionem. Parvo tempore ibidem consedentibus, Dominus Personalis proposuit, siquidem nonnulla Status Catholicus peragenda & discutienda haberet, absentibus Dominis Evangelicis, ideò posse Dominos Evangelicos solvere Sedem. Evangelici dicunt: scire se velle, circa quam materiam Domini Catholici velint aliquam habere conferentiam, rogando ne quid cum præjudicio suo fiat. Dominus Personalis respondit non aliud velle conferre, quam de negotio Religionis. Evangelici his auditis recesserunt, ipsis ibidem ferè ad horam secundam permanentibus.

Interea nescitur, quo suggerente manserat Ablegatus Notarius Kismarkiensis, qui proximè Religionem mutaverat, verum delatus Festo Visitationis Beatæ Virginis Mariæ, fuisse in Concione Hungarica Evangelicorum, Mandato Domini Personalis abire coactus est. Domini Catholici denominant certos Compilatores, qui laborent circa responsionem & præmemoratum Memoriale Evangelicorum, suæ Majestati porrectũ.

Die 4. Julii prodiit affixa certa scheda per Consulem loci in valvis portarum sub sigillo civitatis, quibus innuitur, mandante Sacratissimâ sua Majestate, præter Regum, Principum, Comitum Residentes & Ablegatos, ad liberum Evangelicæ Religionis usum publicum, sub gravi ignominiæ pœna, neminem ex reliquis Evangelicis admitti: Evangelici igitur tam ad Palatinum quàm Commissarios suæ Majestatis certos: mittunt Ablegatos: Comparentibus in hospicio Domini Comitis à Nosztiсz, præsentibus reliquis Commissariis, audientia impertitur, sedentesque exaudiuntur. Eorum propositio sequens erat: Non sine dolore Statum Evangelicum intellexisse, ex affixis portis suburbii certis prohibitoriis schedis, sub nomine Sacratissimæ suæ Majest. ne ad participationem Sacrorum liceat extraneis Regnicolis, sub gravi ignominia ad hanc liberam Regiamque civitatem venire: Cum tamen libertas Religionis hactenus per suam Majestatem nequaquam esset prohibita: Ideò constituisse Evangelicum Statum præmissum Consulis actum sub nomine suæ Majestatis evulgatum, Eidem suæ Majestati per memoriale repræsentare, proindeq; demisse instare, apud Excellentissimos Dn. Commissarios, quatenus negotium instantiæ apud suam Majestatem secundari faciunt:

Præ-

Præsentatur copia literarum publicatoriarum: Seclusis ablegatis fit consultatio, post revocantur, & per Excellentissimum Dominum Comitem à Noszlticz respondetur; Intellexisse propositionem & instantiam Dominorum Ablegatorum, & cum sciant non fuisse nec esse mentem Suæ Majestatis, ut quisquam ex Evangelicis in exercitio suo turbaretur, ideoque rogare Dominos Evangelicos, ut duos aut tres dies intentionem repræsentationis fiendæ suspendant, se laboraturos, ut negotium aliter sopiatur. Circa horam 3. pomeridianam per Dominos Commissarios denuò revocantur ablegati, quibus responsum est: Dominos Commissarios acceptâ informatione intelligere, hocce Edictum adhuc in Anno 1680. in Majo publicatum fuisse, medio verò tempore, nescitur, mandato defuncti judicis, aut alterius cujuspiam sublatum: Et quia in eo voluntas Suæ Majestatis deprehendebatur, per Inclytam Cameram Senatui expressa, Consul hanc ordinationem resumendam consensu Senatus cupivit: Quod verò res sic se haberet, ostendebatur Tabula, cui affixum erat memoratum Edictum Anno 1680. in Majo publicatum: quod autem sit Dies 2. Julii in moderno expressa, errore scribentis factum.

Interea se cum Præside Cameræ hac de re acturos Domini Commissarii dixerunt, adeoq; sicut antehac dum affixa erat prohibitio, licuit Evangelicis venire ad sua sacra, hoc idem de præsenti licebit. Ablegati reposuerunt antecedenter plurimos occasione prænotati Edicti in arrestum positos, imò & punitos fuisse, idcircò ne hoc denuò accidat summè vereri.

Die 5. Julii, refertur apud Evangelicos, Status Ablegationis & resolutionis in facto publicatæ schedæ, quæ semotione ejusdem sublata est.

Die 6. Julii nihil actum est.

Die 7. Julii regnicolis publica sessio indicitur. Ibi tum Instrumentorum literalium Regni inventationis series reportatur & perlegitur: circa ista deliberatum est, ut hora quarta pomeridianâ dictaretur series eorum; Interea, ut eadem Excellentissimo Comiti Palatino, solutâ modernâ sede per Dominos Inventatores in residentia sua assignaretur, conclusum est. Resolvit quoque prælibatus Comes Palatinus, si qui Comitatus, aut alii Status paribus aliquarum literarum indiguerint, eo facto extraditurum.

Die 8. Julii. Negotium refertum plurimis iisque odiosis litigiis dilatum in crastinum. Evangelici per Ablegatos tam apud Palatinum, quàm Excellentissimos Commissarios instant, de promovendo negotio Religionis Evangelicorum, qui iterum constituissent instare apud Suam Majestatem. Commissarii dicunt, expectari indies Replicam Dominorum Catholicorum, eam ad Suam Majestatem remissum, post cum Evangelicis communicatum iri: Ablegati respondent, modernam protelationem Statibus & Ordinibus nimis esse molestam, cum hic, ipsis desudantibus in publicis, in domibus ipsorum passim exclusis miseris uxoribus omnia per milites occupentur ac in prædam vertantur; quæ Commissarii non sine admiratione audiverunt dicentes, Extradatas esse Commissiones, ne amplius exactiones repartitionum, & similia fiant; Inter alia dixerunt se certi aliquid expectare à superioribus, & tandem benè de omnibus sperare debere Evangelicos, & alios Status Hungariæ.

Ablegati denuò resumentes Religionis negotium dicebant, Evangelicos in facto Religionis non peccasse, & si quis inter ipsos foret talis, ipsos ultrò laboraturos, ut puniatur.

Die 14. Julii. Sessio Dominorum Catholicorum in puncto compilationis Gravaminum habita: Eodem Evangelici per Legatos sessionem Comitatus Nitriensis ratione Evangelici Ablegati repræsentare nituntur Palatino, protestantes, nisi Evangelicus ad sessionem fuerit admissus, ipsos nolle concurrere in ablegatos per se non exmissos: sed proponi nequivit negotium.

Die 15. Julii. Ablegatio continuanda non modò Comitatus Nitriensis, sed & Civitatum Cassoviensis, Posoniensis, Eperjesiensis, Bartfensis (quorum Ablegati Evangelici nec exmissi nec recepti erant) per Evangelicos decreta est. Eorum Egregius Vilhelmus Fischer ablegatus Posoniensis à latere exhibet certas sub Sigillis numero 13. Credentionales Magnifico Domino Personali, qui loco responsi dixit, se negotium istud cum similibus instantiis comportaturum.

Die 20. Julii. Evangelici concinnato memoriali ad Suam Sacratissimam Majestatem in negotio Religionis, certos deputant Ablegatos; Interea hæc intentio eorum communicatur cum Excellentissimo Palatino, & uno ex Commissariis, nempe Comite à Kaplier, cui etiam copia Memorialis porrecta, ad quæ respondit: Dominum Comitem à Noszticz hodie certò venturum, & quidem ut putaret non sine resolutione Suæ Majestatis, interea ut placet faciant Evangelici: Adjecit quoque præstare, ut differentia ista grata transactione sopiatur, quàm ut partes mutuis odiis afficiantur: scire quidem hostes augeri, sed nec Suam Majestatem Sacratissimam sibi defuturam, adeoque copiosiorem militem in Regnum inducturam, ex eo non nisi manifestam ruinam emersuram.

Medio tempore redux factus Comes Noszticz intimat, ut Deputati apud Suam Sacratissimam Majestatem compareant: At cum sub tempus prandii tam citò convocari non potuissent, Sua Excellentia quoque ad prandium Baptismale per Comitem Battyanii invitata fuisset; ob hoc mandante Suâ Excellentiâ, duo Ablegati ad illam missi retulerunt: non esse è re, ut molestetur Sua Sacratissima Majestas, jam se resolvisse Suam Majestatem, adeoque hodie adhuc, pro uberiori die crastino de hac materia instituenda conferentia, se rediturum Neostadium, & certò perendie cum æquabili ac pro contento recipienda satisfactione rediturum.

Die 24. Julii. Continuatur perlectio Gravaminum. Et tum ab Excellentissimo Domino Comite à Noszticz fit Evangelicis insinuatio, ut certi Ablegati nomine Evangelici Status horâ octavâ matutinâ adsint; iis comparentibus, aggratulatione de felici regressu Suæ Excellentiæ præmissâ, responsum est: Statum Evangelicum

instituisse quidem, ut jam tandem de & super Gravaminibus suis, Suæ Majestati Sacratissimæ porrectis, certa resolutio Evangelicis concedatur, ad ista quoque Dominos Catholicos suam responsionem seu Gravamina Suæ Sacratissimæ Majestati porrexisse; verùm quia ex declaratione Evangelicorum constaret, potiora ea, quæ videntur in Memoriali Evangelicis imputari, in exules & extorres partium superiorum redundare, ideò neque Replicam Catholicorum communicandam censeri.

Et cum sciat Sua Majestas præprimis negotium Religionis tractatus publicos distinere, ideo desiderare Sacratissimam Suam Majestatem, ut istud negotium placidis mediis tentaretur: monere se igitur Evangelicos, de medio sui certos, eosque Pacis amantes denominent viros: Dominos Catholicos idem facturos: Si verò hac via compositio obtineri non posset, tum Suam Majestatem resolutam esse autoritate sua negotium complanare.

Tùm propositum est summâ cum commotione, publica negotia per Clerum involvi Disputationibus, ac die hesterno, libellum sub titulo: VERITAS TOTI MUNDO DECLARATA &c. in manifestum præjudicium autoritatis Sacratissimæ Suæ Majestatis in populum esse sparsum: Hunc Catholici superiorum partium & Evangelici articulariter tollendum instant, quod sanè graviter resenserunt Domini Commissarii; Interea Ablegati hanc Dominorum Commissariorum Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem Dominis Evangelicis se relaturos obtulerunt. Eorum usque ad horam 12. relegebantur Gravamina, minori cum affectu Cleri.

Die 25. Julii. Evangelici missis Ablegatis tam ad Comitem Palatinum, quàm Commissarios, instant, ut copia Memorialis Dominorum Catholicorum, seu Replica ad porrectum Memoriale Evangelicorum cum iisdem communicetur, ut videant & sciant in quo incusentur, & innocentiæ suæ provideant.

Commissarii non sine motione affectuum respondent; Instantiam communicationis Memorialis non posse expleri, primò: Sacratissimam Majestatem tanquam Regem & supremum in Regno Justitiarium examinato statu causæ ex autoritate resolvisse ne communicetur, idque ad præscindendas ulteriores inter Regnicolas lites & odia. Secundo: Unicè desiderare Suam Majestatem, ut ante omnia & præprimis sine ulterioribus dilationibus negotium Religionis ad certum finem & desideratam securitatem deducatur. Tertio: Optimè diluisse antecedenter Dominos Evangelici Status Ablegatos, quæ fortè per Dominos Catholicos in Gravaminibus inserta habeantur, illaque non Evangelicis fidelibus, sed exulibus & in armis de præsenti etiam persistentibus, altissimo judicio Sacratissimæ Suæ Majestatis & Consiliariorum imputari. Quarto: Sacratissimam Majestatem generali Amnestia omnibus declarata, velle præmissa omnia & singula abolita esse. Quinto: Esse quoque nimis difficile, & consumi multum temporis, si hæc instantia cum Sacratissimâ Suâ Majestate communicaretur, quæ hodie recreandi animi causa ad Manerstorff iverit, neque ante diem Lunæ reversura sit, cum tamen Suæ Sacratissimæ Majestatis hoc sit unicum desiderium, ut negotium istud, si possibile foret, unicâ horâ sopiretur, nedum per aliquot dies diversis dilationibus involvatur: Dominos quoque Catholicos sex personas politicas de medio sui ordinasse; nihil itaque restare, quàm ut Domini Evangelici passu pari sex personas deputent.

Quibus intellectis ablegati institerunt, ut Testimoniales Evangelicis darentur, Sacratissimam Majestatem ex autoritate suâ Regiâ denegare communicationem prænotati Memorialis.

Comes autem Palatinus copiam præfati Memorialis se ex Cancellariâ sua extradaturum promisit.

Die 26. Julii. Evangelici præhabitâ satis maturâ consultatione, destinatis tam ad Palatinum quam Commissarios Ablegatis, denunciari faciunt, Evangelicos intellexisse mentem deputandorum certorum virorum, pro tractatu Religionis instituendo, verùm quia terrerent vestigia Anni 1647. ubi Evangelici autoritate Suæ Sacratissimæ Majestatis 400. Templa obtinere valentes, vix 90. obtinuerint, tum ex eo quod Ablegati Instructionibus obstricti, à modo negotia Religionis urgendi & complanandi, declinandi non haberent facultatem, sed præcisè recurrere ad Clementissimum Diploma & autoritatem Sacratissimæ Suæ Majestatis; Ideò rogari Dominos Commissarios, hanc Evangelicorum subjectissimam resolutionem, altiori, eoque propensissimo animo Suæ Excellentiæ metiri dignentur, ac gratiosè promovere velint.

Commissarii non sine commotione responsum illud intellexerunt, asserendo mentem eorum in eo minimè versari, ut tractatus aliquis instituatur, sed conferentia saltem quædam; non enim sciri posse, quid velint Domini Catholici dare, & quid Evangelici postulent; si enim aliqui à parte Catholicorum defectus fuerint, eos autoritate Suâ Majestatem Sacratissimam suppleturam esse.

Hæc Commissarii Dominus Palatinus requiri non potuit. Sessione Regnicolarum habitâ, publicatæ sunt literæ superiorum, cum duobus Commissariorum Decretis, unum sine dato, Titulo & Sigillo: alterum sub sigillo Domini Hoffman.

Decreta hæc sumpta sunt in considerationem, cum non prodeant ex Cancellariâ: Sed Domini Palatini resolutione adinventum, etiam Palatino parente suo existente, ejusmodi Commissarii deputabantur: Unum continebat præsentationem literarum superiorum, & intimatio quid Status Regni in substantia rei exulibus censeant respondendum.

Istud est rejectum ad proximam sessionem. Alterum Decretum sonabat titulo saltem ad Catholicos, sed interioribus continentiis ad Evangelicos, de placida Religionis accommodatione: nihil ad has responsum est.

Re-

Replica Dominorum Catholicorum, ad Status Evangelici Sacratissimæ Suæ Majestati per modum Memorialis exhibita Gravamina, ex Cancellariâ Palatinali extradata.

Sacratissima Cæsarea & Regia Majestas, Domine, Domine nobis Clementissime.

„ QUod Gravamina Augustanæ & Helveticæ Confessionibus addictorum, certo Memoriali ad Majestatem Vestram Sacratissimam directo comprehensa, nobiscum benignissimè communicare dignata sit, Majestati Vestræ pro eo innatæ Clementiæ suæ argumento, humillimas magna animi demissione gratiarum actiones deponimus. Non tamen sine justo dolore sentimus, quod illi, aliàs pars & commembra hujus afflicti Regni, inter tot nutantis, & extremorum discriminum mole gravatæ Patriæ suæ pericula, de ineundis potius reducendæ optatissimæ Pacis, & Regni contra ingruentem totius nominis Christiani hostem muniendi remediis, tum per se necessariam, tum verò Clementissimo Majestatis Vestræ ardore concupitam operam protinus non admoverent, quàm iterum ea, quæ vel experimento præteritorum temporum communi bono non solum obicem & neglectum posuisse, quin & multas calamitates addidisse satis compertum esset, reassumerent; Ne tamen exquisita ipsorum lamenta coram Majestate Vestra Sacratissima, aut etiam orbe Christiano (silentio duntaxat nostro) pondus acquirant, è converso autem in Statum Catholicum exercitatæ gravissimæ persecutiones & furores subticeantur, vel etiam majora incommoda & præjudicia eidem Sacrosanctæ Religioni inferantur; Ex eo nos quoque partem aliquam nostrorum, & numero, (si præsertim universa recensere velimus) & magnitudine longè ampliorum Gravaminum, Majestati Vestræ Sacratissimæ, humillimæ informationis loco omni cum submissione exhibere necessitamur.

„ Et quidem, tametsi illorum, partim adhuc in Anno Domini 1662. partim verò abinde inpræsentiarum usque, universim tamen non nisi ab Anno 1642. (quo nempe summam votorum suorum attigere) conquisita, & in supplici suo generalibus terminis apposita gravamina, primâ fronte quasi arduum ac præponderosum aliquid præ se ferre videantur, si tamen à primordio prævalescentiæ prædictarum confessionum, cum irrogatis per easdem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Religioni nostræ præjudiciis, legalibusque pariter & Diplomaticis contravenientiis, ac aliis inauditis injuriis conferantur, omnium sanè judicio nusquam graviora ipsis quàm nobis, imò longè leviora, aut respectivè nulla dignoscentur fuisse illata.

„ Etenim posteaquam contra manifestissima Gloriosissimorum quondam hujus Inclyti Regni fundatorum & Regum, unanimi Regnicolarum consensu firmata Statuta, utpote sancti Stephani lib. 1. cap. 2. & Divi FERDINANDI I. Decreti Anni 1563. Artic. 31. & 32. antea verò Anni 1548. art. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. item Anni 1550. art. 12. 13. 14. Anni 1552. art. 7. Anni 1553. art. 7. Anni 1554. art. 7. Anni 1556. art. 25. 26. Anni 1557. art. 10. tandemque Anni 1604. art. 22. & alia passim, illa conspicua, ad quam ex gentilismo conversa fuit Hungaria, sola Romano-Catholica vereque Christiana, multo seculorum tractu felicissimè florens Religio, excitatis subinde intestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficacis verbi Divini prædicationis, verùm cruenti gladii, etiam à naturalibus Christiani nominis hostibus accersiti omnia perturbari, innumeræ Ecclesiæ violenter occupari, cultus Divinus à majoribus traditus & acceptus immutari coeperit; Quidni sub natis fidelibus Orthodoxæ Patriæ filiis licebat avitas suas hereditates (templa videlicet & Ecclesias) quas vetusta privilegia, situs altarium, tituli Divorum nominibus inditi, & structuræ ad normam sanctæ Romanæ Ecclesiæ accommodatæ, manifestissima videlicet prioris Dominii & hereditatis signa, vivâ quasi voce contestabantur priorum olim Catholicorum manibus, auxiliis & prægrandibus expensis fundata esse, nec nisi injuriis subsecutorum turbulentorum temporum potenter occupatas, & hactenus illegitimè tentas atque possessas extitisse, iterùm vel ex dictamine communis justitiæ, (quòd in proprio nemo violentus judicatur) rehabere, suæque pristinæ jurisdictioni redintegrare? Sed (scilicet) leges ac Diplomata Regia in favorem ipsorum posterius condita, ac etiam usus diutius continuatus hæc fieri vetabant.

„ Nequaquam Augustissime Imperator. Tum quia Leges illæ violentiâ duntaxat armorum extortæ, communique universorum ordinum assensu minimè constitutæ quin imò eisdem tum legibus, tum verò prætenso usui, vel potiùs abusui per totum Ecclesiasticum Statum, compluresque Magnates & Nobiles Catholicos solennissimè contradictum & reclamatum fuisset semper. Tum verò quod Diplomaticum tantoperè allegatum fundamentum, tanquam per ipsos manifesto violatum nil pro ipsis militaret: Siquidem juxta tenorem pacificationis Viennensis Anni 1606. art. 1. (ad quem universa etiam expost subsecuta Regia Diplomata Annorum 1622. 1638. 1647. & 1659. conditione 6. sese semper referrent, suoque in vigore relinquerentur) id per expressum conclusum fuerat.

„ Ut liberum in hoc Regno sit Religionis exercitium, absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis, & ut Clerus, templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera remaneant, atque illa quæ distur-

„ disturbiorum tempore occupata fuere, rursum eisdem restituantur: Nihilominus tantum abfuit ut restituta fuissent, quin imò in gravem conclusæ ejusdem Pacificationis, exindeque subsecutorum Regiorum Diplomatum contemptum, inque ruinam multarum animarum & totius Catholicismi apertum præjudicium violenter occupata, violentissimè retinuissent.

„ Hinc si ipsis contra primævum Regiorum Diplomatum fundamentum, nostra innumera templa, scholas & parochias, turbulentissimâ vi, imò auxiliantibus Paganorum armis occupata retinere licuit, licebat etiam nostræ, non inferiori, deteriorive conditioni vera nostra repetere, & quibus placidioribus fieri potuit mediis, absque tamen Turcicorum armorum imploramentis rehabere. Sic itaque contra citatum per se Diploma delinquentes beneficio ejusdem uti non valerent: accedit, quod per DEI gratiam jam alia, quàm quæ anteà fuerat, sit in hoc Regno facies Religionis: antea enim, quis nescit præpotentes Palatinos & Proceres, ex Thurzonianâ, Illyeshazianâ, Perinyanâ, Nadasdiana, Ezechiana, Battyaniana & Rakocziana, aliisque familiis, vix non majorem Regni partem possedisse, & ad suam confessionem amplectendam, populum quoque & dominia sibi subdita compulisse, unaque cum fundo sibi subjectô, templa superædificata ad arbitrium disposuisse, jam verò majori Procerum parte, ad gremium nostræ sanctæ Matris Ecclesiæ redeunte, admodumque paucis Magnatibus & Nobilibus, sed rusticana duntaxat, eaque potissimum Catholicorum Dominorum potestati subjecta plebe confessionum illarum reliquias recolentibus: quæ ratio, quis rerum ordo suadebit, ut subditorum conditio Dominorum suorum Terrestrium conditioni præferatur, templaque in fundis (in quibus Rustici de Lege Regni præter mercedem laboris nihil haberent) Dominorum superexstructa coloni possideant, Domini verò & Patroni iisdem spoliati, & exclusi ad Domesticos parietes, privataque Religionis suæ munia exercenda redigantur.

„ Imo si ad liberum Religionis exercitium templa requiruntur, hac ipsa ratione Domini Terrestres, tanquam jurium omnium prærogativis anteferendi, ab eadem templorum possidendorum Religionis libertate impediri non valebunt.

„ Quod denique anteacto rerum statu libebat illis, liceat etiam nobis moderno. Porro si reliquæ sat longa serie deductæ, variisque prætensis injuriis congestæ, imo prætextu legis ad subeundam superinde sancitam articularem pœnam provocantes querimoniæ considerentur: & ad has facile responderi posset punctatim.

„ Sed non opus est universa & singula contra nos objecta, veluti partim incognita, partim longè aliis, aut nullis modis patrata, partim vero sufficientibus rationibus contrariis (quemadmodum captivationes, aliasque delictis longè mitiores pœnas Ministri ipsorum, non qua tales, sed qua seditiosi, & publicæ quietis perturbatores, in quo nec Catholicorum ratio habebatur, subire, ac ille etiam Minister, cujus mentio fieret, tanquam incendiarius, manifestique criminis, in præsentia suæ quoque Religionis trium Assessorum condemnatus comburi, meruissent) diluenda singillatim refellere.

„ Sufficit hoc unicum excusari, quod nos multo graviora, enormiora, & crudeliora, quàm quæ contra nos prætenduntur ab illis perferre debuerimus, illi vero ad acta propria diluenda vel studio injuriam in nos conjiciunt, vel respectivè minima passi, ea quoque non nobis, ast suis in nos, sacramque Religionem nostram & ruinam Patriæ, extremè commissis excessibus sunt imputanda.

„ Horreret profecto animus in funestum illud deformatæ Patriæ theatrum (in quo à propriis illius Religionis Civibus inculti redditi agri, incolæ omni substantiâ exhausti, fumantes exustorum oppidorum & villarum cineres, effusus plurium secularium, & DEO dicatarum personarum innocens sanguis, profanatæ Ecclesiæ, & Religio Catholica omnibus adinventis modis afflicta, spectarentur) condescendere, nisi & justo dolori aliquantisper indulgendum esset, non ut renovetur, verùm salutaribus per Majestatem Vestram Sacratissimam tum hactenus quæsitis, tum verò etiam imposterùm admovendis medelis, optatæ suæ sanitati restituatur.

„ Propterea confiteri debemus, nihil in læsionem ac odium Religionis Catholicæ, ruinamque miserandæ Patriæ præconcipi potuisse, quod (vel maximè modernorum disturbiorum occasione, ac etiam antea) per exulantes, pariter & Domesticos, attactarum Religionum cultores, ipsosque Prædicantes exerceri intermissum fuisset indifferenter. Tam exosa & despecta fuit nostra Religio, ut tam in Comitatibus, quàm in liberis Civitatibus, oppidisque ac villis, nostras, quamvis idoneas & benemeritas personas ad nulla prorsus officia applicarint, non ad cœtum artium Mechanicarum, imò, ne ad vilissimum servile munus, nisi abjuratâ prius fide Catholicâ, admiserint; Vice-Comites suarum Religionum pro minimâ Ministris suis illata injuria in Catholicos onerosissimè processerint, de injuriis ante vel maximis è contra illatis nullam satisfactionem impenderint, sed ad judicia superintendentium relegaverint, asserentes, Catholicos legum non esse capaces; Processus ratione Divortii contra nostros in sede sua instituerint; Suos auditores à sacris & concionibus nostris seriò intermiserint; Idololatras nos esse communi titulo proclamaverint; Superintendentes extra ditionem Vestræ Majestatis habitantes, jurisdictionem nihilominus in ditionibus Vestræ Majestatis exercuerint, nostros, proprios suos Parochos habentes, ad solvendum suis Ministris adegerint, alioquin ex ipsis etiam campis frumenta rapuerint, ab emptione bonorum & domiciliorum inter ipsos excluserint, in matrimoniis contrahendis impediverint, contrahen-

hentes verò copulare noluerint; Inceſtuoſa Matrimonia conceſſerint, de mortuis pulſum campanæ negaverint, nonnullarum Illuſtrium familiarum, & Dominorum terreſtrium, magnam partem Comitatus poſſidentium, & plurium ſepulturarum loca habentium, demortuos cum ceremoniis Catholicis ſepelire armatâ manu obſiſtendo, non permiſerint, aliarum magni ſtemmatis familiarum corpora effoderint, capitibusque privata, & pretioſis veſtimentis denudata foràs ejecerint; Exitioſiſſimas rebelliones, tum in proprios Dominos, tum etiam alios Catholicos in communi correptis armis concitaverint; Judices Comitatuum, & teſtimonia capitulorum, Regiosque homines publicis in negotiis procedentes, turpiſſimis convitiis invaſerint, & homines ſecuritatis gratiâ penes deſtinatos trajecerint, interemerint; alii etiam Commiſſarii Veſtræ Majeſtatis in commiſſionibus ſuis armatâ manu impediti; alii officiales Majeſtatis Veſtræ dirisſimis verberibus cruciati, temporeque hyemali aliquot milliaribus ſeminudi educti, & equis alligati, viribusque omnibus deſtituti, penes equos tracti, in publica via ad partem diſſecti, ad notabilemq; Religionis noſtræ deſpectum frontibus eorum cruces inſciſſæ, & ſic in prædam canum & beſtiarum relicti; contra militem Veſtræ Majeſtatis pacificè proficiſcentem, auditâ ſolâ famâ, hoſtilia vexilla erecta, auxilia Turcica perpaucos etiam ante menſes, contra plebanos Catholicos implorata; Nobiles, barbâ, miſtacibus & capillis abraſis, ludibrio expoſiti, nonnullis lingua abſciſſa; alii in Caſtellis, & Curiis Nobilitaribus propriis comprehenſi, inde in captivitatem & partes Turcicas abducti, diriſſimis verberum & vulnerum plagis affecti, neque aliter, niſi poſt longos carcerum ſqualores magno lytro dimiſſi, multi verò (inter quos etiam Barones) crudeli mortis genere, variisque adhibitis torturis interempti; plurima oppida, villæque ſuccenſæ, ubi partim igne, partim ferro, multa centena hominum conſumpta fuere.

Nondum hiſce ſatiabatur inexplebilis perſequendi ſitis, ſed in Eccleſiaſticas Religioſasque perſonas longè ardentius exæſtuavit: Hinc parochorum ſubſtantiæ expilatæ, multi quibuſvis excogitatis ignominiis, irriſionibus traducti: alii graviſſimè verberati, vulnerati, contuſi: alii captivati, grandique lytro dimisſi: alii penes equos rigidisſimâ hyeme in ſolo induſio raptati: alii nudo corpore hinc inde per villas circumducti: alii cum ſummo dedecore & mundi ſcandalo totaliter denudati, per plateas civitatum, alligatis (pudor vetat dicere ſed res exigit) ad naturalia ſemicentenariis lapidibus circumducti, & lupinâ pelle ad deriſum, nudo Religioſi corpori ad modum militis appenſa, duris ſcuticarum ictibus, ad ſaltandum, ignesque tranſiliendos adacti: alii nudi in urticis ſpinis & tribulis volutati, alii in puteos injecti: alii elorati: aliis ferrei clavi, veluti equis in pedes & manus incusſi; alii ad partes Turcicas abducti, & venundati: alii ſub patibulum educti, ibique more carnificum laniati, alii ſclopis trajecti, neque ſepeliri permisſi, alii in ſuis cubiculis trucidati: alii decapitati, alii gladiis transfixi, alii igne cremati: interque cætera quidam parochus Catholicus captus, funibus loriſque colligatus ad Eccleſiam ductus, diſſectô ibidem altari, partes diſſectas ulnis ſuis alligatas tenere debebat, eouſque donec per Prædicantem, longâ contra cultum imaginum & Sanctorum ſcommaticâ & maledictoriâ ſupra caput ejus peractâ concione, ad publicum forum eductus eſt, ſuccenſisque exportatis dicti altaris partibus injectus, poſtea ſeptem vulneribus capiti inflictis extra portam oppidi per capillos extractus, tandemque aliquot ſcloporum globis in pectus exploſis ſemivivus in effoſſam ſcrobem injectus, atque terrâ obrutus fuit; alii denique per venenum, alii tabacâ in dorſo ſciſſa, fronteque in arborem impactâ, alii aliis quibuſvis inexcogitabilibus modis cruciati, ad mortemq; triſtisſimam adacti. Neq; in his conquievit efferata rabies viruſq; in odium Religionis intumeſcens: ſed in aras, ædesque ſacras omni horrore graſſabatur, campanæ ex turribus dejectæ, perfracta templa, & ſuppellectilia deprædata, altaria confracta, ſacra veſtimenta & apparamenta diſpoliata, calices (imò ſeſe iiſdem ingurgitantes) profanati, caſulæ & antipendia in ludibrium induta, aſportata, ex cibariis venerabile Sacramentum Euchariſtiæ hinc inde diſperſum, pedibusque conculcatum, alibi particulæ nondum conſecratæ, equis ad vorandum datæ, Sanctorum Reliquiæ disjectæ, nomen ſanctiſſimæ Matris DEI blaſphemiis proſciſſum, icones verò ejuſdem, aliorumque Sanctorum ac ipſius Domini cruci affixi diſſectæ, exoculatæ, denaſatæ, cæteriſque membris mutilatæ, & capite detruncatæ, effigies Crucifixi in vera ad ignem aſſata, Sacra Miſſa in veſtibus larvatis decantata, publicæ proceſſiones (Sacerdote cum Venerabili procedente invaſo, & per lutum hinc inde raptato) violenter interturbatæ, calumnioſiſſimi libri & ſcripta in nos evulgata, ſacra deniq; Religio Catholica adeò exterminata & attenuata, ut in Comitatu Lyptovienſi, non niſi duæ Catholicorum, illorum verò 46. reperiantur Eccleſiæ; in Szatmarienſi & Szaboczenſi, præter fortalitia Szakmar, ecſed, & Betzermen, ne nomen Sacerdotis audiatur, templum nullum poſſidetur; in Zemplinienſi, Ungarienſi, Bereghienſi, Ugocienſi, & Abauguarienſi, Comitatibus, Sacerdotes vix aliqui, Prædicantes multi, in Scepuſienſi, Thornenſi, Gomörienſi præter civitates liberas, & pauca oppida. parochi rari (qui etiam non niſi in dumetis, aliiſq; occultis latebris deliteſcunt, & cum periculo vitæ curam fidelium habere poſſunt) Prædicantes vero clam & palam plures, ſtante etiam præſenti Diæta paſſim introducti, par ratio eſt in nonnullis Comitatibus cis Danubianis, utpote Veſzprimienſi, exceptis confiniis & inſulis Muraköz, parochi 5. Prædicantes 16. in Simighienſi parochus nullus, Prædicantes circiter centum, in Baranienſi parochus nullus, Prædicantes circiter 50. Nonnulli recenter contra expreſſa & benevola ſuæ transactionis puncta, Eccleſias violenter occupare, apparamentaq; vendere, diſtrahere, & inter ſeſe dividere nihil penſi duxerunt.

Refugit calamus infelici Patriæ, nostro-
„que sacrosancto cultui tantâ immanitate irro-
„gatis (quæ non in paginas, sed & codices in-
tegros referri possent) ulteriùs recensendis
„immorari, nolentes Vestræ quoque Majesta-
„ti Sacratissimæ, tantis hujus aliorumque Re-
gnorum suorum curis intentæ, longiorem
„afferre molestiam.

Cum itaque præmissa humillimè repræ-
„sentata, & si necessum fuerit, tam uberius de-
„claranda, quàm verò etiam comprobanda
Gravamina nostra, longè plura, modisque
„omnibus graviora & ponderosiora existant.
„ Idcircò Majestati Vestræ Sacratissimæ,
tanquam Christianissimo Imperatori, Regi-
„que Apostolico, & Domino nostro Clemen-
„tissimo humillimè supplicamus, quatenus be-
nignos paternæ providentiæ suos oculos in
„nos convertere, ac tantoperè injuriatis, af-
„flictis & damnificatis debitam satisfactionem
„impertiri dignetur clementissimè. In gra-
„tiam & Benignitatem Majestatis Vestræ Sacra-
„tissimæ nosmet humillimè submittentes.

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Devotissimi Capellani ac humillimi & fidelissimi Subditi Universi

Status & Ordines Prælatorum, Baronum, Magnatum, Nobilium & liberarum Civitatum Regni Hungariæ, Partiumque eidem annexarum Catholici.

DIe 27. Julii. Evangelici per Ablegatos tam Domino Palatino, quam Excellentissimis Dominis Commissariis respondent, ipsos sufficientibus ex rationibus nullos posse de medio eorum Deputatos ad tractandum seligere, sed præcisè provocari ad absolutam autoritatem Sacratissimæ Suæ Majestatis, à qua sperarent vi autoritatis Divinæ sibi attributæ, æquitati & justitiæ consentaneam recepturos satisfactionem. Ingrato animo recipiuntur à Dominis Commissariis, exprobratur obstinatio, & quasi vellent imponere, extorquereque à Sacratissimâ Sua Majestate satisfactionem, sed hæc elegantibus rationibus excutiebantur. Interim copia Replicæ Dominorum Catholicorum à Domino Comite Palatino obtenta, quæ immediatè præcessit.

Die 30. Julii. Interea Domini Evangelici in componendo Memoriali Sacratissimæ Suæ Majestati exhibendo laborant, simul replicando ad Memoriale seu Replicam Dominorum Catholicorum, cum expressis causis & rationibus, cur Evangelici ad intimationem per Excellentissimos Dominos Commissarios factam, ad delegandas de medio sui certas personas, & instituendam aliquam conferentiam, eò minus tractatum condescendere minus possint; Deputanturque certi ablegati ad Sacratissimam Suam Majestatem, perorante generoso Domino Forkos. Visum quoque est, ut hæc intentio exhibendi Memorialis, communicatâ copiâ ejusdem, notificaretur Excellentissimis Dominis Commissariis & Excellentissimo Domino Palatino.

Die 31. Julii. Commissarii respondent: Siquidem resolutio esset Evangelicorum mittendi ablegatos ad Sacratissimam Suam Majestatem, faciant, Paria communicare non foret necessarium. Festo Ignatii in diem hanc incidente, in templo S. Georgii Soproníi habito, Præfectus Cameræ, *LEOPOLDUS KOLLONICS concionabatur*, commendato Statu Jojolitarum, non sine prostitutione Dominorum Catholicorum, asserendo eosdem velle ex Regno huncce Ordinem removere.

Non abstinuerat à prostitutione Lutheri & Evangelicorum, quos, utpote Lutheranos Augustanos mercatores, Calvinistas Helveticos Rusticos nuncupabat, annectendo bona & vitam amissuros Catholicos, antequam Ordinem præmissum paterentur Regno ejici.

Hæc & similia frendentibus animis non modò Evangelicorum sed & Catholicorum audita. Solutô prandiô habita comœdia, fide sed cui vide; seu LUDOVICUS III. Rex Hungariæ, à ficto amico Oldomiro, Cumaniæ Principe inter amoris signa occisus.

Die 1. Augusti. Expediuntur Domini ablegati cum Memoriali ad Sacratissimam Suam Majestatem Neostadium, in quo replicabatur ad Memoriale Status Catholici; compilatores interea loborant strenuè.

Sequitur Duplica Status Evangelici in formâ Memorialis, Sacratissimæ Suæ Majestati porrecta, de qua die 1. Aug. actum est.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas
Domine, Domine nobis naturaliter
Clementissime.

FIdelitatis, perpetuoque fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ humillimam subjectionem.

Sex jam Septimanæ excurrunt, quod Majestati Vestræ Sacratissimæ demissum lamentabilem nostrum supplicem libellum, Gravaminum scilicet Evangelicæ Religionis perpessarum & exantlatarum turbationum & persecutionum molem in generalitate repræsentantem demisse exhibuerimus, ac medio ejusdem, complanationem eorum stante adhuc hac Diatâ, authoritate Regiâ Diplomaticè fiendam, prout & de futuro securitatem humillima submissione imploraverimus, sperantes, quod sicuti Majestas Vestra Sacratissima, universos

suos

fides fideles Status, particulariter, tam paternâ admonitione orali, quàm in scriptis contentâ benignâ intimatione clementer adhortari dignata est, quatenus tractatus Diætales ita admaturare nitantur, ne per hos tempus inaniter protrahatur, ac optatus iisdem imponendus finis per longiorem moram retardetur; ita nos quoque quantocyus Clementissimam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem simus recepturi.

Sed cum indies videremus rem differri, voluimus iterum altero nostro demisso Memoriali (cujus copiam Excellentissimis Dominis Vestræ Majestatis Sacratissimæ Commissariis repræsentavimus) pro obtinenda eadem benigna resolutione Clementiæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ pulsare ostium.

Quia vero ea fuisset benigna voluntas Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ut Gravamina nostra, fidelibus suis in Statu Catholico existentibus communicentur, innotuissetque nobis eundem Statum Catholicum in contexendâ Replicâ suâ occupatum esse, noluimus eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ conscripti ejusdem nostri supplicis Libelli exhibitione tantisper importuni esse; Nunc itaque recepta antelati Status Catholici Replicâ, justus dolor contineri non potuit, quin tantas persecutiones & oppressiones passi, ac nihilominus tot perpetratorum malorum, illatarumque injuriarum accusati, innocentiæ integritatem simul & causæ nostræ æquitatem, (ne per silentium præmissorum in nos conjectorum criminum rei videamur) coram Majestate Vestrâ Sacratissimâ ac toto orbe Christiano (ad quem etiam Status Catholicus in sua Replica provocaret) humillimè demonstraremus.

Ac inprimis maximo nostri præjudicio id accidit, quod licet Majestas Vestra Sacratissima titulo Status Evangelici juxta tenorem etiam Positivarum Legum nos clementer dignaretur; Status tamen Catholicus eundem titulum, in derogamen & contemptum nostri denegaret.

Non absimiliter & hoc, ubi statim ad initium præmissæ Replicæ expresse poneret: *Se non sine justo dolore sentire, quod nos, alias pars & Commembrum afflicti hujus Regni, inter tot nutantis, & extremorum discriminum mole gravatæ Patriæ pericula, semotis animorum dissensionibus de ineundis potiùs reducendæ optatissimæ Pacis, & Regni contra ingruentem totius Christiani nominis hostem muniendi remediis, tum per se necessariam, tum vero Clementissimo Majestatis Vestræ Sacratissimæ ardore concupitam operam, protinùs non admoveremus; imo & præteritorum annorum temporibus communi bono non solùm obicem & neglectum posuissemus, quin & multas Calamitates addidissemus, & nunc etiam easdem reassumere vellemus*, ac per hoc retardationis Boni publici incusaremur.

Clementissime Imperator, an nos afflicti, extremè injuriati atque ruinati fideles Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditi, ex eo quod confugiendo ad Majestatem Vestram Sacratissimam, tanquam summum in terris asylum & justitiarium nostrum, Status Religionisque nostræ in integrum restitutionem & redintegrationem imploremus, uniceque post DEUM à Majestate Vestrâ Sacratissimâ hoc remedium humillimè præstolemur, retardatores & turbatores publicorum Tractatuum dici mereamur? Altissimo ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ submittimus judicio.

Cum nos in concinnando Memoriali nostro Vestræ Majestati Sacratissimæ humillimè jam exhibito, vix trium horarum spatii tempus aliis publicis negotiis destinatum insumpsissemus; ac etiam nihil novi intentemus, verùm complanationem talem demisse expetamus, quam ad asserendam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiam authoritatem, & tranquilliorem permansionem Regni, bonumque Pacis vergere, Pacificatio Lincensis, Diplomate Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiô confirmata, ac idem quoque Diploma conditione 6. nec non Art. 6. Anni 1647. per expressissima verba:

Recordari Status & Ordines Regni, quantæ fuerint inter Regnicolas ratione occupatorum Templorum dissensiones, quæ, ut præcaveantur, discordiarumque Civilium fomes extinguatur, ac Regnicolæ pace & concordiâ mutua potiùs fruantur &c. testatum redderet.

Præmissa tamen summè præjudiciosa & injuriosa quantum miramur, tantum exhorrescimus ad id, quod occupationes Templorum, & alios similes illegales actus Status Catholicus se bono jure fecisse allegaret, inque favorem & fulcimentum sui diversas (novellis tamen Constitutionibus, subsecutisque expost Regiis Diplomatibus cassatas, antiquatas & abrogatas) Leges induceret: Quæ quia tenderent in manifestam sacrorum Vestræ Majestatis Sacratissimæ, ac gloriosorum ejusdem Prædecessorum Diplomatum, Legumque Patriarum labefactationem: pugnarent præterea cum jure Gentium, inferrent convulsionem omnium pactorum, essentque in Libro, cui Titulus: De Pace Sacri Romani Imperii licitâ, demonstrata, solidè jam discussa; ideo prolixiori refutatione hoc in passu Majestati Vestræ Sacratissimæ onerosi esse nolumus.

Id tamen silentio præterire non possumus quod Religionem Evangelicam, excitatis intestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficacis Verbi Divini prædicatione, verùm cruento gladio, etiam à naturalibus Christiani nominis hostibus accersito, originem & propagationem sumpsisse Status Catholicus summè præjudiciose asserat, cum

cum tamen contrarium testentur præteritorum temporum historiæ.

Constaret siquidem proximè elapso seculo Religionem Evangelicam solâ Verbi DEI prædicatione, nullis armis, aut aliis quibusvis violentis mediis propagatam extitisse; sed maximè sub initio hujus seculi, dum variis excogitatis viis atque modis, communis libertas Patriæ (uti patet etiam ex pacificatione Viennensi) per nonnullos Catholicos, Patriæ cives læsa fuisset, prodiisse quoque materiam turbatæ Religionis Evangelicæ: Unde apparet propagationem ejusdem non posse armis & quidem Turcicis adscribi, adeoque ante eadem tempora prædecessoribus nostris, tam secularibus quam etiam pluribus Ecclesiasticis Personis, per prædicationem Verbi Divini fidem Evangelicam sponte & liberè amplectentibus, templa præ manibus ipsorum, tanquam legitimorum possessorum & hæredum remansisse, ex post verò turbatione in iisdem, ac motuum illorum seditione intervenientibus, virtute Diplomatum Regiorum, conditorumque superinde articulorum in dominio eorum confirmationem obtinuisse. Quibus ex rationibus rueret annexa etiam inductio ex regula Juris: Quod in proprio nemo esset violentus.

Porrò in evidentem Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ejusdemque piæ reminiscentiæ Prædecessorum authoritatis læsionem pergit affirmare Status Catholicus, leges & Diplomata nobis deservientia vi & armis extorta fuisse; cùm nec tempore felicis inaugurationis Vestræ Majestatis Sacratissimæ, sed nec in Anno 1659. tempore nimirùm insertionis sacri Diplomatis actis publicis factæ, ullum tunc constet fuisse bellum.

Contrarium etiam testantur sacra Diplomata gloriosorum olim Matthiæ II. & Ferdinandi III. Majestatis Vestræ Sacratissimæ progenitoris felicissimæ recordationis, tum non aliquo metu perculsas easdem Majestatis; verùm pro pio paternoque affectu ad humillimas fidelium suorum supplicationes pacem conclusam fuisse, imò ipsemet etiam Status Catholicus iisdem vigorem attribuit, dum in aliis causis politicis omnes suas reflexiones unicè ad conditiones toties memoratorum Diplomatum & articulorum habent: Quod vel recentissimè in Supplicatione candidandi, obtentique Domini Comitis Palatini per omnes Status & Ordines Regni usurpatum extitisset.

Contradictio quoque Cleri nihil suffragatur Statui Catholico, namque eandem tam articulus 5. Anni 1647. sancto itidem verbo Regio confirmatus in paragrapho: *Contradictionibus Dominorum Cleri, & aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus &c.* quam reliqui Status ac Ordines Regni, accedente autoritate & consensu Regio, cassarunt & annihilarunt.

Arguimur insuper Evangelici, quasi contraveniendo Pacificationi Viennensi certa templa Statui Catholico non restituerimus, ac proinde violatis conditionibus, beneficio Diplomatis uti non possimus; Ast Clementissime Imperator, dato, nunquam tamen admisso, quod vigore Pacificationis Viennensis aliqua templa Statui Catholico, ut prætenderet (quod tamen ex suprascriptis rationibus secus se habere demonstratum) vi adempta, in rationem eorundem per nos, vel prædecessores nostros restitui debuissent; tamen per prætensam omissam restitutionem non Diplomatis vigor amissus, sed Catholici talia templa (ni alia infra declaranda impedimenta obstitissent) pro se rehabenda subsequenti Diætâ urgere potuissent: Neque sufficeret casu in præmisso Statui Catholico nudè hæc asserere, verùm etiam comprobare. Et siquidem in articulo primo anni 1608. ante coronationem edito nulla restitutionis templorum mentio haberetur, quin potiùs in Annis 1647. & 1649. vigore eorum conditarum legum, Diplomatis Regii, templis universis, attunc per Evangelicos adhuc possessis, penes eos relictis, alia insuper nonaginta templa fuere restituta, quomodo non restitutionis culpa nobis adscribi potest? Cumque insuper virtute ejusdem Diplomatis Regii & Art. 6. Anni 1647. ulterior templorum occupatio absolutè vetita fuisset, ideo ratio, ex præcitato articulo Pacificationis Viennensis desumpta, Statui Catholico deservire neutiquam potest.

Quantum ad augmentationem allegatam, novimus equidem pro moderno rerum statu in Regno Hungariæ, Catholicæ Religionis qualis sit facies: Si tamen Augustissime Imperator accurata disquisitio institueretur, Status Catholicus quibus viis ac mediis hanc augmentationem fuerit consecutus, facile demonstrari posset: Sed quia exempla odiosa forent (cum & alias modus agendi Dominorum Catholicorum hoc in passu Majestati Vestræ Sacratissimæ in priori demisso Memoriali nostro humillimè sit repræsentatus) ab eorum enumeratione sponte supersedemus; Illud tamen subticere non possumus, quod etiam de præsenti præter plebem, Nobilitas, Civitatum & oppidorum incolæ, sicut & confiniarii longè plures in hoc Regno reperiantur, penes fidelitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ pro Patria excubantes, ac Christiani nominis hosti sese opponentes Evangelici, ut si ratio sit ineunda à pluralitate, & prædictum hostem reprimentibus viribus, eatenus quoque appareret copiosior Evangelicorum numerus.

Deinde quòd templa in fundis Dominorum Terrestrium ædificata non competere Rusticis subditis prætenderetur, apparet Statum Catholicum vel oblivione, vel datâ operâ prætermisse tractatus illius Tyrnaviensis Anni 1646. continentias, ubi omnes hujusmodi simili in materiâ obortæ quæstiones ipso Diætæ Anni 1647. tempore, informatione Status Catholici copiosis rationibus Suæ Majestati Sacratissimæ repræsentatâ, diligentissimè excussæ, examinatæ, tandem diversis hactenus impedimentis & interpretationibus non obstantibus sacro Diplomati Linzensi insertæ, annihilatæ, & abolitæ essent, id quod etiam ex Diplomate Matthiæ II. eotum Archiducis, post verò Regis Hungariæ, & Majestatis Vestræ Sacratissimæ Prædecessorum felicis reminiscentiæ interpretatio, in Archivo Regni sub No. 8. & literâ H. existente clarum evaderet; Taliterque templorum occupatio generaliter ad omnes Dominos terrestres, & consequenter Fiscum quoque Regium extensa lege vetaretur, neque per eosdem sub titulo liberi exercitii Religionis ipsorum, Evangelicorum Templa Parochias, scholas & id genus alia subsecutis etiam Regiis Diplomatibus occupare integrum fuisset; unde idem Status Catholicus conclusionem hanc:

Quod

Quod Evangelicis licuit, licitum fuisset etiam Catholicis, invalidè inferret, tum ex rationibus præmissis, tum ex eo, quod diversa sit ratio Templorum, quæ præcesserunt sara Regum Diplomata, & modernorum diplomaticè jam circumscriptorum.

Condescendit expost Status Catholicus præter occupationem Templorum ad alios actus per ipsummet in nos Evangelicos exercitos, inque memoriali nostro Vestræ Majestati Sacratissimæ humillimè repræsentato uberiùs declaratos, eosdem partim negando, partim verò justo quasi juris titulo factos affirmando, taliter ministrorum Evangelicorum persecutiones, per delegata Judicia sub prætextu Rebellionis aggravationes, ejectiones, & postmodum ad triremes relegationes, imò unius etiam combustionem defendere satagendo; Verum clementissime Imperator quod omnia illa, quæ vestræ Majest. Sacratissimæ, in generalitate medio supplicis libelli demissa animi subjectione per nos repræsentata sunt, firmissima nitantur veritate, quodve Evangelici Ministri, prætextu quidem rebellionis ad insolitum jus citati, ab omni tamen labe fœdæ rebellionis puri & immunes, præmissas diras persecutiones perpessi, nedum morte, verùm nec illis, quas Status Catholicus mitiores dicit, pœnis digni extiterint; Quod denique idem Minister Evangelicus citra omne objectum quidem minus tamen comprobatum incendiarii delictum, fuerit combustus, parati sumus coram Regni Statibus stante hac Diætâ comprobare.

Ulterius non sine gravi animi sensu cordisque dolore intelligimus Statum Catholicum asserere, se multò graviora, enormiora, & crudeliora à Nobis in puncto Religionis pertulisse.

Cùm luce meridiana clarius appareat, nobis omnia Templa, Scholas, Parochias, & alia in priori nostro demisso Memoriali, Vestræ Sacratissimæ Majestati humillimè præsentato, declarata, tam à proximo decennio quàm ante adempta, Ministros exturbatos, nosque exercitio religionis nostræ exutos fuisse, quomodo quidpiam simile Catholico Statui per nos evenisset, ne cogitari quidem, tanto minus dici potest; Sed ut quoad alia nobis incognita, imò neque unquam cogitata, ac non nisi ex moderata eorundem replica intellecta.

Status Catholici objecta, nostra innocentia, alias per se clara, eò evidentior reddatur, non refugimus, ut quicunque nostrum Statui Catholico contra Diplomata regia & manifestissimas Legis injurias intulissent, authoritate regia puniantur.

Miramur autem Statum Catholicum eò desle xisse, ut aliena (si quæ essent) facinora, nobis, Majestatis Vestræ Sacratissimæ fidelibus imputare nihil pensi ducat; Cum tamen nos diversos in Nobilitatem excessus, expilationes pagorum, arcis, oppidorum, castellorum, ad innocentissimos Evangelicos pertinentium, aliaque enormia facta, Patrum Matthiæ Hirko, Casparis & Nicolai Paulinorum, aliorumque Ecclesiasticorum passu in isto designata, toti Statui Catholico adscribere noluerimus.

Quibus modo pravio in ordine replicæ, seu Memorialis Status Catholici Vestræ Majestati Sacratissimæ exhibiti humillimè & breviter repræsentatis, quod in tractatum quempiam cum Dominis Catholicis condescendere, certasque è medio nostri, ex intimatione Excellentissimorum Dominorum, tam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Commissariorum, quàm verò Domini Comitis Palatini, nomine Majestatis Vestræ Sacratissimæ factâ personas eum in finem denominare nequeamus, sequentes nos excusarent rationes, ac inprimis: Terrent nos acta Anni 1647. eo tum enim vigore sacri Diplomatis Regii 400. plus minùs Templa Evangelicis restituenda fuissent, verùm prædecessores nostri ad similem Tractatum condescendendo, dum ab eodem postmodum se eatenus inconsideratè fecisse serò animadvertentes resilire voluissent, recedere non permissi, eò res devenit, ut ex tot templis nonaginta solum restitui promissa sint, & neque ea statim completè restituta & assignata fuère.

Constat etiam, quod cum per Dominos Commissarios Statui Catholico intimatum fuisset, ut ad præinsinuatum Tractatum certos è medio sui denominarent, ex tunc Clerus hujusmodi Denominationi (antequam etiam Nobis Evangelicis fuisset intimatum) consentire noluit; imo eidem, tentandoque ulterius Tractatui contradixit: Quia verò Clerus inde ab initio semper (prout etiam ex replica Status Catholici appareret) prætensas suas contradictiones contra nos, jusque nostrum etiam Diplomaticum obvertisset, obverteretque, ideò nullus optatus finis hujus Tractatus, nulla stabilitas aut securitas, verùm pretiosi temporis inanis jactura speranda foret.

Demùm quia natura Tractatus seu amicabilis compositionis secum ferret, quòd in similibus à summo jure recedi debeat, Jus autem nostrum esset Sacratissimum Vestræ Majestatis Sacratissimæ Diploma, à quo recedere & in aliquem præjudiciosum Tractatum Nosmet immittere non esset integrum.

Quare repræsentatis præmissis rationibus, quarum intuitu in aliquem Tractatum nosmet ut præmissum, immittere non possumus; Gravaminibus etiam Status Catholici & in favorem ejusdem adductis argumentis, jam pridem in prioribus Diætis sat luculenter dilutis, imò etiam Diplomaticè sublatis, ad Augustissimos Vestræ Majestatis Sacrat. pedes supplices provoluti, eandem denuò per viscera Misericordiæ Dei oramus, dignetur ex authoritate suâ Regiâ, in quam spem nostram post Deum unicè conjecimus, nostra Gravamina ad mentem Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ cum satisfactione injuriatorum benignissimè complanari, ac in præmissis contravenientibus punitis, nos in integrum restitui facere, inque firmam & stabilem securitatem stante adhuc præsenti Diæta benignè ac clementer collocare.

Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ clementiam æternâ fidelitate nostrâ pro felici & Augustissimo Vestræ Majestatis Sacratissimæ Imperio jugiter Deum exorantes, demereri contendemus, benignam præstolantes Resolutionem

Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles
Subditi.

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

Die 5. August. Laborant compilatores & alii in instructione formanda ad exules pro Ablegatis mittendis. Refertur ablegatio Evangelicorum, nimirum ut præmissum est Die 2. Augusti obtentâ solenni Audientiâ apud Sacratissimam

mam suam Majestatem, Egregio Domino Stephano Kecskes Senatore alias, nunc verò simul ordinario Liberæ Regiæque Civitatis St. Georgiensis Ablegato, per modum brevissimæ recapitulationis certi cujusdam Memorialis, eidem Sacratissimæ suæ Majestati in hac ipsa audientia humillimè porrecti, perorante, sua Sacratissima Majestas Clementissimè reposuit: Se propositionem fidelis Status sui Evangelici benignè intellexisse: Cæterum Tractationem illam pro facilitando solummodo negotio institutam fuisse, quæ quia non successit, suam Majestatem Memoriale Evangelicorum maturè ruminare, proque contento Evangelicorum laborare velle, Resolutionem verò ad Commissarios transmittendam; clementer autem confidere Comitia hæc felicem exitum habitura.

Eodem, Comes à Swarzenberg pro secundatione Instantiæ requisitus, Statum Evangelicum, quod potissimum ad Sacratissimam suam Majestatem confugerit, bene fecisse asserens, simul concordiam & Tractatum Ablegatis persuadere conatus est, cum nimirum utrinque: ILIACOS INTRA MUROS PECCETUR & EXTRA, nec duæ extremitates facilè uniri queant, concordiâ autem res parvæ crescant, neque præteriti eorum infeliciter initi Tractatus reminiscendum, quandoquidem non præteritis, sed præsentibus vivatur: Cæterum ubi res ad consilium pervenerit: se operam suam omninò navaturum.

Die 3. ejusdem Excellentissimus Comes à Kaplier præmissâ condecenti congratulatione de collato suæ Excellentiæ intimi Consiliariatus officio simili modo requisitus humanissimè respondit: Se summas agere gratias, quod Ablegati tum suam domum adire, tum verò ipsi dicto modo gratulari dignati fuerint: Se prouti hactenus ita imposterum quoque negotia eorundem pro virili promoturum, nec dubium esse, Statui Evangelico satisfactionem concessum iri: Suam etenim Sacratissimam Majestatem hesterno adhuc vespere, videlicet mox post habitam audientiam præsens negotium contulisse, adeundum tamen etiam Episcopum Viennensem, qui quamvis Episcopus, tamen partibus Evangelicorum optimè favere comperiatur.

Eodem Excellentissimus Aulæ Cancellarius Imperialis aditur, qui elegantissima oratione usus, sumpto exordio à dicto Salvatoris nostri: Omne Regnum in se divisum desolabitur, periculum patriæ, & bonum pacis declaravit, cum annexa adhortatione, quatenus pacis amantissimus Status, id quod verbis præ se fert etiam actu ipso præstare noverit, nec mordicitùs sensibus animi & opinionibus inhæreat; concedendum nimirum aliquid patriæ; habere eundem Imperatorem & Regem Patrem clementissimum, qui nihil non facturus sit, quæ ad reducendam tranquillitatem optatam Patriæ pacem proficua visa fuerint. Quantum ad se, pro viribus cooperaturum, & si quid boni conferre potuerit, Deo suo gratias acturum.

Hic ad Episcopum Viennensem itum, qui intellectâ instantiâ Ablegatorum prolixa oratione demonstrare nisus est, Evangelicum Statum nimiùm petere, debere autem propter bonum publicum & tranquillitatem Regni aliquid è petitis Evangelicorum remitti; quantum verò ad Diploma Regium, se optimè nosse temporum illorum Statum, quin præterea etiam ædificationi quorundam Templorum per Fiscum contradictum fuisse, suadere itaque & rogare, quo Ablegati sese sincerè & familiariter expectorent; se, licet pedibus ægrum, tamen suam Sacratissimam Majestatem nihilominus accessurum, negotiaque hæcce promoturum.

His & similibus persuasoriis usus, cum Ablegatos resolutioni constanter inhærere intelligeret, tandem in hæc verba prorupit: BASTA. Ex Physiognomia & serenitate vultuum Generosarum Dominationum vestr. serenitatem animorum eorundem perspicio, nullatenus dubitans easdem Dominationes Vestras apud suam Sacratissimam Majestatem similiter Serenitatem inventurus, sed nec ego ex parte negligam res istas secundum posse meum secundare.

Marchio Badensis Statum Evangelicum optimè fecisse quod recusato Tractatu ad suam Majestatem confugerit, se certum esse, eidem Statui pro necessitate sua satisfactionem impensum iri; si in ipso situm esset, totum negotium intra triduum complanari posse, suadere tamen ne plus æquo petant, orto enim bello, sive Cæsar sive Turca vicerit, res status utrinque pejus habituros, Transylvanum enim & complices attunc nihil valituros.

Die 6. Augusti. Circa horam primam pomeridianam Excellentissimus Comes Dominus Noszticz Commissarius denuntiat, ut ii, qui Neostadium exmissi erant horâ 3. compareant.

Comparent; quibus longâ serie recensuerat, quàm sit jam antecedenter insinuatus, per certos Deputandos tentandus ratione complanationis Religionis necessarius Tractatus, in quem Evangelici consentire nollent ob defectum instructionis, quæ non Tractatum, sed juxta Diploma per Sacratiss. suam Majestatem satisfactionem urgendum & postulandum præscriberet, subjunxerat Dominus Commissarius, debere sciri qui sint illi Principales eorum, an illi, qui eosdem ad Comitia Regni miserunt, vel ii qui de medio Ablegatorum Evangelicorum coram Dominis Commissariis comparent.

Si prius, scribantur literæ ad suos Principales, ut mittant literas facultatem tractandi attribuentes, quia negotium Religionis non dependeret ulterius à Clero, sed à suæ Sac. Majestatis authoritate, quæ in hoc passu Mediatorem sese præstabit, cui à Catholicis nihil præscribi multò minus imponi aliquid possit, quia omnibus partibus resoluta sit, pacem suis fidelibus reddere.

Tandem Evangelici destinant Ablegatos ad Dominos Commissarios cum hac denuntiatione: Ipsos exhibuisse Sacratissimæ suæ Majestati certum Memoriale, in quo per expressum annexæ haberentur rationes, cur Evangelici non possint sese ad aliquem Tractatum intromittere; sed & eosdem præstolari à sua Sacratissimâ Majestate.

Die 7. August. Refertur resolutio Dominorum Commissariorum ad propositionem Evangelicorum, qui sine dubio præsumpserunt eos Evan-

Evangelicos hic esse congregatos; ideo quæsitum qui sint Principales eorum? respondebatur esse in Comitatibus degentes Evangelicos, quos si requirere debeant Domini Ablegati præsertim moderno tumultuoso tempore, quippe cum nonnulli in Transylvania, alii in Polonia, & nescitur quibus in partibus delitescant, vix mentem ipsorum intra sex menses assequi potient.

His præsentatis dicebant Commissarii esse Evangelicis rem cum sua Sacratissimâ Majestate, cui nefas esset aliquid præscribere & imponere: Diploma recipere suam interpretationem, cui esset per Clerum contradictum.; Ad quæ Ablegati: Evangelicos, uti Fideles subditos, quidquam imponere nolle Sacratissimæ suæ Majestati, sed suppliciſsime succursum ad mentem Diplom. Sacri implorare: Deniq; tractatu Tyrnav. omnia impedimenta, & diversam interpretationē prouti & contradict. Cleri sublatā esse: respondebatur ex adverso, circa Templa debere considerari actum seu occupationem & ipsa Templa: Prius vi generalis Amnestiæ abolendum, Templa verò nonnulla restituenda.

Die 10. Augusti. Die Solis, vacatur sacris & Bacho. Eotum Evangelici mittunt Ablegatos ad Commissarios & Comitem Palatinum: Insinuando Statum Evangelicum ex Ablegatis suis Neostadio redeuntibus intellexisse à Ministris suæ Sacratissimæ Majestatis, Resolutionem ad memoriale Evangelicorum secundum esse relegatum & transmissum Dominis Commissariis, ideo postulare contentorum ejusdem communicationem.

Commissarii respondent, aliud Evangelicis non posse dari responsum, quàm ut suaviora media amplectantur, scribant ad Principales suos mittant Plenipotentiales ad Tractatum, quid amplius cupiant, si sua Majestas, tanquam inter Statū Evangelicum & Catholicum, Mediatorem ageret præstaret hic media placidiora, quam ab extraneis præstolari, uno verbo, nihil aliud ipsos posse dare responso. Comes Palatinus quoque respondit, ut tractetur, sperare se felicem eventum; etsi nonnulli ex Clericis spe sua in auro posita contrarii videantur, ad majorem partem inclinare in Tractatum; ideò faciant, neque spem totam in Diplomate defigant, illud enim pati explicationem, & esse commune cum Catholicis. Interea si non placeat, hac hebdomadā venturam Sacratissimam suam Majestatem, & tandem facturam officium.

Die 13. Augusti. Evangelicis per Generosum Dominum Joannem Serpilium intimatum. Comitem à Nosztiez expectare resolutionem Evangelicorum ad nuperam suam denuntiationem: Ideo mittuntur Ablegati & denunciatur, putasse Evangelicos tot vicibus datā Resolutione de nullo instituendo Tractatu, explicatis rationibus, in Memoriali, Sacratissimæ suæ Majestati transmisso, expressis, Excellentissimos Dominos Commissarios contentos fore; & hanc reiterationem, ne suis Excellentissimis Dominationibus molesti essent visam fuisse ipsis prætermittendam: Nihilominus cum & de præsenti circumscripti suis instructionibus, à quibus recedere non possent. Et consilium ut Principales suos ad consentiendum in tractatum disponant, moderna vicissitudo temporis impossibilitate circumscribat, ideò inhærendo prioribus, in Tractatum aliquem sese haud immittere, sed præcisè à paterno suæ Majestatis Sacratissimæ veluti Regis sui justi & pii præstolari ad mentem Sacratissimi Diplomatis satisfactionem.

Ad quæ brevibus responsum: Dominos Commissarios certò putasse, imo & expectasse resolutionem, ipsos contentos fore tractatu, in quo sua Majestas Mediatorem sese præbiturum offerret; sed quia hic modus satis commodè non placeret, sed fieret provocatio unicè ad Sacratissimæ suæ Majestatis authoritatem, ideò hanc resolutionem sese communicaturos Sacratissimæ suæ Majestati.

Die 18. August. Evangelicis nomine Residentis Hollandici, certæ Literæ obsigillatæ præsentantur, quas ii per Ablegatos Commissariis suæ Majestatis communicandas censuerunt; quod & factum est.

Commissarii collaudatā prudentia Evangelicorum, eas suæ Majestati præsentandas responderunt.

Copia Literarum Ablegati Statuum & Ordinum Confœderatæ Belgiæ Statui Evangelico Inclyti Regni Hungariæ occlusè missarum.

Illustrissimi, Spectabiles ac Magnifici, Generosi & Egregii, Prudentes item ac Circumspecti universi Inclyti Regni Hungariæ Status & Ordines Evangelici:

„QUantum intersit Reipublicæ Christianæ, „quantum Augustissimæ Domui, quantum „reliquis Regibus, ferè omnibus Principibus, „Statibus in Europa, quantum maximè Hungariæ Regno, Patriæ Vestræ Magnatibus, Ecclesiasticis, Comitatibus, Civitatibus, ac Regnicolis omnibus & singulis manifestius est, quàm „quòd demonstratione egeat, nihilque magis „quàm clara lux, face.

„Hoc itaque cum non ignorent prætitulatæ Dominationes Vestræ, nec non etiam quantum afflictiones & miseriæ Prædicantium Vestrorum, ac interruptus cursus liberi exercitii „Religionis Evangelicæ Dominis meis clementissimis, mihique eorum Ministro, cordi fuerint & sint, quantoque studio & zelo hac in parte à me laboratum sit apud Sacratissimam suam „Majestatem, Regem Vestrum Optimum Maximum, à cujus singulari bonitate, justitia & clementia impetratum fuit gratiosum illud Decretum, cujus vi & vigore plurimi afflicti & miseri „Prædicantes (quorum afflictiones & miseriæ vobis cordi erant, & quotidianas lacrymas, suspiria precesque ad Deum Omnipotentem & Mi-

„sericordem, & vestrum Christum JEsum extor-„quebant; & quorum absentia vos omnes, sic-„ut oves sine pastore inimicis vestris expositi, „oberrabatis) vinculis, carceribus, & triremi-„bus, contra omnium expectationem & fidem „liberati ac absoluti fuerunt, ac simul sæva per-„secutionis tempestas, ab isto tempore, minori „rabie sævijt, & hactenus quievit.

O utinam! ut Pacis restituendæ Prognosticon!

„Denique cùm eædem vestræ Dominatio-„nes probè sciant Dominos meos Clementissi-„mos, meque ex eorum mandato non derelin-„quere vestram causam; Sed eam Regum lon-„gè optimo, æquo, justo ac clementi studio eo-„dem ac zelo commendare, nec desituros, „usque dum vel minima spei supererit scintilla;

„Patiamini proinde, ut vos liberè alloquar „moneam, suadeam, atque æquo animo attendite „ad ea, quæ vobis, alloquendo vos, adhortando, „monendo, suadendo, ponderanda tamen à vobis „atque examinanda relinquo.

„Pax & quies in Regno Hungariæ, Do-„minis meis Clementissimis cordi est; sed simul „plena Templorum, bonorumque ablatorum „restitutio, Deum Testor! nolite itaque ægrè fer-„re, si sententias vestras aliquando incurram, vel „impingam.

In omnibus negotiis facillimè ad optatum „finem pervenitur, ubi illa absque odio, ira vel „alia aliqua passione, quæ judicium turbant, tra-„ctantur; Modestia, æquanimitas moderatio, „ubi in animo imperium obtinent, nullum tam „arduum, tam perplexum est negotium, quod „tractando, vertendo, explicando, resumendo, „relaxandoque non facile expediatur. DEUS „Optimus Maximus animo placidos, pacificos, „modestos, in charitatem, inque mitiora procli-„ves, juvat, amat, causasque illorum promovet, „vertitque sæpius contra spem metumque in me-„lius: hæ virtutes Christianum decent, maximè „cum Evangelii magnam faciunt partem Evan-„gelici.

„Seponant ergo injurias præfatæ Domi-„nationes vestræ, quas pertulerunt: Condonent „præterita, quæ reparari non possunt: remit-„tant offensas etiam cum tolerabili damno, pa-„cem, quantum in vobis est, charissimi Religio-„nis consortes, quærite cum omnibus Regni „membris: mitigate Gravamina vestra ex æquo, „ex bono, ex lege charitatis, ablegate rigorem „juris, qui cum æquitatis & charitatis ratione non „semper subsistit: Pacem, quietem & concordiã „ante omnia respicite, quærite, reducite: Pro-„pter vos ipsos, uxores, liberos, propter patriam, „concives, Regnicolas; propter laborantes Sta-„tus, Reges, Principes, fidei in orbe Christia-„no consortes; propter Dominos meos Cle-„mentissimos, vestros apud suam Majestatem sup-„plices intercessores, propter Augustissimam Do-„mum, quæ per tot annos multô sanguine, aurô, „argentoque Vos, & Christianismum contra „inimicos defendit; propter Regem vestrum „bonum, optimum, æquum, justum, clementem, „qui subditos suos, vosque omnes ut viscera sua „amat, qui pacem vobis dare, gratiam suam dis-„partiri, misericordiam etiam malemeritis elar-„giri desiderat.

„Hujus optimi Regis vota pro pace, quie-„te & securitate Regni juvate, promovete, hac „ratione fidem vestram quam semper habuistis „præ cæteris, & conservastis, constanter Domi-„no Vestro clementissimo contra aliorum frau-„des probate: hoc modo confundite inimicos „Vestros qui inscio Rege Hungariam intoleran-„da & non excusanda temeritate opprimendi ac „obruendi Evangelicam Religionem, ejusq; li-„berum exercitium turbarunt & turbant. Hu-„jus optimi Regis clementiæ confidite, ab hoc „omnia sperate potius, quam ut desperata pace „vestra culpa fiat; ut præsens Diæta vestro im-„pulsu abrumperetur: Hæc clementia vos ap-„pellat, vel ad se vocat, omnia promittit, hæc Di-„ætam convocavit, Palatinum dedit, plura da-„bit, omnesque non dubito cum gaudio domum „dimittet.

„Hæc considerate, ponderate, examinate, „placidè, modestè, moderatè, æquanimiter in „gratiam ejus, qui vos ut fratres in Christo JEsu „colit qui vobis bene & optimè vult, precatur-„que toto animo & corde, ut Deus Optimus Ma-„ximus in Christo JEsu, vobis Ecclesiæ suæ in „Hungaria membris benedicat omni benedictio-„ne in terris & in cœlis.

Dominorum Ordinum Generalium in fœderato Belgio ad suam Majestatem Cæsaream Ablegatus Extraordinarius.

Georgius Hamel C. Brunicx.

INTITULATIO.

Illustrissimis, Spectabilibus, Generosis & Egregregiis, Prudentibus ac circumspectis universis Inclyti Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus Evangelicis &c.

Die 20. Augusti. Dies festus Sanct. Stephani Regis: Evangelici circa horam 4. pomeridianam Tertium exhibent Memoriale. Habitâ itaque benigna apud Sacratissimam suam Majestatem audientia: Verba faciente Egregio Domino Torkos; altenominata sua Majestas clementer respondit ad hunc ferè modum: Instantiam fidelis Status Evangelici intellexi. Equidem ideo veni, ut Inclytum & afflictissimum hoc Regnum Hungariæ in pristinam securitatem & tranquillitatem collocari possit, nec dubito rem ad eum finem perventuram; confido autem Statum etiam Evangelicum collaboraturum, ut scopus hic attingi possit: Quantum ad Memoriale, perlegam, resolutionemque dabo, omninò facturus, quod justum & æquum erit: De reliquo Gratiâ meâ Cæsarea & Regiâ vobis bene propensus maneo.

COPIA.

Tertii Memorialis Sacratissimæ suæ Majestati per Statum Evangelicum porrecti.

Augustissime Imperator ac Rex, Domine Domine Nobis naturaliter Clementissime.

NOn amplius benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ aures, prolixâ rationum nostrarum prioribus nostris supplicibus libellis copiosè deductarum, repetitione onerare pergimus; pergimus tamen indesinenter clementiæ Cæsareæ & Regiæ pro exoptata resolutione humillimis precibus, ac demisse sollicitare Thronum, non obstinatæ alicujus pervicaciæ delectatione, prout ab aliis immerito arguimur, exstimulati verum imperterrita gratiæ Divinæ fiducia animati, quæ Majestati vestræ Sacratissimæ, Religione nostra in extremo jam constituta periculo supplicandi continuam nobis imponit necessitatem, atque nos nil nisi impetrandam redintegrationem cum restitutione prioris Status sperare jubet: Et merito quidem neque enim nos fideles Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditos quispiam perduellionis alicujus scelere jacturam fidei Regiæ fecisse, atque ex eo Diplomatis Regii incapaces esse bono jure asserere potest;

Quod quidem sanctum Diploma si nobis suffragatur, prout suffragatur, nos in tantis fluctibus, & proximo naufragio, huic tanquam Sacræ Anchoræ, & libertatis Religionis inexpugnabili propugnaculo immotè inhærentes, in justa causa, Regia benignitate unicè freti, felicem exitum nobis merito pollicemur.

Non adversatur Divinæ Majestati, dum pii, calamitatibus pressi, assidua precum effusione cœlum pulsant, opemque & liberationem indesinenter implorant.

Cum itaque Majestatem Vestram Sacratissimam visibilem quandam Majestatem Dei, qui dixit, vos Dii estis, in terris repræsentare manifestum sit; Nos quoque non curatis eatenus per alios positis diversis obstaculis, eorumque terroribus majores adhuc extremitates nobis minantibus, nullis artibus à constanti demissæ supplicationis obtinendæq; Diplomaticæ Justitiæ proposito nos dimoveri patiemur.

Apprehendemus adhuc, & pressis quasi manibus tenebimus indesinentibus supplicibus nostris precibus, lachrymis, obtestationibus Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ bigas, quibus virtute symboli sui tanquam sol noster vehitur, consilium videlicet & industriam, iisque tam diu inhæsuri, demisseque petituri, ut ea quæ tempore nobis elargiti Diplomatis, consilio pro securitate Religionis nostræ clementer impertita est, industria quoque & authoritate regia perficere dignetur, & regio suo jubare, discussis calamitatum nostrarum nebulis, Religioni nostræ cum satisfactione & complanatione Gravaminum nostrorum, securitatem, & taliter toti Regno desideratam serenitatem impetraverimus.

Nil nos inauditi, nil cum dignitate Regia pugnans petimus, inviolabili & præmissum, sanctitati, benignitati Diplomatis insistimus, quo nos Majestas Vestra Sacratissima gaudere & frui voluit, dum Evangelicorum quoq; voto legitimè electus & coronatus Rex noster salutatus fuisset: Imo nec privatum quidpiam, prout à contrariantibus nobis continuè objicitur, urgemus, sine quo enim publica tranquillitas & Regni quies persistere nequit, id pro privato haberi minimè potest

Quapropter, ut Majestas Vestra Sacratissima clementissimos in nos convertendo oculos, optata resolutione iteratis jam Memorialibus implorata, nos fideles subditos erigere dignetur, instantissimè supplicamus.

Qui Majestatis Vestræ Sacratissimæ Augustissimum & diuturnum, omnigena felicitate ad vota refertum precantes imperium, totos nosmet gratiæ & Clementiæ Cæsareæ & Regiæ devovemus, tanquam

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Die 21. Augusti. Obtenta audientia apud Celsissimum Principem à Schwarzenberg, Dominus Samuel Kaserius, succincta quidem, at eleganti satis oratiuncula desiderium Status Evangelici circa negotium Religionis exposuit, cum demissa instantia quatenus sua celsitudo pro gloriosa sua, humanæ necessitati, aut reali ope, aut salutari saltem consilio succurrendi promptitudine etiam præsentem Evangelicorum causam, medio efficacissimæ suæ apud altememoratam suam Majestatem fiendæ recommendationis, promovere ac secundare dignaretur: Ad quæ Princeps valde humaniter, extremitates omnino declinandas respondit, remittendum itaque aliquantum à rigore Instantiæ, præsertim cum nec Catholicis quærulandi argumenta desint; Hic antelatus Dominus Kaserius, modestissimè rei statum repræsentans, excepit: Si quæ Catholicis injuriæ essent illatæ, vindicandas, sed Evangelicorum petita negligenda:

Porrò, quantum ad statum Templorum repetitionem illorum aut justam, aut iniquam esse: Non posterius, quis enim sanctissima sillas animas, Gloriosissimos utpote olim Imperatores Matthiam II. Ferdinandum II. Ferdinandum III. & modernam suam Majestatem in suis sacris Diplomatibus injustè egisse dicere ausit? Si ergò prius; ablata absque exceptione restituenda:

Replicat Princeps; habere Catholicos quod huic objectioni opponant: Cui Dominus Kaserius Tyrnaviensem Tractatum Anni 1646. & interpretationem Augustissimi eorum Matthiæ II. prouti quoque acta Anni 1647. & obvertens, firmitatem causæ Evangelicorum solidissimè remonstravit, annexo etiam hoc, nec omnes Catholicos recessum à Diplomate boni versuros:

Hic Princeps subsistens, patriæ solummodo tranquillitatem commendavit, ad eamq; promovendam Status Evangelicos adhortatus, conclusione ex Marone: *Sat prata bibere, claudite jam rivos*: addita, Ablegatos, quos omnes ex adverso considere jussit, benignè dimisit.

Eodem die similiter Reverendissimo Episcopo Viennensi Negotium Religionis Evangelicæ per Status Evangelicos omni meliori modo recommendatur: Qui prolixiori sermone Ablegatos excipiens, denuò amicabilem compositionem suasit: quam cum Ablegati impossibilem dicerent, reposuit: Templa trium esse generum: quædam enim per Catholicos, quædam verò per Evangelicos in propriis eorundem fundis ædificata; & hæc iterum vel contradictionibus involuta, vel minus involuta esse:

De Templis ultimi generis nullam; reliquorum, utpote priorum ordinum difficultates dari; quamvis ad istam objectionem (inquit Episcopus) Evangelicis quod respondeant, non desit: Dum verò Generosus Dominus Georgius Gerhardus, è numero videlicet Ablegatorum præcipuus, Diploma Regium, virtute cujus nimirùm, ulterior Templorum occupatio expressè prohibita esset, obtenderet, Episcopus Tractatus repudiationem cernens, negotium sibi curæ fore respondendo, Ablegatos humanissimè dimisit.

Die 22. Augusti. Excellentissimus Aulæ Cancellarius pro secundatione negotii Religionis Evangelicorum rogatus, instantiam hanc, dummodò mitiùs agatur, nec Sacratissima sua Majestas quasi cogi videatur, omninò promotum iri, neque se defuturum esse respondit.

Eodem. Status Evangelicus, certò intellexit Nuncium Apostolicum, tertium Evangelicorum Memoriale, ob modestiam & moderationem valde laudasse; hoc per expressum annexò melius esse aliquot Templa restituere, quam fors omnia amittere.

Eodem, Excellentissimus Aulæ Mareschallus Comes Albertus à Zintzendorff per Evangelicorum Ablegatos in cognita causa eorundem condecenter salutatus, admodum liberaliter respondit: Nimirum se Statum Evangelicum, super consolatione & satisfactione ipsis per Sacratissimam suam Majestatem benignè impertienda, bona fide assecurare, neque eosdem aliter nisi cum gaudio ad suos penates reversuros: Esse enim verbum Regium ad quod provocarent firmum & inviolabile, Sacr. suam Majestatem justam & clementem, nec Evangelicorum instantiam injustam, aut iniquam: Quantum ad suam personam, se omnino collaboraturum, ne Statum Evangelicum fiduciæ suæ pœniteat.

Die 23. Augusti. Præmissis confectis, Evangelici modestissimè hesternum Gravamen conditioni sextæ Diplomatis annexum recapitulant, querulando, non ad mentem compilatorum, sed durioribus verbis expressum esse, quo facto apparere, Dominos Catholicos nolle cooperari satisfactioni gravaminibus partis utriusque: quâ occasione eruperat quidem ex Capitularibus, posse ipsos, id est Catholicos expectare: Ex adverso verò Evangelicos manifestè coram Statibus & Ordinibus velle declarare, monitos vestigiis Anni 1659, usque dum satisfactio in Religione ipsis elargita fuerit, eosdem in exhibitione aliorum Gravaminum Regni consentire nolle.

Et hæc dum repræsentanda postulassent Dominis Magnatibus, ac Catholici renuissent, Magnificus Dominus Personalis officium in se assumpsit & Magnatibus repræsentavit: At horâ 12. elapsa per Dominos Magnates resolutio in proximum sessionis diem dilata est.

Die 24. Augusti. Celsissimi Marchio Badensis demissè salutatus; Evangelicos quod hactenus ad Diploma Regium provocarint, omninò benè fecisse ait, nimirum obstinatione Clericorum, ne unico quidem Templo cedere volentium ad id inductos: Jam autem visa Sacratissimæ suæ Majestatis Clementissimâ intentione, scilicet Evangelicis satisfactionem pro necessitate impensuræ, eidem Diplomati pertinaciter insistere velle speculationem (verba Marchionis erant) & phantasiam esse. Cæterum Clerum, qui Evangelicis hoc in passu parum faveat, superiorum authoritate absterritum realitatem ostendere non audere: Denique Evangelicos non debere commoveri comminationibus Cameræ præfecti, ejusdem enim unicum dictos Evangelicos à suâ spe dejiciendi scopum esse.

De reliquo suam operam & benevolentiam polliceri.

Die 25. Augusti. Comes Palatinus intellecta declaratione Evangelicorum, habita cum aliquibus conferentia ad conditionem 6. ut adscribantur sequentia jussit.

Cum tam Catholici quam Evangelici sua Gravamina Sacratissimæ suæ Majestati humillimè porrexissent; supplicant Status & Ordines Regni humillimè, quatenus sua Majestas Sacratissima idem negotium Religionis stante Diætâ clementissimè complanari facere dignetur: Sed Evangelici hac oppositione non erant contenti, maximè ex eo, dum Catholici veluti injurias inferentes, nulla Gravamina haberent.

Quare ne Sacratissima sua Majestas indignaretur Declarationi, visum est, ut certo Memoriali ostendatur, & exprimatur, quæ sint rationes prænotatæ Declarationis, & ut hoc Memoriale per Comitem Palatinum exhibeatur.

Et tum Personalis pro responso à Dominis Magnatibus ad propositionem Evangelicorum ante triduum insinuatam, vadit & refert hoc idem, quod superius expressum est, per Palatinum adinventum medium.

Denique suam Sacratissimam Majestatem per Palatinum assecurare Evangelicos, super satisfactione stante Diæta impendenda. Evangelici expressè instant, fiat initium complanationis hic & Posonij: Cæterum motiva dabantur, factum Anni 1647. ubi post Palatini electionem Negotium Religionis resumptum & in ordinem redactum est: Secundò Instructiones principalium, quæ innuerent ante omnes alios Tractatus negotium Religionis promovendum: Item jam etiam de præsenti nonnullorum audire minas, si etiam constitutionibus Regni restitutio præscriberetur Templorum, tamen se id non permissuros.

Die

Die 26. Augusti. Evangelici missis Ablegatis ad Dominum Personalem, per eosdem repræsentant, se juxta hesternam coram Regno factam intimationem in conscribendo certo Memoriali ad suam Majestatem Sacratissimam laboraturos, ideò demissè absentiam excusare. Qui brevibus respondit: Dummodò die hesternò tempore indictæ sessionis non fuisset ostensus publicus consensus, tum res non esset tantæ considerationis. Similiter mittuntur Ablegati ad Dominum Palatinum cum Memoriali ad Sacratissimam suam Majestatem directo: Interea Domini Catholici conveniunt capita & corda ob absentiam Evangelicorum moventes.

Copia Memorialis.

Inclyti Status Evangelici, quarti, Sacratissimæ suæ Majestati per Exellentissimum Comitem Palatinum exhibiti.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

„CUm in primordiis Compilationis publicorum Gravaminum sub his Regni Comitiis institutæ, etiam in negotio perturbatæ Religionis nostræ Evangelicæ emersorum, publico omnium Statuum & Ordinum nomine, Majestati Vestræ Sacratissimæ humiliter fieri postulatam repræsentationem obtinere non potuissemus: Tum ad partes relegatis deinceps nobis metipsis fuit necessum, eadem in generalibus duntaxat terminis pro tunc concinnata in demisso Memoriali cum profunda animorum nostrorum demissione Sacratissimæ Majestati Vestræ porrigere. Plurimis deinde interjectis septimanis, quamdiu videl. Status Catholicus prætensa sua Gravamina elaborarunt, in patienti silentio nosmet contineri, & præstolari jussi expectavimus, quid produxerint: ita secundo memoriali innnocentiam nostram adversus eorum objecta, nunquam contra nos humillimos Majestatis Vestræ Sacratissimæ fideles subditos comprobanda, coram Vestra Majestate Sacratissima genuinè deteximus; prægnantibus iis rationibus subnexis, ob quas in nullum cum eodem Statu Catholico habendum super eodem Religionis negotio Ttrctatum nosmet immittere potuerimus.

„Tertio Memoriali non nisi pro summè desideratâ benignissima resolutione Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomatica, post tanti temporis patientissimam, cum demissâ in paternam Vestræ Sacratissimæ Majestatis pientissimam Gratiam fixâ fiduciâ conjunctam præstolationem, impensiùs oravimus.

„Nec intereà otiosè hærentes, cum reliquis Statibus & Ordinibus in aliis publicis Diætalibus Negotiis unà operati sumus.

„Jam ad sextam Regii Diplomatis pertingentes, verum quidem est, Augustissime Imperator, ejus occasione non posse nos in cooperando ulterius progredi, quamdiu super complanatione Gravaminum nostrorum benignam & optatam Sacratissimæ Majestatis Vestræ resolutionem obtinere valeamus, declarare debuisse: Repræsentare volentes humillimè etiam Majestati Vestræ Sacratissimæ pietati, clementiæ & justitiæ ejusdem confisi, quod quia Religionis turbatæ Gravamina (quæ nobis longè onerosiora essent repartitionis & accisarum, aliisque impositis oneribus) non exactis, verùm durantibus ipsis Diætis, sint complananda: propterea priusquam præsens terminus Diætalis exactus foret, congruo imò legali hocce tempore, dum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Sacri Regii Diplomatis prænotata sexta conditio jam in ordine occurrisset, nos in ea urgenda singulariter constitutos esse, & realem ac effectivam complanationem sub isthoc termino Diætali, Regiæ Sacratissimæ Vestræ Majestatis Authoritate, Diplomaticè, post creatum Palatinum, more & consuetudine antehac practicatis, instituendam, clementerque effectuandam præstolari Nobis incumbit, etiam à Principalibus nostris ut isthoc exigamus mandatis. Nisi etenim benememorata, sæpiusque repetita Sacratissimæ Majestatis Vestræ authoritate, complanatio Gravaminum nostrorum initium immediatè sumendo, actualis & finalis effectuationis spem nobis clementer porrexerit; Solutis præsentibus Comitiis vix aliquam sperare licebit satisfactionem impendendam. Cujus rei monent nos infelicia exacta tempora, Annum 1649. subsecuta: Postquam turbatis denuo in negotio Religionis Regnicolis, nec processui articulari per Catholicos mille modis impedito ac turbato satisfieri potuit: nec assecurationes in Comitiis subsequentibus per Comitem Palatinum & præcipuos Sacratissimæ Majestatis Vestræ Ministros datæ, post ineffectuatæ manentes, quicquam turbatoribus obfuerint, quin majorem fiduciam manifestius & pertinacius persequendi Religionem Evangelicam, & ejus asseclas iisdem præbuisse expertum est, prædecessoribus nostris talibus assecurationibus & promissionibus ad alios Diætales Tractatus persuasis & inductis, Prout etiam sub his ipsis Comitiis jam sit ausum per aliquos dictum fuisse:

Etiamsi qualiscunque publica Constitutio Articularis de præsenti sancita fuerit, super occupatis reddendis, nequaquam sese eadem restituturos fore.

„Ne itaque spe frustraremur, quod nobis ad alios publicos Tractatus intentis, & per hoc præsenti justa ac debita occasione neglecta, ubi tempus Comitiorum effluxerit serò tunc advertisse pœniteat incomplanata mansisse Religionis nostræ Gravamina, & tandem sine Diplomaticæ satisfactionis impensione discedere cogamur, cum infausta nominum nostrorum etiam apud posteros memoria.

„Proinde ad augustissimos pedes Majestatis Vestræ Sacratissimæ supplices provoluti apud eandem Majestatem Vestram Sacratissimam profundissima animorum demissione præsentibus hoc modo declaratis porrò supplicamus:

„ Si quid aliud adversum Nos Majestati Ve-„stræ Sacratissimæ hoc in passu delatum fuerit, „idipsum apud se præponderari non sinat; Ve-„rum ex innata Cæsarea & Regia sua Clementia, „dignetur nos universos & singulos ejusmodi hu-„millimos & perpetuo fideles subditos suos beni-„gnissimè recognoscere, qui pacis anhelantes & „ejus studiosissimi, hoc ipso perturbatæ Religio-„nis complanationis, & desuper ante ulteriores „tractatus per Regiam authoritatem, impenden-„dendæ satisfactionis Diplomaticæ, efficaci & „principali medio desideramus pacem afflictæ „huic patriæ restitui.

„Pro quo, jam rerum serie ita exigente, „dum hac in parte agendum habemus, nec in „cæteris negotiis ex rationibus prædeclaratis col-„laborare possumus, nullam aliam Sacratissima „Majestas Vestra de nobis opinionem concipe-„re, nec aliorum insinuationem contrariam ad-„mittere, quin imò ad iteratas, & eas demissimas „præexhibitas suppplicationes nostras clemen-„tissimam desideratam resolutionem suam elar-„giri, ut illa ipsa diplomatica Resolutio Majesta-„tis Vestræ Regiâ ejusdemmet authoritate, quo „citius inchoari simulque effectuari posit, digne-„tur clementissimè.

„Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gra-„tiam & benignitatem, perpetuis iisque fidelibus „servitiis humiliter demereri adnitemur, & beni-„gnissimâ Resolutione præstolatâ, eidem Maje-„stati Vestræ Sacratissimæ vitam longævam cum „felicissimo & florenti imperio demississimè ap-„precamur.

Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Die 27. Augusti. Expediuntur Ablegati ad Ministros, ostendentes non leves Evangelicis esse causas, cur sepositâ sessione negotium Religionis urgere satagant, habentes enim retroactis Diætis plurimas Palatini & Ministrorum de complanatione Assecuratorias, tamen ad finem nihil factum, sed re infectâ recessum: Denique jam citra hoc multi audent dicere, etiamsi nesciatur quales Articuli conderentur, tamen Templa se minimè restituturos. Ideò nisi stante Diætâ satisfactio cum effectuatione eo facta instituenda fuerit impensa, actum erit. Memoriale quoque per Evangelicos ex rationibus præmissis ad suam Majestatem Sacratissimam per Dominum Palatinum missum est.

Ministri re intellecta variè judicant, aliqui laudant, aliqui culpant: Episcopus verò Viennensis offert in negotio hocce mediationem; Etsi diffidunt Evangelici stante Diæta, complanationem futuram, seque speciales Assecuratorias à Sacratissima sua Majestate obtenturos.

Circa horam pomeridianam tertiam, Evangelici per Dominum Personalem ad hospitium vocantur: Quibus prolixiori sermone prima illa renitentia suaviter excutitur.

Deinde nomine suæ Majestatis assecuratio proponitur, in qua ipso actu laboratur, eamque intra duos aut tres dies prodituram à Sacratissima sua Majestate, sint itaque certi & compareant.

Die 28. Augusti. Evangelici medio Ablegatorum Domino Personali resolvunt se comparituros, & præcisè illa tantummodo quæ ante sextam conditionem Dominis Magnatibus præsentata sunt, calculaturos. Hoc idem Domino Palatino intimatum & unà supplicatum, ut sua Excellentia ceu Mediator Resolutionem à sua Majestate ad exhibitum Memoriale obtineat.

Die 29. Augusti. In continuatione perlectionis jam evolutorum per Magnates Gravaminum in publica sessione pergitur. Eotum per certos Ablegatos de medio Magnatum exmissos, mittitur certum Sacratissimæ suæ Majestatis in facto negotii Religionis Evangelicæ *Decretum seu assecuratoria suæ Majestatis, velle stante Diætâ negotium Religionis complanare.* Cujus tenor talis est.

Reverendissimis, Reverendis. &c.

„Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis „Domini Domini Nostri Clementissimi no-„mine, Reverendissimis, Reverendis, Honora-„bilibus, spectabilibus, ac Magnificis, Egregiis „& Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circum-„spectis, universis Regni Hungariæ & partium „eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, ad „modernam Generalem ejusdem Regni Diætam „convocatis & præsentibus, hisce singulariter si-„gnificandum.

„Supposuisse Eandem suam Majestatem „Sacratissimam, sibique omnino persuasisse com-„pilationem Gravaminum Regni jam esse abso-„lutam, atque ideo ex paterno desiderio ea com-„planandi ante octiduum adhuc Neostadio re-„diisse. Interim dum præsentationem obla-„tionemque indies benignè præstolaretur, „improviso accipit porrectum sibi per addictos „Augus. & Helveticæ Confessioni Regnicolas „supplicem libellum, in quo se in reliquorum ne-„gotiorum publicorum & Gravaminum compila-„tione, & ulteriori cooperatione, eousque pro-„gredi nolle declararent, quousque super com-„planatione Gravaminum in pt. Religionis beni-„gnam & optatam Resolutionem non obtinue-„rint. Insuetatus iste petitionis promovendæ mo-„dus altememoratæ suæ Majestati Sacratissimæ „meritò displicuit, tanquam Regiæ dignitati, Re-„gniq; universi utilitati minime conveniens; quan-„doquidem in præsentissima ejusdem necessitate per omissionem Consultationum publicarum, ad-„eoque in apertam perniciem Regni nonnulli in-„stitutum suum petitum illicita via efficere, & „transgresso propositionis ordine, novum in tra-„ctandis negotiis publ. sibi assumere nituntur, & „quidem ipso tempore, quo eadem sua Majestas „Sacr. paterna ac matura deliberatione secum re-„putat, qualiter isthæc gravissima Religionis con-

controversia, cujus determinatio ad ejusdem
„arbitrium remissa fuit, placidâ & suavi methodô sopiri atque complanari posset. Paterna etenim ejusdem Sacratissimæ Suæ Majestatis intentio semper fuit, ac etiam nunc est, stante adhuc hac Diætâ præfata Religionis Gravamina in compositionem assumendi, & neutiquam eam ad aliud tempus vel locum remittendi.

„ Hac igitur benignâ pollicitatione securos admonet, & hortatur clementer eadem Sua Majestas Sacratissima, tam supplices Augustanæ & Helveticæ confessioni addictos, quàm reliquos Catholicos Ordines, ut citra ullam moram omissas publicas consultationes denuò aggrediantur, easque indesinenter debitâ cum assiduitate & diligentia prosequantur. Visuri vicissim brevi actualem inchoationem examinandorum Religionis Gravaminum institui, & ad finem usque summa cum applicatione continuari.

„ De cætero eadem Sua Majestas Sacratissima Cæsarea & Regia Sua Gratia ac Clementia, universis Statibus & Ordinibus benignè jugiterque propensa permanet.

Sempronii Die 28. Mens. August. Anno Domini 1681.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Joannes Maholany.

Die 30. Augusti. Status Evangelicus acceptô & benè ruminato præmisso Sacratissimæ Suæ Majestatis Decreto assecuratorio, postquam animadvertisset ibidem haud pauca toti Statui Evangelico valdè præjudicantia reperiri, certos è medio sui ablegatos, tum ad Dominum Comitem Palatinum, & Dominum Personalem tum verò alios altememoratæ Suæ Majestatis Ministros mittendos decernit, qui considerationes circa antelatum Decretum exponendo, cur sibi per idem minùs satisfactum esset, demonstrarent: Nimirùm ex terminis ejusdem Decreti duriusculis patere Evangelicum Statum ad Suam Majestatem Sacratissimam graviter delatum esse, quam delationem dum evitare student per humillimum suum Memoriale rationesque in eodem contentas, ob quas scilicet in ulteriores tractatus sese immittere nequeant, verùm a benigna optata Diplomaticaque autoritatis Regiæ Gravaminum suorum eidem Majestati Sacratissimæ humillimè exhibitorum, complanatione & satisfactione præstolari necessitarentur, easdem omninò rationes pro insinuato agendi modo, perniciem Regno huic ominanti haberi, & publicè Decretalis tenoris serie Statum Evangelicum hujusmodi perniciosorum actuum & tractatuum reos argui.

Quo ex respectu innocentiam suam declaraturi, resolutionemque Suæ Majestatis Sacratissimæ acceleraturi, assecurationesque occasione extradandæ resolutionis Cæsareæ & Regiæ, complanationisque Gravaminum Evangelicorum in memoriam revocaturi, præmemoratam legationem ad Dominum Comitem Palatinum &c. solenniter expediunt.

Quibus sic ordinatis, legitur conceptus responsorius ad Excellentissimum Dominum Præpotentum Fœderati Belgii Generalium Ordinum ablegatum extraordinarium, tenore tali.

Excellentissime Domine, nobis Observandissime, Colendissime.

„ Acceptatis, eo quo decuit honore, nuper literis Vestræ Excellentiæ ad nos directis, tum commendato in iis benigno affectu Dominorum Principalium suorum, Præpotentum in fœderato Belgio Generalium Ordinum, benevoloque ejusdemmet Vestræ Excellentiæ favore causam nostram coram Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestate Domino Domino nostro Clementissimo promovendi, tum etiam zelosam adhortationem ad injurias seponendas, præterita condonanda, pacem quærendam, gravamina mitiganda, quietemque & concordiam respiciendam & reducendam, aliaque ibidem fusiùs expressa ex iisdem uberiùs intelleximus.

„ Quod Præpotentum Generalium Ordinum fœderati Belgii in calamitate miserorum Ecclesiarum nostrarum Ministrorum, ac scholarum Rectorum Christianam compassionem ac eliberationem à triremibus attinet, pro eadem apud Sacratissimam Suam Majestatem Dominum Dominum nostrum Clementissimum efficaci interpositione demissas agimus gratias, perpetuæ gratæ mentis recordatione ad posteros quoque transmissuri.

„ Cæterùm Excellentissime Domine summas, summeque injuriosas, quas evolutis temporibus passi fuimus, partimurque adhuc, innocentissimæ nostræ Religionis Evangelicæ turbationes, & eatenùs complurium turbatorum sibi arrogatam & hucusque continuatam universalem ferè miseros Evangelicos in hac patria persequendi licentiam, quâ videlicet mediante, paucissimis exceptis, omnia templa, Parochiæ, Gymnasia, scholæ, Xenodochia, proventusque eo pertinentes (in quorum pacifico usu ab ipsis institutæ Reformationis Evangelicæ temporibus, dum Prædecessores nostri tam seculares quàm plures etiam Ecclesiasticæ Personæ, per prædicationem Verbi Divini Religionem Evangelicam, spontè & liberè amplexi fuissent, ac templa & reliqua enumerata præ manibus ipsorum, tanquam legitimorum possessorum & hæredum remansissent, consequenterque legaliter & Diplomaticè numero nos potiores Evangelici incolæ hujus Regni perstiteramus) viâ facti occupata sunt, nonnullis ejusmodi occupatorum templorum funditus eversis, ac eorum materialibus in stabula & profanos usus conversis; quaque mediante Ministri Evangelici & Scholarum Rectores sub variis prætextibus omnibus facultatibus emuncti, è parochiis pulsi, capti, ac plurima cruciatuum genera subire coacti: Nobiles item ad incompetens fo-

rum citati, arrestati, bonis privati, miseraque
„ plebs variis damnificationibus & miseriis afflicta & oppressa est: Hujusmodi injurias cæteraque adversus Evangelicam Religionem nostram, & ejus in hoc Regno asseclas commissa contra tenorem Sacrorum Regiorum Diplomatum, contraque publicas iteratas Regni constitutiones, ac desuper initas pacificationes audacissimè patrata, Suæ Sacratissimæ Majestati ceu Domino & legitimo Regi nostro in præexhibitis Memorialibus nostris, uberiùs quidem, sed tantum generaliter, maximâ animorum nostrorum demissione, uti jam præsentavimus, atque justam hanc publicam, publicarum injuriarum & oppressionum nostrarum causam, coram Sua Majestate Sacratissima, tanquam supremo in terris orbis Christiani justitiatio, nostroq; Clementissimo Rege ac æquissimo judice humillimè exposuimus, secundùm prælibati benigni sui Diplomatis continentias complanandam & determinandam; sic nequaquam volumus, nec unquam in animum induximus, hæc ipsa Religionis nostræ, ejusque Consortibus illata adversa per nos ipsos, aut quoscunque alios aliter ulcisci:

„ Verùm ad Augustissimos Suæ Majestatis Sacratissimæ pedes supplices nos devolvendo, & eandem per viscera misericordiæ Divinæ demissè orando, quatenus ex autoritate Regiâ, in quam spem nostram totam unicè post DEUM conjecimus, illamque pro inexpugnabili refugii nostri asylo habemus, Gravamina nostra prævio modo cum satisfactione injuriatorum benignissimè complanari, ac contravenientibus punitis, nos in integrum restitui facere, atque in firmam & stabilem securitatem, stante adhuc præsenti Diætâ collocare dignetur.

„ Atque ista via recta per toties memorata Diplomata Regia, veluti fundamentales Regni hujus leges nobis præmonstratâ, quærimus omninò Excellentissime Domine pacem, desideramusq; quietem reduci, & communem concordiam; nobis siquidem nihil unquam desiderabilius est & fuit, quam habere, & posse semper colere pacem in afflictissimâ, totque adversitatibus vexatâ, & jam in extremo ferè discrimine fluctuante hac patriâ.

At hac autem via ad alium quempiam tractatum, cum parte à qua taliter offensi sumus, in eundem deflectere, videtur nobis nec tutum, nec conducibile, nec demum stabile, prouti id nobis experientia manifestum reddidit: namque deflexione tali ab hac Regiâ viâ, non possumus infelici quorundam Prædecessorum nostrorum exemplo edocti (quod ipsum nunc nos terret maximopere) aliquam nobis polliceri spei nostræ adimpletionem: Cum etiam in publicis Regni Comitiis Anni 1647. vigore sacri Diplomatis Regii 400. plus minùs templa Evangelicis in hoc Regno fuissent restituenda; ejus temporis Prædecessores nostri ad similem tractatum condescendendo, dum postea serò advertentes eatenus inconsideratè se fecisse, abindeque resilire voluissent, recedere non permissi, verùm eò res devenit, ut ex occupatis tot templis Evangelicorum, 90. solum sint restitui promissa, nec ea tunc statim restituta & assignata; imò jam nunc etiam eadem cum aliis fermè omnibus ab Evangelicis rursum reoccupata existunt.

„ Vult præterea contradictione sua obviare Clerus, quominùs talis accordæ tractatus nobiscum institui queat, qui citius etiam suam contradictionem admaturavit, quàm nobis Evangelicis tractandum esse intimatum fuisset. Et sicut idem ab initio semper prætensas suas contradictiones, contra nos, jusque etiam nostrum Diplomaticum obvertit, ita & nunc obverteret: Ac proinde noster cum offensoribus nostris eo modo ineundus tractatus, conclusorumque & accordatorum stabilitas & securitas nequaquam speranda foret.

Præmissas rationes præponderat etiam id, quod quia secum ferret amicabilis compositionis natura, debere in similibus tractatibus à summo jure recedere, nostrum verò jus sint ipsa toties memorata sacra Diplomata Sacratissimorum olim Principum & Regum, modernique pientissimi Regis, ac Dominorum nostrorum Regia, absit à nobis ab his vel latum unguem recedere, & per præjudiciosum aliquem tractatum iisdem quicquam cum summâ conscientiarum nostrarum læsione detrahere, cum perpetuâ nominum nostrorum, ob rem non dexterè gestam, infamiâ, successorumque nostrorum prostitutæ libertatis maculâ.

Habentes itaque etiam coram Tribunali Divino per nos in futuro seculo reddendarum rationum curam, præmissæ justæ, directæ & legitimæ semitæ, velimus nolimus, est nobis insistendum necessariò: In qua nullius penitus pervicaciæ delectatione extimulati; Sed imperterritâ gratiæ Regiæ fiduciâ animati procedentes, cum profunda demissione pulsamus fores Regiæ Clementiæ, nec à constanti demissæ supplicationis, & per eam obtinendæ justitiæ Diplomaticæ proposito nos dimoveri patiemur.

Justum Excellentissime Domine & licitum per leges petimus, petimusque justè & sine injuria; petimus autem à justissimo Orbis Christiani justarum causarum judice: petimus uti pacis assequendæ cupidissimi; petimus bonum, publicæ tranquillitati & totius Regni quieti deserviens, & confidimus justissimum eum Judicem, circa postulata nostra ad intimationem olim Gloriosissimorum Matthiæ II. Augustissimorum, Avi & dulcissimi Progenitoris Suæ Majestatis Sacratissimæ, hanc eandem justitiam nobis injuriatis Clementissimè elargiturum & administraturum.

„ Quoad offensiones personales nobis multifariè illatas, ab Excellentiâ Vestrâ, aut aliis quibuscunque cordatis Magnis Viris, nolumus tales reputari, qui non facilè

facilè condonare cuperemus easdem, nec unquam hactenus perpessarum injuriarum, tam memores fuissemus, quin charitate quoscunq; superare niteremur, dummodo nobis & nostratibus templa, Parochiæ, Scholæ, Gymnasia, Xenodochia, cæteraque occupata & erepta, quæ ex toties allegatis principiis occupare minimè ulterius licuit, restituantur, Ministri confessionis nostræ, ad priora Parochiarum, Scholarum & Gymnasiorum loca, abolitis hinc inde extortis ab iisdem præjudiciosis Reversalibus, admittantur; verbo, in eum liberi exercitii Religionis nostræ statum, quo antecedentibus, & notanter ipso Anno 1647. constituti fuissemus, asseramur articulis etiam ejusdem anni hoc in passu firmati.

Quâ justâ & constanti nostrâ petitione Divinam humanamque Majestates nequaquam offendimus, cum Majestaticæ ipsorum autoritati nihil quippe, & ne in minimo quidem derogatorium, cum omni animorum nostrorum subjectione simpliciter expetamus, nec in charitatem erga proximum quidquam delinquamus, nostra, non aliena repetentes, nec alienationi animorum & dissensioni obnoxia, imò ad unionem & fraternam dilectionem coalescendam deservientia effectuari desideramus, modestè ac placidè agentes, ac quo demissius & suavius fieri potest, justam nostram instantiam coram Cæsareâ Regiaque Majestate, coram Excellentissimis Dominis Aulæ Cæsareæ Ministris, coram summis hujus Regni columnis, tanquam oculis orbis Christiani, cæterisque Dominis Statibus & Ordinibus, fratribus, proximis & commembris nostris, hicce constitutis, attendentes, hoc & non aliud esse officii etiam & fidelitatis nostræ, qua erga Suam Majestatem Sacratissimam, uti Dominum & Regem nostrum, nosmet in perpetuum devovimus.

Et hæc sunt quæ Excellentiæ Vestræ condecenti honore, ac debita officiorum nostrorum commendatione rescribenda habuimus, permansuri semper

Ejusdem Excellentiæ
Vestræ

Amici & Servitores paratissimi

Statuum & Ordinum Incliti Regni Hungariæ Evangelicorum ad præsentem Diætam Ablegati Nuncii.

Die 2. Septembr. Status iterùm hora 2. in Domo Regnicolarum convenerunt, ut intelligant, quænam Domini Protonotarii interim ex Gravaminibus compendiarint: Dominus Protonotarius talia incepit prælegere:

1. De Palatinatu erga Suam Majestatem Sacratissimam gratiarum actione præmissa, Palatini authoritatis conservatio urgetur.
2. De pace cum Turcis per extraneos sine Consilio Hungarico inita; incommoda hinc subsecuta repræsentantur.
3. De confiniorum provisione prospiciendum, & Capitaneorum excessibus compescendis, deque ablatis tormentis, eorumque restitutione.
4. Repræsentata onera contributionum.
5. Officia extraneorum quàm sint nociva, remonstratur, ideò extranei removeantur.
6. Militis extranei insolentia deducitur, ideò partim educi, partim cum Suæ Majestatis conclusione in confinia quomodo collocandus.
7. Incompetentia judicia perstringuntur, & 5. Conditio Diplomatis observanda statuitur.
8. Negotii Religionis utrinque fienda complanatio urgetur, & quidem Diplomaticè.
9. Exulibus Amnestia, qui verò sub eorum specie Nobilitatem & miseros colonos oppresserunt, illis suffragari nequeat.
10. Administratio justitiæ statuitur, & mandata illegitima prohibentur.
11. Camerarum excessus enumerantur.
12. Comitia intra annum Posonii celebrentur.

Die 3. & 4. Septembris. Circa excerpenda Gravamina & in ordinem redigenda laborabatur.

Die 3. Septembris. Status Evangelicus, denuò Sacratissimæ Suæ Majestatis Ministros cogniti Religionis negotii promovendi ergò adeundos decrevit.

Die 4. Septembris. Sequentes ablegationum relationes factæ, nimirùm Generosum Dominum Georgium Gerhard, Excellentissimum Aulæ Cancellarium accedendo, Suæ Excellentiæ negotium Religionis omni meliori modo recommendasse; nec minus Suam Excellentiam promotionem pro possibilitate promisisse, annectendo, causam jam in Aula discuti, dubio procul resolutione juxta circumstantiam temporis brevi secuturâ: Adeundum tamen inprimis Episcopum Viennensem, quem hoc in casu pro virili desudare certum sit. Similiter Generosus Dominus Stephanus Szirmay ad Celsissimum Marchionem Badensem accersitus, reposuit, se cum aliis sibi adjunctis Celsitudinem Suam, citra hoc, Religionis recommendandæ ergò accedere voluisse: Marchio tam Sacratissimam Suam Majestatem, quàm Aulam circa præmissa diligenter laborare asserens, operam suam liberaliter pollicetur.

Die 5. Septembris. In solito congregationis Evangelicæ loco relationes factæ, hesterna luce per Generosos Dominum Stephanum Szirmay ad Celsissimum Episcopum Viennensem, & Dominum Georgium Gerhardum ad Principem à Schvvarczenberg peractarum ablegationum: Et quidem quantum ad primam, tactum Dominum Szirmay (virum verè ad publicum afflictissimæ hujus Patriæ bonum natum) memorato Episcopo negotium Religionis diligenter recommendasse, recepto responso tali: Se, utpote Episcopum Viennensem nihil magis in

in votis habuisse, habereque de præsenti, quam emolumentum Patriæ, & ut Religionis dissidium jam tandem placidari possit; Hactenus tamen circa generaliora solùm versato, specialiora seposita; quin nec de modalitate, aut restitutionum locis quidquam discursum fuisse: Hic, cum Dominus Szirmay valdè nervose disserens, jus Evangelicorum deduxisset, annectendo impossibilitatem recessus à Regio Diplomate: Episcopus conclusit se apud Sacratissimam Suam Majestatem velle Oratorem Evangelicorum agere; num autem resolutionem pro voto eorundem assecuturus sit, ipsos certos reddere non posse. Principis à Schvvarczenberg eadem cum prioribus hac in parte Evangelicis datis resolutionibus responsio erat, scilicet extremitates declinandas, se tamen Statui Evangelico minimè defuturum.

Excellentissimus Aulæ Mareschallus Comes Albertus à Sinczendorff, ad secundationem toties dicti negotii Religionis per certos ablegatos requisitus, prolixè & valde humaniter respondit, neque ut aliis Ministris hactenus moris erat, Diploma Suæ Majestatis Regium disputabat, sed simpliciter operam suam pollicitus, ablegatos gratiosè dimisit. In sessione verò Regnicolarum excerpta Gravamina publicè leguntur, mutanda mutantur, addendaque adduntur.

Negotium Religionis in ordine, sexto puncto insertum duabus vel tribus Lineolis, cum relegatione ad exhibita Suæ Majestati Sacratissimæ, tam per Evangelicos quàm Catholicos humillima memorialia.

Die 8. Septembris. Evangelici negotiis suis intenti, præhabitâ maturâ deliberatione exhibent horâ 4. pomeridianâ sequens *Memoriale*, ad Augustissimum Imperatorem, Regem & Dominum nostrum Clementissimum. Cujus tenor talis est.

Augustissime Imperator, Rex & Domine Domine nobis Clementissime.

Dum nos post exhibita humillima nostra Memorialia, ratione turbationis Religionis Evangelicæ gravamina & querelas repræsentantia, à Majestate Vestra Sacratissima Clementissimam resolutionem patienti animo de die in dies præstolaremur, animati etiam benigno Vestræ Majestatis Sacratissimæ responso, in ultima, ablegatis Status Evangelici impertita audientiâ oretenus dato, quod videlicet eo fine Majestas Vestra Sacratissima Neostadio huc redire dignata sit, ut quantocyùs etiam negotium Religionis accommodetur: heri sicut & hodie non sine conturbatione animorum intelleximus Sacratissimam Majestatem Vestram crastinâ die discessum hinc meditari, ac per aliquot dierum intervallum abfuturam; Unde afflictissimæ Religionis nostræ calamitas, & in paterno Majestatis Vestræ Sacratissimæ erga nos fideles suos subditos affectu locata fiducia hanc nobis imposuit necessitatem, ut demissô hoc Memoriali Sacratissimæ Majestatis Vestræ Clementiam pro optata Diplomaticâ resolutione denuò implorare non vereamur.

Quare habita reflexione ad præmissas iteratas & demissas nostras supplicationes rationesque in iis copiosius adductas, iterum ad pedes Majestatis Vestræ Sacratissimæ provoluti, per viscera misericordiæ Divinæ profunda cum submissione Majestati Vestræ Sacratissimæ exoratum venimus, dignetur ante discessum suum (quem Dominus DEUS omni prosperitate beare, ac cuncta, quibus humana sors obnoxia, pericula avertere velit) nos plane depressos, per optatam, ac tot Memorialibus humillimè expetitam resolutionem, Regiâ autoritate erigere, quo & nos partim hic præsentes Majestatem Vestram Sacratissimam reducem, & ex omni parte salvam & incolumem tripudiantibus animis excipere valeamus, partim vero domi constituti Principales nostri, lætissimo accepto nuncio, sua tantum non desperationi proxima suspiria, in mille votis expetita gaudia convertere, ac imperturbatâ mente ardentibus precibus pro Majestatis Vestræ Sacratissimæ ac totius Augustissimæ Domus perennante felicitate, prosperrimoque regimine cœlum pulsare queant.

Quam impetratam Gratiam Cæsaream & Regiam perpetuis fidelitatis studiis demereri omnibus viribus conabimur permansuri semper

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi ac perpetuo fideles subditi,

Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Evangelici.

Sequens Sacratissimæ Suæ Majestatis Cæsareæ ac Regiæ, Inclytis Regni Hungariæ *Statibus & Ordinibus benignum exhibitum est* Decretum Intimatorium.

Reverendissimis, Reverendis &c.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus item & Magnificis, nec non Egregiis ac Nobilibus, prudentibusque & circumspectis, universis Regni Hungariæ & partium ei annexarum Statibus ac Ordinibus, ad modernam Generalem Diætam convocatis, & hic Soproni præsentibus, hisce quam officiosissimè significandum.

Percepisse benignissimè eandem Suam Majestatem Sacratissimam Gravamina ipsorum Statuum & Ordinum, medio eorundem Deputatorum demissè præsentata. Quia vero ante præviam dictorum Gravaminum præsentationem: Eberstorffium mutandæ auræ gratia destinatum iter continuandum jam resolverat, ideo illud suscepit quidem, verùm reditum suum exinde ita admaturandum statuit, ut ad diem 17. Mensis modo currentis, DEO auxiliante hic iterum adesse possit; Interim autem reliquit hic præcipuos Augustissimæ Aulæ suæ Ministros, quibus de more consueto prædictis gravaminibus distributis, simul

simul etiam clementissimè demandavit, ut in revisione eorundem Gravaminum sedulò & accuratè laborare studeant; Quatenus eadem quoq; Sua Majestas Sacratissima, in reditu suo felici, circa eadem Gravamina, pro paterno suo erga Inclytos Status & Ordines affectu se resolvere valeat: Quod ipsum iisdem fidelibus suis Statibus & Ordinibus pro eorundem notitia & assecuratione eadem Sua Majestas Sacratissima clementissimè intimandum esse duxit. De reliquo eadem Gratia & Clementia Sua Cæsareâ atque Regiâ iisdem fidelibus suis Statibus ac Ordinibus benignè propensa permanet.

Sopronii Die 8. Mens. Septembr. Anno Domini 1681.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Joannes Maholany.

Inter præexhibita Sacratissimæ Majestati Gravaminum puncta, sextum ad negotium religionis pertinens, ita se habebat:

Sexto. Negotium Religionis stante adhuc præsenti Diata per Suam Majestatem Sacratissimam benigne complanandam censent: siquidem uterque tam Catholicus quam Evangelicus Status se eatenus ad benignam Diplomaticam S. M. S. resolutionem provocassent. &c.

Diebus 10. 11. 12. & 13. Evangelici Status post præsentationem Gravaminum, conveniunt, legationibus mediantibus Serenissimum Marchionem Badensem, Celsissimos ac Reverendissimum Emericum Episcopum Viennensem, Comites à Noszticz, Schvvarczenberg, Zinczendorff, Comitem Palatinum, Dominum Personalem, & informant de Rebus & negotio læsæ libertatis, Religionis, illatis injuriis, sollicitantque pro secundatione humillimæ instantiæ suæ, & obtinenda Diplomatica turbatæ ejusdem Religionis complanatione. Hi ferè omnes per longum & latum declarant, præsentiam suam eâ vel maximè de causâ huc concessisse Suam Majestatem, ut post Regnum totidem injuriis, bellorum vicissitudinibus, & aliis mille malis fatigatum, desideratam jam tandem experiri possit quietem & tranquillitatem, ex eoque non debere habere Statum Evangelicum aliquam diffidentiam, quasi incomplanatè respectu instantiæ suæ deberent discedere: quia nihilominus Sua Majestas Sacratissima & iidem Ministri pro comperto haberent, mutuam concordiam non secus posse radices facere, quam si tales discordiæ & controversiæ per amicabilem sopiantur compositionem. Ideo tractandum venire hac in re, & sequendam Methodum Anni 1647. Hæc & alia plurima proferebant. Sed ad hæc cum modestia responsum: Methodum Anni 1647. Evangelicis suasam, veluti iisdem præjudiciosam & injuriosam sequi minimè se posse, imò absolutè nolle: quâ enim securitate id fieri posset, non videre: nullam enim fidem pactorum, nullum robur, nullam securitatem tributam, ostendere modernas rerum vicissitudines, maloque suo experiri Evangelicos, propterea non jam amplius aliam, sed Diplomaticæ autoritatis Regiæ methodum incovacare in securitatem, & ab eâ solâ præstolari instantiæ suæ complanationem. Excellentissimus quoque potentissimorum ordinum fœderati Belgii Generalium Residens, medio Joannis Serpilii, Statibus & Ordinibus Evangelicis insinuavit, se velle cum iisdem habere nonnullas in negotio Religionis conferentias, proptereaque desiderare nonnullorum ablegatorum ad se Deputationem. Instantia hæc dicti Domini Residentis in absentia Suæ Majestatis Domino Comiti à Noszticz intimatur, Suaque Excellentia annuit, ut omnino exmittantur tres vel quatuor personæ ex Evangelicis, pro excipienda ejusdem D. Residentis conferentia. Exmittitur Dominus Jacobus Torkos, cum nonnullis aliis ad latus ejusdem adjunctis, qui præmissa erga Suam Excellentiam nomine Statuum & Ordinum Evangelicorum honorificâ salutatione, declarant, se ad requisitionem Suæ Dominationis à Statibus Evangelicis esse exmissos, propterea que si quid Sua Excellentia mandandum habet, velle eos exaudire.

Longâ oratione, rationibusque fere similibus, quibus usus est in literis suis superius descriptis, commendabat pacem, quietem & tranquillitatem, mutuam concordiam, animorum unionem, Suæ Majestatis Sacratissimæ Clementiam: Excelsæ Aulæ affectionem, studia & conatus ad pacandam patriam inclinatos, hisque persuadere conabatur ineundum tractatum, quem Evangelici defugiunt malo suo edocti. His exauditis, rationibusque ex quibus in aliquem sese immittere nequeunt tractatum recensitis, redeunt, & præmissam ablegationis seriem præscriptâ modalitate referunt.

Die ultima Septembris. Interim sub deputatione præmissorum legatorum ingrediuntur Domum Regnicolarum, Reverendissimus Dominus Nicolaus Balogh, & Stephanus junior Zichii, declarantes Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Aulæ per Hungariam Cancellarium benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ ad exhibita sibi Regni Gravamina, Dominis Prælatis & Magnatibus exhibuisse resolutionem: quibus per dictos Dominos Prælatos & Magnates perlegi curatis, eâ de causâ eandem benignam S. M. S. resolutionem, ad regnicolas quoque submittere, & horam pariationis ejusdem indicandam efflagitare, crastinaq; die sessionem indicere.

Repræsentatur dictis Dominis à parte Prælatorum & Magnatum legatis antiqua observatio & consuetudo, circa exauditionem benignæ resolutionis observari solita, à qua Regnicolæ recessum facere nollent, imò tam eandem, quam instituendam legationem S. M. intimandam volunt per eosdem Dominorum Prælatorum & Magnatum ablegatos.

Memoratæ autem resolutionis primæ Regiæ tenor hoc ordine quoad punctum Religionis fluebat:

Ad sextum. Siquidem Augustanæ & Helveticæ Religioni addicti, cum Catholicis nullam amicabilem compositionem inivere, S. M. S. hac in re juxta benignam suam oblationem, convenienter sese stante adhuc præsente Diata determinabit &c. &c.

Finis Resolutionis Cæsareæ hic erat.

Cum itaque hæc fuissent quæ ad exhibita puncta Gravaminum juxta possibilitatem convenienti satisfactione resoluta benignissimè videbantur Suæ Majestati Sacratissimæ; Ideo paternè hortatur eosdem universos Status & Ordines, quatenus hanc Cæsaream & Regiam erga eosdem propensionem demissè acceptare, eidemque se obsequiosissimè accommodare, neque tempus inanibus Replicis in longum protrahere velint; quin postpositis quibusvis aliis Diætam hanc feliciter quantocyus concludere allaborent. In reliquo permanet jugiter eadem Sua Majestas Sacratissima iisdem Statibus ac Ordinibus Gratiâ Suâ Cæsareâ ac Regiâ benignè propensa.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Sopronii Die 27. Mens. Septembr. Anno Domini 1681.

Joannes Maholany

Die porrò eadem, ultimâ nempe Septembris, Intellectâ præmissâ Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutione, Status Evangelici à prandio conveniunt, habitaque ad invicem maturâ deliberatione, eo ex cardine, quod in Ordine ad Gravamen Religionis, numero in ordine sexto Suæ Majestati Sacratissimæ exhibitum, nullam penitus, post tot & tantas supplicationes, obtinuissent resolutionem decernunt superius scriptam, ac nomine Status ejusdem coram universis Statibus & Ordinibus Regni iteratò propositam declarationem reassumendam & reiterandam, signanter autem futura crastinæ diei sessione, Statibus universis & Ordinibus Regni proponendam: Recordari nimirùm eosdem Status & Ordines, tempore compendiationis universorum publicorum (sepositis & in futuram Regni Diætam aliis privatis rejectis) Gravaminum Regni, pari omnium consensu ac voluntate, negotium turbatæ Religionis in suâ serie, numero sexto insertum, Suæ Majestati Sacratissimæ per Deputatos Regni esse præsentatum. Quia nihilominus per contextum benignæ Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionis, ferè ad universa puncta & exhibita gravamina (licet non in omni parte pro contento) obtinuissent Status & Ordines resolutionem, solumque læsæ & turbatæ Religionis negotium, alto silentio per nudam oblationem, terminis æquivocis adumbratam, conclusum dignosceretur & resolutum; hinc Status Evangelici instandum judicant coram universis Statibus & Ordinibus Regni, ut quemadmodum negotium idem Religionis, veluti publicum, publicis inseri fecerunt Gravaminibus, ita etiam omissam ad idem Suæ Majestatis resolutionem, iidem Status & Ordines humillimè implorare haud dedignentur; alioquin Statum Evangelicum nullis omninò aliis tractatibus, veluti instructionibus circumscriptum, & ad Diploma Regium, effectuationemque & complanationem ejusdem adstrictum, consentire velle, tanto minùs posse.

Die 1. Mensis Octobris. Sub sessione Regnicolarum Dominus Personalis se excusat medio Domini Vice-Palatini, quod modernæ præsidere nequeat sessioni, denunciatque ut Status & Ordines manus admoveant ad benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem, & quod eatenus afflictæ huic Patriæ magis commodum & utilius, permansionique ac reducendæ tranquillitati conducibilius visum fuerit, agant.

Demum exsurgit Dominus Georgius Gerhard, & nomine Status Evangelici proponit: Recordari Status & Ordines, quomodo initio statim modernæ Diætæ Status Evangelicus ad partem suorum Gravaminum solicitandam complanationem fuerit relegatus, demumque postquam idem rebus suis intentus, instructionibusque ac Diplomate urgendo circumscriptus, ante omnia alia Diætalia Acta, turbatæ Religionis complanationem à parte ursisset, neque in alios Diætales tractatus consentire valuisset, Status Catholici, eundem Statum Evangelicum ea ratione quòd nimirùm in serie Gravaminum, conditionisque sextæ, obtenturi sint & debeant, ac non priùs Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem, ideoque ad alia negotia conditionem eandem antecedentia, & subsequentia manus admoveant, negotium quoque idem Religionis, inter reliqua Gravaminum puncta sua, in serie inserendum iri. Hac ratione Status Evangelicus, negotiumque Religionis ad publica gravamina sumptum, temporeque novissimæ etiam compendiationis universorum Gravaminum Regni, unanimi voto & consensu, nemine prorsus contradicente, in sua serie, Suæ quoque Majestatis Sacratissimæ, cum cæteris fuit præsentatum.

Et quia jam tenore benignæ Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionis, ad omnia ferè puncta, & exhibita Gravamina (etsi non in omnibus pro contento Statuum & Ordinum) Suæ Majestatis Sacratissimæ intervenisset resolutio, solo negotio Religionis in suspenso relicto; Ob hoc instant Status Evangelici, quatenus Status & Ordines Regni pariter unanimi voto suspensam resolutionem implorare, eundemque defectum mederi dignentur, alioquin Status Evangelicus nullis aliis tractatibus se immittere, tantò minùs iisdem consentire posset.

Hac præmissâ declaratione Dominus Gabriel Kapii, nomine Status Catholici, eandem reassumit, quod siquidem salus, permansio, pax, quies, & tranquillitas Regni, à sola, ut plurimùm negotii Religionis complanatione dependeat, hinc omninò resolutionem Suæ Majestatis urgeri debere; alioquin quid profuturum alia concludere, si scopum optatæ tranquillitatis non tetigerit, satius est, eo facto Diætam solvi.

Multi hic oborti clamores, Clerus contradicit, tabula Regia illud eotum; ubi in ordine ad sextum resolutionis punctum, ubi negotium Religionis comprehenditur, deventum fuerit, (ne fieret aliquis inversus ordo subsistere poterunt) resumendum venire, hinc enim Suam Majestatem disgustatum iri &c. allegabant.

Ad hæc per Evangelicos repositum: Clerum tempore Compendiationis Gravaminum, non contradixisse, imò Gravamen Evangelicorum, cum reliquis Regni Gravaminibus conjunctum per Dominum Petrum Korompay, Episcopum

Vac-

Vaczienſem, & ſibi adjunctos totius Regni Deputatos Suæ Majeſtati Sacratiſſimæ præſentatum fuiſſe: ad ordinem ſextum rejici nequire, quia in paſſu aliorum gravaminum reſolutio Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ intervenit, ad quam humillimè replicandum erit; hæc ſola ſuſpenſa; ad quam quid Status & Ordines reponent? neque propterea ſi Status & Ordines juſtum petunt, Diplomaticam ſatisfactionem urgent, disguſtum S. M. S. cauſare argui poſſunt. Inſtant itaq; mitti ſolitam ad Dominos Prælatos & Magnates declarationem, & inſtantiam præmiſſam repræſentaturos.

Iterum clamores concitantur per Clerum, & Tabulam diſputantem & allegantem, fieri poſſe legationem quaſi relativè, quod nimirùm Evangelicus Status in hoc & hoc inſtet, alioquin abnuit: Unde elicere eſt, quod à publico nomine univerſorum Statuum & Ordinum Regni Suæ Majeſtati exhibito gravamine, tam ipſi reſilire, quam Statum Evangelicum, ſemel ultrò admiſſum, excludere omnibus modis intentent. Dominus Gerhard dicit, ſi nomine Regnicolarum Clerus legationem obire non vult, ſatius eſt taceat, urget tamen ſolitam legationem, *cui adſurgit Status Catholicus ſecularis, ſe pariter cum Evangelicis, hoc in paſſu inſtructionibus eſſe circumſcriptum, omnesq; ſimul Status ſeculares rogant, obteſtanturq; per DEUM, per ſanguinem, per flammam, in ſuperiori patria ardentem, totidem neces, deprædationes, ſpoliationes &c. Patriæ tranquillitatem admaturare, & Diplomaticam reſolutionem ſuper negotio Religionis implorare dignentur.* Licet difficillimè obtenta, mittitur tamen ſolennis ad Dominos Prælatos & Magnates legatio, cujus munia obibant Reverendiſſimus Dominus Stephanus Illyeſfalvay, Gabriel Kapii, Franciſcus Radofics, Stephanus Szirmienſis, Andreas Aſzalay & Stephanus Kecskés. Quod ſiquidem Status ſeculares, poſt perlectam benignam Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ reſolutionem intelligerent, in ordine ad negotium Religionis, nullam interveniſſe Evangelicis complanationem, ad cujus promotionem, æquè Catholici ac Evangelici, à Principalibus ſuis per inſtructiones obſtricti redditi eſſent, hinc namq;, uti ex ſummo apice, modernorum tumultuum deſideratam tranquillitatem promanare autumant; Ideò extradandam ſuperinde Regiam reſolutionem, & Diplomaticam ſatisfactionem, ante omnia implorandam cenſere, rogareq; ſuas etiam Dominationes, ut hoc in paſſu unanimi voto & conſenſu eatenus negotium idem Suæ Majeſtati repræſentare, & ſatisfactionem urgere haud dedignentur: quâ obtentâ, tantò facilius Status & Ordines, feliciusq; in reliquis tractatibus progreſſuros, Diætamque præſentem ad optatum finem deducturos. Rediit legatio, & refert Dominum Palatinum reſolviſſe, Status Evangelici, ſimulq; aſſentientium Catholicorum inſtantiam non eſſe in tempore, negotio Religionis in ſexto puncto locato exiſtente, propterea pergant eousq; aſſecurare Suam Celſitudinem Status, quoad illuc perventum fuerit reſolutionem Suæ Majeſtatis deſuper etiam elargitum iri. Hic multæ à Tabula perſuaſiones, omninò id fieri poſſe, licereq; à tractatibus quandocunq; deſiſtere &c. Seſſio tamen ex eo, quod reſolutio Suæ Majeſtatis nondum ad finem pariata fuiſſet, ſoluta eſt. Eadem Die Dominus Comes Palatinus, medio certi Servitoris ſui intimari fecit Domino Georgio Gerhard, ut adhibitis ad latus ſuum aliquot perſonis Evangelicis, quarta hora pomeridiana apud Suam Celſitudinem compareat: Qui quidem Dominus Gerhard cum generoſis & prudentibus Dominis Andrea Mokcſay, Stephano Varadi, Jacobo Forcos, Georgio Dulo, Johanne Todor, Franciſco Bulyovſzky, Joanne Simony &c. eodem conceſſit, ac quamprimum aggreſſi fuiſſent Palatinum, per Suam Celſitudinem advocati fuere. Tum demum Sua Celſitudo intellexiſſe inquit ex hodierna Regnicolarum legatione, Regnicolas poſt perlectam benignam Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ reſolutionem, ad ulteriores circa eandem, tractatus manum admovere paratos fuiſſe: Statu nihilominus Evangelico, ſumptâ occaſione ex eo, quod in ſerie ejuſdem reſolutionis Regiæ, circa negotium turbatæ Religionis, Gravamenq; exinde emerſum, nullam obtinuiſſet reſolutionem, ſed ad ulteriora progredi nequire, imò ut eatenus univerſi Status & Ordines, paſſu in prædeclarato, negotioq; Religionis, pari conſenſu ac voto cum Evangelicis, ſuſpenſam Regiam reſolutionem, implorare haud dedignentur, apud eoſdem Status inſtitiſſe ac inſtare reſolvente, non leviter exinde, omninoq; præter omnem expectationem, quaſi conſternatos fuiſſe, quod tam piam, clementem, & paternam Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ intentionem, non modo retardare, ſed etiam disguſtare ſatagant: hincq; licet Sua Celſitudo reſolviſſet, declarationem eandem, non eſſe ejus loci, ſed ubi in ordine ad punctum Religionis deventum fuiſſet, nihilominus tamen ex *officio ſuo Intermediatorio, & Juramento, quo æquè Evangelicis ac Catholicis (licet ipſe quoq; Catholicus) adſtrictus haberetur,* ſoluta ſtatim hodiernâ ſeſſione, ad S. M. S. conceſſit, & declarationem Status Evangelici eidem Majeſtati Regiæ repræſentando, ſimul eandem pro elargitione alicujus determinationis humillimè rogavit: Ad quæ S. M. S. reſolviſſe retulit: *Nihil debere dubitare Status de futurâ in ordine ad negotium Religionis determinatione, neq; ex antecedentium Diatarum aſſecurationibus ſucceſſive fruſtratis argumentum ſumere debere, ibi enim non meminit Sua Majeſtas Status Evangelicos per ſe decretaliter, uti in præſentiarum, fuiſſe aſſecuratos, proptereaq; denuo etiam eoſdem, in verbo ſuo Regio, medio ſui, utpote Regni Palatini aſſecurare,* dummodo pergant & procedant ad ulteriora, inſuperq; certos etiam reddere, antequam ad punctum in ordine ſextum deventũ fuerit, eatenus S. M. S. reſolutionem ſuperventuram. Hanc reſolutionem S. C. Palatinalis, iteratis vicibus recapitulavit, dubitanter tamen & timiculosè affidare Statum Evangelicum viſus, ubi per dictiones: *remenlem, talan talan,* affidationes hujuſmodi concludere compertus fuit: admonuit tamen & rogavit iteratò, ut ad ulteriores tractatus manus admovere non negligant, id enim eoſdem facere poſſe, ſatis ſufficere temporis, ſi interea dum laboratum ad ſextum punctum deventum fuerit, reſolutio S. M. non intervenerit, eotum intentionem modernam ſecuti fuerint, ubi eoſdem propterea, neq; per quempiam contumaciæ, vel alicujus remoræ argui, tantò minùs judicari poſſe: Imò ſuam quoq; Celſitudinem, ſi ad hanc ſuam admonitionem, Diætales ulteriores tractatus aggreſſi fuerint, ac in puncto ſexto ſubſtiterint, altius mentionatam S. M. S. & Regiam, eotùm conventuram, aſſecurationem hanc repræſentaturam, taliterque reſolutionem imploraturam obtulit; Si enim prædeclarati Status Evangelici, intentionem hanc ſuam ſecuti fuerint, plurimos dari

dari, qui Diætæ modernæ re omni infecta, solutionem desiderarent, negotia & media ad stabiliendam pacem, quietem & tranquillitatem tendentia omnibus viribus impedirent, hincque sumpta occasione, tanto majores sument vires, & infaustorum desideriorum suorum incrementa: propterea respectari debere modernam flammam, in partibus Trans-Tibiscanis igne ferroque candente, quorum sors hostilitati obnoxia, meritò compassione digna, & ne hostilitas eadem majora indies sumat incrementa, latiusque ac latius serpere valeat, in tempore eidem occurrendum, Regnicolis hostilitati eidem subjectis, & vicinis succurrendum, nobisque ipsis etiam prospiciendum. Hæc & alia longa & copiosa verborum ambage per Suam Celsitudinem fuere declarata & proposita.

Ad quæ præmissa suprascriptus Dominus Georgius Gerhard cum debita reverentia reposuit, quòd siquidem idem ad Mandatum Suæ Celsitudinis cum sibi adjunctis comparuisset, voluntatemque Suæ Celsitudinis nec ipse, nec Status Evangelici perspe[illegible]am habuerint, eatenus nomine Statuum & Ordinum Evangelicorum nihil posset ad hæc respondere.

Qua tamen privata persona, resumpsit coram Statibus & Ordinibus Regni institutas iteratas declarationes, totidem desuper factas, & Suæ Majestati Sacratissimæ humillimè exhibitas supplicationes plurimas tam Suæ Celsitudini Palatinali, quam Aulæ Ministris eo in passu facessitas molestias, ex adverso datas assecurationes, dumque post tot & tantas infructuosè insumptas temporis moras, ingentium expensarum profusiones, jamjam in serie publicorum gravaminum, benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ, juxta etiam iteratas assecurationes, avidi præstolabantur resolutionem, turbatæque libertatis Religionis Diplomaticam, juxta [illegible]imillimam instantiam universorum Statuum [illegible] Ordinum Regni, complanationem ac redintegrationem, spe sua collapsos se experiuntur, indeque ab intellecta hac resolutione conturbatos, angore cor eorum constringi: Principales etenim sui incessanter eosdem, hac de re quantocyùs effectuanda urgerent, alioquin revocarent, impensas denegarent, imò negligentiæ etiam arguerent: Nunc id esse temporis, quo illud stante moderna Diæta convenire videretur, brevi finem debere præstolari hinc non aliud conjici, quàm ut exmisso ex prima resolutione Religionis negotio, consequenterque ex futura replica, ac sic consequenter ex ulterioribus etiam pro & contra instituendis resolutionibus, replicisque negotium idem ad finem usque protrahatur, ac tandem sub finem Diætæ, ac post conclusionem, omniumque concludendorum politicorum resoluta, ulterioribus eatenus Evangelicorum humillimis instantiis & supplicationibus, (in quantum pro toto resolutionem non obtinuerint) frustretur; adjecta fuere & alia resolutè, quæ discursus ex occasione ultrò citroque porrecta induxit. Tandemque discessum.

Die secunda Mensis Octobris. Evangelici summo mane conveniunt, Dominus Gerhard refert Celsissimi Principis Palatini Discursus, admonitionem modo præmisso erga se & sibi adjunctos habitam. Quibus exauditis, Status Evangelici decernunt, ut in hodierna sessione, recapitulata hesterna declaratione, denuò insistent super sollicitanda, medio solennis legationis, ab universis Statibus & Ordinibus Regni ad Suam Majestatem Sacratissimam deputandæ, in ordine ad punctum sextum elargienda benigna Suæ Majestatis resolutione, anteque cujus obtentionem se ulteriùs progredi non posse, resolvant.

Interim mittitur legatio ad Dominum Comitem Palatinum, & intimatur, Statum Evangelicum sessionem hodiernam ingressuros, ac præviam legationem ad Suam Majestatem Sacratissimam instituendam apud Status & Ordines continuaturos, proinde Suam Celsitudinem humillimè pro secundatione ejusdem orare. Sua Celsitudo, modum agendi Evangelicorum non improbat, & offert suam operam.

Sub sessione Regnicolarum. Dominus Vice-Palatinus pro præsentiarum Præses rogat & admonet Status & Ordines, ut unanimibus votis, ad benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem manus admoveant.

Exsurgit iterum Dominus Georgius Gerhard, & reiterat hesternam declarationem, instatque eandem solita legatione mediante ad Dominos Prælatos & Magnates deferri, cum obtestatione & requisitione singulari: quatenus videlicet iidem Domini Prælati & Magnates unà cum Regnicolis negotium idem Religionis, veluti in serie publicorum Gravaminum insertum, in serie etiam eorundem per Suam Majestatem Sacratissimam resolvendum apud eandem Majestatem promovere dignentur.

Dominus Gabriel Kapii nomine Status Catholici 13. Comitatuum subjungit, illud esse primario complanandum, veluti principium sine quo non: alioquin satius esse nihil agere quam inaniter tempus terere, imò neque se desiderare ad Principales suos redire, incomplanato Religionis negotio.

Porrò exsurgit Georgius Gerhard, rogat & obtestatur Regnicolas per DEUM, per communem permansionem, per leges, per innatum Patrium sanguinem, denique per dilectos domesticos, uxores & charos liberos, moveantur flammâ patriam perurente, afflictioneque Status Evangelici, & promoveant causam eorum, pacis & tranquillitatis Regni præcipuum argumentum. Ad quam obtestationem assurgit Status Catholicus 13. Comitatuum, & pariformiter obtestabatur Regnicolas.

Plurimi excitantur clamores ex adverso, à parte nempe Cleri & Tabulæ id non prius posse fieri, sed ubi ad punctum in ordine sextum ad id replicatur, ad reliqua jam supervenisse resolutionem, propterea & in hoc ordinis sexti puncto, veluti in serie reliquorum combinato, urgendam venire.

Post tot tantasque negativè protractas moras, Dominus Gerhard recenset afflictiones Status Evangelici, interque cætera eosdem domi suæ preces ad DEUM fundentes, hymnos psallentes, arrestatos, citatos & captos fuisse, cum tamen unum Pater noster, Credo Apostolicum, & Decalogum cum Catholicis recitent, unus sanguis cum iisdem, unitæ in prosperis & adversis vires sint, tantum tamen in eos odium.

Clerus

„ Clerus contradicit Legationi, se eatenus „ ne in minimo consensurum declarat. Quo „ exaudito Seculares pariter omnes Catholici „ æquè ac Evangelici, Legationem solitam ad „ Dominos prælatos & Magnates expediendam „ urgent.

„ Clerus se subtrahit, contra conscientiam „ se facere nequire resolvendo reponitur: Ergo „ leges patriæ, Diploma Regium, æquè per „ Clerum ac Secularem Statum condita, contra „ conscientiam essent condita.

Clero abnuente rogatur Dominus Vice-Palatinus pro assumenda opera legationis. Is tamen etiam renuit. Tum protestatur Status secularis æquè Catholicus ac Evangelicus, coram Deo & toto orbe Christiano se futuræ funestæ Regni hujus cladis, & multarum Christianarum animarum interitûs, cædis & sanguinis effusionis, in tremendo illo DEI judicio enodatum iri, totamque causam in boni publici, pacisque & tranquillitatis Regni convulsores reduntaturam.

Clerus dicit, non omnes Status seculares in præmissis convenisse. Exsurgunt universi Status seculares, & ostendi sibi desiderant illum, qui præter Clerum hoc in passu contrarius esse videatur: nullus tamen repertus.

Inter hæc Dominus Comes Palatinus mittit Cancellariæ suæ unum juratum Notarium, indagantem, quid agant Regnicolæ, daturine aliquem laborem, vel legationem expedituri? Sub legatione autem intellexit instantiæ Evangelicorum legationem, quam Status Evangelici medio ablegatorum suorum anticipativè suæ Celsitudini repræsentari fecerunt. Hic publicè conclamatum: Hos esse fructus laudatæ locumtenentiæ utinam nunquam expertæ. Dominus verò Kapii publice & clarè delarat: frustra omnia tractari, nisi prius negotium Religionis complanatum fuerit, ea tamen incassum abitura labores itaque non debere multiplicari: Cui tamen bono, hæc & alia, si summus apex modernorum tumultuum incomplanatè missus fuerit: Qualem sibi Clerus pollicetur permansionem, si Regnicolæ incomplanati, & re infectâ solvi necessitabuntur? Iteratò requiritur Dominus Vice-Palatinus ad suscipienda munia legationis, moveatur exemplo Domini Personalis, cujus personam repræsentat; Is tamen ulterius etiam recusat.

Interim supervenit Cancellariæ Palatinalis unus juratus Notarius, referens Dominum Comitem Palatinum denunciasse: Si Clerus munia legationis detrectat, exequantur legationem seculares. Hic protestatum contra Clerum, & oblata reciproca promovendi negotia ejusdem studia.

Hinc iteratur apud Dominum Vice-Palatinum instantia, qui demum victus tot precibus, ad vota Regnicolarum assurgit, & legationem exequitur.

Redux refert Dominos Prælatos & Magnates Instantiam præmissam satis superque pro & contra disputasse, convenire tamen nequivisse: Secularibus equidem ad vota Regnicolarum ferè omnibus, ex parte verò Cleri quinque vel sex assurgentibus. Inter has tamen dispensiones, hanc ostendere modalitatem, ut vel alternatim Catholici & Evangelici suspensam resolutionem sollicitent: vel verò simul & conjunctim negotia sua pro & contra recommendaturi.

Ad quæ reponitur, prius acceptari nequire, quia esset resultus à publicis Gravaminibus, posterius tantò minùs, quia postulatis Catholicis manifestè contra Dipl. Regium allegatis assensum præbere nequeunt, licèt ultrò se submittant pœnæ (cujus rigorem insontes non verentur) si reatus cujuspiam obnoxii comperti fuerint.

Retulit præterea Dominus Vice-Palatinus: Dominum Comitem Palatinum, quà Mediatorem, obtulisse promptitudinem, suam Majestatem Sacrat. desuper humillimè conveniendi.

Ad hæc dixit Dominus Kapij: Non esse quæstionem de mediatione, sed legatione, hinc apparere, quanto studio & zelo Clerus studeat promovere tranquillitatem patriæ, satiusque esse sibi incomplanatè discedere, quàm à Diplomate permitti retrahere, sic enim ipse à Principalibus suis dum nihil intentatum reliquit, omne quod potuit executus est, culpari non potest, sed ille, qui non habet spiritum pacis, & bonarum intentionum convulsor. Interim si sua Celsitudo ex officio mediationis instantiam Evangelicorum in effectum deducere dignata fuerit, regnicolas grato animo recepturos: Alioquin inhærent resolutioni suæ legationem eandem urgendi.

Demùm à prandio circa horam 4. tam pomeridianam iterum Dominus Comes Palatinus evocat ad se Georgium Gerhard cum nonnullis sibi adjungendis: Cum quo pergunt Andreas Mokcsay, Jacobus Torkos, Andreas Aszalay, Stephanus Sirmiensis, Franciscus Bulyuszky &c. intrantes Palatium, rectâ apertò ostio ad Dominum Comitem Palatinum intromittuntur: Quibus ingressis, non sperasse inquit, Clerum semel insertioni publicis gravaminibus factæ negotii Religionis ita repugnaturum, ut cui jam consentire visus, eidem ex adverso contravenire experiatur: Statum Dominorum Baronum & Magnatum à Summo ad imum Instantiæ hodiernæ legationis, imò plerosque ex Prælatis etiam, uti Dominum Cancelarium, Sancti Pauli, primi Eremitæ Generalem, Episcopum Sebestyeni, Jany, Præpositum Agriensem, Georgium Horvath, & alios ad vota legationis assurrexisse, tamen ex ordine Prælatorum ad summum octo contradixisse;

Hinc sua Celsitudo perspectis hujusmodi dissensionibus, finitâ statim sessione, juxta oblationem suam ad suam Majestatem Sacratissimam concessit, & præmissas Cleri contradictiones humillimè detexit, unde Rgnicolas, Statusque alios hærere debere, non sine jactura pretiosi temporis insinuavit, ubi legationem ad suam Majestatem Sacratissimam instituendam solitâ solennitate effectui dare nequeat.

Proptereaque in forma quæstionis demissè proposuit suam Majestatem Sacratissimam vitio vertere non debere, si Status reliqui, Clero non consentiente, etiam eandem Majestatem, medio certæ legationis suæ, de genu suppliciter convenire necessitabuntur.

Ad quæ suam Majestatem Sacratissimam respondisse inquit. Ostium gratiæ & clementiæ suæ Regiæ nemini unquam supplicantium prohibitum fuisse, viderit Clerus, idem tamen, Clerô

etiam absente, aliis Statibus semper patere, licereque iisdem semper supplicare, neque propterea indignationem quampiam experturos.

Hinc sua Celsitudo ulterius proponit Statum Evangelicum nihil debere curare clamores Cleri, secularibus Statibus paratis huc in parte Instantiæ Evangelicorum cooperari. Idcircò die crastina sub sessione reassumendam venire denuò hodie institutam coram Regnicolis Declarationem & suspensæ Legationis ad suam Majestatem instituendæ effectuationem, suam Celsitudinem paratam futuram, non modo intimationem hanc suam, juxta debitum Mediationis suæ secundare, sed &, si fieri potuerit, Clerum ad unanimitatem promovendorum negotiorum inducere.

Dominus Georgius Gerhard ait pro gratiosa suæ Celsitudinis intimatione gratias, & rogat humillimè gratiosam suæ Celsitudinis Palatinalis gratiam ulterius quoque erga Status Evangelicos declarandam continuari, offerendo Status Evangelici humillima servitia, & intermiscendo pro occasionibus ad materiam præsentem spectantes & deservientes discursus motivasque rationes, ac demum discessum est.

Die tertia Mensis Octobris. Sub sessione Regnicolarum Dominus Vice-Palatinus proponit: recenti memoriâ teneri, heri, quâ modalitate sessio soluta fuerit, in oblatione nimirùm Domini Comitis Palatini, quâ mediante suam Majestatem Sacratissimam se conventurum, & dissensionem hanc expediendæ ad suam Majestatem Sacratissimam legationis, atque ex ordine ejusdem Cleri intentatæ abstractionis, repræsentaturum obtulit, veluti ad ipsum etiam effectuatum reddidit, ac pariformiter resolutionem nomine Ejusdem Domini Comitis Palatini, coram Regnicolis, sicuti Statui Evangelico, ipsa sua Celsitudo Palatinalis retulit & declaravit.

Dominus Georgius Gerhard iterat instantiam, & petit publici Gravaminis unanimi voto & consensu promotionem, alioquin si se Clerus ex publicis subtraxerit sollicitationibus, Status quoque Evangelicos reservare sibi omnimodam indemnitati suæ proficuam agendi facultatem.

Intervenit Cancellista Palatinalis, & intimat Domino Vice-Palatino, quod siquidem benigna suæ Majestatis Sacratissimæ intentio in passu expediendæ ad eandem Majestatem Legationis Statibus & Ordinibus Regni innotuisset, ob hoc quid eatenus concluserunt Regnicolæ, velle se intelligere.

Exsurgit Georgius Gerhard, & iterum atque iterum iterat instantiam, resolvitque Evangelicos nullatenus ab eadem se removeri passum iri, semel inter publica inserto Gravamini Evangelicorum, publicæ & communi omnium Statuum & Ordinum promotioni deservire, neque sine vilipendio etiam autoritatis Regiæ futuram hanc collusionem, si quod semel nomine universorum Statuum & Ordinum, suæ Majestati, nemine contradicente exhibitum esset, illud ex post per unum atque alterum impugnari debeat, vel exinde nonnulli se subtrahere attentent.

Decernitur itaque mittenda ad Dominos Prælatos & Magnates solita legatio, super eo, quòd siquidem unanimi voto, consensu pariter ac voluntate, gravamen Evangelicorum publicis insertum fuisset universorum Statuum ac Ordinum Regni Gravaminibus, ad quod dum nulla intervenisset à sua Majestate Sacratissima resolutio, instare apud suas Dominationes, ut pariter unanimi voto consensu ac voluntate, benignam ab eadem Majestate, eamque Diplomaticam satisfactionem implorare haud dedignentur.

Hic intercurrit quæstio à parte Cleri opposita, se non posse munia Legationis hujusce etiam obire, præjudicium Romano Catholicæ Ecclesiæ, conscientiæ læsionem & instructiones suas allegantes.

Status seculares ergò inquiunt Diploma Regium, Leges Regni, ad quas & ipse Clerus adstrictus est, & ipse de solitâ antiquitus praxi tam idem Diploma suæ Majestati, & Antecessoribus Ejusdem gloriosæ reminiscentiæ, quam Leges & Articulos Regni cum reliquis Statibus subscribendum & confirmandum præsentare censuerit, contra conscientiam condita sunt.

Intercedunt plurimi discursus, fine Clero, Legatio non modò insolita, sed & manca judicatur per Regnicolas; propterea rationibus tentatur Clerus, sed iis non ductus & eas etiam refutare insufficiens contumaciter reluctatur obeundæ Legationi.

Exsurgunt tres seculares Status, rogant Dominum Vice-Palatinum, qua Præsidem modernæ sessionis pro obeundâ Legationis provincia.

Excusat se, fieri id non posse tantum trium Statuum juxta intentionem & approbationem suæ quoque Majestatis Sacratissimæ; Status tamen inhærent Instantiæ. Post longas moras, iteratasque instantias, licet difficillimè Vice-Palatinus assurgit, ad vota trium Statuum secularium & pergit in legatione.

Reduxque refert Clerum, de plano & simplici subtrahere si ex obeundis muniis legationis. Dominum verò Comitem Palatinum cum Magnatibus suadere nomine trium Statuum instituendam & denominandam legationem.

Subsumitur per Evangelicos ex rationibus in serie gravaminum, signanterque periodis ibidem notatis, *primò*, titulo super inscriptionis eorundem, ubi nonnulla gravamina universorum Prælatorum, Baronum &c. *secundo* conclusione: Et hæc erant (scilicet præmissa) fidelium Statuum & Ordinum Regni &c. *tertiò* Ex subscriptione: Universi Status & Ordines &c. Et rogatur: Annon hæc nomine Cleri acta scripta & exhibita? Annon per expressum per præmissa Clerus quoque intelligitur? quomodo ergo se subtrahit? quomodo semel dato consensui reluctabitur?

Hic Status Evangelici pariter & Catholici, seculares ut plurimi resolvunt, se non passuros abhinc abstrahi, ne, quod semel nomine universorum Statuum & Ordinum Regni, Prælatorum nempe, Magnatum, Nobilium & liberarum Civitatum in seriem publicorum insertum est Gravaminum, ab illo particulariter per hæc & alia resultum fecisse argui possint, quod ipsum si facerent, primus esset post triduum Dominus Mattyasovszky, Canonicus Strigoniensis, qui regressum eundem contra Evangelicos allegaret.

Sub-

„ Subjungit Gabriel Kapii: Clerum non curare, etiamsi nunquam sit Diæta, nunquã complanatio injuriarum seculariũ, nos versari in periculo, ipsum conglobatis divitiis, facillimè Regno exire posse, clauditque: Reddat, inquit, rationem coram Deo, Sanctis Angelis ejus, Orbe Christiano, qui causa modernæ dissensionis ac interitus afflictæ patriæ, Antemuralis totius Christianitatis; Seculares se coram Deo Angelis ejus, orbe Christiano, & sua Majestate Sacratissima excusatos volunt.

Plurimæ inductæ rationes, persuasiones, jam ad acceptandam mancam legationem, jam admovendas ad benignam suæ Majestatis Sacratissimæ Resolutionem manus: publicè tamen Status Evangelicus resolvit, sibi aliorum Politicorum Gravaminum complanationem, non esse necessariam, incomplanatis in negotio Religionis, paratos se, imo desiderare, ipso facto, cum delictis conjugibus, charissimis liberis, potius mori, quam in captivitate ista, tam conscientiæ quàm corporali, ubi per Clerum propter quotidianas etiam ad Deum fundendas preces arrestabantur, capiebantur, citabantur, mulctabantur bonis suis privabantur, spoliabantur, & diversimodè exagitabantur, vivere.

Huic resolutioni adsurgit etiam Status Catholicus, & se similia fere passum, propterea quod Prædicantes ejicere, templa occupare noluerit, declarat.

Dominus Vice Palatinus rogat, ergone hæc est Cathegorica resolutio Status Evangelici? respondet & capitulat modo prævio resolutionem suam Status Evangelicus, eidemque ulterius etiam inhæret, & formalibus suæ celsitudini reportandum desiderat.

Ad hæc post longum silentium infert Vice-Palatinus: Sed si Dominus Palatinus, qua Mediator apud suam Majestatem Sacratissimam ex parte Evangelicorum pro impertienda resolutione institerit, contenti reddenturne Evangelici? respondetur, omninò, dummodo iisdem optatam reportaverit, & ab universis Statibus petitam Diplomaticam complanationem.

Hic subsistit & longum creat silentium hærens quid facto opus sit: Demum dicit: Hæc repræsentari debere suæ Celsitudini Palatinali, Prælatis & Magnatibus; rogatur, disponitur ipse Vice-Palatinus ad acceptandam legationem, sed renuit. Post longas & tædiosas disceptationes ingreditur Secretarius Palatinalis, & urget Resolutionem Regnicolarum. Repetitur præmissa resolutio, neque ab ea se abduci passuros Regnicolas declaratur, negotio enim Religionis suspenso & incomplanato, cætera curare nihil: isthinc enim & permansio & interitus patriæ manaret.

Iterum intrat Secretariæ Palatinalis juratus Notarius, & urget resolutionem: Resolutio declarata, tamen legatio assumenda reluctata: proinde instant ulterius etiam Regnicolæ apud Dominum Vice-Palatinum pro obeunda legatione.

Qui, si inquit, conditionatè, quod nimirum Regnicolæ crastino die velint manus admovere ad Resolutionem suæ Majestatis denunciatum fuerit, intereaque Dominus Comes Palatinus de extradanda Resolutione adlaboret, assumpturum se legationem offert, secus non.

Regnicolæ tamen semper inhærent prioribus Resolutionibus, & requirunt Vice-Palatinum pro obeunda Legatione, ille tamen iterat & reiterat semper conditionem, alioquin renuit, & cathegoricè legationem obeundam resolvit negativè.

Denuò subintrat Secretariæ Palatinalis juratus Notarius, & urget Resolutionem, privatim quidpiam in aures Domini Vice-Palatini insusurrando.

Tum demum post præviam insusurrationem Dominus Vice-Palatinus suapte & non requisitus acceptat legationem, & proficiscitur ad Dominum Comitem Palatinum, Prælatos & Magnates, unde colligebatur, commissum eidem fuisse acceptandam tam diu sollicitatæ & non obtentæ apud ipsum legationis provinciam.

Redux refert Dominum Comitem Palatinum reposuisse, suam Celsitudinem ejus fuisse spei Evangel. Statum & reliquos etiam in ablegationem triumStatuum consensurum, heri namque nonnulli Evangelicorum coram sua Celsitudine comparentes, videbantur eò inclinasse; nihilominus difficultate hac subortâ, suam Celsitudinem cooperaturam, ut suæ Majestatis Sacr. benigna resolutio in negotio Religionis accelerari possit, priusquam tamen id effectui dederit, nonnullorum Evangelicorum apud se desiderat præsentiam.

Infert Georgius Gerhard, absit ut suam Celsitudinem hoc in passu refutare præsumat, se tamen cum aliis sibi adjunctis apud suam Celsitudinem Præsentem, non aliud quàm quod Mandatum & propositiones suæ Celsitudinis, velit Inclytis Statibus & Ordinibus Evangelicis referre, & quicquid eatenus per Statum eundem resolutum fuerit, suæ Celsitudini renunciare resolvisse.

Die eadem à prandio missi ad suam Celsitudinem certi Deputati Evangelici, Mandatum & propositiones suæ Celsitudinis exaudituri.

Qui reduces referunt, antecedenter per suam Celsitudinem factas assecurationes, propterea que ad aggrediendos Tractatus, persuasiones eadem modalitate, quâ supra, insinuatas.

Renunciatur suæ Celsitudini semel facta declaratio, quam non solus Evangelicus tantùm, sed totus Secularis Catholicus etiam Status declaravit, ac ab eadem se recedere non posse cathegoricè resolvit.

Die 4. Mensis Octobris. Sub sessione Regnicolarum, Dominus Vice-Palatinus conversus ad Dominum Georgium Gerhard, & de nomine suam Dominationem acclamans, Dominum Comitem Palatinum, inquit, tantam concepisse spem in Statu Evangelico post tot jam disceptationes, affidatum super obtinenda eousque donec ad sextum punctum exhibitæ Regiæ Resolutionis deventum fuerit, in negotio Religionis declaratione, manus ad ulteriores Tractatus admoturum, proinde rogare eundem, ut auxiliante DEO inchoent inchoanda.

Replicat Georgius Gerhard, se unum parem aliis esse ex Evangelicis, sibi soli nihil tribui, rem esse cum Statu, & non cum ipso unico membro, intellexisse tamen suæ Celsitudinis assecurationem: sed qua negotium præsens non saltem Evangelicum, sed pariter Catholicum, seculares concernat Status, ex se Statum Evangelicum

nihil resolvere, sed instare declaratæ resolutioni, & effectuandæ legationi, neque posse recedere à publico, unanimi consensu parique omnium Statuum & Ordinum Regni voluntate exhibito suæ Majestati Gravamine; cum & alias temporè primæ à parte sollicitatæ instantiæ suæ, atque à publicis Tractatibus abstinentiæ, per suam Celsitudinem & Dominum Personalem fide mediante assecuratus fuisset, dummodo publicos alios etiam Diætales aggrediatur Tractatus, post triduum infallibiliter obtenturum in ordine ad instantiam suam resolutionem, per expressum declarando, quod in serie gravaminum, elargiendæque desuper resolutionis, expectatam resolutionem consecutus non fuerit, eotum si se ab aliis Tractatibus abstinuerit, propterea nullius contumaciæ argutum iri posse.

Et siquidem tempus illud tridui jam in octo vel novem circiter excrevit septimanas, nihil tamen obtentum, proinde quâ quiete & animi compositione Evangelicis ad ulteriores Tractatus manus admovere persuaderi poterit: illinc enim à sollicitatione Diplomaticæ in ordine gravaminis sui satisfactionis avocati, assecurati, & hunc modum sibi agendum licitati, isthinc verò à publicis negotiorum suorum sollicitationibus, resolutioneque in serie aliorum gravaminum elargiendâ, privati & exterminandi attendati, quod ulterius sibi polliceri possunt & audebunt?

Vice-Palatinus dicit non esse in dubium trahendum suæ Majestatis Sacratissimæ per Dominum Comitem Palatinum datam assecurationem, eam enim diffidentiam magnum quid importare.

Reponitur: non esse fidelium tantò minus pro tempore affidationem Regiam in controversiam sumere; sed siquidem negotium Religionis in serie publicorum Gravaminum suæ Majestati fuisset exhibitum, resolutionem quoque in eadem serie extradandam implorandum venire;

Paternam enim piam & clementem suæ Majestatis Sacratissimæ erga fideles Status intentionem perspectam habent, sed non sciunt quot & quanti sint, qui eam antevertere studeant, & omnibus viribus adlaborent, convulsores. Ideò ut omnia ordine decenti fiant, præstolabuntur per mediationem suæ celsitudinis aliàs Statibus oblatam, elargiendam Diplomaticam satisfactionem.

Vice Palatinus dicit Dominum Comitem Palatinum desuper jam convenisse suam Majestatem. Reponunt Status: omninò antecedenter, sed post hesternam oblationem non. Hic admonentur Evangelici per tabulæ nonnullos Assessores, condoleant afflictæ patriæ, & faciant facienda, aggrediantur que aggredienda.

Reciprocè obtestantur Satus, misereantur afflictæ sorti, ipsa morte acerbiori Status Evangelici, in captivitate conscientiæ & corporali constituti, ac si non ejus, misereantur ruinatæ patriæ, sui, suorumque, promoveant causam justissimam Evangelicorum, quâ mediante, patriæ, sibi, suis, & afflictis Evangelicis, sanguini nempe suo, consulere dignoscentur.

Hic longum silentium. Ingreditur juratus Notarius Secretariæ Palatinalis, & quærit, utrum ad aliquos labores manus admoverint? Vice-Palatinus omni conatu persuasum haberi vult, ut renuncietur: Status nimirum omninò labores Diætales aggressos esse.

Status tamen Seculares resolvunt; quòd siquidem hesternâ die in expediendâ solitâ legatione laborando, eadem potiri non meruerunt oblatione Domini Comitis Palatini, in instituendâ requisitione eatenùs suæ Majestatis inhærentes, præstolantur ab effectu ejusdem, rogando perquam humillimè suam Celsitudinem pro effectuatione, rogaturque Dominus Vice-Palatinus pro suscipienda ad Dominum Comitem Palatinum super præmissis legatione.

Respondet se paratum Inclytis Statibus servire, hanc tamen inauspicatam denuntiationem, quod Exangelici Status nolint alios, priusquam resolutionem in facto instantiæ suæ juxta Diploma Regium obtinuerint, Tractatus aggredi, nolle prius deportare.

Conclamant omnes Status seculares: non eam esse intentionem Evangelicorum, sed quâ quiete aggredi possint aggredienda, hoc modo perturbati, dum negotium Religionis contra assecurationem suæ celsitudinis Palatinalis ex serie resolutionis exterminatum vident.

Præterea exsurgit Dominus Kapii, & partium superiorum accolæ, adjungitque & declarat, jam semestre effluxisse, ex quo cum maxima sumptuum profusione, temporisque pretiosi jacturâ, nullo patriæ commodo hic hærerent, ex adverso manifestum esse patriæ ejusdem superioris flamam non permittere eis hic ulteriores nectendas moras; sumtus in iisdem deficiunt, Principales subministrationem ulteriorem negativè resolvunt, sine consolatione redire inconsultum minusque tutum judicant, totaliter namque etiam per rusticam manum nefarie trucidabuntur, & persequentur, ac proinde urgent ulterius Dominum Vice-Palatinum pro obeunda legatione, præmissæ eorundem repræsentationis relatione, & ut intuitu horum omnium, salutari sua mediatione resolutionem in ordine ad punctum sextum elargiendam accelerare dignetur, humillimâ nomine universorum Statuum & Ordinum Regni Secularium requisitione.

Reponit Vice-Palatinus, & cum disgustu se inquit, plus nescire Domino Comiti Palatino, quàm quod heri, declarare, quid prodesse ergo unum per diversa iterare?

Adjungit denuò Dominus Kapii præmissam declarationem partium superiorum, & cupit suæ Celsitudini proponendam. Demum invitus etiam exsurgens Dominus Vice-Palatinus cum legatione abiit.

Tandem redux refert suam Celsitudinem obtulisse mediatricem operam, sed si inquit, sua Majestas rogaverit, utrum assecurationem suæ Majestatis Regiam retulerit Regnicolis nec ne? quid respondebit? Si dixerit: Omninò: Quare ergo non credunt, hinc indignatio, verendumque ne hoc nomine mereamur apud exteram nationem Germanicam, quod Regiæ etiam affidationi credere nolimus.

Iterum recapitulantur priora, & respondetur: non propterea desiderari Diplomaticam satisfactionem, quasi verò assecurationi Regiæ fides non daretur, sed quod in Ordine publicorum

Gra-

Gravaminum insertum negotium Religionis, in serie benignæ Resolutionis replicam etiam desideraret, quam præstolarentur quoque: Accederet, quod benignæ propositiones suæ Majestatis Sacratiss. media pacificandi Regni à Statibus subministranda comittant, quod itaque est inter reliqua publica Regni Gravamina magis præcipuum pacificandi afflicti Regni medium perlubenter audirent Status: Istud enim est medium principalissimum sine quo non assecuratio porro Palatinalis stante Diætâ obtenturos Evangelicos aliquam Declarationem, sive, ut suspensa resolutio innuit, determinationem promittit, per quam Declarationem sive determinationem, quid sibi Status polliceri possunt, sunt enim ambigui termini, & æquivocè in hanc & illam partem interpretari possunt.

Vice Palatinus semper unum crepat: ergò non credunt Regiæ assecurationi, sed ad hæc recapitulantur priora.

Quidam Canonicus, credibile sibi satis visum, dicit, quantum petiistis in Gravamine tantum obtinuistis in Resolutione, voluitque explicare & confrontare intentionem suam.

Sed repositum est ipsi: Evangelicos nihil petere in Resolutione, quam quod posuêre in Gravamine, contentos redditum iri, modo sua Majestas Sacratissima Gravamen 6. per gratiosum suum verbum Regium, annuit, concluserit.

Propterea si Dominus Canonicus inspexerit ac confrontaverit Gravamen cum Resolutione alias suspensa, si non caligant oculi sui, apertissimam contrarietatem videre poterit. Explicatione ejusdem Statum Evangelicum non egere, cum verba clara sint, ipsique etiam aliquantum intelligant.

Pro & contra ultrò citroque plurimæ hujusmodi ortæ quæstiones per Dominum Vice-Palatinum adhibitæ ad aggrediendos labores persuasiones, sed frustrà, Statibus secularibus non nisi præmissis suis inhærentibus.

Demum Vice-Palatinus subjungit: Fortè, inquit, Status tædium cæperunt tantarum disceptationum, posse negotium differri in diem affuturum Lunæ, interea unumquemque superinde deliberare.

Sed ad hæc reponitur: Satis jam à semestri deliberatum esse, unius diei deliberationem non prævalituram tanto tempori. Eosdem Status non nisi prioribus inhærere.

Postremo refert sibi commissum esse à Domino Comite Palatino, ut finalem Statuum sibi reportet Resolutionem.

Tum iterum rogatur ut præmissas rationes & declarationes suæ Celsitudini repræsentet, & pro mediatione salutari, in passu obtinendæ in ordine ad punctum sextum complanationis, eandem nomine Statuum humillimè requirat, & oret, ut jam tandem Status iidem aggredienda, aggredi, ac tanto felicius, quietius, ac facilius modernæ Diætæ desideratum finem ac eventum imponere possint ac valeant.

Solvitur Sessio. Dominus verò Vice-Palatinus pergit ad Dominum Comitem Palatinum.

BENIGNISSIMA.

Sacratiss. Cæs. Regiæque Majestatis, Domini Domini Nostri Clementissimi Resolutio in negotio Religionis, *medio Excellentissimi Domini Comitis Palatini facta ac die 8. mensis Octobris per Dominum Vice-Palatinum, Spectabili ac Magnifico Domino* Præsentiæ *Regiæ, consequenterque universis Inclytis Statibus ac Ordinibus Regni in domo regnicolarum repræsentata:*

1. Omnes & singuli Status & Ordines intra Regni ambitum existentes in sua Religione & Confessione, sive sint Magnates & Nobiles, Liberæ etiam Civitates & oppida privilegiata, immediatè ad Coronam spectantia permaneant.
2. Eadem Libertate Religionis gaudeant Milites Ungarici in confiniis Regni.
3. Non solum libertas uti modò dictum in Religione, sed & insuper liberum suæ Religionis exercitium & usus permittatur. Salvo tamen Dominorum terrestrium jure.
4. Neutri parti liceat imposterum Ecclesiæ pastores propter Religionem amovere, & exturbare à locis ubi exercitium Religionis viget.
5. Nullæ ultra occupationes templorum fiant.
6. Templa verò quæ novissimo disturbiorum tempore ab Anno 1670. hucusque occupata fuerunt, possessoribus permaneant.
7. In unoquoque Comitatu permittatur Augustanæ Confessioni addictis, nec non illis, qui sub horum nomine comprehenduntur, facultas ædificandi Templum, & in eo exercitium Religionis, si hi in dicto Comitatu non haberent ullum Templum.
8. Quod si verò ibi jam haberent, ipsis hæc relinquantur, & proventus parochiarum talium ad eosdem pertineant.
9. Magnatibus quoque & Nobilibus in dictis Comitatibus permissum sit in illorum arcibus pro Exercitio Religionis, oratoria & sacella erigere & dotare.
10. Pacificatio Viennensis in primo Articulo in omnibus repetatur.
11. In universo Regno Catholicis permittatur suæ Religionis usus & exercitium.
12. Peculiariter concedatur Posoniensibus Augustanæ Confessionis, ædificare in loco com-

commodo & determinando unum Templum, sicut & Civitas Sopronienſis in poſſeſſione exercitii, quod modo habet, imperturbata relinquatur.

13. Gravamina futuris temporibus in negotio Religionis emergentia, nunquam armis, ſed per Regem, auditis partibus, determinentur, & Artic. octavus, Decreti 6. Uladislai Regis renovetur & obſervetur.

14. Sub gravi Regiæ Majeſtatis indignatione abſtineant omnes Status & Ordines & omnes Regnicolæ, ne quis alterius partis Religionem aut ejus ſequaces conviciis aut ſcommatibus proſcindant.

Status Evangelicus re bene librata ac ponderata, ſenſit ſibi irreparabile præjudicium creari, ſi præmentionatam Reſolutionem extra ſeriam prioris reſolutionis, & quidem nulla ſubſcriptione & ſigillo roboratam receperit; Seſſionibus igitur ſequentibus denuò utrinque acriter pugnatum extitit, Evangelicis, aſſentiente quoque univerſo Statu ſeculari Catholico hanc ipſam Reſolutionem ſeorſivam, priori ſuæ Majeſtatis reſolutioni inſeri: vel verò mediante ſubſcriptione, & Regii ſigilli appoſitione authenticari deſiderantibus, alioquin ulteriorem cooperationem circa alia totaliter recuſantibus: Obluctatur Clerus: Cæteri Status verò pariter & voce inſtant, ſed hactenus fruſtrà.

Die 11. Octobris. Habita ſeſſione, Evangelici nec non Status ſecularis Catholicus, Regiæ Reſolutionis in negotio Religionis datæ, aut authenticationem, vel verò prioris Sacratiſſimæ ſuæ Majeſtatis univerſis Statibus & Ordinibus Regni impertitæ reſolutionis puncto ſexto fiendam inſertiendam indeſinenter urget, omnem alioquin cooperationem, quoad reliqua negotia renuens: Nec minus Dominus Perſonalis, Clero hac in parte, mirum dictu, quantopere contrarius nunc demum quisnam incendii hujus Patriæ Author ſit, apparere, inquit: „Juſtam & æquam Evangelicorum inſtantiam „eſſe, deficiente namque petita authenticatio„ne, ſeorſivam illam reſolutionem pro Paſquil„lo aut ſimili ſcripto haberi poſſe: Cæterum, „ſi Clerus more hactenus ſibi uſitato, etiam im„poſterum nil niſi reliquis Statibus & Ordini„bus contradicere & reſiſtere noverit, ſatius ſi„bi eſſe depoſito Præſidis officio, ad ipſum Cle„ro committere, verendum etiam, ne Clerus „ob has & ejusmodi inſolentias, tandem Status „pariter & voti privilegio privetur. Nam & „ſuæ Sacratiſſimæ Majeſtatis eam eſſe benignam „voluntatem, ut Clero pertinaciam ſuam exuere „detrectante, reliqui Status incumbentia agant.

Tandem

Die 12. ejusdem. Quod felix fauſtumque ſit, ſecularis Status votum ſuperavit, Reſolutioque tantopere controverſa, cum inenarrabili Cleri dolore, priori Sacratiſſimæ ſuæ Majeſtatis Reſolutioni ad mentem Evangelicorum inſerta eſt, modo ſubſequenti:

TITULUS:

Reverendiſſimis, Reverendis Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac Circumſpectis univerſis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ, tam Romano-Catholicis, quam Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſioni addictis in generali hac Regni Diæta congregatis aſſignandum.

Sacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Domini Domini noſtri Clementiſſimi nomine, Reverendisſimis, Reverendis &c. &c. (ut ſupra) hiſce notificandum:

„Eandem ſuam Majeſtatem Sacratiſſi„mam ſeriem Gravaminum ſuorum ab utra„que parte in negotio Religionis ſeparatim „per Deputatos ſuos porrectorum benignè „intellexiſſe, & ad ea ſeſe clementiſſimè etiam „reſolviſſe, ac determinaſſe modo ſequenti: Ut

1. Omnes & ſinguli Status & Ordines intra Regni ambitum exiſtentes &c. &c.

(NB. Per omnia uti in præcedenti folio præmiſſum eſt.)

„Cui prævio modo factæ benignæ ſuæ Majeſta„tis determinationi & Reſolutioni ſeſe accom„modaturos, & ad publica Regni negotia tra„ctanda, ac concludenda Status & Ordines pro„ceſſuros eſſe eadem ſua Majeſtas omninò per„ſuaſum habet. Quibus etiam in reliquo gra„tia ſua Cæſarea propenſa ſemper manet.

Per Sacratisſimam Cæſaream Regiamque Majeſtatem,

Sopronii Die 8. *Octobr.* 1681.

Johannes Maholanij.

Huic inſertioni Status ſeculares eatenus, ſalva tamen de reliquo ſecutura Diplomatica Complanatione, acquieſcentes, Replicæ manus admovere, in ſexta demum conditione denuo ſubſtituri.

Diebus 13. & 14. Laboratum in Replica.

Die 15. Octobris. Similiter laboratum ſub ſeſſione Regnicolarum, Demum Dominus Perſonalis ſuffultus tantis viribus in medium Regnicolarum advenit, ſuoque & reliquorum Inclytæ Ta-

Tabulæ Regiæ Judiciariæ Judicum & Jurassessorum proponit, sibi denegari articulare diurnum, quo ex respectu nonnulli equos etiam suos vendere necessitati fuerint ulteriusque destituti expensis, comparere & subsistere nequirent, rogando, quatenus querimonia hæc suarum Dominationum Dominis Prælatis & Magnatibus denuntientur, atque communi Statuum & Ordinum consensu suæ Majestati etiam mediante Legatione repræsententur.

Die 16. Octobris. Inclyta Tabula diurno destituta à sessione se absentavit.

Die verò 17. Octobr. Sub sessione Regnicolarum missus est Paulus Orban Protonotarius cum labore Replicæ: qui redux retulit, postquam inter cætera ad Gravamen septimum in passu amotionis Thesaurariorum Regni & superfluorum Camerarum Ministrorum deventum fuisset, omnes Dominos Prælatos & Magnates in amotionem Administratoris Cassoviensis Valsegh, & superfluorum Ministrorum unanimi consensu subscripsisse, quoad verò Dominum COMITEM KOLLONICS POSONIENSIS CAMERÆ PRÆSIDEM, contra rationes Gravaminis allegasse.

1. Licet Ecclesiasticus, tamen & antehac Ecclesiasticos officium idem supportasse, constat, quo in passu tuebatur partes Clerus.
2. Non externæ nationis sed Hungarus & in Hungaria natus.
3. Quod possessionatus, etsi restantiarius factus, unde solvendo habeat, imò eidem Cameram multis millibus obligari.
4. Quanta præstitit erga Regnum, quod millia viduis, captivis elocavit, bona sua Cameræ possidenda reliquit.

Ad 1. Resolutum: Pacificatio Viennensis Ecclesiasticos à ferendo officio hoc, totaliter arcet, neque post eandem quispiam Prælatus idem supportavit, & sic antiquum illum usum sustulit.

Ad 2. Maltensis Cruciger factus abjuravit Hungarismum, uti & in præsens Episcopus Neostadiensis non Hungarus sed Austriacus.

Ad 3. Quod possessionatus, non constat, illud enim quod est alteri⁹, non potest dici suum, & facile sit ea Cameræ cedere, quæ non potest possidere, neque ante datas rationes Cameram debitorem efficere posse.

Ad 4. „Recognoscit Regnum quanta præstitit, Repartitionem, Accisas, aliasque infinitas nunquam antehac vel de nomine auditas contributiones induxit, sicque quatuor vel quinque millia florenorum in viduas aut captivos elocavit, quadringenta & quingenta millia, imo millena millia damni intulit, Leges Regni jusque deque habuit, pervertit, convulsit; meritò æternâ memoriâ apud Gentem Hungaram dignus, cujus nomen, ut apud filios etiam Gentis ejusdem de præstitis officiis inclarescat, Annalibus Regni inscribendum censetur.

Inter cætera dicit Dominus Personalis, viderit Inclytum Regnum, ecce ferè omnia præcipua occupavit extera gens officia, Clerus ex externis eligitur, Thesaurarii iidem Capitanei &c. unus Stokfisch adveniat ex Italia, statim Philosophus in Hungaria; sed fortiter & constanter agendum: etiamsi Clerus & Magnates cum Regnicolis correspondere nolint, sibi tamen in confidentia esse relatum suam Majestatem fore paratam satisfacere votis Regnicolarum.

Hæc itaq; præmissa renuntiata ad Dominos Prælatos & Magnates, institumque Diplomati Regio, Legibus & porrecto gravamini, cui & Domini Magnates assensum præbuerunt.

Die 18. Mensis Octobris, laboratum sub sessione in Replica: Ac post continuos labores Dominus Personalis dicit, Comitem Kollonics eò intentionem suam dirigere, ut inducat Clerum ad præstandum Suæ Maj. certū subsidium, quod siquidem inquit regnicolæ præstare non possunt, ostendamus nos plus posse illis, lactando Clerum, se inventurum talem modalitatem, per quam ne unum nummum præstabunt, seu administrabunt, notabile tamen subsidium erga suam Majestatem Sacratissimam declarabunt.

Conversus ad Clerum, cautè inquit, cautè certè vos deplumabit &c. sua tenui opinione interpretabatur opinionem Kollonicsii eò tendere, ut suspendatur vacantium beneficiorum collatio, proventusque per Cameram percipiantur, demum videbit Clerus, si huic intentioni assensum præbuerit, quo pacto amissa reobtinere potuerit, si enim inquit in hoc manserit officio, brevi alterutro Archiepiscoporum denato, forsne Primatum obtinebit, quid fiet hinc? verè exulabitis, & Itali, Germani prædominabuntur vobis non sine ignominia & præjudicio gentis olim celeberrimæ, Trucz vobis.

Ad hæc dicit Georgius Gerhard: Eritne bonum, si in tali casu, confugiens Clerus ad Regnicolas, quod externi beneficia sua possideant, Regnicolæ etiam non promovebunt Instantiam eorum, sicuti nunc à Clero experiuntur? Quare ergò Clerus tempestive non sibi prospicit? Quare promotioni ejus palmam porrigit?

Demum Instantiæ Familiarum Battyanij contra Corseghienses & Szungog in ordine ad bona Budatinensia ad Arcem Strechzen occupata: Porrò Privilegiorum, Liberarum Civitatum, Libertatisque electionis Judicum, quasi verò ista privata essent, & ex eo ad futuram Diætam rejicienda.

Ad hæc tamen brevissimè replicatum fuit, hæc omnia in exhibitis suæ Majestati Gravaminibus pro publicis acceptata fuisse, neque competere Statibus & Ordinibus eadem Gravamina sua unanimi voto & consensu porrecta revocare, quis enim vel in his non videt læsam publicæ & communis libertatis Nobilitaris convulsionem.

Proinde remittitur Protonotarius & resolvitur: Regnicolas instantiæ suæ in Diplomate & Legibus Regni fundatæ inhærere, nihilque aliud, quàm quod in prioribus Gravaminibus insertum fuerat, per concinnatam replicam supplicare: Ex adverso verò Dn. Prælatos & Magnates difficultates suas in privatis considerationibus & contrariis legibus fundare, ex eoq; Regnicolas à tramite Diplomatum & legum exhibitorumq; Grava-

minum, nisi contrariis convictos legibus, recedere nequire, cum non sint expediti ad solvendas, sed implendas & effectui mancipandas hactenus minus effectuatas Leges.

Remissus ad Dominos Prælatos & Magnates Protonotarius, præmissaque referens, ac demum iterum redux, siquidem inquit Regnicolæ suis inhærentes nihil cedere volunt, suæ quoque Dominationes suis inhærent, sessionemq; solvunt.

Hinc Dominus Personalis honorificè Regnicolas & commiserativo animo alloquitur: Quot & quantos à semestri labores, expensas domi forisque per intestinos motus & externas naturalis hostis Turcæ hostilitates, pericula, illata damna, sanguinis effusiones, captivationes & id genus alia experti sunt, studiosi tranquillandæ patriæ bonique publici Regnicolæ. Ecce inquit quantam molem Gravaminum ad instantiam Prælatorum & Magnatum compendiavimus, contraximus, illorum quam plurima ad futuram Diætam seposuimus, alia verò ad tranquillandam patriam tendentia unanimi voto & consensu excerpta suæ Majestati exhibuimus, jam tamen videre est intentione suarum Dominationum & illorum nonnulla exmitti desiderari, sique dietim jam unum jam alterum exmittetur, quid manebit pro Gravamine? Parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Admonet itaque Regnicolas, in tuendis & defendendis Diplomate Legibusque patriæ constantes se declarent, qui enim Diplomati Legibusque inhæret patriis justum petit, & nemini injuriam facit.

Tandem nomine Regnicolarum Dominus Georgius Gerhard exsurgens resumit propositionem suæ Magnificentiæ, dissertissimisque verbis præmissa omnia recenset, ac subjungit: Regnicolas jam fere omnia, exiguasque fortunas suas amisisse, reliquias discrimini subesse, omnimodè exhaustos, depauperatos, & ad extrema redactos, vel quotidianæ necessariæ sustentationi sui & suorum non sufficere, plurimos ad ostiatim quærendum panem pervenisse, hæc tamen omnia pro illibata erga Dominum Dominum & Regem suum Clementissimum contestandâ devotione, servataque fidelitate pati non detractasse, alios vitam deposuisse.

Ut tamen à libertatibus, Privilegiis & immunitatibus suis, avito sanguine majorum suorum partis, vel latum unguem recedant, in id consentire nequire, Instructionibusque non ad solvendas, sed effectui debito mancipandas & ad implendas Leges circumscriptos esse. Ob hoc nomine eorundem Regnicolarum solennem ex præmissis præmisit protestationem, palam, publicè & manifestè declarando.

Regnicolas desideratæ pacis, quietis & tranquillitatis patriæ avidos & studiosos omnia possibilia fecisse, cum damno & præjudicio libertatis Nobilitaris, privata postposuisse, & ad compendiationem Gravaminum manus admovisse, laborasse, eadem communi omnium Statuum & Ordinum Regni votô atque assensu suæ Majestati præsentasse, denuo post obtentam ab eadem sua Majestate Sacratissima Resolutionem, ad eand. humillimè & in fundamento Diplomatis Regii, Legumque patriæ replicasse; Apparere tamen Dominos Prælatos & Magnates, nullâ habitâ moderni Statûs Patriæ ferrô flammaque ardentis ratione, solo privatæ considerationis respectu nulla lege fulcitô ductos, jam hoc jam illud Gravamen impugnare, difficultare, pretiosum tempus inanibus cavillationibus extrahere, patriæ afflictiones, & fatigiosos, Comitatuum sumptus adaugere, per hocque nil aliud quam ad rupturam diu desideratæ ac post tot expectationes consecutæ modernæ Diætæ intendere.

Unde quæ patriam hanc afflictam & Gentem olim celeberrrimam Hungaram comitatura sunt incommoda, abinde non nisi ultima funesta ejusdem ruina & eversio ominari potest; cujus causa siquidem non regnicolæ, qui nihil illorum, quæ ad publicum bonum reducendam patriæ pacem tendunt intentatum relinquunt, sed Domini Prælati & magnates Diplomatis Regii & Legum patriarum convulsores manifestè comperirentur, hinc coram orbe Christiano, Deo, suâ Majestate, Domino Domino & Rege eorum clementissimo, ac sua Magnificentiâ uti præsentiæ Regiæ locumtenente, ac præside suo super præmissis omnibus protestantes, se à futurâ (quam Deus longè avertere dignetur) patriæ hujus ruina immunes, excusatos & enodatos declarant. Petendo testimoniales, & sua Magnificentia hanc Regnicolarum protestationem & Declarationem Domino Comiti Palatino repræsentare dignetur adhuc hodie, simulque suam excellentiam rogare non intermittat, quatenus ex officio suo Palatinali similes inanes Dominorum Prælatorum & Magnatum cavillationes præscindendo, eum instituere velit ordinem, quo Tractatus Diætales in tantum progressi desideratum jam tandem per unionem suarum Dominationum, mutuumque assensum obtinere valeant finem.

Dominus Personalis, visâ hac quasi scissione, summopere anxius, longa taciturnitate sessionem conclusit, & se præmissam protestationem Regnicolarum apud Dominum Comitem Palatinum repræsentaturum omniaque illa suæ Excellentiæ declaraturum obtulit.

Præterea addidit & id Dominus Gerhard, nisi sua Excellentia hoc in passu ex officio Palatinali Regnicolis provisum voluerit, Regnicolas turmatim, impetrata apud suam Majestatem audientia, ad pedes ejusdem provolutum & præmissam protestationem atque declarationem humillimè repræsentatum iri. Solvitur sessio.

Die 20. Octobris. Dominus Palatinus medio unius jurati sui denunciat Domino Georgio Gerhard, ut adjunctis aliquot ad latus suum ad se venire velit.

Quo cum nonnullis eò perveniente, refert, se juxta declarationem & protestationem Regnicolarum ad instantiam eorundem, omnia ea quæ hesternâ die occurrerant suæ Excellentiæ satis fusè, longè & latè ferè ultra unam horam repræsentasse, ac omnia juxta possibilitatem dexteritatemque suam, nec non desiderium, quo dicitur, tranquillandæ patriæ, reducendæque pacis, ac desideratæ Statuum & Ordinum Regni unionis proposuisse, rogasseque suam Excellentiam super adhibendo eatenus remedio alioquin Regnicolas ultimam reservatam ad suam Majestatem humillimè recurrendi deliberationem effectuandam necessitaturos.

Ad quæ Dominus Comes Palatinus respondit: Omninò constare sibi Regnicolas privata quævis se postposituros resolvisse, cum tamen per seriem Gravaminum, consequenterque modernæ Replicæ, plurima publicorum occasione privata irrepsisse comperiantur, Suam Majestatem non minùs resentire, quàm apprehendere, quod talibus & similibus Regnicolas immorari, & ad invicem cum Prælatis & Magnatibus disceptare intelligat, negotium namque familiæ Szunyog in passu abjudicatorum à Dominio Budatiniensi ad aliud Dominium Sztreczinensem nonnullorum pagorum, cum sit purum putum privatum (Sua Excellentia habet certum ad bona Sztreczeniensia interesse) itaque venire rejiciendum.

Eandem rationem esse Sabariensium, Meszleniensium, Districtus Deveczer & Bagyop contra Dominum Episcopum Jauriensem. Item familiæ Bottyany contra Eörsigienses Civitatum, sed hæc accommodari possunt: Maximum tamen esse, tangereque pupillam Suæ Majestatis, quod omnium eorundem bonorum qui convicti sunt & executi, tam mobilium & immobilium restitutionem ex integro quasi coactivè & non supplicativè efflagitent.

Quæ si Status pensitare volunt, ad aliquot millena sese & milliones extendunt partimque distracta sunt, adeò ut ferè impossibile videatur Suæ Majestati ea omnia statim restituere; nihilominus Suam Majestatem paratam fore illa quæ præ manibus Cameræ sunt restituere, de distractis verò, successu temporis Successores ad humillimas eorundem desuper fiendas supplicationes, vel in æquivalentibus bonis, vel in pecuniis contentari facere.

Dominus verò Personalis addidit sibi in confidentia per nonnullos Ministros esse intimatum, Suam Majestatem ita esse resolutam, Malle Coronam deponere, quàm ad id accedere, unde colligere est, hoc instantiæ Statuum & Ordinum Regni punćto summè disgustari Suam Majestatem Sacratissimam: ac proindè institit, ut Dominus Georgius Gerhard præmissa cum aliis ablegatis communicet, & adlaboret, quatenus eadem, in quantum modificari possunt, modificetur.

Reduce Domino Georgio Gerhard, & præmissam intimationem Domini Personalis cum resolutione Domini Comitis Palatini conjunctam referente, nonnullis qui ad latus haberi potuerunt, pro & contra varia consilia ad invicem intermiscentibus, non esse nempe tutum, à porrectis Gravaminibus vel in minimo resilere, admisso enim in uno vel saltem resultu, in aliis etiam idem intentatum iri, hincque ne fors Domini Prælati & Magnates palmam sibi polliceri viderentur, quod Regnicolæ obstinaciæ eorundem cedere debeant, de exhibitis Gravaminibus, quod idem semper in similibus practicatum vellent: Quia nihilominus præmissa, particulariter Ablegatos non concernerent, sed omnes Regnicolas, ideo renunciatum est, quo de his uberius, moreque solito pertractari posit, Sua Magnificentia indici faciat sessionem Regnicolis, simulque insinuare Domino etiam Comiti Palatino pro indicendâ Dominis Prælatis & Magnatibus crastinâ die sessione.

DEMISSA REPLICA

Universorum Dominorum, Prælatorum, Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, reliquorumque eidem annexorum ad benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ Resolutionem circa nonnulla ipsorum Gravamina factam Sopronii in Generali Regni Diætâ die 25. Octobris Anno 1681. humillimè præsentatâ.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas Domine, Domine Clementissime.

Qualiter, quave animi benignitate Majestas Vestra Sacratissima ad nonnulla fidelium suorum Statuum & Ordinum Regni Gravamina nuper dierum sibi humillimè per eosdem præsentata sese resolvere dignata sit, iidem fideles Status & Ordines ex clementi ejusdem per Cancellariam Hungaricam Aulicam nomine Majestatis Vestræ Sacratissimæ extradatâ resolutione demisse intellexerunt: Optassent equidem iidem fideles Status & Ordines, si sine ulteriori pretiosi temporis jacturâ respectu etiam indies ingravescentium in superiori Hungariâ Principis Transylvaniæ, ejusdemque sequacium hostilitatum, benignæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutioni pro debito fidelitatis acquiescere potuissent.

Quia tamen quædam ejusdem resolutionis puncta magis in labefactationem jurium & libertatum Regni, quàm in aliquam eorundem fidelium Statuum & Ordinum alleviationem vergere dignoscerentur, adeoque conditionem etiam ipsorum in aliquibus magis aggravari quam alleviari persentiscerent; Ideo iidem Status & Ordines se nihil dignitati Regiæ inconveniens facturos arbitrantur, si uberiùs etiam benigno Diplomati Regio, legibusque Regni in attactis Gravaminibus suis citatis inhærendo, cum submissâ eorundem Gravaminum suorum recapitulatione, penes præsentem demissam suam instantiam benigniorem ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem de humili genu præstolarentur. &c. &c. &c.

Ad Sextum. Ex quo uterque tam Catholicus quam Evangelicus Status in negotio Religionis, ad benignam Diplomaticam Suæ Majestatis resolutionem se provocasset, idemque negotium Status & Ordines Regni, stante adhuc præsenti Diætâ per Suam Majestatem Sacratissimam benignè complanandum censuissent, ac in eum finem sextum punctum Gravaminibus inseruissent, Suæ Majestati Sacratissimæ humillimè præsentassent, per resolutionem verò Suæ Majestatis Sacratissimæ benignam, præscripto Gravamini, & demissæ Statuum & Ordinum Regni instantiæ ex integro satis non fieret, ob hoc iidem Status & Ordines inhærent ulterius quoque humil-

time eidem Gravamini utrinque præsentato. &c. &c. &c.

Et hæc erant, quæ ad benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem fideles Status & Ordines ex Gravaminibus suis recapitulanda & eidem iteratò cum submissione proponenda habuerunt, demissè supplicantes, quatenus tum juxta præscripta eorundem humillima postulata, in Diplomate Regio, & positivis Patriæ legibus fundata, nihil novi vel aliquid injusti, nihilque dignitati Regiæ præjudiciosi, aut aliquid quod alienum esset supplicant, & penes fidelitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ ad extrema redacti, post DEUM in solâ ejusdem Clementiâ spem & fiduciam suam ponunt, pro eadem ipsa innata sua Clementia, toti Orbi Christiano deprædicata, Nationi etiam Hungaricæ sese exorabilem reddere, delinquentibus parcere, huicque Regno suo Apostolico, de Pristino flore vix umbram amplius habente, & actu tot inimicarum nationum fideles Status & Ordines in superiori Hungaria, cum actuali integrorum districtuum occupatione, sine aliqua resistentia persequentium hostilitati & prædæ exposito, pro paterna sua pietate misereri, devotosque suos Status & Ordines penes fidelitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ, in his etiam suis & patriæ extremitatibus vivere & mori paratos, & de facto ad Augustissimum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiæ Thronum humillimè provolutos, paterno gratiarum Regiarum sinu amplecti, taliterque eosdem unà cum modicis laceri sui Regni reliquiis, ad ulteriora sua fidelia servitia clementer conservare & obligare, atque hinc per benignam suam ad demissa ipsorum postulatorum dandam resolutionem jam totaliter sumptibus exhaustos, consolatos quantocyus dimittere, hancque supplicem ipsorum instantiam non alteri, quàm extremæ egestatis imperio causatæ necessitati, domesticorumque suorum periculis benignè adscribere dignetur: Ita ut dum hactenus penes privatas suas & particulares instantias, diversarum suarum oppressionum medelam obtinere non potuissent, in hoc Generali suo conventu, cum æterna Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiæ memoria, suique & suorum consolatione, à tot & tantis sui oppressionibus, tandem aliquando pristinæ libertati quasi postliminiò restitui mereantur, quod tum per Clementissimam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam se obtenturos sperant, eidemq; longævam vitam, diuturnumque & felix gubernium, cum felicissimo rerum omnium etiam contra omnes inimicos successu, concordibus votis apprecantur.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Domini Domini ipsorum Clementissimi.

Sopronii Die 25. Mens. Octobr. Anno Domini 1681.

Humillimi ac perpetuo fideles subditi,

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, partiumq; eidem annexarum ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

Die 31. Octobris. Item 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Mensis Novembris à resolutione præstolatum. Interim tamen non cessarunt nonnulli, nominatim autem *Comes Leopoldus à Kolonics Cameræ Præses*, unionem & mutuam correspondentiam, atque cointelligentiam Statuum atque Ordinum Regni ad invicem conformiter habitam, ad convulsionem tentare & disponere: dum nimirùm Comitatuum & Civitatum Catholicos Ablegatos, quasi vero eidem competivisset Palatinalis, aut præsentiæ Regiæ in indicenda aliqua particulari sessione autoritas (quam alioquin ne ipsi quidem ex privato habent) ad se pro certâ indictâ horâ advocaret.

Ablegati nihilominus Catholici nihil inconsultè facere volentes, convenientes, qui propius haberi potuerunt tredecim Comitatuum de plano & simplici, ex eô, quod Dominus Cameræ Præses neque Palatinus neque Personalis eorum sit, comparitionem abnuunt, & omittunt. Trans-Danubiani verò sex vel septem Comitatuum nuncii primum conveniunt Dominum Personalem & intentionem Kolonicsianam detegunt, is demum per longum & latum, cum admiratione exaggerat, si idem in præsentiâ Suæ Majestatis hujusmodi præsumit facere inconvenientias, limitesq; officii sui transgredi, quid non futurum ex post, &c. nihilominus ut intentio ejus prodeat in apricum, suadet mittendos duos, voluntatem suam intellecturos.

Mittuntur Emericus Huszár & Gabriel Bossány, seque ad denunciationem Suæ Dominationis venisse declarant. Ille statim negotium Religionis, suam Cameræ Præfecturam allegat, & quare Status Catholici cum hæreticis (inquit) in eo consentiunt, aut iisdem eâ in parte collaborant, exprobrat, utque se ab iisdem abstrahant & avellant plurimis artibus & coloratis verbis monet, simulq; declarat hæreticos nihil planè obtenturos.

Redeunt præmissaq; tam Domino Personali (imò præterea, quod omnia ea quæ Personalis de se coram Regnicolis dixerit, revocare debeat) quàm Palatino referunt, quæ etiam S. M. repræsentata sunt, & accepit capitolium Kolonicsius.

Die demum 12. Mensis Novembris. Sub sessione Regnicolarum exhibita est S. M. S. resolutio, & perlecta publicè hoc tenore.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac circumspectis, universis Regni Hungariæ & partium eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, pro præsenti Generali ejusdem Regni Diæta hic Sopronii convocatis, & præsentibus assignandum

(L. S.)

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Dominus Dominus noster Clementissimus benignè intel-

intellexit Dominorum Statuum & Ordinum, ad Clementissimam suam, super Gravaminibus eorundem datam resolutionem, porrectarum Replicarum seriem, ad quam etiam pro paternâ Regiaque suâ erga hoc Regnum propensione, iterato se resolvere dignata est, modo subsequenti: &c. &c.

Ad Sextum: Refert se Sua Cæsarea Regiaque Majestas, ad peculiarem suam iteratam benignam hoc in puncto fidelibus suis Romano-Catholicis, & Augustanæ ac Helveticæ confessioni addictis Statibus & Ordinibus datam resolutionem, &c.

Epilogus Resolutionis Cæsareæ.

Et cum hæc Sacratissimæ Suæ Majestatis benignissima resolutio in hac primâ post tot disturbia in Regno hactenus continuata feliciter reinchoatâ Diætâ sufficiens videatur, & reddita Inclyto Regno totali tranquillitate Status & Ordines omni opera collaboraturos confidit, quo reliqua Regni salutaria in proximè futurâ Diætâ de facili expediri possint, eadem Sua Sacratissima Majestas clementissimè sperat, nullam amplius nunc novam, aut ulterius disceptandi causam superfuturam esse, cur hyeme jam ingruente, pestilentiâ etiam in vicinis locis gliscente, diutius cum universorum incommoditate hic subsistere opus sit, sed Sua Sacratissima Majestas potius ad alia Romani Imperii, suarumque aliarum provinciarum gravissima negotia peragenda isthinc digredi, nec non Inclyti Regni Status & Ordines ad sua redire possint. Quibus universis & singulis in reliquo Cæsaream ac Regiam Suam benignitatem clementissimè confirmat.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Sopronii Die 9. Mensis Novembris Anno 1681.

Johannes Maholany.

Resolutionis porrò in sexto præmissorum puncto mentionatæ hæc erat continentia:

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac circumspectis universis Regni Hungariæ, & partium eidem annexarum tam Romano-Catholicis, quàm verò Augustanæ & Helveticæ confessioni addictis Statibus & Ordinibus in præsenti generali Regni Diæta constitutis & existentibus assignandum

(L.S.)

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis nomine universis fidelibus Regni Hungariæ Romano-Catholicis, & Augustanæ ac Helveticæ Confessioni addictis Statibus & Ordinibus in hac generali ejusdem Regni Diætâ congregatis & existentibus pro ulteriori benignâ Cæsareâ & Regiâ resolutione hisce significandum.

Cum Sua Cæsarea & Regia Majestas Inclytis Regni Hungariæ Ordinibus, ad sextum suorum Gravaminum Articulum super humillimis omnium Statuum Instantiis ultra declarationem, quam ipsis Augustanæ & Helveticæ Religioni addictis singulariter jam exhibitam clementissimè responderit, se in negotio Religionis finaliter determinaturam, qualis libertas & exercitium in memorato Religionis negotio in futurum sit concedendum: Idcircò altissimè memorata Sua Cæsarea & Regia Majestas se sequenti modo declarat, simulque determinat, scilicet:

Primò. Pacificatio Viennensis in totum & maximè in Imo Articulo utramque Religionem concernente in omnibus repetitur & confirmatur.

Secundò. In supplementum dictæ Pacificationis omnes & singuli Status & Ordines, non solum Romano-Catholici, sed etiam confessioni Augustanæ vel Helveticæ addicti, sivè sint Magnates & Nobiles sivè liberarum Civitatum indigenæ, oppida etiam privilegiata ad Coronam spectantia, pariter Milites & Regnicolæ in confiniis commorantes, in illa, quam modò profitentur Religione sine omni turbatione permaneant, nec non in transgressores sublato Religionum supra dictarum discrimine severè animadvertatur.

Tertiò. Neque dicti Augustanæ & Helveticæ Religioni addicti ad alias suæ Religioni contrarias ceremonias peragendas, semoto tamen publico scandalo, compellantur.

Quartò. Ultra libertatem hanc, dictis Augustanæ & Helveticæ Religionis sequacibus concessum sit insuper suæ Religionis exercitium & usus, salvo tamen in his jure Dominorum terrestrium in Dominiis & bonis præcisè Catholicos concernentibus, & è contra Augustanæ & Helveticæ confessioni addictos respicientibus: In aliis verò mixtis, & per utriusque Religionis Dominos comportionaliter possessis, pro illis qui de præsenti ibidem in usu & actuali possessione templorum essent, permanente, & integro relicto.

Quintò. In locis etiam ubi liberum Religionis exercitium concessum, non liceat ex causâ Religionis Pastores & Parochos Ecclesiarum amovere, pellere aut turbare.

Sextò. Nullæ etiam ultra occupationes templorum fiant.

Septimò. Propter bonum pacis & tranquil-

quillitatem publicam, ne Regnicolæ penè infinitis litigiis templorum aut Ecclesiarum causa implicentur, illa templa aut Ecclesiæ, nec non etiam reditus aut proventus ad eas pertinentes, si hæc ab initio anni 1670. hucusque occupata fuissent, possessoribus permaneant.

Octavò Posoniensibus Augustanæ confessioni addictis liceat ædificare suis sumptibus templum unum, in loco commodo, atque in suburbio à Sua Cæsareâ & Regiâ Majestate designando.

Nonò. Civitas Sopronienses maneat in possessione & exercitio suæ Religionis, quam modo profitetur, nec in hoc turbetur.

Decimo. Quoad reliquas liberas civitates, à Sua Cæsarea Regiaque Majestate similiter loca pro ædificando templo prævio modo designanda clementissimè indulgentur. In Civitatibus cis- & ultra-Danubianis, utpote Trenchiniensi, Kremniczensi, & Novisoliensi; In superiori Hungariâ, Bartphensi, Lentsoviensi, Eperiesiensi, Cassoviensi & Nagy Bánya.

Undecimo. In Comitatibus porro Helveticæ aut Augustanæ confessioni addictis sequentia observentur; Scilicet in Comitatu Castriferrei, pro illis qui Augustanam Confessionem sequuntur, in Dômôk & Nemes Coo, pro Helveticæ vero confessionis Incolis in Fölsô Oz. Demum in Comitatu Soproniensi in Vagosfalva, & Nemes pûr. In Posoniensi in Réte & Putzta Tögyémes. In Nitriensi in Nitra Szerdahel & Stracza penes Vagum. In Barsiensi in Simony & Szelerin. In Zoliensi in Osztroluka & Graramszegh. In Thuroczensi in Neezpal & Ivanka falva. In Liptoviensi in Hibe & Nagy Palugya. In Arvensi in Folso Kubin & Istebne. In Trencsiniensi in Szullovv & Z y Ughrocz. In Sceputiensi in Gorgo & Toporcz vel Batisfalva. In Saarosiensi in Keczer Peklin, & Tarcza: pro Helveticæ autem confessioni addictis in Tot Szelmes, & Baspataka. In Szaladiensi, siquidem Vetzprimiensi, Jauriensi, Comaromiensi, Aba Vyvariensi, Ungheniensi, Bereghiensi, Tornensi, Gomoriensi, Barsodiensi, Neogradiensi, Zolnogh & Hevessiensi, Pestensi & Pilisiensi Szabolczensi, Szapmariensi, Zempliniensi & de Ugocza, ac Honthensi Comitatibus de præsenti etiam in usu; Tandem in confiniis etiam Regni & quidem in Generalatu contra Canisam, in Egerszegh & Sz. Grotth. In Generalatu Jauriensi in Tihari, Vason, Pápa, Veszprém, Jaurini & Comaromii. In Generalatu ante-montano, Levæ, Corponæ, & Fülekini: In Generalatu superioris Hungariæ in Putnop, Onod, Szendrô, & Tokay; Trans Tibiscum in Kallo & Szakmar.

Duodecimo. Permissum etiam sit Magnatibus & Nobilibus, qui vel Augustanam vel Helveticam Religionem profitentur, & in suis arcibus habitant, Oratoria & Sacella pro exercitio suæ Religionis erigere.

Decimo tertio. Cùm Romano-Catholicis merito sit aut esse debeat in universo Regno liberum suæ Religionis exercitium & usus, ideo hic nullo modo aut tempore nulloque loco in hoc exercitio vel jam turbentur, vel in futurum impediantur.

Decimo quarto. Si quæ Gravamina futuro tempore in negotio Religionis emergerent, dissidia nunquam armis, sed per Regem auditis partibus determinentur.

Decimo quinto. Sub gravi Cæsareæ & Regiæ Majestatis indignatione abstineant Status & Ordines, ac Regnicolæ, ne quis alterius partis Religionem, aut ejus asseculas convitiis vel scommatibus ullo modo proscindat.

Unde sua quoque Majestas Cæsarea & Regia omnes suos fideles Status & Ordines, & Regnicolas, non solùm contra omnem vim & violentiam clementissimè proteget, sed etiam transgressores sine Status discrimine, prout Regni tranquillitas exigit, condigna pœna afficiet; Quæ tamen omnia nec aliter, nec alio modo conceduntur, quàm ut Augustanæ & Helveticæ Religionis sequaces, si hac concessione frui velint, quietè, pacificè, & prout alios fideles subditos decet, vivant, & debitam obedientiam Regi suo præstent: Et cum per hæc omnia Sua Majestas Sacratissima suam erga illos innatam Clementiam & benignitatem abundè demonstraverit, ne quid ulterius ab illâ in hoc Religionis negotio desiderari possit: Unde etiam pro certo habet, Regni Status, Ordines & Incolas Suæ Clementissimæ resolutioni omnino acquieturos. De reliquo iisdem omnibus & singulis Cæsaream atque Regiam Suam gratiam & Clementiam benignissimè confirmat.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Sopronii Die 9. Mensis Novembr. Anno 1681.

Joannes Maholany.

Die 17. Novembris. Licet generalis sessio Regnicolarum celebranda fuisset, veluti etiam iidem ad Domum Regnicolarum solita frequentiâ comparuerunt: Quia nihilominus in serie benignæ Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionis sextum in ordine punctum in negotio Religionis examinandum occurrit, Statusq; Evangelicus per iteratas resolutiones in ordine Religionis humillimè per Status & Ordines cupitam Diplomaticam satisfactionem minimè obtinendo, ulterius etiam Gravamini & Replicæ porrectis inhærendo, instantiam eandem ulterius quoque nomine universorum Statuum & Ordinum Regni modernæ Replicæ inserendam instituisset; hinc Status Catholicus medio Domini Vice-Palatini proponi fecit: Quod licet iidem occasione ejusdem sexti puncti unà cum Dominis Prælatis & Magnatibus convenissent, quia nihilominus nullam conferentiam insimul inire potuissent; Ob hoc honorificè rogare Statum Evangelicum, ut sibi hodiernum diem, licet publicæ sessioni destinatum, pro ineunda prævia conferentiâ, cedere dignetur.

Hic allegatur ab Evangelicis, id sine præjudicio & derogamine Status ejusdem Evangelici fieri nequire, publicam enim sessionem privatis cedere

sedere conferentiis, non modò incongruum, sed & Statibus Evangelicis derogatorium, ut iidem sessione exire debeant, & alioquin ne fors Status Catholicus aliud quidpiam juris per similes conferentiarum in domo Regnicolarum tractationes sibi vendicare præsumeret, Domus nihilominus Regnicolarum non potest dici Domus privatarum conferentiarum.

Respondent Status Catholici, se ne in minimo quidem per hoc Statui Evangelico præjudicare velle, siq; ex fundamento eo, quod derogatorium esset, Statui Evangelico sessione exire, relicto ibidem Statu Catholico, allegaret, solvatur ex parte universorum Regnicolarum sessio, Status Catholicus crastinâ die denuò concursurus, atq; conferentiam habiturus: compendiosius tamen futurum judicarent, si post declaratam solutionem sessionis, Domini Evangelici exiverint, Catholiciq; eandem conferentiam instituerint, ita ut DEO dante, crastino iterum reassumi valeant.

Status itaque Evangelicus pensitando præmissa, ut parceret tempori, accelerare pergat & studeat negotia publica, cum protestatione, ne per hoc vel in minimo solitum cursum Comitiorum, processumq; eorundem convellere insimuletur, è converso verò Status etiam Catholicus exinde sibi quidpiam plus juris competere & vendicare allegare possit, annuunt propositionem Status Catholici, declaraturque sessionis solutio.

Status Catholicus in Domo Regnicolarum pro conferentia remanens, in eo intendebat, quomodo Instantiam Evangelicorum ex ordine Replicæ vel ex integro exmittere, vel si id non ita restringere posset, ut instantiâ eâdem non nomine universorum Statuum & Ordinum Regni promoveatur, sed quasi privatim per Evangelicos saltem in formâ Instantiæ eorundem inseratur.

Missus tamen à Ministris Aulæ specialiter Adamus Zichii ad Dominos Prælatos & Magnates, cum insinuatione: Suam Majestatem intellexisse, in quo laborent Status Catholici, velle tamen & omninò desiderare, ut Gravamen Evangelicorum sicuti hucusque ita ulterius suo ordine & forma observatâ, inseri faciant. Et licet plurimi Catholicorum etiam quibus una eademque cum Evangelicis instructio fuerat, instantiam Status Evangelici admittendam debere, seq; instructionibus eo in passu circumscriptos esse declaraverint, tantò tamen magis ex præmissâ insinuatione Suæ Majestatis instantiam Evangelicorum æqualiter atque Catholicorum (qui tamen nihil injuriæ habere prætendere possunt) promovendam debere concluserunt.

Die 18. Novembris. Sub sessione Regnicolarum continuantur ulteriores circa resolutionem Suæ Majestatis Sacratissimæ labores, tractatus & examina, insertumque in negotio Religionis Instantiæ Evangelici Status punctum, quod, sicuti reliqua, ex subnectenda Replica videre erit.

Interim dum in præmissis laboratur, Magister Paulus Orbán, cum labore & conceptu diebus præteritis formato, ad Dominos Prælatos & Magnates mittitur, Suis Dominationibus perlegendo.

Demùm tamen redux, refert nonnullas quoad aliquos terminos difficultates, Regnicolæ tamen inhærent iisdem, inque suo esse relinquenda statuunt.

Die 22. Novembris. Sub vesperum præsentatur Suæ Majestati Sacratissimæ præinsinuata Replica, hoc verborum tenore:

DEMISSA SECUNDARIA

Ad itidem secundariam Suæ Majestatis Sacratissimæ benignam Resolutionem Replica universorum Dominorum Prælatorum Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, partiumque eidem annexarum, alte-memoratæ Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestati Domino Domino ipsorum naturaliter Clementissimo Sopronii die 22. Mensis Novembris Anno 1681. debito fidelitatis ac reverentiæ cultu exhibita:

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

Iteratas, easq; benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutiones, eo quo par est, Status & Ordines, perpetuæ fidelitatis, submissionisque cultu ac obsequio perceperunt: Et quia in nonnullis earundem Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionum punctis advertunt fideles Status & Ordines, vel Nobilitatem ipsorum prærogativam & immunitatem lædi, vel legitimum, eumque ordinarium Juris hujus Patriæ cursum variari, aut demùm intolerabiles eorundem Statuum & Ordinum injurias, quibus tam per naturalem Christiani nominis hostem, quam per ipsos tumultuantes patriæ filios, ac etiam vicinas externasque nationes affliguntur, haud tolli posse.

Ideo Majestati Vestræ Sacratissimæ memorati Status & Ordines ulterius quoque molesti esse coguntur, eandem velut Dominum & Regem ipsorum Clementissimum perquam humillimè exorantes, dignetur eosdem per benignam subsequentium reiteratorum postulatorum suorum annuentiam, tam in juribus, immunitatibus, avitisque libertatibus suis, ac benignis Diplomatibus conservare, quàm vero demissè implorata remedia ad tollendas tot & tantas Regni colluctationes, ærumnas & immensas calamitates, restaurandamque attenuatum hujus Regni statum deservientia, pro paternâ curâ, Regiique sui animi affectu & sollicitudine clementer resolvere &c. &c.

Ad Sextum. Licet uterq; Status tam Catholicus quàm Evangelicus pro benignâ eâq; Diplomaticâ Religionis complanatione iteratò humillimè institissent, ad easdemq; demissas suas instantias per iteratam etiam benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ datam resolutionem, juxta contenta benigni Diplomatis Regii, nec Statui Catholico, sed nec Evangelico (uti ab utrinq; querularentur) satisfactum esset. Ideo Status & Ordines Regni demisse reiteratâ sua humili eatenus instantia, ulterius quoque pro satisfactione juxta sensum benigni Diplomatis Regii ab utrinque fienda supplicant, inhærendo Gravaminibus & priori Replicæ suis ab utrinque præsentatis, &c.

Epilogus.

QUæ omnia dum fideles Status & Ordines cum reiterata humilitate, & ea semper qua debent submissione, supplicent, ac injuriarum quoque hactenus mille modis sibi illatarum medelam a Majestate Vestra Sacratissima, veluti summo totius Christiani orbis justitiario simul & Rege suo clementissimo, pro innata Augustissimæ Domui Austriacæ & Justitia & Clementia sibi clementer impertiendam implorant. Cognita demissæ supplicationis ipsorum, & causæ æquitate, in quantum justum, legale, & suum proprium, propria Majorum suorum virtute, & proprio sanguine penes Christianitatem cum prodiga liberalitate sæpius effuso partum, per Gloriosissimos Majestatis Vestræ Sacratissimæ Antecessores clementer admissum, ac per Majestatem Vestram Sacratissimam benigno suo Diplomate, & in verbo ejusdem Regio clementer confirmatum, sibi benignè concedendum, humili animorum suorum desiderio exorant, paternè admittere, & autoritate Sua Regia pro exigentia justæ ipsorum instantiæ benignè resolvere; In quantum vero uti fideles subditi pro remedio & alleviatione afflicti sui Status ad paternam Majestatis Vestræ Sacratissimæ benignitatem provoluti, innatæ ejusdem Clementiæ se submittunt, eosdem paterno Regiarum Gratiarum sinu excipere dignetur; Ita ut dum in Majestate Vestra Sacratissima, velut Domino & Rege ipsorum clementissimo, Patrem, & in Patre Regem se habere confidunt, eandem ipsam M. V. S. Clementiam in hac sua extrema agonizantis Patriæ & sui necessitate, stante præsenti Diæta, cum consolatione experiantur, & dum jam se undiquaque ferè derelictos existimant, ex funebrali ipsorum interitus pulvere, ad ulteriora fidelia M. V. S. & totius Christianitatis servitia sublevati reviviscant. Quod dum sub auspicatissimo justitiæ & Clementiæ M. V. S. patrocinio se obtenturos sperant, eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ diuturnum & felix gubernium, gloriosumq; contra omnes hostes Imperium concordibus votis apprecantur.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Domini Domini ipsorum Clementissimi.

Sopronii Die 22. Novembr. Anno Domini 1681.

Humillimi perpetuoq; fideles

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, partiumq; eidem annexarum ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

DIe 29. Novembris. Regnicolæ ad domum eorundem solitam pro generali sessione conveniunt.

Denunciatur per Dominum Comitem Palatinum, Suam Majestatem Sacratissimam benignam tertiariam suam, ad humillimam Statuum & Ordinum Regni secundariam Replicam elargitam resolutionem, medio certorum Augustissimæ Aulæ suæ Ministrorum iisdem Statibus & Ordinibus præsentandam decrevisse: quæ quidem præsentatio ut eò commodiùs effectuari queat, necessum venire, ut Regnicolæ quoque ad sessionem Dominorum Prælatorum & Magnatum concedere velint, ibidem prævià præsentatione memoratæ benignæ resolutionis, continentias quoque ejusdem exauditurí.

His exauditis exsurgunt Regnicolæ, moreque solito ac ordine decenti, comitante frequenti turba servitorum, progrediuntur ad domum viridem.

Eò devenientibus, locaque ac sessiones occupantibus, Dominus Comes Palatinus reiterat intentionem Suæ Majestatis Sacratissimæ, in præsentatione benignæ suæ resolutionis, per Ministros ejusdem fiendæ, declaratam: quorum adventus ut honorificè & observatâ consuetudine fit, pro exceptione eorundem Ministrorum, & introductione in medium Statuum ac Ordinum Regni, ac iterum perfectis perficiendis, pari comitivâ & reductione usque ad currum quo vecti fuerint, denominantur Illustrissimus ac Reverendissimus Comes Joannes Kery Episcopus Csanadiensis, Comes Nicolaus Dzaskovics, Stephanus Chyakii Senior, Reverendissimus Stephanus Kaszonii; Vice-Palatinus, Georgius Gerhard, Ludovicus Szankaii, Gabriel Bossanii, Joannes Serpelius &c. munia eadem convenienter executuri.

Post brevem moram advenientibus iisdem Aulæ Ministris, Excellentissimis Dominis Comitê à Nosztícz, & altero Domino Hoher Aulæ Cancellario, modalitateque præmissâ in medium Statuum & Ordinum Regni introductis, locisque prioribus, ad caput Tabulæ à latere Domini Comitis Palatini occupantibus, præmemoratus Dominus Aulæ Cancellarius Hoher, debito præmisso erga Status & Ordines titulorum honore, magna gravitate proposuit: Supervacaneum nimirùm fore, enumeratione causarum & rationum, quibus S. M. S. ducta, in medium fidelium Statuum & Ordinum Regni concesserit, ibidemque non sine ingentium expensarum profusione, ac aliarum Orbis Christiani gravium curarum & sollicitudinum remoratione, tanto tempore substiterit, aures Inclytorum Statuum & Ordinum Regni onerare; cùm paternam ejusdem gratiam & Clementiam iteratis benignis ejusdem, ad demissa Statuum & Ordinum Regni Gravamina, reiteratasque Replicas, satis abundè & potiori in parte in tantum, in quantum ipsimet postularunt, declarare dignata fuerit: Hic enumerat abundè ferè eo ordine, quo infra in resolutione conclusio adjungitur in paragrapho: Quæ cum ita se habeant &c. usque ad finem, sicque propositionem concludit.

Resolvit Dominus Comes Palatinus, gratias agit, Regnum, Status & Ordines in gra-

gratiam Suæ Majestatis recommendat, & Ministris etiam pro fatigiis grates refert; quibus exeuntibus, legitur publicè resolutio in hæc verba:

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac circumspectis, universis Regni Hungariæ & partium eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, pro præsenti Generali ejusdem Regni Diæta hic Sopronii convocatis, & præsentibus assignandum

(L.S.)

Sacratissima Cæsarea atque Regia Majestas, Dominus Dominus noster Clementissimus, iteratæ demissæ Inclytorum Regni sui Hungariæ & partium eidem annexarum Statuum ac Ordinum ad secundariam benignam Suam Regiam resolutionem porrectæ Replicæ continentias abundè sanè simul & clementissimè intellexit, eaque cujusq; parti Regiâ Clementiâ, hoc ut sequitur modo & ordine, identidem se resolvere dignata est, nimirum: Eadem Sua Majestas Sacratissima neutiquam putaret Inclytis Statibus & Ordinibus quidpiam superesse, quod benignissimæ Suæ Regiæ resolutioni die 9. modo labentis mensis datæ deesse possit, cùm paterno affectu plena & omnia ibi jam comprehensa, quæ salvâ Regiâ dignitate concedi unquam potuissent: Ea propter etiam nunc inhæret quoad officium Palatinale articulis hac super re citatis, signanter verò Art. 3. Anni 1608. ante Coronam condito; Sigillis tam gubernialibus quàm locum tenentialibus per avocationem sufficienter abolitis.

Neque ad primum punctum aliquid restat superaddendum &c.

Ad Sextum. Non minus in hocce Religionis puncto clementissimâ Suæ Majestatis declaratione fore contentos, & ita originem omnis in hoc Regno dispendiosi dissidii sublaturos esse confidit S. M. S.

Epilogus.

Quæ omnia cum eadem Sacratissima Sua Majestas sibi ab Inclytis Regni Statibus & Ordinibus omnino promittat, ac ipsius quoque Regni necessitas & utilitas hæc evidenter exposcat, inde omnino confidit singulos tanquam omnes, & omnes tanquam singulos suæ benignissimæ admonitioni acquieturos esse.

De reliquo universis & singulis fidelibus suis Statibus & Ordinibus gratiam atque Clementiam suam Cæsaream ac Regiam iterata paterna expressione in omne tempus benignissime confirmat.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Majestatem

Sopronii Die 28. Mensis Novembr. Anno 1681.

Joannes Maholany.

Histor. Hungar.

His præmissis perlectis & intellectis, Dominus Comes Palatinus proponit: Palam esse omnibus, totique Orbi Christiano celebrem Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi gratiam & Clementiam, ac vel recentissimè, qua fideles suos Status & Ordines per iteratas suas benignissimas resolutiones, votisque ac desideriis eorundem datas satisfactiones, exhilarare, consolarique dignata est: Non ambigendum esse de ulteriori etiam ejusdem Majestatis Regiæ paterna cura & sollicitudine, ac erga fideles suos Status & Ordines Regiâ animi propensione ac munificentiâ: Hincque quemadmodum eadem Majestas, humillimis Statuum & Ordinum votis ac desideriis benignè satisfacere, eosdemque & eorundem Gravamina clementissimè exaudire non modò, sed & debitam medelam, ac Cæsareo-Regiam opem impertiri dignata est, ita Inclytis quoque Statibus & Ordinibus dignum & æquum foret, tot & tanto temporum intervallo pressas Regii animi curas, sicuti exhilarare, tantò magis eisdem complacere.

Et quia Status & Ordines, tantorum bellorum tam intestinorum, quàm Christiani nominis hostium, ardore, sicuti & multorum millium Armadæ Suæ Majestatis in afflicto Regno excubantis onere ita pressi, extenuati & depauperati sunt, ut ex propriis suis eidem Regno, & sibi defendendis impares se agnoscant, propterea que, Sacri Romani etiam Imperii, ac aliorum subsidium implorare statuerint, inde siquidem Augustissima Imperatrix, in medio Regnicolarum unà cum Domino Domino & Rege eorundem clementissimo, continuè præsens esset, tam ex eo, quod Status & Ordines Suæ Majestati Sacratissimæ, sicuti & Serenissimis Sacri Romani Imperii Electoribus, eidem Augustissimæ Imperatrici sanguine non alienis complacere student, quàm ut ulteriorum suarum supplicationum faciliorem consequi possint, eamque desideratam resolutionem, & pro accepta referant debitam gratiarum actionem non inconsultum fore, si eadem Augustissima Imperatrix, Regina Hungariæ, diademate Sacræ Coronæ de more antiquo initianda, salutaretur; Idque tantò gratius eventurum Suæ Majestati speraret, quod priores Suæ Majestatis Sacratissimæ consortes, & Imperatrices, diadema illud consequi non potuerint.

Nullam exoriri posse in eo difficultatem, quod Augustissima Vidua Regia in vivis sit, illa enim etiam vivente alia Coronata extitit, quod idem nunc quoq; fieri potest: Tantò minùs Status eo tendere debere animis, quasi verò præter votum Regnicolarum, Serenissimum Suarum Majestatum filium & Principem, coronare occasione hac, in desiderio habeant. Ex eo itaq; Status & Ordines rogare, dignentur hanc complacentiam erga Suas Majestates, Sacrum Romanum Imperium, & totam Christianitatem declarare.

His peractis, conclamant Clerus & Magnates nonnulli, justum & æquum, Palatinusque exsurgens, nullo expectato Regnicolarum, aut aliquo assensu, lætus currit ad Aulam, primus ut sit horum acceptus nuncius: Interim perstrepunt tubæ, tibiæ, tympanæ, Regnicolis uno alterum intuentibus, discedunt q; summè conturbati.

Die ultima mensis Novembris. In Diem Dominicam incidente, simul ac festum Divi Andreæ Apostoli, absolutis tamen Divinis, sessio Regnicolarum celebratur.

Relegitur benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio, & confrontatur cum Replicis ac porrectis humillimis Regnicolarum Gravaminibus.

Exsurgit Clerus & dicit se contentum esse benigna eadem ulteriori Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutione, cui assentire visus est Dominus Vice-Palatinus.

Respondent Comitatuum Ablegati; Ergò debemus cedere libertatibus, Privilegiis & immunitatibus nostris, actum erit hoc modo de Diplomate, totius Regni pretiosissimo thesauro, Legibusque Patriæ.

Dicit Clerus, tamen Sua Majestas Sacratissima Clementissimè se offert, quod ea super quibus declaratio hucusque sequi non potuit, in proximâ Regni Diæta feliciter determinare velit, ac propterea tempus non esse inaniter perdendum, Sua Majestas ulteriùs non detinenda, verum ad articulos formandos concedendum.

Respondetur: Sed quis sibi promittere potest futuram Diætam, interea in cœno hærendum? Quomodo ad Principales redeundum? Accedit, quod & in eadem Tertiaria Replica, multa tacitè, plurima ambiguè resoluta haberentur, unde neq; ad articulorm concinnationem progredi integrum esset. Hinc itaque continuatur ulterior lectio resolutionis, confrontatioque cum Gravaminibus & Replicis Regnicolarum.

Proinde decernitur insistendum Replicæ, Diplomati & legibus eatenus conditis.

Recurrente Die 3. Mensis Decembris. Sub sessione Regnicolarum tam diu laboratum, ultro citroq; disputatum, ac per legationes nunciatum, ut dicti quoque Domini Prælati, Barones & Magnates votis Regnicolarum annuere debuerint, atque sic præfatorum ablegatorum series recitata fuit, & legatio admissa.

Eadem Die horâ 4. pomeridianâ, obtentâ apud Suas Majestates audientiâ, præmissa legatio effectuatur, porrigiturq; Suæ Majestati Cæsareæ & Regiæ, Domino Domino & Regi Clementissimo, infrascripta Statuum & Ordinum Replica in hæc verba sonans.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

„ Licet quidem benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareâ Regiâ resolutione fideles Status & Ordines Regni, partiumq; eidem annexarum, debitæ fidelitatis & submissionis reverentia accepta, desideratis humilium votorum suorum suspiriis, plenaque fiducia, & avida animorum suorum consolatione perdemissè intellexissent, quod eadem Majestas Vestra Sacratissima per ejusdem benignæ resolutionis epilogi vigorem, in plurimis & potioribus mentionatorum fidelium Statuum & Ordinum Regni Gravaminibus benignum suum præbuerit assensum, libertatem Regno restituerit, Leges & Articulos confirmaverit, gravissimum Religionis punctum pro totius Regni tranquillitate determinaverit, disciplinæ militaris rigorem approbaverit, ac denique modum circa delicta severè castiganda, Sua Regia authoritate confirmaverit, omnibus etiam portum & refugium ad Suam Clementiam recursuris concesserit.

„ Quia nihilominus nonnulla infrascripta nimirum Gravaminum suorum puncta ad mentem benigni Diplomatis Regii, dictamenve positivarum Regni legum superinde sancitarum clementiùs restarent resolvenda, complanandaque.

„ Et primò quidem de præteritis Militum officialium, à potiori intra & non extra Regnum constitutorum puniendis excessibus, ac consequenter implorata damnificatis danda satisfactionis medela; Similiter militis in Regno ad tempus tolerandi proprio ære adjustanda sustentatione; ejusdemque ex arcibus ac liberis quoque civitatibus, oppidisque privilegiatis, ad sensum Gravaminis & Replicæ suorum, ubi videlicet minus necessarius esse in comperto haberetur, effectiva eductione, munitionum demum ex arcibus ac armorum è liberis civitatibus ademptorum & ablatorum restitutione; Militis præter ea nativi ad confinia (à quorum bona dispositione, non modo Regni, verùm etiam vicinarum provinciarum salus dependeret, ac quotidiano experimento sub præsenti etiam Diæta cum tot centenarum animarum Christianarum jactura periculum longiorem moram non pateretur) articulorum fienda reductione: non absimiliter officialium secularium ac beneficiorum Ecclesiasticorum exequenda collatione; restitutione item bonorum hæredibus seu orphanis, qui jam sese pro sui restitutione apud Majestatem Vestram Sacratissimam humillimè insinuassent, ac aliis, pro quibus fideles Status & Ordines æquè ac illis ex fundamento legum patriarum demissam suam interposuissent instantiam: aliàs per Fiscum Regium contra consuetam juris viam apertasq; Regni constitutiones Diplomatibus Regiis roboratas confiscatorum fienda: ac præterea de cassatione literarum Reversalium, secundum gravaminis sensum vel maximè hisce motibus exactarum, processuumq; fori delegatorii ac his similium eodem in gravamine & Replicis declaratorum præjudiciorum annihilatione: Similiter de Diplomatica in negotio Religionis à parte Status Catholici & Evangelici postulata satisfactione: actuali porrò Domini Cameræ Præsidis contra expressas Regni leges introducti amotione, negotii deniq; Eörseghiensis juxta demissam Regnicolarum instantiam clementer resolvenda determinatione.

„ Et siquidem Clementissime Domine, hæc quoq; essent potiora seu principaliora eorundem fidelium Statuum & Ordinum Regni gravaminum puncta, quæ vel maximè in labefactationem Nobilitaris prærogativæ per Majores ipsorum, sanguine utpote & armis laudabiliter parte, perq; felicis reminiscentiæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Prædecessores, gloriosissimos videlicet Hungariæ Reges ac Majestatem quo-

„quoque Vestram Sacratissimam benignè con-„firmatæ, publicarumque Regni constitutio-„num, jurium & privilegiorum, imò benignorum „etiam Diplomatum Regiorum palpabile verge-„rent in præjudicium: Hæc ea essent, quæ tran-„quillando Regno, vicinarumque Majestatis „Vestræ Sacratissimæ provinciarum procurandæ „saluti & conservationi non minus proficua, „quàm summè necessaria esse dignoscerentur: „Hæc denique illa, quorum benignâ annuentia Majestas Vestra Sacratissima avulsos à debita fi-„delitate animos in indissolubilem unionem ac „tranquillitatem Regni secundandam, benig-„numque gratiarum suarum sinum pertraheret, „& promptum fidelitatis obsequium.

„Quapropter ad portum & refugium, cle-„mentiam nimirum, & innatam benignitatem „Majestatis Vestræ Sacratissimæ ulterius quoque „humillimè recurrentes iidem fideles Status & „Ordines super his ipsorum punctis, ac demis-„sis postulatis, pro contento sui, benigniorem „implorarent, præstolarenturque Resolutionem.

Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ ac Sclavoniæ Statuum & Ordinum ulterior demissa instantia.

„INtellexerunt demissè Status & Ordines qua-„liter ad humiles apud Majestatem Vestram „Sacratissimam per eosdem factas iteratas Re-„plicas & instantias inter cæteras clementes Re-„solutiones suas Militem Banalem Superioribus „præteritis temporibus exauthoratum, aliàs pro „conservatione dictorum Regnorum, Provin-„ciarumque Majestatis Vestræ Sacratissimæ hæ-„reditariarum extreme necessarium restauran-„dum: Quemadmodum etiam postulationem „ex integro in 17. puncto prætactarum humil-„limarum postulationum præmissorum Statuum „& Ordinum expressatam, clementer effectuan-„dam, ex innata sua pietate & benignitate sese pa-„ternè declarasset, & Status eo in passu non mi-„nimè exhilarasset.

„Quia tamen præmissi Status non absque „discrimine quotidiano & formidine mali evi-„dentis patriæ summo cum desiderio hucusque „optatum effectum expectassent, periculumq; in „mora experti fuissent: Idcircò Majestati Ve-„stræ Sacratissimæ pro benignis mandatis duran-„te adhuc hac Diætâ ad præmissas binis petitio-„nes suas effectandas indilatè elargiendis, & iis „quibus competit dirigendis humillimè suppli-„cant, immensas Majestatis Vestræ Sacratissimæ „Clementiæ, tam pro his, quàm reliquis Instan-„tiis suâ methodo benignè resolutis referentes „gratias, confidentesque in pietate innatâ præ-„missâ, eas quoque juxta postulationes hucusque „demissè exhibitas, observatisque Legibus eum „in finem citatis, tam Regno quam Liberis Ci-„vitatibus deservientibus Majestatem Vestram „Sacratissimam petito effectui sine dilatione „mancipari pari modo clementer procuraturam.

„Reliqua verò Gravamina & Instantias suas „in benignis iteratis Majestatis Vestræ Sacratissi-„mæ Resolutionibus minùs specificata & expres-„sas, pro clementer resolutis & articulis inseren-„dis habenda ac demissè censendas esse intelli-„gunt, acceptantque. Eandem Majestatem ve-„stram Sacratissimam diu feliciter imperantem, „ac super universis hostibus gloriose triumphan-„tem, diutissimos supervivere in annos fidelissi-„mis comprecamur votis

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini ipsorum Clementissimi

Sopronii Die 3. Decembr. Anno 1681.

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

DIe eadem tertiâ nempe Mensis Decembris. Decernentibus Regnicolis in solita sessione Replicæ hujus exhibitionem more consueto, per certos ex omnibus Statibus electos Ablegatos fiendam; Clerus respondit se contentum esse Resolutione Regiâ, ideò ex parte sui in exhibitionem Replicæ memoratæ minimè consentire; connivent Magnates: Quibus Regnicolis intimatis, instantia fit, ut Domini Magnates se apertè declarent, quid facere velint, in casu enim secessus eorundem, reliquis Regnicolis sibi prospiciendi remedia neutiquam deesse; Commoti Domini Magnates assentiunt; sed nec sic conventum est, aliqui enim putabant ante omnia coronationem Reginæ & quidem ipsi Reginæ coronandæ præsentandum; Alii verò prius Imperatorem accedendum, Replicâque exhibita, Diplomaticam satisfactionem petendam, & ex post mentem Regnicolarum circa coronationem repræsentandam: hâc ablegatione peractâ, denuò Imperatricem, ad suscipiendam coronationis dignitatem invitandam, annexis demissis pro se apud suam Majestatem Cæsaream ac Regiam in puncto complanationis Diplomaticæ fienda intercessione, precibus, quæ quidem sententia etiam superavit.

Die 4. Mensis Decembris. Sub sessione Regnicolarum. Ablegati ad suam Majestatem Sacratissimam & Augustissimam Imperatricem, Legationis eorundem seriem referunt: Dominum Episcopum Panadiensem, brevi peroratione mediante, nomine Statuum & Ordinum Regni humillime insinuasse, oblatam Augustissimæ Imperatrici à Statibus & Ordinibus Regni Coronationem, mediante quâ non modò debitam suam erga suas Majestates fidelitatem ac devotionem contestari, eisdemque suis Majestatibus complacere, verùm etiam Inclytum hoc Regnum, se & sua in gratiam & clementiam suarum Majestatum humillimè commendare necessarium duxerunt, proptereaq; suæ Majestati Cæsareæ & Regiæ intentionem hanc humillimè intimandam æquum censuerunt: præterea verò præsentasse præscri-

ptam Statuum & Ordinum Regni replicam, cui ipsi nomine Cleri, ex eo quod videlicet ipsi contenti redditi fuissent, iteratis benignis suæ Majestatis Sacratissimae elargitis Resolutionibus, publicè coram Majestate Regia contradixisse, relatum fuit.

Ad quae sua Majestas Sacratissima clementissimè respondet, ad primum, debita cum satisfactione intellexisse Statuum & Ordinum erga Augustissimam Imperatricem, conjugem suam dilectissimam, in oblato honore diadematis coronalis propensionem, ad praesentatam autem replicâm non dubitasse, imo persuasum habuisse Inclytos Status iteratis benignis suis resolutionibus contentatum iri, nihilominus benignè perpendet humillimum eorundem Memoriale, & ad id quantocyus clementissimè se resolvere haud omittet, de cætero gratiâ sua Cæsarea & Regia universis Statibus & Ordinibus benignè propensa manet.

Hâc legatione peracta, patet aditus ad Augustissimam Imperatricem, & denunciatæ Coronationis decus ac honor offertur, recommendaturque porrecta Statuum & Ordinum Regni replica, quatenus eandem, clementissimâ interpositione sua salutariter apud eandem Majestatem Regiam promovere dignetur.

Cum contento excipitur Legatio, cumque debita satisfactione acceptatur Statuum & Ordinum erga suam Augustissimam Majestatem propensio & oblatio, è converso verò eadem quoque Augustissima Imperatrix pollicetur salutarem suam interpositionem, rerumque & negotiorum Hungaricorum promovendi clementissimam operam.

Supervenit à Dominis Prælatis & Magnatibus legatio, & denunciatur, quod siquidem ex relatione hesternæ legationis benigna suæ Majestatis Sacratissimæ intentio inclytis Statibus & Ordinibus innotuisset, licet ad præsentatum novissimum Statuum & Ordinum Regni Memoriale, superventura esset quæpiam scriptotenus resolutio, admovendas nihilominus manus ad concinnationem articulorum. Demum præsentat seriem futuræ solennitatis coronationis, cum accessoriis.

Resolvitur: Regnicolas ad concinnationem Articulorum, tam diu, quam diu Resolutionem suæ Majestatis Sacratissimæ consecuti fuerint, properare non posse, series verò præscripta perlegitur hoc verborum sub tenore:

Designatio fiendae Inaugurationis, Die 4. Decembris publicè dictata.

Juxta morem antiquum, & consuetudinem observari solitam circa Reginalem coronationem ut tempore Diætæ Dominus Regni Palatinus, facta desuper coram Inclytis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ, partiumque eidem annexarum propositione, accedat suam Majestatem Cæsaream & Regiam, nomine Regnicolarum humillimè instet, quatenus Augustissimam Imperatricem ipsis in Reginam coronari benignè concedat; Tandem ipsi quoque Regnicolæ triduo post, instituta ex mutuo consensu solenni ad Imperatricem Ablegatione, eandem cum aggratulatione pro coronatione, præmissâ brevi oratione, demisse invitant: Quæ ipsis Statibus & Ordinibus benigna spro ejusmodi devotione agens gratias, pro patrocinio se clementer offert.

Tandem ambo Domini Conservatores sacræ Regni Coronæ Posonium proficiscuntur, ac eandem unà cum Regalibus Insigniis, prout illa occlusa obsignataque ibidem in arce deposita sunt, huc Sopronium deferunt, facta catenus per Dominum Regni Palatinum Civitati Posoniensi intimatione.

Qui Conservatores jam expediti, cistam Regalium Insigniorum rhedæ Sejugi apertæ ex aula suæ Majestatis Sacratissimæ suppeditatæ imponunt, atque è numero ordinariorum excubitorum Arcis Posoniensis 20. Germanos & totidem Hungaros assumunt, qui novis vestibus ex more consueto donantur.

Pro Comitiva autem dictæ sacræ coronæ binæ equitum cataphractorum turmæ Comitis Caroli Palfy, Posonii in ripa Danubii comparent, expectantes ejusdem coronæ deductionem, in cujus comitivam destinati sunt,

Domini Conservatores pernoctant hodiè in Szelesputh, oppido Domini Palatini, & pro majori securitate vigilias ibidem militares instituunt.

Introductio verò ejusdem Sacræ Coronae, Die crastinâ 5. videlicet Decembris huc Sopronium circa horam 2. vel 3. pomeridianam sequitur tali modo:

1. Extra portam suburbii præcedunt binæ cataphractorum equitum turmæ, Posonium in comitativam sacræ Coronæ destinatæ, & cum ea reduces.

2. Has subsequetur una cohors Domini Regni Palatini militum hastorum cum vexillis.

3. Hunc sequitur alia cohors ejusdem Domini Palatini aulica, pellibus tigrinis & leopardinis ornata cum tubis & tympanis.

4. Procedunt Nobiles & Magnates equitantes,

5. Similiter equitabant cubicularii suæ Majestatis Sacratissimæ utriusque nationis.

6. Dominus Banus Croatiæ medius inter duos proceres.

7. Dominus Regni Palatinus ab utraque latere proceres habens stipatus præterea utrinque certo famulitio suo seu Guardia.

8. Rheda aperta cum sex equis, in qua bini suæ Majestatis Sacratissimæ Commissarii superiori loco; Deinde Domini Conservatores Coronæ sedebunt, cistam in medio currus ornatè tectam habentes.

9. Stipant rhedam ex uno & altero latere Haidones & pedites Germani in coronæ excubias destinati.

10. Hanc sequenter Dominorum Ministro-

strorum Cæsareanorum ac Episcoporum & Prælatorum, necnon Magnatum Hungaricorum rhedæ ab iisdem Dominis occupatæ, vel ad pompam vacuæ.

11. Tandem agmen claudent binæ aliæ cataphractorum equitum turmæ.

12. Hoc ordine fit ingressus per portam suburbii penes S. Michaëlem, ad plateam penes residentiam Domini Palatini.

13. Urbem ipsam intrabunt per portam Hungaricam, penes Domum Consilii Magnatum, ac per plateam, quam sua Majestas Sacratissima inhabitat, in curiam usque descendent.

14. Deponitur Corona in Curia Civitatis Soproniensis, adhibitis militum vigiliis, qui pro custodia ejusdem Posonii ordinariè excubant, id quod curæ conservatorum relinquetur.

15. Die exceptionis coronæ insequenti, Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas cum clavibus mittit suos Commissarios, qui unà cum Inclytorum Statuum Deputatis, quemadmodum Posonii usitatum est, cistam recludant, & Regnicolis in curiæ conclavi majori, reliquo autem populo sacram Coronam & Insignia Dominus Regni Palatinus è fenestra spectanda præbeat.

16. Pridie coronationis peragendæ, cista cum Regalibus, absque splendoris apparatu, per templum & Monasterium Patrum Franciscanorum, in Aulam & cubiculum Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis transferretur, ut insignia in ipsa celebri functione præferri queant.

17. Ipso Coronationis die juxta Pontificalia antiquitùs ritè observata, peragetur Coronatio ipsius Augustissimæ Imperatricis, more consueto cum summa solennitate in templo Patrum Franciscanorum.

Quibus feliciter peractis mensæ sequuntur tali modo:

1. Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestates, in qua Legati, & inter duos Archiepiscopos Palatinus Regni.

2. Magnates Curiæ Regiæ, cui etiam assidebunt Ministri suæ Majestatis Sacratissimæ ac alii primarii Magnates, tam Hungari quam Germani, circiter 48.

3. Binæ mensæ, quibus accumbent Palatinissa, ac aliæ primariæ Magnatum conjuges & Domicellæ cum aulicis mixtæ.

4. In alio conclavi mensæ rotundæ, una pro Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cancellario Hungarico, & altera pro Magnifico Domino Personalis præsentiæ Regiæ locumtenente, in his erant Barones & commembra Tabulæ Regiae Judiciariae.

5. Rursus erunt mensae rotundae tres pro Deputatis Comitatuum.

6. Iterum in alio triclinio stratae erunt duae mensae pro Abbatibus & praepositis.

7. Item in tribus rotundis mensis, officiales eorum, qui ex Comitatibus & Magnatibus ablegati sunt.

8. In quatuor mensis rotundis Civitatum; Baronum & Viduarum ablegati erunt mensae rotundae numero 14.

Quaelibet mensa rotunda capiet personas 15.

Reliquas functiones Dominorum Magnatum juxta antiquam consuetudinem ordinabit Dominus Comes Palatinus.

Die 5. Mensis Decembris. Circa horam 3. pomeridianam Sacra Regni corona invehitur praemissa cum pompa.

Peroratio invitatoria erga Augustissimam Imperatricem noviter coronandam, ad suam Majestatem Sacratissimam facta die 3. Decemb.

Augusta Hungariæ Diadematis Majestas,

Augustissimæ Imperatricis, Dominæ Dominæ nostræ clementissimæ Majestatem evocat, & oblato submississimè per consentientia universorum Statuum & Ordinum suffragia sceptrô, suam venerari ambit Reginam. Scilicet facilè advertit plurimùm sibi gloriæ hinc accessurum & conservatum iri sui splendoris pulchritudinem, sed & perspicit hoc exigere incredibilem Dominæ Dominæ nostræ clementissimæ virtutem, quæ à majorum sanguine in eandem defluxit, magnarum cogitationum capax judicium, ingenii celsitudinem, prudentiæ magnitudinem, aliaque incomparabilia merita, populorum ac nationum securitatem versatura.

Quapropter affusi genibus Sacratissimæ Majestatis Vestræ Regni hujus Status & Ordines demississimè postulant, ut quo illorum flectuntur desideria, quo bonorum omnium expectatio collimat, quo Regni totius vivi affectus, Sacratissimam Imperatricem, Dominam Dominam clementissimam evocant & invitant, eo inclinetur clementissima quoque Sacratissimæ Majestatis Vestræ voluntas, qua consolatam sacram Hungariæ Cororam in Dominæ Dominae nostrae clementissimae dignissimos humeros devolvant.

Faciunt cœlites, ut adepto hoc diademate, cumuletur pluribus, utraque autem Majestas Vestra aetatis suae gloriaeque annos, non nisi seculorum ambitu circumscribat.

Adjiciuntur in gratiae Augustissimae Majestatis Vestrae sinum praesentia vota, quae dum omni cum submissione exhibeo, tum circa secundariam, eamque benignissimam Augustissimae Majestatis Vestrae Resolutionem, tum vero etiam Religionis controversiam nuperam Cleri mentem reiterare, confirmareque quam humillimè praesumo.

Die 6. Decembris. Sub Sessione Regnicolarum Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Cancellarius Regni stipatus Secretario ingreditur sessionem, proponitque nomine suae Majestatis Sacratissimae; Quamvis eadem Majestas tempore humillimè novissimae exhibitae Statuum & Ordinum Regni Replicae, satis clementer, luculenter & abundè oretenus iisdem Statibus & Ordinibus sese resolvisset, epilogumque suprafractum verbo suo Regio confirmasset; nihilominus tamen, ut tanto magis gratiam & clementiam suam erga fideles Status & Ordines demonstret propensam, eandem in scriptis quoque benignè elargiri, ac manibus suis consignari dignata est: confidendo clementissimè, quod siquidem in plurimis & potioribus humillimis regnicolarum votis ac desideriis satisfecisset, Palalinum elegisset, authoritatem ejus confirmasset,

Liber-

Libertates Regni restituisset &c. ulterioribus replicis se minimè oneratum iri; Et vel maximè, dum alia gravissima Reipubl. Christianæ, & aliorum Regnorum provinciarumque suarum negotia eandem hinc avocent: Assecurando præterea fideles suos Status & Ordines, quod ea tria vel quatuor puncta, in quibus Regnicolæ minimè contentatos se conquererentur, mox finitâ præsente Diætâ, accepta sufficienti superinde informatione, clementissimè velit resolvere.

Insinuat præterea & id, quod benigna suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio sit præ manibus suis, nihilominus tamen nondum reserata.

Quæ primùm & ante omnia pro reseratione remittitur ad Dominos Prælatos & Magnates juxta morem & consuetudinem hactenus practicatam.

Interim Joannes Maholanij Secretarius dicit, quid ergo Domini Regnicolæ loco responsi daturi sint suæ Majestati Sacratissimæ. Filius ante Patrem.

Reduce Domino Cancellario ad Dominos Prælatos & Magnates, reserataque Resolutione denuò transmittitur per Dominum Petrum Korompaij Episcopum Vaciensem & sibi adjunctum Baronem Regnicolis pro perlectione. Admonentes rogantesque Regnicolas, quatenus benignis suæ Majestatis Sacratissimæ Resolutionibus contenti esse velint, ulterioresque Diætales Tractatus jam tandem concludere studeant.

Intimatur præterea & id quod horâ 3. pomeridiana, Cista Coronam & Insignia Regni comprehendens reserabitur, ac proinde cui libuerit eadem videre, præfixæ horæ noverit se accommodare.

Perlegitur publicè benigna suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio hoc tenore:

Reverendissimis Reverendis Honorabilibus, &c.

(L. S.)

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Domini, Domini nostri clementissimi nomine, universis Regni Hungariæ & partium eidem annexarum Statibus & Ordinibus in generali eorundem conventu hîc Soproniì congregatis & præsentibus significandum.

Eandem Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem ex ipsorum Inclytorum Statuum & Ordinum supplici libello, ad tertiariam suam resolutionem porrecto benignè intellexisse, quid ultra clementissimam quadruplicam denuo humillimè rogare susceperint.

Verùm cum ex ipso Augustali ore eorundem Ablegati jam audiverint, non ambigere Sacratissimam suam Majestatem Inclytos Status & Ordines hactenus benignè resolutis acquieturos, & grato animo consideraturos, quæ & quanta illis modernæ Diætæ cursu sint benignissimè concessa, & quam pauca pro hac vice negata aut dilata; eosdem autem non posse felicius viam planam sternere ad Diætam sequentem, quam si sine ulteriori mora absoluturi sint præsentem: Cum nullibi sit ea temporis felicitas, ut simul & semel omnia Regni negotia absolvi queant, & totius orbis testimonio edoceri, sæpius illa, quæ ad tempus differuntur, deinde non solùm commodius sed & felicius terminari.

Idcircò altè memorata sua Cæsarea & Regia Majestas, id ipsum Inclytis Regni Statibus & Ordinibus scriptotenùs hisce benignissime significari jussit, eosque firmiter assecurare, quod citra omnem illorum ambiguitatem, cuncta ea, quæ per hujusce Diætæ Tractatus conclusa & finita sunt, promptè & certò effectui mancipari & nihil intermitti debeat, quo Inclyti Status & Ordines ejusdem Sacratissimæ suæ Majestatis paternum affectum & inclinatissimam voluntatem, universo Regno suam tranquillitatem & florentissimam restaurationem reddendi, ipso opere experiri queat.

Non dubitare proinde Sacratissimam suam Cæsaream Regiamque Majestatem omninò fideles suos Status & Ordines suam clementissimam Resolutionem, benignæ suæ triplicæ Epilogo annexam cordi habituros, nec ullatenus porrò esse memores, secundùm tenorem benignarum Regiarum resolutionum articulos formare, & præsentem in multos jam menses protractam Diætam tandem finire, reipsa ostendendo quantopere laborent, se non deesse voluntati Regis, qui tantam operam impendit, & etiam finita hac Diæta impendet satisfaciendi Regni desideriis. Sed & Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Status & Ordines benignissimè assecurantur, omninò in effectum deducenda, quæ super illorum gravaminibus clementissimè resoluta sunt. De cætero eadem sua Majestas Sacratissima universis & singulis Cæsaream & Regiam suam gratiam benignissime in omne tempus confirmat.

Per Sacratissimam Cæsaream
Regiamque Majestatem,

Sopronii Die 4. Mensis Decembr. Anno 1681.

Johannes Maholanij.

PRæmissa resolutione perlectâ, mittitur legatio ad Dominos Prælatos & Magnates, & denunciatur regnicolas more solito circa horam tertiam pomeridianam ad Domum regnicolarum conventuros, sessionesque occupaturos proinde rogare, ut tanto convenientiùs coronæ & reliquorum Clenodiorum revisio esse possit, sua celsitudo Palatinalis eam dignetur observare & observari facere, modalitatem, ut primùm & ante omnia Regnicolis demonstrari possit, in regnicolarum sessione, atque tum demum aliis, qui eam videre voluerint.

Cæterum circa benignam suæ Majestatis Sacratiss. resolutionem, crastina sessione laboraturum.

Adveniente horâ 3. pomeridiana, regnicolæ conveniunt sessionesq; solitas occupant. Demumq; fit intimatio per Dn. Comitem Palatinum, quod siquidem cista, in qua corona Regni & alia clenodia asservantur, reseranda veniret, ideò certos è medio sui denominare velint deputatos, qui in reseratione ejusdem debeant esse præsentes. Hinc deputantur tam ex Clero quam Tabula judiciaria, item Comitatibus & Civitatibus, protinusque eò exmittuntur.

Rese-

Reseratâ cista eximuntur corona cum aliis clenodiis, & siquidem ingens multitudo occupaverat conservatorium ejusdem coronæ, tam Regni Procerum, quam Aulæ Ministrorum, aliorumq; utriusq; nationis Comitum & Magnatum, nec non Comitissarum, adeò ut nec transitus Domino Comiti Palatino ad Regnicolas patere potuisset, propterea primum fuit eadem Corona & alia Clenodia iisdem videnda concessa, Regnicolis ægrè satis ferentibus, quod non iis quibus competeret, sed per partes, & quod majus externæ nationi, cum præjudicio Gentis Hungaricæ, & quasi contemptu ac vilipendio ostentata fuisset.

Demum jam advesperacente die, ingreditur sessionem Regnicolarum Palatinus, præferens Coronam, sequitur Stephanus Zichij Sceptrum & pomum Regale aureum, tandemque Christophorus Erdœdy Conservatores-Pallium & Ensem Sancti Stephani Regis gestantes, omniaque eadem Regnicolis sursum elevata illi verò publicum forum frequentissimo numero occupârant, per fenestram protensa & extensa aspectui exhibentes. Conclamat populus aream civitatis tenens longâ & extensa voce, VIVAT. Regnicolis demum, cui libuerat osculanda concessa.

Die 7. Mensis Decembr. Sub sessione Regnicolarum Dominus Comes Palatinus ad conservatorium coronæ adveniens, intimat Regnicolis, quod siquidem cista, in qua corona Regni deponitur, ob diuturnam ejusdem non revisionem, necessariò expurganda & mundanda veniret, hincque corona & clenodia Regni eximenda censerentur; Ideò donec hæc exequantur, exempta clenodia rursus imponantur, denominandos petit à Regnicolis Deputatos, interea ibidem præstò affuturos. Mittuntur itaque solita observatione ex singulis Statibus Deputati, cum ea præterea instructione, siquidem tempore Registrationis literaliumq; Instrumentorũ & privilegiorum, Decretum Andreæ II. Regis, cognomine Hierosolymitani ferebatur esse in cista coronali, itaque inquirendum esse desuper à Domino Com. Palatino, & indaganda rei certitudo, ut si non ibi habeantur, ulterius Regnicolæ desuper sibi providere valeant.

Familia Comitum Palffy querulosè detegit: Quomodo ipsa mediantibus benignis Gloriosorum olim Rudolphi & Ferdinandi III. Hungariæ Regum, imo modernæ quoque suæ Majestatis confirmationalium, Donationalium, ob clara virtutum facinora ad instantiam universorum Statuum & Ordinum Regni sub Diæta A. 1599. Art. --- apud suam Majestatem factam; titulo Comitis Posoniensis, demum Capitaneatu arcis ejusdem, nec non bonorum arcis ejusdem collatione potita fuisset, semperque & ab antiquo, jure ejusdem Capitaneatus Prædecessores ejusdem in dicta arce suam Residentiam seu solitum hospitium & quartirium habuissent: In præsentiarum moderno capitaneo Joanne Palffy simili hospitio excluso: Licetq; factam eatenus humillimã suam instantiam, Status quoque & Ordines Regni suæ Majestati Sacratissimae humillimè recommendassent, recommendationemque eandem apud Dominos Prælatos & Magnates intimassent;

Nescitur tamen unde modus Comes Leopoldus à Kollonics Cameræ Præfectus certam quandam protestationem & contradictionem interponit, per quam præmissas benè memoratorum olim Regum Donationales, non modo subreptitias sed expracticatas palam asserit, omni eatenus eorum juri contradicendo & reservando juribus fiscalibus facultatem. Hinc rogat Regnicolas pro rerum & jurium suorum tuitione & promotione.

Sed parvam spem dedère Regnicolæ, Domini enim Comites, Magnates & Prælati, omnes contenti redditi sunt Resolutione suæ Majestatis, in qua dictus Cameræ Præses in officio ipsum non spectante, manutenetur, propterea, contenti sint etiam fructibus ex officio promanantibus.

Deputati ad Coronam redeunt, & dictorum privilegiorum ibidem non repertorum Statum declarant. Præterea referunt in Paludamento Regali sequentia esse intexta scripta:

O Spes certa salutis signum Crucis.

Emicat in cœlo sancta Genetricis imago
Hostibus en Christus prostratis emicat altus.

Anno incarnationis Christi 1031.

„Indictione decima quarta à Stephano Re-
„ge & Gisla Regina Casula hæc operata & data
„Ecclesiæ S. Mariæ, sitæ in Civitate Alba.

Examinatur suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio, & siquidem ad difficultates & humillimas supplicationes nihil obtentum esset, reiteranda censetur humillimè siquidem nullatenus ad concinnationem Articulorum accedere possunt.

Quæritur: Quâ modalitate hæc suæ Majestati Sacratissimæ erunt repræsentanda?

Determinatum est in brevissima venire concinnanda puncta, postulata Regnicolarum, quæ Dominis ablegandis erunt assignanda, ac per eos suæ Majestati Sacratissimæ præsentanda. Pro quorum præsentatione & à parte instituenda humillima supplicatione ex parte Regnicolarum rogatur Dominus Personalis ad exequendam legationem. Dominus tamen Comes Palatinus præsentationem eorundem punctorum in se assumpsit, sicuti etiam eodem die oblationem eandem effectuavit.

Die 8. Decembris. Nulla habita sessio. Evangelici nihilominus videntes Diætam ad finem decurrere in articulo tamen Religionis nullam se consecutos fuisse Diplomaticam satisfactionem, statuunt concipienda tam ad suam Majestatem Sacratissimam Dominum Dominum & Regem Clementissimum, quàm Augustissimam Imperatricem, coronandamque Reginam Hungariæ, pro clementi sua apud Augustissimum Imperatorem & Regem interpositione Memorialia, iisdem Majestatibus una cum specificatione ademptorum templorum, Gymnasiorum, scholarum, parochiarum, eorundemque proventuum exhibenda.

Interim requiruntur nomine Status Evangelici Celsissimus & Reverendissimus Pater Emericus, Episcopus Viennensis, & Serenissimus Princeps Marchio Badensis, roganturque pro negotii Religionis promotione.

Deputantur etiam certi pro præsentandis iisdem memorialibus, quæ quidem Memorialia sequuntur hoc tenore:

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine nobis Clementissime,

BEnignè recordari dignabitur Majestas Vestra Sacratissima qualiter sub decursu hujus Diætæ iteratis nostris, iisque demissis Memorialibus miserum in modum compluribus retroactis annis, turbatæ & per continuas persecutiones afflictæ Religionis Evangelicæ Statum humillimè repræsentaverimus, imò sicut in prioribus, ita singulariter ante discessum Majestatis Vestræ Sacratissimæ hinc Neostadium, pro clementissimo restitutionis in integrum, & consolationis nostræ, Principaliumque nostrorum remedio lamentabiliter institerimus?

Quia tamen utut fiduciâ pleni, hactenus nullam talem resolutionem impetrare potuimus, quæ expectationi nostræ in benigno Diplomate Regio ac legibus Regni fundatæ satisfacere potuisset; præterquam enim quod nullam à Majestate Vestra Sacratissima ratione cassationis proscriptionum, literarumque cessionalium, reversalium ac contractualium in negotio Religionis emanatarum, quarum prætextu Pastores Ecclesiarum Evangelicarum, nec non collegiorum, gymnasiorum, Scholarumque Professores & Rectores aliique studiosi ab officiis ipsorum amoti, vel plane Regno exesse jussi, plurimaque templa & eorum accessoria occupata sint; nullam etiam ratione restitutionis præscriptorum templorum, parochiarum, collegiorum, Gymnasiorum & Scholarum, sicut & Xenodochiorum Evangelicorum, unà cum eorundem bonis, proventibus & aliis pertinentiis occupatorum, obtinuerimus Resolutionem, si iis, quæ in benignâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione convenirentur, acquiesceremus, à Diplomate Regio legibusque Regni penitùs rececederemus.

Ut enim templa & ecclesiæ, prouti eadem benigna Resolutio innuit ab anno 1670. occupata præ manibus occupatorum maneant; ut item Religionis Evangelicæ exercitium, aliàs vigore Diplomatis Regii, per universorum Regnum in universis Dominorum ac etiam ipsius Fisci bonis liberum, ad certa duntaxat, eaque incommoda loca restringatur; ut denique Dominis terrestribus in negotio Religionis erga suos subditos aliquod absolutum jus permaneat, & alia his similia, quæ in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimae resolutione continentur, toties repetito benigno Diplomate absolute caverentur & prohiberentur;

Sed & aliæ memoratæ benignæ resoluni inserta, quasi nullo præexistente Diplomate Regio, de novo Statui Evangelico tribui viderentur, quæ hac ratione Evangelicis citra resultum à sacro Diplomate, Legibusque Regni adstrictis contra eorundem instructiones acceptare integrum minimè foret. Idcircò cum in præattactis prioribus Memorialibus nostris in generalitate saltem eundem conquassatæ Religionis nostræ Evangelicæ Statum Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè deteximus, ut eò magis injuriarum nostrarum, per occupationem prædeclaratorum templorum, parochiarum, collegiorum, gymnasiorum & scholarum, ut & Xenodochiorum Evangelicorum, ac omnis generis pertinentiarum & proventuum perpessa moles in lucem prodeat, ad specificationem, eamque brevissimam condescendere necessarium duximus; parati si Majestatis Vestræ Sacratissimæ benigna voluntas ita clementissimè demandaverit, specialiter etiam circumstantias, actorumque in rem Evangelicæ Religionis gravissimorum authores describere.

Quanta ab anno 1649. usque ad annum 1655. ab isto verò usque ad annum 1659. præjudicia & damna sint Statui Evangelico illata, sub initium Diætæ Anni ejusdem 1662. sub literis A. & B. in paribus, ab anno verò 1659. usque ad dictum 1662. Annum in speciali consignatione Majestatis Vestræ Sacratissimæ, per Status Evangelici Ablegatos in particulari audientiâ debitâ reverentia tum temporis in arce Posoniensi sunt exhibita quæ cum in conservatorio Majestatis Vest. S. Inclytæ Cancellariæ Hungaricæ in specie haberi non dubitemus, nova hîc adjungendâ descriptione noluimus superflui esse; Si verò à Majestate Vestra Sacratissima nobis commissum fuerit, nullatenus fideliter obsequiosam & humilem promptitudinem nostram etiam hoc in passu intermittemus: Ex adjuncta itaque specificatione (quæ si per omnes circumstantias, uti præmissum, & quidem historicè conscribenda fuisset, in immensum volumen excrevisset) Majestas vestra Sacratissima clementer uberius intelligere non dedignabitur, in quibusnam locis ab Evangelicis adempta sint, cum præmemoratis pertinentiis & omnibus accessoriis, templa, collegia, Gymnasia & scholæ, sicut & Xenodochia, quorum restitutionem, quod tam instantissimè Status & Ordines Regni Evangelici in Gravaminibus nostris utrinque, & quidem etiam collectivo Regnicolarum nomine præsentatis postulemus, idque ex dictamine conscientiæ, & strictâ etiam instructione Principalium nostrorum, in benigno Diplomate Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regio, & Legibus Regni fundatâ, facere compellamur, minimè nos contra Majestatis Vestrae Sacratissimae authoritatem Regiam quidpiam commissuros confidimus.

Præsertim cum multa millia Evangelicorum eò redacti sint, ut non habitis templis, eorumq; ministris, perplurimi infantes sine baptismate extinguantur, & ubi antehac cultus Evangelicus Divinus peragebatur, ibi nunc passeres nidificent, plebanis Catholicis quinque & plures parochias & Ecclesias occupativè tenentibus, & non nisi in proventuum eorundem exactionem intentis, neque ubi tota Ecclesia ex Evangelicis etiamnum constat, Catholicis vix decem imo paucioribus inter illos existentibus, sicut & ubi in aliquo Comitatu supra centum templa Evangelicis adempta ipsorum Exercitium Religionis ad duo templa vel exhibenda loca restringi quiret cum duo templa tot millium Evangelicorum essent incapacia; quibus accederet, quod miseri Evan-

Evangelici, ob carentiam insimul collegiorum, Gymnasiorum & scholarum suarum, eorumque docentium ex parte sui nil amplius sperandum haberent, quam impendentem respectu juventutis suæ barbariem.

Quare denuò ad thronum Majestatis vestræ Sacratissimæ supplices provoluti, per viscera misericordiæ Divinæ, Majestatis Vestræ Sacratissimæ in hac nostra oppressione ac liberi Exercitii Religionis Evangelicæ totali fermè exterminio, authoritatem & auxilium Regium humillimè imploramus dignetur ad mentem toties allegati Diplomatis Regii & Legum Regni benignissimam Gravaminum Incllyti Regni eatenusque factarum humillimarum instantiarum nostrarum, pro Cæsarei & Regii animi magnitudine habere rationem, nobisque clementer subvenire, ac cum restitutione ab annis præattactis universorum latorum, nobisque de non perturbanda imposterum securitate, potestate sua Regia benignè assistere, qui in pace & quiete cumque tranquillitate conscientiæ DEO vivere, atque ea, quæ erga Majestatem Vestram Sacratissimam fidelitas nostra exigit, alacri animo præstare queamus:

Oraturi simul Deum, ut Majestatem Vestram Sacratissimam cum Augustissima nostra coronanda Regina, & Archi Ducalibus charissimis liberis in florenti regiminis Statu conservare, Augustissimæque Austriacæ Domui Imperii & regnorum incrementa de die in dies adaugere velit, quo hæc afflicta & lacera Hungaria ad pristinam convulsorum membrorum recuperationem, cum immanissimi Christiani nominis hostis profligatione pervenire possit.

Quod nos unanimi voto apprecantes permansuri sumus semper.

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Universi Status & Ordines Incllyti Regni Hungariæ Evangelici.

COPIA

Alterius Memorialis Augustæ Imperatrici die eodem per Status Evangelicos exhibiti.

Augustissima Imperialis Majestas Domina Domina Nobis Clementissima.

Quod Majestati Vestræ Sacratissimæ supplici hoc nostro Libello importuni esse, summâ necessitate adurgente, debeamus, nemo nos jure merito impendentiæ accusare poterit:

Ubi enim quispiam in periculo existens, fiduciam obtinendi auxilii sibi pollicetur, ad illud confugere non veretur. Quinque jam humillimis Memorialibus Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati Domino Domino nostro clementissimo humillimè (præter publicum universorum Statuum & Ordinum Regni hoc in passu exhibitum gravamen) deteximus, quantâ strage in hoc Regno Hungariæ sint conquassatæ res Status Evangelici, ita ut ex feliciori ejus Statu, vix deformes quæpiam supersint reliquiæ ac submisissima veneratione imploravimus, tam contra Diploma Regium & expressas Leges Regni, vi & aliis modis & protextibus ademptorum templorum, collegiorum, scholarum, & similium universarum earundem pertinentiarum ac proventuum (quorum commemoratione Majestati Vestræ Sacratissimæ nolumus esse molesti) Plenariam restitutionem, complanationem, Regiarum item Diplomaticarum Assecurationum transgressorum punitionem, ac futuræ securitatis consolidationem:

Verùm hactenus obtentæ Resolutionis Regiæ, quoad acceptas injurias, & damna necdum adæquata subsecuta satisfactione, tot fluctibus turbinum agitata, in ancipiti versatur misera Evangelicorum navicula.

Sexto itaque jam humillimo nostro Memoriali iterum suam Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, per ea quæ Christianis admissa oratum & obtestatum venimus sacra, quatenus hanc tot procellis concussam laceram & periculosis quoque scopulis allisam Status Evan. naviculam, tanquâ prosper favonius Regiâ clementiâ afflare, inque securitatis portum promovere, ibique reparatis tabulis confractis priori nitori & integritati restituere dignetur.

Quod ut eò facilius impetremus, ad Majestatem Vestram, tanquam jam ad coronandum per universos Status & Ordines Regni demissa subjectione invitam ac crastina die etiam felicibus auspiciis solenni ritu coronandam Clementissimam Reginam nostram, ac Serenissimæ Imperialis Domus Neoburgensis Palmitem imperterrita mente & animo confugimus, (inter alia etiam, quæ à Majestate Vestra nobis imposterùm pollicemur gratiæ Reginalis specimina) hoc profundissima submissione exorantes quatenus his Augustalis & Reginalis gratiæ suæ primitiis, eundem Statum Evangelicum beare, ac apud suam Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Dominum Dominum nostrum clementissimum gratiosissimè plurimùm valitura Regiâ sua Intercessione, ejusdem Status Evangelici supplicationes secundare ne dedignetur, quo ad finem cum tripudio ejusdem coronationis solennitate deducta, nos in sacro Diplomate Regio ac Legibus Regni fundatorum votorum compotes fieri, ac ad nostros placatis animis reversi, non solùm gloriari, verum etiam juventuti nostræ recensendo, ad posteritatem nostram indelebili memoria transmittere possimus, quod tempore felicissimæ coronationis Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ in Reginam Hungariæ

Ejusdem Majestatis intercessione à Clementissimo nostro Rege obtinuerimus id, quod millenis atque millenis precibus ac votis, per miserum ac variis modis oppressum Statum Evangelicum hactenus expetitum fuit. Præparante cor regium Divinæ Majestatis directione, in cujus manibus sunt & habentur corda Regum.

Quæ, prout non diffidimus, si impetraverimus, ad profundissimas gratiarum actiones nos non solùm perpetuò adstringimus, verum insuper indesinenter, summum cœli terræque Dominum ardentibus precibus exoraturi sumus, ut Majestatem Vestram salvam & incolumem in longævos annos conservando, faciat sicut vitem fructiferam, in lateribus Clementissimi nostri Imperatoris ac Regis, Filiumque Archi-Ducem jam natum, ac eodem Deo benedicente, adhuc nascituros, tanquam novellas olivarum in circuitu mensæ suæ; ut hujus Augustissimæ stirpis surculis multiplicatis, ac in magnas arbores Imperii & Regnorum excrescentibus, sub umbra eorum, optata pace semper frui, & omnibus felicis Regiminis affluentiis gaudere possint omnes eorum fideles subditi, inter quos nos quoque semper permansuri & futuri sumus.

Ejusdem Augustissimæ Imperialis Majestatis Vestræ

Humillimi ac perpetuâ fidelitate addictissimi Subditi.

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

SERIES

Templorum, Parochiarum, Auditoriorum, Capellarum, Gymnasiorum, scholarum, fundorum, proventuum, & aliorum accessoriorum Evangelicorum Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictorum, partim violenter occupatorum, partim exquisitis sub prætextibus & variis modis mediisque ablatorum, incipiendo à Comitatu

SOPRONIENSI.

In Pago Loibersbach, Templum cum Capella, Parochia & Schola.

In Agendorff
Vandorff
Harka Megyer.

In Civitate Soproniensi
Templum S. Michaëlis cum Capella Ungarica: S. Georgii & Xenodochiale cum omnibus Scholis & Proventibus.

In Oppido Locsman, Szapony, Czava vulgo Stob, Pedesdorff, Valtersdorff seu Borbolya, Vipperd, Buk, Nemesladony, cum filialibus Tompahaza, Bereghallya, Pozladon, Mesterhaza.
Sap, cum filiali Simahaza.
Locs cum filiali Bereny & Hettye.
Nemesker, Szemere, Cserecsd, cum filiali Janosfal, Csaford & Kaly.

In Oppido Rust Templum cum Parochiis & scholis.

In Keresztur, Farad, Egyed, Pordany Sz. Andras, Nemethy, Sarkany, Bodonyhel, Uyker.

CASTRIFERREI.

In Fœlso Lendva, Muray Szombak, Szent Gyorgy, aliter Vizlindva, Tisina, Martyenics, Dolnics, Lapiense, Sz. Ilona, Sz. Anna, Csopenoz, Sz. Sebesteny, Dobra, Sz. Marton, Szolnok, Puszta, Sz. Mihaly, Samfalva cum filiali Belgerstorff, Burgiense cum filiali Baderstorff & Bopendorff, Kukmir, Bolffaa, Kicslaladen, Zulczrigel-Incenhoff, Hidegput, Sz. Kœrœszt, Gœdri, Kœnigstorff, Raba Sz. Mihaly, in Hidvegh cum Szecheniensi, Nadasdy, Sz. Thamas, Sz. Lenard, Dormad, Bucsn, Sz. Kiraly, Pœrœnye, Nyaray, Cœri Sziget, Kota, Szegnye, Kopacs, Karoly, Patii, Teresztyenfa, Sz. Jvanfa, Nemes Cso, cum filiali Puszta Cso, Nagy Patty, Aszszonyfa, Meszlen, Acsad Bœd, Szivagy, Szecseny, Bügœd, Szarvaskend, Csanil, Nemet Genes, Pœse, Doroszlo, Sœpte, Sz. Gœrgy, Gvar, Szeleste.

In Oppido Kœrmend, Csakany, Szecsœd, Egyharas, Hollos, Radocz, Sz. Lœrincz, Taplanyfa, Kaid, Kiskaid, Polyany, Kaponsfalva, Totfalu, Kis Ungom, Uyfalu, Nagy Unyom, Baloghfa, Kœveskut, Salvalva, Fœlsœ Surany, Also Surany, Beœd, Jvancz, Fœlsœ Cœr, & Also Cœr, Bozogh.

In Civitate Kœszegh duo Templa, Germanicum Hungaricum & Capella in suburbio, cum cæmeteriis parochiâ ac scholis, nec non aliis domibus Ministrorum Evangelicorum Residentiis, proventibus, fundis, legatis, omnibusque accessoriis & pertinentiis.

In districtu Kemenyes, Allya: In Oppido Janos hara duo Templa, in Sagh, Dœmœk, Simonii, Ostffii, Aszszonyfa.

SZALADIENSI.

In Legrad Templum cum Parochia & schola, aliisque accessoriis, Bagony, in Sz. Gyœrgy Vœlgye, Templa, Parochiae & scholæ cum universis obventionibus.

JAURIENSI.

Jaurini Auditorium Evangelicorum cum omnibus accessoriis Sz. Jvany, Koronczo, Pasmany, Kis Barati, Gyarmath, Radovany, Moriczhida, Malomcsok, Sœvenyhara Sz. Mihaly, Merges, Kapi, Bodogkœ, Reti, Marczaltœœ.

COMARIENSI.

In oppido Komarom duo templa, item destinatum Auditorium, cum Parochiis, Scholis, coemeteriis, aliisque pertinentiis & accessoriis.

In possessionibus Aranyas, Ekkell, Turi Szakallas, Apacra Szakálos, Ekecz, Nagy Megyer, Csicsó Nema Tûs, Kis Tani, Nagykeczi, Mocsa.

In Oppido Tata templum cum parochia & schola.

MOSONIENSI.

In oppido Ovár duo templa cum parochiis & scholis, Szolnok, Némes Jandorff, Hegyeshalom, Czundorff, Levél, Miklosdorff, Raika, Sz. Iván, Gallos, Téten, Pufzta Samaya, Belsô Kemlye, Kanok, Mecsée, Halaszy, Mosony, Lebeny, Sz. Miklos, Ilmicz, Pomotii, Apetlon.

In oppido Kôpcsen templum Germanicum cum pertinentiis.

VESZPRIMIENSI.

In Præsidio Pápa, templum, turres, cœmeterium cum parochiâ, & aliâ certâ parte domus, appertinentiis eorundem.

In possessione Vaszar.

In oppido Ugod, & filiali Kis Gyomoth.

In possessione Kerta, Dobron, Thamasfy, Csúrgó; Bánck.

POSONIENSI.

In Civitate Posoniensi templum Germanicum & Hungaricum cum cœmeterio, scholis, domo certa per Evangelicos pro habitatione Ministrorum, comparata, cunctis Ministrorum Bibliothecis, & omnibus aliis appertinentiis.

In Civitatibus Modor, Bazin, Sz. György, templa cum parochiis, scholis cunctisque appertinentiis.

In Civitate Tyrnaviensi duo templa, cum parochiis, scholis, piis legatis, cunctis appertinentiis.

In oppido Samarja templum cum parochiis, scholis & appertinentiis.

In oppido Nagy Levard.

In possessionibus Limbach, Csatay, Nemeth Gurab, Ivany cum filiali Papfalva, Beke, Gomba, Sz. Abraham, Szap, Egyharfalú, Jóka, Gutor, Miscerd seu Misdorff, Fel, Cselesztô, Szûl, Mayten, Macsid, Viszkelet, *Kosut*, Aliftár, Rete, Bodogfalva, Kis Borsa, Nagy Borsa, Királyfalva, Fôlso Szele, Also Szele, Nyek, Veszekeny, Nagy Szep, Tarlós, Sente, Szered, Szoporina, Kiliti.

In oppido Szencz & Szerdahely templa sunt demolita, & aliæ pertinentiæ occupatæ, Csötörlök.

NITRIENSI.

In Civitate Szakolczensi duo templa cum parochiis scholis & pertinentiis.

Templa, Asakûrtense, Csermediense, cum filiali Dovoraniensi, Szerdaheliense, Paczolaiense Cziziense cum filiali Uyfalniensi, Nagy Bosaniense, Krasznaviense, cum filiali oppidi Sambokret, Nitra Szerdahely, Nagy Beliccense, Korosiensia duo cum filiali Szolcsanka, Racsanense, cum filiali Nagy Leanensi, Handloviense, Livienense, Szebredrasiense, Baniense, Vitkoczense, Also Leloczіense, Divek Uyfalviense, Devekiense, Czigeliense, Rudnaiense, Belaiense, Csavoiense, in Ivánk, Kosztolanfalvense, Lipovinkiense, Bucsaniense, Belesiense, Eörvesdiense, Sz. Keresztiense, Moravanka, Straczense, ó Lehotense, Habatistense, Verboczense, Bukoczense, Priterzense, Szerniense, Beladiense, Konjatiense, *Kolonense*, Retense, Neveriense, Vitkoczense, & Sisó, Turaluka, & oppidi Szenicze.

TRENCHINIENSI.

In Civitate Trenchiniensi duo templa; cum cœmeteriis, Gymnasio, Parochiis & cunctis appertinentiis.

In oppidis Varin, cum filialibus Bela, & Terohova.

Ughely ad *Kis* Uczam, duo templa cum filialibus Nagy Divina & Beodno.

Raycz, Vágh Besstercze, cum filiali *Kesztelecz*.

Predmer, Belus, cum filiali Viszolay, Pucho duo templa, Lednicze cum filialibus Gazencze cum filialibus, Illava, Hanslichfalva.

In possessionibus Csacska cum filiali *Krasznensi*.

Letava, *Konszke*, cum filiali videlicet Straske, & Visnyove.

Kamena, Poruba, Frivald, cum filiali Facskó.

Szulyoviense, Bodniense, Schavnikiense, Marikoviense cum filiali Hatne.

Nemes Csotcsoviense cum filiali Rovne *Kis* Uvicza, Jurcsovka, Hricsoviense.

Ugzocz cum filialibus Omasztina & Oxina.

Misgocz, Dubova, Pravoticz, Podlusan, Gorocz, Turna, *Kis* Jeszenicze, cum filialibus in Podvase, & Popradne.

Koczkocz, Rovna, Luka, cum filialibus Mseno, Bolesuv, cum filiali Pomenucz: Nagy & *Kis* Poruba, Matescz, cum filialibus Petrovo, Lehota & Neboracz, Delerics; Szalatina cum filialibus Timoracz, Birocz, Folso Drietoma, Melchicz, Haluzicz, Lieskocz Moravicale, Baricz cum filiali Uyfalu, infra Berko, Kohanocz.

ARVENSI.

In oppidis: Nagy Falu cum filialibus. Kubiniense cum filialibus.

Turdosiniensia duo cum filialibus.

Tresztyniense cum filiali.

Subarcense cum filiali.

In possessionibus: Zarkoviense cum filiali; Duboviense cum filialibus. Nameslloviense cum filialibus. Lokcense cum filialibus. Nisnense Jablonka cum filialibus.

LIPTOVIENSI.

In oppidis: Csorba, Hibe, Sz. Miklos, cum filialibus Verbicza, Andrasfalva & Pleslin, Rosonbergh, cum filiali S. Martini Hzbuotova, & Revucza Lipche.

In possessionibus Vasecz, Bocza, Dovalovo, cum filiali Kokána, Sz. Peter; Sz. Iván, cum filiali Pocubka, Sz. Andras, Sz. Istvàn, Szmerchàn, Madaczfalva, Nagy Bobrocz, Okolicsna, Tarnocz, Szilnicza, Proszek, Sz. Anna cum filiali Malatina, Boldogh Aszszonfalva, Tepla, Liszkofalva, Kominatna cum filiali Sztrahován, Kis Palugya, Nagy Palugya, Sz. Kereszt, Klacsan, Sz. Mihal, Mindszent, Also Mattyasocz, Trsztena cum filiali falocz, Dubrava, Brdofalva.

SCEPUSIENSI.

In Civitate Leuthoviensi templa 4. cum Gymnasio, Parochiis, Scholis, Hospitali pauperum ac cunctis appertinentiis.

In civitate Kesmarkiensi templa 2. cum Parochiis, Schola, Hospitali ac omnibus aliis appertinentiis.

In possessionibus Tot Falu, Maldur, Busocz, Stratzka, Keretz falva, Sz. Gyorgy, Holomnicza, Kolaczko, Kislomnicza, Viborna, Rukuz, Forbeg, Huntzdorff, Kakas fomnicza, Uy Letzna, Gerlach falva, Mingus falva, Felsotzonova, Gergeo, Schiavnik, Hranovincza, Kubacz, Also tzonova, Hozelech, Svabocz, Ganocz, Filiche, Vilkocz, Farkas falva, Jamnik, Dravecz.

Oppida Vogondritz, Haratzt, Tepliche, Viderinck, Uloza Zavada, Sz. Andras, Pik-falva, Abraham falva, Dvorecz Lemkocz, Betlehem falva.

Item Kapotzra falva, Milenbach, Szakocz, Nagy Szàlok, Kis Szalok, Ctorouok hely, Smizan, Illyes falva, Kuriman, Harikocz, Damisoch, Odozin, Markus falva cum filiali, Csepan falva, Koztvelyes, Szvedlar, Velbach, Golnicz Szomolnok, Krompach, Remete, Stotz.

In possessionibus Pongracz falva, Petrocz, Harkocz, Voikocz, Kalava, Hrisocz, Kolonocz, Folso Szalok, Folso Szlovenka, Kliukno, Ritzno, Zakavvicz, Jaklocz, Volkmar, Folso R'vas, Bzutocz.

In tredecim oppidis, Bela, Libicza, Rutzkonicz, Tvarosna, Mattyocz, Szombathely, Velka, Poprád, Sztracza, Verbó, Igló, Var attya, Blatzi.

SAAROSIENSI.

In Civitate Epperies tria templa cum Monasterio deserto, Gymnasio & altera schola, totidem Parochiæ cum reliquis appertinentiis.

In Civitate Baztphensi duo templa; tertium Xenodochiale cum parochiis, scholis & cunctis appertinentiis.

In civitate Cibiniensi, templum, parochia, schola ac aliæ appertinentiæ.

Reliqua etiam omnia templa, ne unico in universo Comitatu pro Evangelicis relicto, cum Parochiis & scholis, cunctis denique appertinentiis occupata.

ZOLIENSI.

In Civitate Novizoliensi utrumque templum cum parochiis & scholis, item templum Xenodochiale cum duobus aliis ad Spiritum sanctum vocatis, item Filialibus Szatzoviensi, Sz. Jacobiensi & Tajoviensi cum omnibus accessoriis.

Item Valaszense & superioris Lehota, in oppido Lipchè cum filiali Mosztenico, Predainense, Duboviense, cum Capella Ratztokiensi, S. Andreæ, Zopejense, in valle Dominorum cum filiali Sztarahoriensi, Radvanense, Badiniense, Hainikiense, Buctense, Temyense, Otztrolukense, Bacsnroviense, Dobronivenge, Babatzekiense, Szatziense, Nagy Szaltnense, Octovniense, Zolrense, Sampreniense, Csernense, cum Filiali Hrokoti, Ponikiense, Dubraviczense, Michinense, Szeler & Libet Banya.

THUROCZIENSI.

In possessione Folso Rutka, Folso Zathurcza, in oppido Sz. Martony, Sz. Peter de Thurocz, Pribocz, Jetzenicze, Latzlo falva, Joanka falva.

In oppido Tot Prona cum filialibus Rudna & Zetzenova.

In oppido Szkleno, Folso Stubina, Sz. Mihaly cum filiali Dutova, Hay cum filiali Also Stubina.

In oppido Mosocz, Ecclesia S. Andreæ, Necz Pal, Ecclesia S. Mariæ, Bela, Ecclesia Divæ Helenæ, Nagy Zetzen.

In oppidis Szuchan & Thuran.

ABAUYVARIENSE.

In civitate Cassoviense, templa tria cum Parochiis, Gymnasiis, Scholis & cœteris accessoriis.

In oppidis Szevri, Geoncz, Szanto.

In possessionibus Kassa, Uyfalu, Ras, Benyet, Vaikocz, Rozgony, Olcsvar, Beod, Szinnye, Gyorke Osva, Boghdani, Szalancz, Misle, Hutka, Szevlak Betzter, Lengyel falva, Barcza, Zebes, Enytzke, Sina, Georze, Uyvar, Sadany, Juzor, Kapolna, Kajata, Redmecz, Vagas, miko haza, Telky Bannya, Goncz, Ruzka, Tornyos, Nemethy, Nadaskay, Kenykcz, Veghles, Hecse, Koklat, Vilman, Vitaly, Boldoghkco, Uyfalva, Alpar, Dotsa, Somogy, Makrancz, Cseocs, Nagy Ida, Kis Ida, Pany, Mitzloka, Tokesek, Szurdez, Mecrenzer, Bodolgo, Radvany, Bossfa, Komlos fony.

SZATH-

SZATHMARIENSI.

In arce Szattmár & oppido Eesed, templa cum Parochiis Scholis & pertinentiis.

In oppido Gyarmath, Tarpa, Penige, similiter templa, Parochiæ & scholæ.

BEREGHIENSI.

In oppido Munkacs templum, duæ Parochiæ & scholæ cum Xenodochio & appertinentiis.

In oppido Beregh, similiter templum cum Parochia Schola & pertinentiis.

In possessionibus Tanoty, Beregh, Uyfalu, Munkacs Uy falu, Gad, Gut, Davidhaza, Rakos, Joany Kis falud.

BARSIENSI.

In civitate Cremnicziensi tria templa cum parochiis, scholis & pertinentiis aliisque accessoris.

In possessione Kuniso, Pierghi & Luczka, in Hlinik cum schola & filiali Szenar|falva, in Vihnye, Folso zdenya, Prochod, Sarnocza, cum filiali in Folso Hamor, Velko, polya, Kamenecz cum Schola, Nagy Ugrocz, Simony, Brodgyan,

In civitate Uybanya, Rudno, Marot, Kozmaly, Novavilla, Szelesen, Fenyû Kotztolán, Otzlán cum filiali Fél falu.

ZEMPLINIENSI.

Templum Saáros Parakiense, cum Parochiis, Gymnasio, Scholis, proventibus, vineis aliisque pertinentiis.

In Oppidis Tokay, Tarczal, Keretztur, Mád, Tallya, Litzka, toletva, Erdô Bénye, Szerencz, Horvathy vamos Uyfalu, Olatzii, Sadany Sara, Petran, Hottika, Lucz, Ardo, Megyatzo, Uyhely, Bari, Borsi, Csernako, Kis Toronya, Nagy Toronia, Kitzte, Szemlem, Kiralyhelmecz, Sentes, Zeteny, Bottyan, Kis & Nagy Tarkany, Szerdahely, aliisque pagis in districtu Bodrogkôz existentibus. Item Terebes, Palsecz, Parno, Polianka, Sacsur, Kôretrélyes, Vasarhely, Burka, Latztocz Mihaly, Hardicha, Jetztreb, Nagy & Kis Azar, Csetii, Kis-Cset, Nagy Cseb, Rakocz, morva, Rhabocz solut, Varanó, Kucrin, Garan, Nagy Mihalyi, Pardich, Jobbagya, Taverna, Pomny falu, Vehecz, Migletz, Bositio. Szecs, Keretztur, Uylat, Hanus falva, Krusso, Bitztra, Czigand, Kis Geress, Nagy Geress, Dobroka, Szelibka, Falkos, Imrek, Czeke, Ladmocz, Szoloske, Szytras Uyfalu, Isep, Kalso, Legenyc, Vidam, Csergheo, Peleite, Geresel, Kazu, Vecse, Rutzka, Banocz, Gataly, Kupon, Hoc, Tusallyfalu, Rasa, Abbara, Lazony, Macra, Gerenda, Koltes, Hotzszumezzo, Kis Kamer, Kolbatza, Putra falu, Vagas, Fekete, Patak, Kozma, Also Redmecz, Also Bereczkii, Folso, Bereczky, Vaidacska Kovesd.

GEOMORIENSI.
Templa.

Ribniczense, Gerticze, Råkosiense, Badnense, Bitztrense, Filler, Krotovva, Sûrotense, Jolsraiense, Chisnense, Mokrolucense cum filiali Muranyallya, Potrukaiense cum Filialibus Zaratka & Helypa, Szûmôlcsiense cum Filialibus Tergrad, Vernad, Pohorella, nagy Szlabosiense cum filiali Felete, Lehota, Folso Sajoiense, cum filiali Reidova, Dobrinense, Olahpatakiense cum filiali Goczova, nagy Vetzforčtienz: cum filialibus Kis Vetzfores & Henczko, Betleniense, Rozlosnense cum Pago Golcsalto, Jolcrense, Ochtinense, Rostariense, Czecselowiense, Also Sapiense, Csemekiense, Pelsocriense, & Berzehense, Csetack, Tapolcrense, Rosnensia duo cum Parochiis Scholis cœterisque pertinentiis.

TORNENSI
Templa.

Tornense cum filialibus Ay Udvarnok & Szadelo Barkense, Lucskense, Harskutiense Szigligetiense, Gorgoriense, Almasiense, Kortvelgeriense, Jabloncrense, Szilicriense cum filiali Borcova, Jolsvafoviense, Petriense, Sziniense, Szillasiense, cum filialibus Rako, & Sz. Andras, Komjatiense cum filiali Nadaska, Hidvegh, Ardoviense, Vendergiense, Uyfalusiense & Szolos Ardaiense ac perkupense.

UNGHUARIENSI.

In Szereghuye, Papka, Helmecz, Darocz, Minay, Tarnocz, Patzlocz, Nagy Geheorz, Palagy, Nagy & Kis Kapos, Doborutzka, Csicser, Vajan, Bes, Palois, Mokesa, Vilzoka Banjanhaza.

Unghvar cum Schola Nemethi, Jenke, Kerebtzt, Pinkocz, Zahar, Bero, Nagy Szeretva, Senay, Paliny, Kratka, Zalaerkan, Gesen, Luczka, Vrima, Mattgocz, Vaikocz, Fita, Vavriatina.

HONTHENSI.

In Civitate Schemnicziensi quatuor templa cum parochiis, scholis, Xenodochio & pertinentiis.

In Civitate Belabaniensi, templum parochiale cum schola & appertinentiis.

In Civitate Bakabaniensi, itidem parochiale templum cum annexo Sacello, parochia & schola, aliisque proventibus & appertinentiis.

In oppido Batth templum parochiale cum Parochia, Schola & appertinentiis.

In Hodrusbanya duo templa cum Parochia, Schola & pertinentiis.

In Folso Tot Baka, Sember, Bagyanka cum filiali Poemvadlo, Princs falva cum filiali Beluja, Sz. Antat cum filialibus Illia & Sibrik, Hormoso cum filiali Devicse, Bozok, Szenograd,

grad, Litva, Dacto, Lam, Also-Rakoncza, Gyekes Csal, templa cum parochiis scholis & appertinentiis.

NEOGRADIENSI.

In Præsidio Fulekiensi, licet templa tam Augustano - quam Helvetico - Evangelicorum de facto etiam penes manus eorundem sint, per eosdemque possideantur; Ministri tamen contra benignas etiam Suæ Majestatis Sacratissimæ protectionales præmentionatis Evangelicis clementissimè elargitas, induci per loci Capitaneos minimè permittuntur.

Demum Templa in Nagykůrtos Also Etztergar, Sz. Peter cum filiali Nagy Strachin, Nagy Lam, Maskfalva, Nonyabanya Tzinobanya, Turicska, Ozdin, Uhorszka cum Parochiis, Scholis & proventibus Parochialibus.

BORSODIENSI.

In Præsidio Onod templum cum Parochia, Schola & pertinentiis.

Item proventus Ecclesiarum Szendro, Lajo Sz. Peter & Rudabanya nec non Alzalo.

Et siquidem Sacra Cæs. Regiaque Majestas in nonnullis civitatibus Templa, Capellæ, Parochiæ, Scholæ, Xenodochia cum omnibus proventibus, fundis, appertinentiis, legatis hac occasione specificari ex integro non possunt, ea omnia, quæ omissa nunc fuissent, una cum præspecificatis Templis, Capellis, Parochiis, Scholis, Xenodochiis, fundis, proventibus & Legatis, cunctis denique appertinentiis & accessoriis coram Commissariis uberius & clarius specificanda, & per eosdem restituenda humillimè præstolantur.

Universi Status Evangelici Ablegati.

Die 9 Mensis Decembris. Conveniunt Regnicolæ ad Curiam civitatis, solitum sessionum suarum locum, ubi declaratur methodus seu series imminentis Coronationis.

Series Coronationis Sacratissimæ Dominæ, Dominæ Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Augustissimæ Imperatricis, natæ Palatinæ ad Rhenum, in Reginam Hungariæ Anno Domini 1681. die 9. Decembris Sopronii institutæ.

PRimò: Ante Coronationem Sacra Regni Corona cum insigniis inaugurandi ex Curia Civitatis, in aulam & cubiculum Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis pridiè sine omni magno splendoris apparatu, præsentibus Statibus ac ordinibus regni deportatur, neque opus est, coronam Sacrario Templi recondere & custodire, cum Suæ Majestates Sacr. immediatè in propinquum Patrum Franciscanorum Templum sint progressuræ.

Secundò. Per metatorem aulæ S. M. S. pridiè significatur Ministris Cæsar. cubiculorum, cœterisque aulicis ut die 9. mensis labentis hora 8. matutina in aulo prestò sint, idem Equitibus Aurei velleris faciendum.

Tertiò. Pariter Statibus & Ordinibus Hungariæ à Magistratu Curiæ id indicandum.

Quartò. Denique legatis per Dapiferos Cæsareos id significatur, illi in ulterioribus, si opus est, & quoad hæc res ipsos attingit, defunctionis ordine per Aulæ Secretarium informandi sunt generatim.

Quintò Magistratus Curiæ Hungaricæ, Misso certo Nobili, conjugibus & domicellis Dominorum Procerum significabit, ut die horaq; præfixis in Templo compareant, adjungitur denique eidem relimetator Aulicus qui easdem ad prandium evocat.

Sextò. Gynecæum Germanum ad Templum & prandium vocatur.

Septimò. Die Coronationis, civitatis Sopronienlis portæ clauduntur, uti Posonii 1613. & circa horam undecimam matutinam, cum celebrandæ functionis tempus & principium imminet, ex legione Manzfeldiana ad hoc admittendi pedites, Cataphracti Palffiani excubias agent, Cives Sopronienses non armati cum Sua Majestate Sacr. saltem intervallo publicam plateam ingrediantur, adversus incendii pericula instructi sint & parati.

Octavò. Milites tàm Hungari quam Germani & Satellites præforibus templi ita distribuendi, ut ingruentem vulgum repellant. His autem ex primariis utriusque gentis Nobilibus præficiendi, qui curam gerant, ne templum alioquin angustum plebe repleatur.

Nonò. Congregatis Die 9. Decembr. in Aulâ Cæsarea Proceribus cunctis, convocatis hora 9. matutina, ex habitatione Cæsareâ ad proximum templum in tabulato eant instructi modo sequenti.

Processio seu Ceremoniæ peraguntur.

1. AMotis famulis quibuscunque procedunt primarii Nobiles Aulici & Proceres utriusq; gentis Germanorum & Hungarorum.

2. Sequuntur præcipuæ dignitatis Ministri, Equites Aurei velleris, deniq; cum scipione Vicarium tenens (absente supremo Aulæ præfecto) supremus Aulæ Marechallus Comes à Zinzendorff.

3. Hispanus & Venetus Legati.

4. Feciales sive Chiraldi, (Heroldi)

5. Trabeati, baculos albos gestantes, hæreditariorum Electorum Imperii subofficiales cum insigniis Imperii: In medio Comes Brustensis de Sauvigl, cum globo à dextra Comes de Ottyahely sceptrum habens, & Comes Carolus Ludovicus à Zinzendorff pulvinar pro corona gestans.

6. Vicarius supremi Auli Mareschalli, ensem evaginatum præferens.

7. Sa-

7. Sacra Cæsar. Regiaque Majestas paludamento Cæsareo induta & Corona Imperiali Augustæ Domui Austriacæ familiari caput redimita.

8. A latere Suæ Majestatis supremus Cubicularius & Satellitum Capitaneus.

9. Magister Curiæ Regiæ in Hungarum nunc substitutus Comes Joannes Draskovics.

10. Custodes Coronæ Stephanus Zichii Senior & Christophorus Erdödy.

11. Clenodia Hungarica gestantes, uti Pacem Comes Georgius Erdödy, crucem Georgius Illyeshazy, pomum Nicolaus Draskovics & sceptrum (vacante Judicis Curiæ Regiæ officio) Comes Croatiæ Banus Nicolaus Erdödy, Coronam regni Palatinus Comes Paulus Eszterhazy: Hi tres in pulvinaribus rubris holosericis, illi duo manu præhensa præferentes.

12. Augusta Imperatrix, supremæ Aulæ Præfecti Principis Dietrichstein brachio innixa, ejus superius Syrma manibus exceptum Aulæ Præfecta Comitissa de Rapach fert: Et cum Augustæ nullum hactenus Diadema impositum sit, illa primò absque Corona coram altari apparebit. Hinc Domesticum & proprium Diadema privatum, ad templum deferetur, ibidemque ad solium in mensula collocabitur.

13. Conjunx Regni Palatini (si aderit) ad Sinistram Domicellarum vadens.

14. Sequuntur Domicellæ Aulicæ.

15. In limine templi expectat Clerus aspergitque Sacram Majestatem Cæsaream Archi-Episcopus Strigoniensis (si præsens est) vel Colocensis, & comitantur vel loco eorum.

16. Præcedit Clerus cum cruce exaltata, manent tunc ad portam templi Augustam aspersuri, bini ejusdem Episcopi.

17. Prælatorum & Ecclesiasticorum numerus certior definiendus, alioquin multitudo eorum, Choro prorsus occupatô, alias ibidem necessarias personas excluderet, vel magnoperè impediret.

18. Interim vocandi sunt pro excubiis Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Germani & Hungari, qui Gynecæum ad locum destinatum deducunt & Theatri curam gerunt.

19. Sacra Caesarea Regiaque Majestas Thronum suum in cornu Evangelii ex more ornatum, Augusta solium è regione altaris in medio Choro, sed uno vel altero passu remotius existens, occupabunt; & hoc Augustæ, Pannus ex tela argentea & superius uranisculus pendulus tegent.

20. Rectè hujus solii sunt sedilia vulgaria rubro obducta panno, pro binis Episcopis assistentibus, deinde scamna supremæ Aulæ Præfectæ & Domicellarum.

21. A latere Evangelii in Scamnis solitis erunt legati, è regione autem in latere Episcopolæ Equites Aurei velleris ac Consiliarii: Status, utrinque in suis peculiaribus Scamnis.

22. Subofficiales Imperii, Clenodia gestantes, & Heroldi, ad lævam Throni Cæsarei, & ante illos Mareschallus cum gladio evaginato, ad dextram verò supremus Aulæ Præfectus, scipionem manu tenens, assistunt.

23. A Sinistra solii Imperatricis sunt Proceres Hungari, qui Regalia insignia portarunt, quæ nunc Episcopi ab illis accepta in altari collocant.

24. Ante Solium vel in condecorata mensula supradicta domestica Augustæ corona recta manet.

25. Durante Templi ingressu & dum quisque locum suum occupavit, & cuncti non necessarii ex Choro recessere, Tympanorum & Tubarum clangor exauditur.

26. Silentio facto consecrationis Missæ sacrificium exoritur, & posteaquam ad Episcopolæ finem pervenit, Sacra Cæsarea Regiaque Majestas coronam in capite, nec non sceptrum & globum in manibus habens, descendit è Throno suo, ac coram altari se sistit & coram Archi-Episcopo Strigoniensi Augustam & Reginam coronandam præsentat, juxta formulam in Pontificali comprehensam.

27. Regrediente Cæsare, binis comitato ab utroque latere Episcopis assistentibus Altari appropinquat, Syrma vestimentorum Aulæ Præfecta sustinet.

28. Coram Altari flexis genibus, Augusta crucem in stella metropolitani osculatur devotionis gratia.

29. Archi-Episcopus coram Phaldestrio in genua se submittens, à Sinistra Augusta super culcitram & tapetem ibi præparatam devotè prostratura, donec Litanias majores Clerus quoque procumbens in genua absolvat.

30. Finitis Litaniis Augusta erigit sese, manet tamen genibus innixa, & præfatione finita inungitur à Metropolitano in brachio dextro, & inter scapulare cum oratione juxta Pontificale.

31. Hoc peracto Ductoribus Episcopis assistentibus digreditur ad proximum Sacrarium in hunc finem præparatum, ut abstergatur oleum per Aulæ Præfectam, quam sequuntur binæ Domicellæ Aulicæ & Palatini consors in medio earum.

32. Reducitur nunc peruncta Augusta ad Altaris superiorem gradum & poplitibus ibi innititur, sicque Palatinus Regni Hungariæ Sacram Coronam porrigit Metropolitano qui eam (juvante Palatino) humero dextro Reginae applicat, & paulò post rursum aufert, restituitque Altari.

33. Deinde Cancellarius Regni & Episcopus Veszpremiensis accedit & Diadema domesticum sive proprium è mensulâ supra dicta sublatum capiti Reginae Augustae imponit.

34. Porro Metropolitanus Augustae Reginae Sceptrum in manum dextram ac globum in Sinistram tradit, additis ex Pontificali precibus.

35. Augusta Regina denique ad Solium suum ab assistentibus reducitur atque in eo collocatur, quo eam Metropolitanus prosequitur & juxta Pontificale fausta & felicia ipsi precatur.

36. Inchoatur hymnus, Te DEUm Laudamus &c. & sub hoc solvuntur machinæ bellicæ, & bombardarum peditum & campanarum suburbii sonitus.

37. Cantatur Evangelium & sub eo reposcit ab Augusta Regina sceptrum & globum Magister Curiæ, redditque illi qui eadem prætulerat.

38. Codicem Evangelii Cæsari deosculandum præbet Archi-Episcopus Colocensis, Augustæ ac Reginæ Episcopus Nitriensis.

39. Ab Episcopis assistentibus ducitur Regina ad offertorium, & illic ingeniculans, in patinam, quam Episcoporum quidam submittit, Aureum Numisma, peculiariter in hunc finem fabricatum deponit, reditq, cum prioribus Comitibus ad solium in quo usque ad sacram communionem perseverat.

40. Coronam propriam Reginæ Augustæ, ubi necessum, Episcopus Vetzpreniensis demit è capite, eamque supremo Aulæ Præfecto Principi Dietrichstein tradit, qui eam tenet, posteaquam Augustæ Reginæ imponendam dicto Episcopo restituit.

41. Imperator post offertorium suum Diadema reponit, manibus supremi Aulæ Præfecti & supremi Cubicularii, recipit demum post communionem peractam.

42. Sub elevatione Clenodiorum portatores apices eorum ad Terram inclinant, ex Augustalibus autem Imperii insigniis ensis solus invertitur.

43. Regina Augusta ad sacram communionem ab Episcopis præfatis ducitur, quam ab Archi-Episcopi manibus una cum absolutione sumit, & ablatâ prius corona familiari, rursus caput illius induitur.

44. Sacro finito post Benedictionem altera succedit tormentorum explosio.

45. Denique eodem ordinis ritu, eademq; viâ reditus è Templo in aulam instituitur, nisi quod Hungariæ Nobiles, Matronæ è subselliis suis sensim descendentes Augustam Reginam in aulam sequentes, cum venerabundo manus osculo eidem aggratulantur.

Finitis præmissis sequitur Cæsareum convivium satis superque lautum & sumptuosum.

Die 10. Mensis Decembr. sub sessione Regnicolarum mittitur legatio à Dominis Prælatis & Magnatibus, quâ mediante insinuatur instituenda erga Suas Majestates peractæ solenniter coronationis aggratulatio, denominanturq; ex singulis Statibus certi Deputati, honorarium quoq; noviter coronatæ Reginæ ad formam Articuli 15. Anni 1655. obtaturi. Quia nihilominus Paulus Szecheny Prælatus & à Domo viridi ad Dominos Regnicolas Ablegatus, competentem titulum eumque semper in omnibus antecedentibus Diætis, imò hâc quoque dari solitum, nempe Magnificentiæ, materno sermone Nagysagtok usitatæ, Regnicolis denegasset, hinc repræsentatur ista ignominia Dominis Prælatis & Magnatibus, utq; antiqua eatenus praxis observetur, rogantur. Cui etiam assentiunt.

Die 11. Mensis Decembr. Sub sessione Regnicolarum Dominus Comes Palatinus medio unius Secretarii sui denunciat: Quod siquidem benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ ad nuper exhibita humillima puncta emanata resolutio præ manibus suis esset, hinc rogare regnicolas ut ad eandem exaudiendam ad domum viridem concedere velint. Alii allegant non esse tutum eodem proficisci edoctis exemplis, ubi Domini Prælati & Magnates similibus occasionibus alias etiam propositiones in medium asserunt, & non expectato voto & consensu Regnicolarum concludere præsumunt, metuendumq; ne hac quoq; occasione simile attentare præsumant: Alii satisfaciendum venire requisitioni suæ Celsitudinis censent, & si quid consideratione dignum censent Regnicolæ, pro instituenda superinde deliberatione ad sessionem Regnicolarum remigrandum, utpote ad solitum consultationum suarum locum.

Exurgentes Regnicolæ proficiscuntur ordine consueto. Præsentesque exaudiunt puncta in simplici papyro pro facilitanda memoria Comitis Palatini conscripta, ac à latere eorundem verbalem dicti Domini Comitis Palatini uberiorem declarationem.

Prælibatorum autem Punctorum primò per Regnicolas Domino Comiti Palatino assignatorum hæc est series.

Puncta Suæ Majestati Sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ, medio Excellentissimi Domini Comitis Palatini, nomine universorum Inclytorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ partiumq; ei annexarum, pro benigniore resolutione humillimè proponenda.

1. Omnes literæ reversales & aliæ in gravaminibus specificatæ, & ab undecennio occasione horum motuum & fori delegatorii qualescunq; & per quoscunq; extortæ, articulariter cassandæ, bonaque vigore illarum vel aliarum qualitercunq;, similiter occasione horum motuum occupata & præ manibus Fisci Regii actu existentia: In partibus quidem cis- & ultra Danubianis per prætactum Dominum Excellentissimum, Comitem Palatinum cum certis eidem articulariter adjungendis. In Superiori verò Hungariâ vel per futurum Judicem Curiæ, aut demum partium illarum Generalem: In Croatia tandem per Dominum Comitem Banum ad demissam Regnicolarum instantiam, humillimamq; prætendentium supplicationem, quantocius, soluta præsenti Diæta, ex innatâ gratiâ atq; Cæsarea Clementia simpliciter assignentur: abalienatorum verò conditionem intra anni revolutionem benignè accommodare altè memorata M. S. dignetur. Quæ autem bona per aliquos privatos propria illorum authoritate fuissent occupata, medio Vice-Comitum eorundem Comitatuum, in quibus talia bona adjacere dignoscuntur, comperta rei veritate, restituantur.

2. Negotium Religionis ex parte Status Evangelici ulterius etiam nomine Statuum & Ordinum Regni propter bonum pacis Suæ Majestati Sacratissimæ pro complanatione diplomatica repræsentandum.

3. Ratione actualis Domini Cameræ Præsidis amotionis pro debito fidelitatis suæ argumento contenti redderentur, ut loco ejusdem Domini Præsidis Comitis Colonitschii hujusce Diætæ beneficio Sua Majestas Sacratissima juxta mentem benignæ resolutionis, certam, eamque idoneam ac de Patria Suaq; Majestate Sacratissima bene meritam, nativam utpote secularem juxta leges Regni præficiendam Personam denominare, eligere, ac articulo nominetenus inserendam benignissimè statuere dignaretur. Ejusdem attamen sæpè dicti Domini Præsidis, soluta præsenti Diætâ, quantocius amotione exequenda.

4. Negotium Eörseghiensium juxta gravamen eatenus S. M. S. humillime porrectum accommodandum, ex quo nihil aliud nisi id quod juris patrii & æquitatis esset, exposceretur. Similiter negotium familiæ Palffi Suæ Majestati Sacratissimæ perdemissè recommendandum.

5. Miles nativus juxta Artic. 3. 1655. modalitate in gravamine apposita ad confinia per patentes Suæ Majestatis de facto extradandas reducatur.

6. Ratione consueti diurni juxta Art. 41. 1659. Tabulæ Suæ Majestatis Regiæ judicia pro hac etiam Diæta per Dominum Comitem Palatinum, secundum gravamen & replicam appositum, ejusdem Tabulæ instantia demissè promovenda.

Soproniì Die 8. *Mensis Decembr. Anno* 1681.

Notula memoriæ causa, de iis quæ nomine Suæ Majestatis à Domino Palatino Inclytis Statibus & Ordinibus ad propositiva puncta oretenus respondenda.

AD Imum Amnistia extendatur etiam ad relegatos ex Regno verbi Ministros, & redire volentibus ac quietam acturis gratia, ad humillimam singulorum eorum supplicationem concedatur reditus, reversalesq; eorum occasione exercitii religionis acceptæ quoad prædictum exercitium cassentur. Quoad reversales verò alias causas concernentes, injustè extortæ modalitate in clementissimis resolutionibus expresâ cassentur, & ejusdem officiales puniantur cum satisfactione desuper danda. Quoad bona & hæredes convictorum & condemnatorum maneat prior Suæ Majestatis clementissima resolutio. Commissio tamen particularis fiat, quantociusq; memoratorum hæredum memorialia porrecta, quibus pro Suæ Majestatis gratia humiliter instant, examinet, Suæ Majestatique votum aperiat, quid & quantum cuiq; per Regiam gratiam assignari possit.

Ad 2dum: In negotio religionis Sacra Sua Majestas non est contraria, si loca illa juxta priorem benignam resolutionem assignanda in specificatis locis pro extruendo templo minus idonea forent, ut in aliis locis magis idoneis assignentur per Commissarios jam destinatos. Præterea si quæ templa ab Augustanæ & Helveticæ confessioni addictis ædificata, & postea à Catholicis quidem adempta, sed nondum conciliata, verùm ad profanum potius & sæcularem usum redacta fuissent, ea quoq; per Commissarios iisdem restituantur, ita tamen, ut numerus ædificandorum in specificatione constitutus per hoc non augeatur.

Ad memoriale ab Augustanæ & Helveticæ Religioni addictis 8. Decembr. porrectum, respondit oretenus Dominus Palatinus, finitis utpote jam Diætalibus tractatibus.

SAcram Cæsaream Suam Majestatem nativam suam benignitatem per clementissimas suas resolutiones adeò fecisse perspectam, ut meritò concessione in puncto Religionis jam facta contenti esse queant: polliceri etiam sibi posse paternam inclinationem, benevolentiam & protectionem, addidisse insuper Suam Majestatem priori clementissimæ resolutioni benignam hanc verbalem declarationem, quod memoratæ religioni addicti in locis pro ædificando templo assignatis scholas etiam sumptibus suis instituere, & in efferendo suos mortuos cantibus aliisq; ceremoniis usitatis liberè uti possint.

Soproniì 10. *Decembr. Anno* 1681.

Et hæc erat resolutio oralis nomine Suæ Majestatis per Dominum Palatinum coram universis Statibus relata.

Die 12. Mensis Decembr. Sub sessione Regnicolarum releguntur & comportantur præmissa regnicolarum, ac ad ea per S. M. S. clementissime extradata puncta: Deprehendunturq; resoluta apertissimè vergere contra Diploma Regium, consequenter eversionem ejusdem, ut quæ admitti viderentur non ex diplomate vel Jure Patrio, sed gratia Regiâ concessa esse recognoscantur, quasi verò nunquam aliquod Diploma Regium superexstaret. Dominus tamen Personalis, Vice-Palatinus & alii quam plurimi tabulæ Judiciariæ judices persuasum volunt Regnicolis, ut ad concinnandos articulos manus admoveant, complaceantq; per id tàm Suæ Majestati, quam aliorum regnorum & terrarum negotia hinc avocant, partim verò incommoditas instantis brumæ ulteriùs hic detinendam dissuadet, quam Dominis quoque Prælatis & Magnatibus imò & sibi ipsis, parcendis ulterioribus expensis, considerando etiam calamitatem Patriæ, quam finita statim Diætâ instituenda super reducendis exulibus commissione à Regnicolis Dominus Comes Palatinus propulsare, atq; in optatam pacem, quietem, & tranquillitatem Regnum hoc collocare statuit, ex eoq; admaturent decurrere ad finem Diætæ: futurum, ut si quæ pro contento Regnicolarum præsente Diætâ conclusa non essent, ea juxta clementissimam Suæ Majestatis resolutionem, in futura, intra unius anni revolutionem celebranda, concludantur & complanentur.

Recensentur ordine puncta, & ad oculum demonstratur, in quibus contravenitur benigno

Regio Diplomati: Hæc tamen omnia pro facillimis reputantur, Dominum nempe Comitem Palatinum eadem ita modificaturum & facilitaturum coram Majestate Sacratissima ut concinnatis juxta gravamina & Replicas Regnicolarum articulis confirmationem etiam benignam in sensu regnicolarum obtinere possint, hæc enim omnia ex Epilogo resolutionis Regiæ deduci valerent, ubi libertas restituitur, leges & Articuli confirmantur.

Ad hæc dicit quidam Evangelicorum: Libertatem Diplomaticam obtinuit Articulus etiam Religionis, ergò juxta sensum Epilogi, restitutæq; libertatis hæc quoq; in sensu Regnicolarum seu Diplomatico intelligenda, ac articulis regni inserenda erit.

Pro & contra plurimi instituti discursus & disputationes; postremò Egregius Adamus Kende nomine 13. Comitatuum exurgens, dicit, se iteratis vicibus tam Domino Comiti Palatino quam personali, imò & toti regno declarasse, ita esse ad leges & diploma tuendum, gravaminumque eatenus emersorum complanationem instructionibus Principalium suorum adstrictos, ut nisi eorundem obtinuerint satisfactionem ad alia manus admovere nequeant.

Subsumunt Evangelici & recapitulant assecurationes Palatini, Domini Personalis & Regnicolarum, ubi postquam ad capitulationem postremorum gravaminum condescendissent, Evangelicos iteratò assecurassent, dummodo ad Diætales tractatus manus admoveant in serie eorundem gravaminum articulum Religionis promoturi, sique eatenus Evangelici complanationem non consecuti fuerint, eosdem facultatem habituros à sessionibus etiam emanendi, imo ipsos quoque Catholicos nulla alia negotia tam diu, quàm diu satisfactio Evangelicis impensa fuerit aggressuros.

Hic declaratæ sunt rationes ob quas Status Evangelicus resolutionem Suæ Majestatis acceptare non potest, quas hic deducere non est operæ pretium, ex præcedenti enim humillimo Status Evangelici Memoriali S. M. S. Die 8. Decembris exhibito, ac juxta Diarium præsentibus inserto, easdem elicere facilè lector poterit. Atq; hinc resolvunt Status & Ordines se nullatenus à Diplomate, legibus & instructionibus suis non modo in passu negotii Religionis, sed & aliis politicis Diplomati Regio adversantibus recedere posse, & signanter, dum Catholicis quoq; Comitatuum 13. Ablegatis in articulo Religionis sicut & aliis, una & eadem atq; Evangelicis à Principalibus eorundem data esset instructio, secundum cujus tenorem adstricti essent Principalibus suis dare rationem. Iteratis vicibus exclamat Dominus Personalis: Possum ne ergo cathegoricam hanc Status Evangelici resolutionem Domino Comiti Palatino intimare?

Respondetur: Omnino, sed non solum Evangelicos, sed æq; Catholicos quoq; Ablegatos Diplomati, legibus & instructionibus inhærere, nec ab iis se removeri passuros. Nonnulli Catholicorum ablegatorum adhærent contrariæ sententiæ ita, Politica minoris esse importantiæ, propterea; facilius complanari posse, dummodo articulus Religionis complanetur, vel verò Domini Evangelici contenti sint resolutione Suæ Majestatis, si verò contenti esse nolunt, ad primitus celebrandam generalem Regni Diætam differant. Comitatuum tamen 13. Ablegati tam Catholici quam Evangelici sicuti alii etiam, Evangelici quidem omnes, Catholici verò nonulli inhærent resolutioni suo modo prævio præmissæ. Interim Dominus Personalis hanc regnicolarum resolutionem medio unius Juratorum suorum intimari facit: Quo ex respectu mittitur à Domino Comite Palatino, Prælatis & Magnatibus legatio ad domum Regnicolarum cum denuntiatione, suas Dominationes eam habuisse fiduciam adversus Regnicolas, intellecta benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ novissima resolutione, intuitu etiam tot & tantarum rationum tam respectu S. M. S. quam etiam Patriæ hujus afflictæ calamitatum, sui deniq; omnium & tot factarum expensarum, ac impensi temporis, aggressuros ad concinnationem articulorum, ut eo citius finitâ hac Diætâ ad reductionum exulum commissio institui possit, qua ex ratione etiam ab hora 10. usq; ad 1. ferè pomeridianam in domo viridi expectantes à resolutione regnicolarum immorati fuissent; quia nihil ominùs nihil certi eatenus habere potuerunt, hinc rogant Regnicolas, disponuntq; rationibus præmissis ad aggrediendum concinnationem articulorum, sed regnicolæ potiori ex parte inhærent suæ resolutioni. Intimatur Regnicolis hodie sacræ Coronæ futura in conservatorium cistæ horâ 5. pomeridianâ repositio & solita obsigillatio, quo etiam denominantur certi ex Statibus Ablegati.

Die 13. Decembr. Status Evangelicus in solitô locô orationum seu precum quotidianarum conveniens sub ipso actu earundem precum, ingressus Excellentissimi Domini Comitis Palatini unus Aulæ familiaris, Dominum Georgium Gerhard, Joannem Mokiray, Joannem Fodor, Jacobum Tockos, Casparem Csemnizky, Stephanum Szirmiensem & Franciscum Bulyovvtzky nomine ejusdem Domini Comitis evocavit ad præfatum Dominum Comitem. Quibus mandato ejusdem D. Comitis Palatini satisfacientibus, cœterisq; interea in præspecificato loco solitarum orationum sese continentibus, & iis hospitium D. Palatini consequenterq; Palatium ordinarium audientiarum ingredientibus Generosos D. Vice-Palatinum Petrum Fodorochii, Stephanum Talian, Joannem Pernetzy, Gabrielem Bossany & alios è numero Catholicorum ibidem repererunt. Tum demùm Comes Palatinus per longum & latum exorsus, incommoditates, quibus tàm S. M. S. tanto tempore etiam cum Majestatis Suæ minus debita accommodatione, una cum Augustissima Imperatrice & Regina prægravaretur, quàm ipsi D. Prælati, Magnates, cum larga expensarum profusione, imò alii quoq; Status & Ordines non sine tædio, domesticorum negotiorum ac bellorum incommoditate hicce detinerentur, prætereà verò quot & quantis bellorum fluctibus, rapinis, prædis, spoliis, necibus, Patria hæc prematur, & quod horum omnium medela à felici Diætæ hujus eventu dependeat, enumerare cœpit. Hincq; subsumit se intellexisse Status & Ordines, ex eo, quod in negotio Religionis optatam Diplomaticam consequi non meruerint satisfactionem, gravaminumq; suorum complanationem, tàm diu ad concinationem articulorum concedere nequire, quàm diu ad eadem omnia obtinuerint resolutionem.

Demùm se recognoscere Statum Evangelicum Diplomaticam complanationem Instantiæ suæ minus obtinuisse, sed quia moderna temporis conjunctura id ipsum Effectui posse dari minus ostendit, aliunde etiam aliis magis importantibus negotiis & rationibus præpedientibus, suamque Majestatem Sacratissimam curis & negotiis Imperialibus hinc avocantibus, sed & ipso Comite Palatino commissione in reductione Hungarorum exulum instante, quam primùm & ante omnia cuperet effectuandam. Hinc rogare Statum Evangelicum velint suæ Majestati Sacratissimæ tempori, sibi & suis, adeoque Patriæ afflictæ & tam diu sub afflictione hac, ac condescensione militis Germani ingemiscenti, quam diu commissio Pacificationis effectui mancipata fuerit, sibique complacere, ac cum bona cautela in quantum eorundem Instantiæ minimè satisfactum fuerit, ad Articulos concinnandos manus admovere, verendum enim si Status Evangelici, ulteriusad totidem benignas suæ Majestatis Sacratissimæ admonitiones moras nexuerint, ac ad concinnationem Articulorum manus admovere neglexerint, vel contumaciter noluerint, sua Majestas Sacratissima juxta benigni Epilogi sui Resolutionem coram toto mundo Christiano innoxia comperta, omne quod ne fors impendere posset malum in ipsos redundet Regnicolas, & ne fors ex bello Rebellionis, Bellum succedat Religionis, quod maximè metuendum veniret: Hæc & plurima diu fuerunt allegata & repetita.

Persuasiones præmissas Domino Palatino finiente, excipit Catholicorum unus alterum, ad præmissa tamen omnia legaliter Diplomate & rationabiliter responsum ita, ut plerumque cacabus operculum invitus suscipere & silentio solo præterire debuerit.

Quia nihilominus Evangelici apud Dominum Comitem Palatinum existentes nomine Status nihil quicquam respondere potuerunt, veluti non exmissi à Statu, hinc omnem resolutionem ad instituendam coram Statu relationem provocârunt, postque declaratas rationes, ob quas ad concinnationem Articulorum concedere nequeunt, domum recesserunt.

Reduces referunt præmissa omnia Statui Evangelico tum videlicet illa, quæ objecta, tum quæ ex adverso reposita fuêre: Hinc itaque resolvitur, ut Status à sessione publica ex non obtenta satisfactione se absentent; Et ne videatur in rupturam Diætæ tendere in quantum fieri potuit, facilitatione instantiæ suæ cum prævia intimatione absentationis à sessione tam Domino Comiti Palatino, quam Domino etiam Personali in scriptis comprehensam transmittunt.

Die 15. Mensis Decembr. Hîc interpositæ à Domino Personali & aliis admonitiones, persuasiones, ratiocinationes, prouti moris habent.

Proponit Status Evangelicus non saltem in tertio, sed etiam in sexto, Religionis nimirum articulo, fuisse apud D. Comitem Palatinum intimationem institutam: Ad quam siquidem nihil responsi haberent, cuperent Status, ut unanimi voto & consensu promovere dignentur Articulum Religionis quo eò compositiori animo, obtenta consolatoria resolutione, ad Articulorum concinnationem concedere valeant.

Objiciunt Catholici, siquidem Evangelici ad partem exhibuerunt Domino Comiti Palatino quampiam declarationem, ideò ad partem etiam promoveant eandem, publica autem Regni negotia non remorentur.

Sed Evangelici respondent, se nihil novi dedisse Domino Comiti Palatino, quin potius pro facilitatione Instantiæ Evangelicorum, nonnulla instantiæ suæ puncta ad ulteriorem commodiorem occasionem distulisse.

Resolvit Personalis: Viderint Domini Evangelici, omnia quæ facere potuimus, fecimus, supplicavimus pro Evangelicis, intercessimus, sed durum est contra stimulam calcitrare: Omnis potestas à Deo; nihilominùs Status Catholicus se propter Dominos Evangelicos ruinare non permittet, propterea que ad concinnationem Articulorum concedet, & quod faciendum instat faciet: Viderint Domini Evangelici quid fecerint vel non fecerint. Quid enim plus petere possumus, si in genere omnes libertates restituuntur.

Subsumit Status Evangelicus: Inseratur ergo etiam libertas Religionis, hâc enim ratione parati sunt Evangelici ad Articulorum etiam concinnationem accedere.

Sed Catholici resolvunt, se quicquid potuerunt penes instantiam Evangelicorum facere, fecisse: Amplius suam Majestatem Sacratissimam molestare & importunè incommodare nequire, viderint Status Evangelici quid erunt facturi.

Conclamat Status Catholicus & resolvit concinnationem Articulorum, perpaucis exceptis: Evangelici tamdiu contradicunt, quàmdiu optatam Diplomaticam consecuti fuerint suæ Majestati Sacratissimæ resolutionem, provocantes se ad instructiones Principalium suorum, quibus sub amissione honoris & humanitatis obstricti essent.

Status Catholicus urget Legationem & denominationem Ablegatorum, sicuti etiam denominant Reverendissimum Dominum Blasium Jaklin, Georgium Tœrœk, Joannem Pernetzy, Joannem Ocotz, Georgium Tetztyantzky, & Georgium Somody cum denunciatione, quod licet satis superque laborasset, Status Catholicus apud Statum Evangelicum, ut mutuis animis & consiliis ad concinnationem Articulorum aggredi potuisset; Quia nihilominus iidem provocarent se ad instructiones suas, quibus strictissimè circumscripti essent, ne incomplanato Religionis negotio ad alia accedere debeant.

Ob hoc Status Catholicus benigna ultimaria suæ Majestatis Sacratissimæ resolutione contentus, paratus sit eidem intimationi accommodare & ad Articulorum concinnationem Deo dante crastina luce concedere.

Status Evangelicus contradicit legationi, palam, publicè eandem pro non sua, suoque nomine instituta declarando.

Status tamen Catholicus non obstante præviâ contradictione declaratæ Legationis effectuationem urget, hâc tamen cautelâ ut primum & ante omnia Articuli illi, in quibus Regnicolæ aliquas dubietates & difficultates habent concipiantur atque sic medio Domini Comitis Palatini cum sua Majestate communicentur, beni-

gnaque ejus mens & annuentia erga eosdem experiatur, reliqui verò Articuli sive Gravamina, in quibus nulla subesset difficultas, tantisper in suspenso maneant.

Status Evangelicus inhæret suæ conditioni, nec quemquam è medio sui denominat.

Reducibus Ablegatis ac referentibus Dominos Prælatos & Magnates contentos esse resolutione præmissâ: Ut itaque quantociùs hæc omnia effectuari valeant, Dominum Comitem Palatinum denunciasse Dominis Protonotariis, ut Articulos illos, in quibus Regnicolæ suas ponunt difficultates, quàm primùm concipiant, ac suæ Celsitudini cum sua Majestate Sacratissima communicandos exhibent.

Cæterùm referunt, se insinuasse Domino Comiti Palatino Status Evangelici interpositam declarationem & contradictionem ad quam suam Celsitudinem Palatinalem resolvisse, omninò præ manibus suis esse benignam suæ Majestatis Sacratissimæ in negotio Religionis emanatam novissimam resolutionem quam Evangelico Statui exhibendam non se intermissurum obtulit.

Dominus Personalis ex eò, quod insolentiæ Militum Strasoldianorum & aliæ supplicationes apud Dominos Prælatos & Magnates repræsentari nequiverunt, indicit sessionem pro die crastina.

Die 16. Mensis Decembris. Sub sessione Regnicolarum Dominus Personalis impetrat silentium pro exaudiendo concepto Articulorum.

Evangelici cum nonnullis Catholicis repræsentant, quâ occasione hodierna sessio sit indicta, pro repræsentatione nimirum Excessuum militarium Strasoldianorum, non observationis Patentium, ac proinde abinde venire inchoandum.

Dominus personalis dicit, esse communi voto cum Dominis Prælatis & Magnatibus conventum, ut recta ad Articulorum concinnationem procedatur, propterea que leguntur articuli, quibus Evangelici contradicunt.

Dominus etiam Vice-Palatinus dicit, tamen Evangelici heri nec in legationem, tanto minus Articulorum concinnationem consenserunt, quare ergo lectionem eorundem impediunt, aut eatenus discursus interponunt?

Hinc Status Evangelicus solenniter protestatur, quod eidem & id, ut liberè discursus in medium proferre possit, sit præscissum, exindeque iterato iisdem Articulis eorumque lectioni contradicit.

Nonnulli Catholicorum objiciunt Domino Personali, heri in eo fuisse conventum, ut primo illi Articuli in quibus quæpiam difficultas Regnicolis occurrebat, præsentati fuissent Domino Palatino pro fienda cum sua Majestate Sacratissima communicatione, & experienda suæ Majestatis eatenus benigna resolutione & annuentia.

Dominus Personalis & Tabula Judiciaria respondet, fieri id debere juxta antiquam consuetudinem, seriatimque, & eadem etiam in suo ordine occursura.

Diu disputatur, postremo tamen in eo per Statum Catholicum (Evangelico de plano & simplici contradicente) conventum, ut primò Articuli illi, qui difficultatem quampiam in se continent, modalitate jam præscripta apud suam Majestatem Sacratissimam communicanda repræsententur.

Leguntur itaque præmissi in quibus difficultates suberant Articuli, & mittuntur per Dominum Stephanum Kalmanczay ad Domum viridem in conceptu; dum utrinque conventum est, committuntur in purum describendi, ac Domino Palatino pro fienda cum sua Majestate eorundem communicatione præsentandi.

Hîc Evangelicus Status exurgens instat, quod siquidem negotium Religionis juxta Diploma Regium complanandum irresolutum sit, & ab eodem quies, pax, salus, & tranquillitas Patriæ dependere dignoscatur, sicuti hucusque ita ulterius etiam universi Status & Ordines mutuis animis instantiam suam promovere, ac inter prævios Articulos suæ Majestati Sacratissimæ communicandos inseri facere dignentur.

Sed frustra: nihil enim obtentum: Propterea Status Evangelicus ulterius etiam protestatus est & contradictioni interpositæ inhæret. Interim non curata hâc protestatione & contradictione, sed & eo, quod ipsemet Catholici ad invicem non convenissent, alii namque tam diu, quam diu optata super his suæ Majestati communicandis Articulis annuentia elargita fuerit, aliorum lectionem seponendam urgebant, Dominus Personalis, Vice-Palatinus & Clerus ad lectionem manus admovêre.

Dominus Kalmanczay postremo à Domo viridi redux, refert Dominum Comitem Palatinum Statui Evangelico intimandum commisisse, quod resolutio in Articulo Religionis præ manibus suis sit, itaque sciant se eatenùs Evangelici apud suam Celsitudinem pro ea insinuare.

Die 17. Mensis Decembr. Evangelici pro solito precum & orationum quotidianarum loco comparentes, deliberant quid faciendum? Primo enim invitis & diffidentibus Regnicolis lectio Articulorum continuatur: Negotium denique Religionis ulteriùs promovendum recusatur, tertiò verò si in aliquibus quidpiam in medium Evangelici proferre intendunt objurgantur, uti fecit Vice-Palatinus. Tandemque nihil obstante contradictione Evangelicorum, continuatâ lectione Articulorum, ne fors etiam ad præsentationem eorundem progredi, & ad finem Diætæ decurrere, taliterque negotium Religionis gravaminaque abinde emersa eludere intenderent, ut ex præmissis rationibus Evangelici à sessione se absentent, determinatur, quæ absentatio ab iisdem rationibus tam Domino Comiti Palatino, quam Personali, legatione mediante intimatur.

Fiunt admonitiones, persuasiones, comminationes & aliæ exprobrationes erga Statum Evangel. inhæretur tamen eidem determinationi.

Significatur ad id per eandem legationem, Evangelicos per humillimam supplicationem ad pedes suæ Majestatis Sacratissimæ provolutum iri, rationesque has propositūros, ob quas sessiones publicas frequentare eis minus integrum sit.

Comes Palatinus quoddam scriptum, quasi vero in forma resolutionis porrigit Evangelicis post perlectionem iterum sibi remittendum, cujus hæc fuit continentia.

Primò. Suam Majestatem jam nuper circa reditum præscriptorum verbi Ministrorum (sub quo

quo etiam Rectores scholarum intelligit) se tam benignè declaravisse, ut nihil ei reliquum sit & maneat, quod addi posset.

Secundò. Inhæret sua Majestas principali suæ resolutioni circa restitutionem Templorum & liberi exercitii.

Tertiò. Hoc ipsum jam antea à sua Majestate declaratum fuisse ut quæ hic complanari non poterunt, ad proximam occasionem remittantur.

Perlectum remissum est & formatur conceptus ad suam Majestatem Sacratissimam denominanturque Legati eundem suæ Majestati præsentaturi.

In formam humillimae Supplicationis redacto promisso conceptu, porrectus fuit eadem die in haec verba:

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime,

„PRægrande exantlatarum Evangelicæ Religionis persecutionum & oppressionum pondus Vestræ Sacratissimæ Majestati; tum aliàs „tum verò ex iteratis iisdem demissis gravami„num nostrorum repræsentationibus notius est, „quam ut longiori ejusdem commemoratione „Vestræ Sacratissimæ, Majestati molesti esse de„beamus: Quibus nondum obductis cicatrici„bus. novum exinde etiam accessit vulnus, quod „nobis sub ingressu præsentis Diætæ è comunib' „Regni gravaminibus exclusis & ad particularem „viam gravamina nostra in benignum Vestræ „Majestatis finum effundendi, & medicam ejus„dem manum implorandi remissis.

„Tandem verò accepta methodo rursus in „commune totius Regni instantiarum consorti„um adscitis licet gravamina Evangelicæ Reli„gionis in seriem reliquorum eâ conditione es„sent reposita, ut ea quoque (à quorum nimirum „complanatione afflictæ hujus patriæ pax & tran„quillitas dependeret) cum cœteris in compla„nationem sumerentur:

„Imò tempore compendiationis gravami„num Regni, secularis Status Catholicus nos in „eo firmissimè assecurasset, quod negotiis no„stris incomplanatis ad conclusionem Diætæ „procedere nolit; nihilominus tamen dum ad „mentem Vestræ Majestatis Sacratissimæ benigni „Diplomatis & ex post subsecutum Regium ver„bum toti Regno Die 28. Mensis Augusti proxi„mè præterita hisce formalibus scriptotenus de„claratum: *Paterna enim ejusdem suæ Majestatis intentio semper fuit ac etiamnum est adhuc, stante hâc Diæta præfata Religionis gravamina in compositionem assumendi & neutiquam eam ad aliud tempus vel locum remittendi.*

„Hâc igitur benignâ pollicitatione eadem „sua Majestas Sacratissima supplices Augustanæ „& Helveticæ confessioni addictos, quam reli„quos Catholicos Ordines securos admonet & „hortatur, ut citra ullam moram omissas publi„cas consultationes aggrediantur, easque inde„finenter debita cum assiduitate & diligentia „prosequantur; Visuri vicissim brevi actualem „inchoationem examinandorum Religionis gra„vaminum institui, & ad finem usque summa cum „applicatione continuari (cui tanquam sacræ an„choræ innitimur) benignam resolutionem Ve„stræ Majestatis Sacratissimæ avidissimè præsto„laremur, eaque etiam ad novissimum humilli„mum universorum Statuum & Ordinum Regni „memoriale non obtentâ, apud Statum Cath. in„stitissemus, ut negotium etiam nostrum in nu„merum certorum totius Regni punctorum, in „forma articularis projecti pro ulteriori benigna „resolutione & declaratione Vestræ Sacratissimæ „Majestati demissè porrigendorum, accederetur: „Tantum abest ut idem Status Catholicus no„stram instantiam acceptasset, quin potiùs eâ „exclusâ nobis invitis certos Articulos super „nonnullis Regni gravaminibus in consessu Re„gnicolarum perlegi fecisset, eandemque perle„ctionem continuare, per hocque nostra grava„mina è serie reliquorum excludere & incom„planata relinquere niteretur: Et quia clemen„tissimè Imperator hujusmodi Articulorum con„fectio & perlectio præsupponeret, intimam gra„vaminum & resolutionis Vestræ Sacratissimæ „Majestatis harmoniam, resolutionibus verò in „negotio Religionis clementer impertitis, citra „resultum à Sacro Diplomate Vestræ Majestatis „(cui strictissimis Principalium nostrorum in„structionibus allegati sumus) uti medio suppli„cis nostri libelli Die 8. mensis præsentis exhi„biti uberius demisse declaravimus, acquiescere, „& easdem in articulos redigere, non possimus; „Sed nec à communibus Regni gravaminibus, „occasione quorum hucusque etiam nostra in au„gustissimam Vestræ Sacratissimæ Majestatis præ„sentiam identidem prodière aliis tractatibus „Diætalibus suo fine approperantibus, recedere „queamus: Et hinc neque solitum Regnicola„rum consessum frequentare nobis integrum „esset: Proinde ad Augustissimos Majestatis ve„stræ Sacratissimæ pedes suppliciter confugien„tes, eandem iterum atque iterum per viscera „misericordiæ Divinæ oramus, dignetur præ„missa clementi cordi sumere, eamque beni„gnam inire rationem, quo in passu reliquorum „Regni gravaminum etiam nostris optatam „complanationem assecutis, ad Articulorum „confectionem & consequenter finalem Diætæ „hujus conclusionem procedere ac tandem cum „consolatione ad nostros redire valeamus. Pro „quâ Vestræ Majestatis clementia vitam & san„guinem, quibus hâc in mortalitate nihil charius „& carius habemus, devovemus. Et perennan„tem Imperii incolumitatem vovemus, clemen„tissimam præstolaturi resolutionem

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Universi Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Evangelici.

Inter-

INterea dum præmissa supplicatio concipitur, unus Juratorum Tabulæ judiciariæ supervenit in medium Status Evangelici, nomineque Domini Personalis præmissa salutatione eosdem Status rogat dignentur comparere in sessionem Diætalesque Tractatus admaturare, & tam suæ Majestati Sacratissimae complacere, quam commoditati Regnicolarum prospicere.

Remittitur tamen instructus prævíis rationibus, ob quas Status Evangelicus sessionem frequentare nullatenus posset.

Die præscripta 17. Absente Statu Evangelico sub sessione Evangelicorum Domino Personali ob paroxismum febrilem comparere nequeunte, facit insinuationem se medio jurati Tabulæ Notarii Statum Evangelicum ad comparitionem primo admoneri, demum verò citari curasse: Eundem tamen Statum, medio specialis suæ legationis causas & rationes, ob quas eidem comparere integrum non sit, apud suam Magnificentiam, deposuisse, præstolarique à benigna suæ Majestatis Sacratissimæ ad Memoriale eorundem elargienda resolutione.

Mittitur à parte Regnicolarum Status Catholici ad Dominum Comitem Palatinum, Prælatos & Magnates, Legatio super eo: Quid faciendum veniat Statui Catholico absente Evangelico, & utrum in Tractatibus ulterius progredi possint? Item utrum supervenerit ad communicata suæ Majestati Sacratissimæ articularis projecti puncta quæpiam benignior resolutio nec ne?

Reduce Legatione refertur Dominum Comitem Palatinum resolvisse, suam Majestatem Sacratissimam in puncto communis libertatis, clementer Puncto Articuli annuisse, ad reliqua tamen puncta, difficultatesque, eorundem adhuc hodie expectare resolutionem benignam; Ac proinde securi omni scrupulo semoto pergere possunt in perlectione & examine conceptorum Articulorum, prouti etiam fecerunt, non obstante Absentia Evangelicorum.

Die 18. Mensis Decembris. Iterum Evangelici solitô quotidianarum precum & orationum loco comparent: Ubi unus Juratorum Tabulæ Judiciariæ Notariorum iisdem sessionem pro diei hodiernæ hora 9. matutina indicit, ac casu quo se absentare intenderent, ad Instantiam Domini Comitis Palatini eosdem etiam citaret.

Qui remittitur tali responso: Statum Evangelicum medio specialis Legationis Dn. Personalem, occasione absentationis sui informare non omissurum.

Mittitur itaque legatio & denunciatur: Statum Evangelicum, tum ex eo quod medio humillimi sui memorialis suam Majestatem Sacratissimam super rationibus, ob quas sessiones publicas frequentare eidem minimè sit integrum informasset, tum verò quod benignam super humillima instantia sua præstolaretur resolutionem, comparere nequire: Citationem verò non minùs persentiscere, quam summô cordis cum dolore etiam admittere, quod nullius mali conscii, quasi se absentare niterentur, per Notarium, citarentur: Ac proinde suam Magnificentiam rogare, ne absentiam eorundem in contumaciam aut intentionem rumpendi Diætam trahere, vel quoquo modo interpretari, sed instantiæ eorundem à benigna suæ Majestatis Sacrat. resolutione pendenti adscribere velit & dignetur.

Dominus Personalis iterato admonitiones præmittit, efficere satagens, ut Statum Evangelicum ad comparitionem inducat: Demum tamen ad materiam legationis respondet & dicit, bene facere Statum Evangelicum, quod hac in parte se expectorare voluerit, & quod non contumaciter se absentare velle, sed ad usque ulteriorem benigniorem suæ Maj. resolutionem provocare resolverit. Hanc itaque Status Evangelici resolutionem se ex sessione Catholicorum Regnicolarum ad Dominos Prælatos & Magnates denunciaturum resolvit.

Die eâdem. Absente Statu Evangelico sub sessione Catholicorum, Dn. Personalis meliusculè valens, sessionem Catholicorum ingressus proponit, se ex officio sibi incumbente Statum Evangelicum denuò ad comparitionem primò præmoneri, tandemque etiam in casu, quo se absentare niterentur citari curasse. Ad quam ejusdem citationem memoratum Statum Evangel. medio specialis eorundem legationis resolvisse, se non ex aliqua pertinacia aut contumacia id facere, sed siquidem ex serie publicorum gravaminum negotium Religionis Evangelicæ esset non modo exmissum, sed contra iteratas palatinales & Regni assecurationes à promotione communi exterminatum, hincque negotium idem suæ Majestati Sacratissimæ de genu humillimè medio supplicis eorundem libelli repræsentasse, rationesque etiam absentationis suæ à sessionibus publicis annexuisse, quibus etiamnum inhærentes, contrarium facere nequire, proptereaque à benigna desuper elargienda suæ Majestatis resolutione præstolari, neque tamdiu, quam obtinuerint, easdem sessiones frequentare sibi contra instructiones Principalium suorum strictissimas integrum esse, idcircò se excusatos esse velle. Paratos in Articulo Religionis, obtentâ desideratâ resolutione, in omnibus publicis, unà cum reliquis Statibus & Ordinibus collaborare.

Die 19. Mensis Decembr. Evangelici inhærent semel datæ, occasione absentationis sui à sessione, rationibus ex supra scriptis, resolutioni.

Status tamen Catholicus domum Regnicolarum & sessionem ingreditur, mittuntur ultrò citroque ad Dn. Prælatos & Magnates & è converso legationes; Resolvunt Regnicolæ Catholici, se lectionem Articulorum continuare nequire tam diu, quàm diu nempe super punctis illis articularibus benignam & optatam suæ Majestatis Sacratissimæ meriti fuerint annuentiam & resolutionem, imò eandem actu interrumpere. Velint proindè extradationem præmemoratæ resolutionis seu annuentiæ Cæsareo-Regiæ sollicitare, ac per hoc Diætales tractatus admaturare,

Per specialem à Dn. Comite Palatino Prælatis & Magnatibus missam legationem assecurantur, de extradenda hodie benignâ & operata suæ Majestatis annuentia & resolutione. Interim monentur, ut lectionem Articulorum, continuationemque eorundem non intermittant, seu interrumpant, ne per hoc Evangelicis sessiones frequentare omittententibus assimilentur, & indignationem suæ Majestatis Sacratissimæ experiri necessitentur.

Ex hoc respectu reassumunt interruptam lectio-

lectionem Articulorum, continuantque usque ad horam 2. pomeridianam.

Die 22. Decembris. Evangelici convenientes quod siquidem pro hora nona matutina diei ejusdem sessio fuisset indicta, mittunt legationem ad Dominum Personalem declarantque: nisi sua Magnificentia eosdem super extradata in Articulo Religionis benigna suæ Majestatis Sacratissimæ resolutione assecurare valuerit, se hodiernam etiam sessionem ingredi nequire, sed iteratæ suæ, rationibus & causis, tam suæ Magnificentiæ, quam Domino Comiti Palatino, imò suæ quoque Majestati humillimè insinuatis innixos hærere declarationi, ac à resolutione suæ Majestatis præstolari Dominus Personalis candidè resolvit: se de plano & simplici nihil scire, utrum in Articulo Religionis extradata sit aliqua suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio, propterea neque audere Statum Evangelicum assecurare.

In reliquo explicat sortem suam & Statum valetudinarium, defectum sumptuum, articularis diurni denegationem, perpessa circa œconomiam damna & subjungit, credere se non secus esse; sed ratione Dominorum etiam Ablegatorum omninò sua Majestas deberet, inquit, se resolvere, velit, nec ne, aliquid supplicantibus Evangelicis dare; si dandum cur protrahendum vel differendum statuit; si non, quare ultimarie non resolvit, & Status non dimittit, alias ab instructionibus suis Diplomati Regio irradicatis recedere nequeuntes, sed semper totum unum idemque agere & supplicare obligatos.

Intellecta per Status præmissâ Domini Personalis resolutione, continentur, à sessione, & concipiunt iterum ad suam Majestatem humillimum memoriale, decernuntque, audientiam impetrandam ac denominant pro oratione Dominum Keskes, adjunctis ad latus quinque aliis Comitatuum & Civitatum Ablegatis.

Mentionati autem Memorialis eadem die hora 5. pomeridiana suæ Majestati Sacratissimæ exhibiti hæc erat continentia.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Nobis Clementissime,

„Toties molestantibus Vestram Sacratissim. „Majestatem benignam impetrabit veniam, „præter innatam Vestræ Sacratissimæ Majestati „Pietatem & promptissimam ejulatus afflictorum „exaudiendi patientiam, ipsa etiam in dies ingra„vescentium calamitatum & ærumnarum, quibus „premimur moles. Videbamur parte quadam „malorum levari, quod sex circiter abhinc diebus „in paternum Vestræ Sacratissimæ Majestatis be„nignum sinum licuerit humillimè effundere, „quô pacto Status Catholicus post octo mensium „in negotio Religionis impensos labores grava„mina nostra è serie reliquorum exmittere, & per „hoc aliis Diætalibus tractatibus jamjam fini ap„proximantibus, exulceratum Religionis mille „modis turbatæ vulnus præsentaneo Diætali re„medio destituere vellet ac niteretur: Verùm „quod plerumque omnibus calamitosis commu„ne est, calamitatem alterius indissolubilem Co„mitem tristissimi experimur. Dum enim ex „Augustissimi Vestræ Majestatis Sacratiss. tan„quam pientissimi nostri Regis ac Domini gra„tiarum penu, ad novissimum memoriale suppli„citer porrectum tot tantisque malis solamen & „levamen anhelo Spiritu præstolaremur, à parte „Status Catholici, in evidentius prædeclaratæ ip„sorum intentionis experimentum, incontinuata „(uti nobis innotescere licuit) Articulorum perle„ctione nil remittitur; Verùm ad finalem Diæ„tæ conclusionem proceditur, utque idem nos a„geremus, sub pœna decretali citamur, nilque „jam restaret, quam ut nos tot persecutionum „turbinibus fatigati, quos alias hactenus ipsimet „Catholici pro legitimis suis commembris agno„vêre pro nothis Patriæ filiis reputemur.

„Clementissime Imperator, dum nos legi„timas rationes, ob quas solitum concessumRe„gnicolarum frequentare nobis integrum non es„set medio ultimarii nostri supplicis libelli demis„sissimè explicamus, auxiliatricemque vestræ Sa„cratissimæ Majestatis manum & opem in eò im„ploramus, ut nos quoque in serie gravaminum „Regni benignam injuriarum nostrarum mede„lam consequamur, ex adverso autem nobis, ac „ob absentiam nostri plurimorum Comitatuum, „aliisque Ablegatis absentibus, non curatis legiti„mis absentiæ nostræ rationibus in continuandis „operibus Diætalibus pergitur & ad eorundem „accelerandum finem, exmissis nostris gravami„nibus sub pœna Decretali citamur, æquissimo „Vestræ Sacratissimæ Majestatis & altissimo judi„cio submittimus annon hoc sit lachrymas quas „ipsi expresserunt cohibere? Annon ad portum „clementiæ Vestræ Sacratissimæ Majestatis om„nibus eò confugientibus reseratum aditum ob„struere? Annon nos à communibus Regni gra„vaminibus & Diplomaticis nostris instantiis sub „interminata pœna Decretali avocare velle? An„non in negotio Religionis tot Mensium labo„res irritos reddere & Diætali hacce medela, per „Vestram Sacratissimam Majestatem omnibus fi„delibus clementer præparata frustratos intende„re? Andenique quidpiam superfit, quam ut pro „averruncandis Patriæ membris reputemur, æqua„libus alias in libertatibus & immunitatibus illis?

„Certè clementissime imperator tot inter „ancipites fluctus ipsi depressioni proximi coge„remur esse, ni per universalem Christianum or„bem deprædicata Vestræ Sacratissimæ Majesta„ti congenita benignitate, pioque oppressos ju„vanti studio, ac indubitato solatii per Vestram „Majestatem Sacratissimam Augustali ore, tum „tempore auspicatissimi adventus ad præsentia „Comitia, tum verò aliis ex post occasionibus „prolati argumento, ad meliora animaremur. Et „cum ex his immota fiducia sciamus V. S. M. pro e„rigendis oppressis, pro propellendis Potentio„rum Injuriis pro reducenda & in pristinum Sta„tum reponenda tranquillitate (quæ etiam à tur„batæ Religionis complanatione vel maximè de„penderet) ordinato ad id præsentaneo hocce di„ætali remedio in medium fidelium suorum advo„lasse, in firmiorem quam ut per adversantium „molimina in transversum agi posset, spem, „assurgentes ad Augustissimum Vestræ Maj. Sacr. „thronum toties ac toties supplices recurrimus, „eandem per omnia sacra, perque omnia sibi „charissima demisse oramus & obtestamur,

„patiatur tot acerbas nostras injurias, tot quærulantes lacrymas,& tot lacrymis madentes querelas „in benignum suum cor descendere, dignetur se „nobis exorabilem reddere, & nos modernæ Di„ætæ beneficii participes benignissimè reddere, „tandemque afflictum nostrum Statum ab omni„bus adversitatibus in pristinam securam & op„tatam tranquillitatem vindicare. Quam Vestræ „Sacratissimæ Majestatis clementiam perpetuo „fidelibus nostris obsequiis demereri adnitemur, „& idem felix ac diuturnum Imperium concordi„bus votis apprecamur, clementem Vestræ Sacra„tissimæ Majestatis expectantes resolutionem.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Universi Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Evangelici.

Die 23. Mensis Decembris. Evangelicis in loco solitarum quotidianarumque precum confluentibus, Egregius Steph. Kecskes cum sibi adjunctis ad sacram Cæsaream Regiamque Majestatem cum demisso præscripto memoriali expeditus legationis suæ ex tenore ejusdem memorialis desumptæ ac verbotenus propositæ seriem refert: Ad quam suam Majestatem Sacratissimam clementissimè resolvisse: Sperasse eandem Status & Ordines Augustanæ & Helveticæ confessioni addictos paternis ac benignis ejusdem resolutionibus acquieturos, verùm tamen porrectum eorundem memoriale ulterius quoque ac uberius perpensuram & quicquid pro servitio suo Regniq; commodo utile judicaverit, benignè resoluturam: omnimodè confidendo, fideles suos Status interim ad reliquos accessuros tractatus, eosque unanimi voto, etiam continuaturos, ac tandem feliciter terminaturos, eandem in reliquo iisdem Statibus quam etiam præsentibus Gratia sua Cæsarea & Regia benignè manere propensam.

Supervenit Domini Comitis Palatini Secretariæ Juratus Notarius, admonetque Statum Evangelicum nomine dicti Domini Comitis Palatini & Principalis sui ad intrandam sessionem.

Hic tamen Status mittit legationem tam ad eundem Dominum Comitem Palatinum, quam Personalem, & inhæret suæ declarationi, tantoque firmius, quod jam hesterno quoque die humillimum suum, in passu iterato cupitæ satisfactionis suæ, eidem Majestati Cæsareæ & Regiæ exhibuerit memoriale.

Præterea missum fuit à Domino Comite Palatino certum Decretum Regium ibidem demonstrandum ac si Status Evang. ibi fuerint, propria primo ad Dominos Prælatos & Magnates pro reseratione & perlectione, remissione, tandem cum Regnicolis quoque communicandum qui tamen siquidem abfuerunt, intactè etiam reportatum fuit.

Hac die sub vesperam indicitur sessio pro 8. matutina diei crastinæ per expressum facta per Dominum Personalem Ablegatis Evangelicis denunciatione, eandem pro perlectione Resolutionis in negotio Religionis emanatæ publicatâ.

Die 24. Decembr. Status Evangelicus summo mane convenit, quidve faciendum, deliberat: Quia verò Jurato Tabulæ Notario simpliciter fides non adhibebatur, in negotio Religionis emanatam esse Resolutionem perhibenti; Hinc mittitur legatio ad Dominum Personalem, ea denunciatione, quod si sua Magnificentia Status & Ordines super extradata suæ Majestatis Sacratissimæ Religionis in negotio emanata Resolutione assecuratos reddiderit, paratos fore, & pro exauditione ejusdem sessionem intrare, alioquin inhærere declarationi.

Dominus Personalis securos reddit Status & Ordines Evangelicos, non modo de extradatione, sed & instantiæ eorundem pro voto data satisfactione & resolutione.

Hac animati assecuratione ingrediuntur publicam sessionem.

Sub sessione itaque Regnicolarum, confluentibus universis, ipsoque etiam Domino Personali fit propositio per eundem, quod siquidem adhuc Dominus Comes Palatinus, Prælati & Magnates nondum convenissent, ne tempus ulterius inaniter protrahatur, denuò urget Articulorum perlectionem.

Status Evangelicus resolvit non pro Articulorum, sed resolutionis in Puncto Religionis negotii emanatæ exauditione, & quidem ad assecurationem tàm Domini Comitis Palatini, quàm etiam ipsius Personalis, se comparuisse, ac proinde expectare eandem, & in lectionem Articulorum non consentire.

Denuò assecurat Personalis Status, nullam inesse dubietatem, se etiam oculis suis vidisse, quamvis clausam, suæ Majestatis resolutionem; pro lucrando tempore interea Articulos venire legendos.

Evangelici resolvunt: à Resolutione instantiæ suæ veluti fundamento reliquorum Articul. pendere concinnationem Articulorum, itaque ordine fluere debere omnia.

Tantæ hic fiunt disputationes, tabula urget lectionem Articulorum, hinc verò obviatur contradictione, qua nihil curatâ, ex instigatione Domini Personalis Vice-Palatini, & Cleri, aliorumque iisdem similium Magister. Paulus Orban Protonotarius legit Articulos, lectio tamen eadem identidem interrupta & continuis interloquiis, objectionibus, contradictionibus, assecurationum Palatinalium & Domini Personalis iteratò Statibus Evangelicis datarum enumerationibus, tam diu quam diu substitutum in ea non fuisset, impedita, adeò ut nedum Evangelici sed ne ipsi quidem Status Catholici eandem exaudiri valuerint: Non curato tamen eô, quod prælecti Art. nedum examinati, sed nec exauditi fuissent, exurgit dictus Protonotarius & cum serie prælectorum Articulorum concedit ad Dominum Comitem Palatinum, Prælatos & Magnates.

Tandem articulis inter medios clamores contradictiones circiter 20. in domo Regnicol. perlectis, supervenit à parte Dominorum Palatini, Prælatorum & Magnatum legatio memoratum apportans Decretum, ejusdemque ad contenta accommodationem postulant.

Præ-

Prælectum itaque fuit hoc tenore:

TITULUS.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus ac Magnificis, Egregiis ac Nobilibus, Prudentibus ac Circumspectis, universis fidelibus Regni Hungariæ & partium ei annexarum, Statibus ac Ordinibus pro præsenti Generali Eorundem Diæta Regni congregatis assignandum.

(L. S.)

Sacratissimæ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Reverendissimis, Reverendis &c. &c. (ut supra) hisce significandum:

„ALtè memoratæ suæ Majestati Sacratissimæ „ab Augustanæ & Helveticæ Religioni addi„ctis per demissum ipsorum memoriale insinua„tum fuisse, qualiter ea, quæ Religionem tan„gunt & concernunt in Articulos Diætales redi„gi abnuatur illique ad sessionem sub pœna De„cretali citentur, super quo eandem suam Sacra„tissimam Majestatem pro paterno & Regio re„medio submississimè implorârunt,

„Quandoque verò ea semper mens & in„tentio benigna suæ Majestatis fuit, ut omnia & „singula, quæ præsenti in Diæta tractata sunt, „communi consensu perficiantur, & in publicas „Regni constitutiones redigantur: Jamque Sa„cratissima sua Majestas in ordinandis & compla„nandis hujus inclyti Regni necessitatibus, tam „clementer, paternèq; & benevolè se declaravit, „ut ejusdem benignissima erga universos Status & „Ordines inclinatio affluenter ex eo dignosci que„at, singulariter etiam in puncto Religionis talia „indulsit, quibus Augustanæ & Helveticæ Reli„gioni addicti Regnicolæ cum debitâ gratiarum „actione facilè acquiescere possint.

Ea propter Sacratissima sua Majestas nulla„tenus ambigit quin universi Status & Ordines iis „gratulanter agnitis ad deliberationes sint regres„suri, & concordibus animis finem Diætæ im„posituri, atque per hoc omnis quæstio circa pœ„nam decretalem sit etiam cessatura.

„Cæterum eadem Cæsarea & Regia Maje„stas freta hac inclytorum Statuum & Ordinum „obsequiosa morigeratione omninò desiderat, ut „quæ Religionem concernunt, æque atque reli„qua Tractatus puncta, Articulis Diætalibus in„serantur; Inclinat insuper benignissimè, quod „si existimarent quædam circa hanc Religionis „materiam ulteriorem aliquam declarationem „requirere, quod illa in futura proxima Diæta „(præsenti enim circa ullam ulteriorem dilatio„nem finis imponendus) humillimè prorogari, „& ejusdem clementissima resolutio desuper ex„pectari possit.

„Vicissim ab Inclytis Statibus & Ordinibus „firmiter sibi pollicetur, eos universos & singulos „uti fideles subditos sese gesturos, tranquillè a„cturos, & Regia experta gratia dignos majoribus „secuturæ benignitatis capaces præstituros esse.

„Et cum ratione sui abitus eadem sua Ma„jestas Sacratissima omninò & præcisè etiamnum „inhæreat, neq; gravissima alia negotia ejusdem „longiorem hic commorationem admittant: Id„eò eosdem Inclytos Status & Ordines iteratò „ac impensè commonet, ut tàm diuturna Comi„tia tandem debito modo finire nullâ interposi„tâ morâ satagant. Quibus in reliquo eadem sua „Majestas Sacratissima Cæsarea & Regia sua gra„tiâ ac clementia jugiterque propensa permaneat.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem,

Sopronii Die 22. Mensis Decembr. Anno 1681.

Johannes Maholanij.

QUo perlecto Dominus Georgius Gerhard nomine Status Evangelici exurgens, ac ipso quoque Statu assurgente proponit: Intelligere Statum Evangelicum ex contextu benignæ suæ Majestatis Sacratissimæ decretalis resolutionis clementissimam ejusdem mentem ac intentionem, absitque ut eatenus in confusionem Decretalis hujus expositionis vel in minimo præsumat involare; Non tamen eam fuisse Status Evangelici apud suam Majestatem Sacratissimam quæ in prælecto benigno suæ Majestatis Decreto exponitur, humillimam Instantiam; Verùm conquestum fuisse super eo, quod negotium Religionis tot temporum decursu inter cætera publica Regni gravamina insertum & promotum sub coronide modernæ Diætæ è numero eorundem exterminatum, apud suam Majestatem pro obtinendâ benigna Diplomatica satisfactione promoveri de plano & simplici abnuatur: Ac non obstante eo, ubi Evangelici respectu diplomaticæ Instantiæ suæ hoc modo exclusi, juribus suis provisum esse satagunt, contra nutum assensumque eorundem, ad finem Diætalem Tractatuum, consequenterque concinnationem Articulorum decurrere determinaverint, propterea rogasse humillimè, ut sua Majestas Sacratissima eam benignè dignetur inire rationem, quo in ordine reliquorum Regni Gravaminum, negotium quoq; turbatæ Religionis complanationem consequi possit.

Idcircò institit apud Regnicolas, siquidem negotium Religionis sit præcipuum tranquillandæ Patriæ medium, aliasque etiam diplomaticæ admissum & firmatum ipsique ad idem promovendum strictissimis Principalium suorum instructionibus adstricti & obligati sint, dignentur unanimi consensu instantiam Sta-

Status Evangelici in passu consequendæ Diplomaticæ satisfactionis promovere, mediante que legatione Instantiam hanc suam Domino Comite Palatino, tanquam mediatori, pro eundem apud suam Majestatem promovendam recommendare, per hoc quieti suæ ac tranquillitati publicæ consulentes, tanto felicius unà cum Statu Evangelico unanimi voto Diætales Tractatus optato fine deducere.

Alioquin Statum Evangelicum publicè declarare se in benignas suæ Majestatis Sacratissimæ iteratas resolutiones, Diplomati Regio repugnantes, ac è diametro in convulsionem ejusdem tendentes, novamque capitulationem, ac si nunquam Diploma fuisset, præ se ferentes, tanto magis earundem in Diætalis Articuli concinnationem & redactionem nullatenus consentire, vel cuipiam Articulo inseri facere, quin imò potius beneficio Diplomatis Regii admisso libero per totum Regnum Evangelicæ Religionis usu & exercitio gaudere perfruique velle. Contra illos autem qui fors Statum Evangelicum ac alios quosvis Religioni eidem addictos, quoquo modo turbare aut injuriare præsumpserant, omnem licitam sib reservare viam: Eâ spe, firmaque fiducia fretos, suam Majestatem Sacratissimam diploma & sacrum verbum suum Regium non modò clementer observaturam, & per alias observari curaturam, sed nec defuturam, fidelium suorum injurias authoritate sua Regiâ vindicare.

Præterea insinuat & id, Dominum Comitem Palatinum paratum se obtulisse mediatrice suâ opera instantiam Status Evangelici apud suam Majestatem Sacratissimam humillimè proponere, si eatenus Regnicolæ suam Celsitudinem desuper requirere voluerint.

Hinc præmissa per Statum Evang. proposita declaratione, nomine universorum regnicolarum solennis mittitur ad suam Celsitudinem legatio, cui à parte Cleri Andreas Szamtossy Canonicus Scepusiensis præfuit, instantiaque Evengelici Status recommendata, cujus apud Sacratissimam suam Majestatem propositionem & promotionem Dominus Comes Palatinus in se assumpsit.

Interim Dominus Personalis urget ulteriorem lectionem Articulorum, Evangelicis tam præmissæ declarationi suæ inhærentibus, lectionemque Articulorum à capite sive initio instituendam urgentibus, objicitur per nonnullos Catholicos Statum Catholicum omnia in favorem Evangelicorum facere, nihilque quo instantiam eorundem secundare possunt, intentatum relinquere, illos tamen ne minimo sibi complacere velle.

Ad hæc reponitur Statum Evangelicum omninò quæsiturum occasionem, quibus Statui Catholico complacere posset, hoc tamet in passu, velle se scire & experiri, quod unanimi voto universorum Statuum & Ordinum Regni suæ Majestati Sacratissimæ exhibendum veniat.

Objicit erga hæc D. Vice-Palatinus Art. 108 Uladisl. Regis Decretum I. & prælegit publicè, cujus vigore à Diæta absentes acquiescere debere in eo, quod per præsentes conclusum & determinatum statuitur.

Sed repositum: Articulum sonare de iis, qui per Regales ad Diætam evocati non comparuerint, & non talibus, qui alioquin præsentes, dataque opera à publico gravamine exclusi, injurias, jusque suum mediante humillimâ supplicatione apud suam Majestatem repræsentant, ad eandemque confugiunt Diplomaticam satisfactionem sibi impertiendam urgentes. Et alioquin etiam vulnera Evangelicorum prius essent medicanda quies & tranquillitas pristina quærenda, ut sic curato vulnere, animi compositiores redditi ad obeunda quævis munia aptissimi esse valeant.

His pro & contra habitis redit Magister Protonotarius à Dominis Prælatis & Magnatibus, refertque eosdem prælectis art. per omnia acquievisse, instanteque crastina Natalitiorum Domini festivitate, aliis sacris impendenda, sessionem solvisse: quo ex respectu Regnicolæ quoque sessionem solverunt.

Die eadem hora 6. vespertina Dn. Comes Palatinus, Dominos Gerhard & Mokesay ad se evocat, perque longum & latum persuadet, disponit, quomodo iidem consequenterque Status Evangelicus ad particulares aliquas templorum petitiones perduci, ac à Diplomaticæ satisfactionis petitione abduci & abstrahi possent, sed tamen accepit ab iis responsum: Se à Diplomate ne unguem recedere velle.

Die 26. Mensis Decembris sub sessione Regnicolarum Status Evangelicus instat, ut Articuli à capite legantur, ut si cui quid considerationis eatenus, foret, proponere valeat.

Die præscripta 26. priusquam Evangelici sessionem ingressi fuissent, solito loco sacrorum conveniunt, ac ex fundamento nuperrimi Domini Comitis Palatini cum Domino Gerhard & Mokesay discursus habiti, mittant ad suam celsitudinem legationem, declarantes se satis superque laborasse in eo, qua ratione Instantiam suam in negotio Religionis institutam magis facilitare potuissent, quo tamen interius rem & negotium perpendunt, eò majores considerationes & difficultates iisdem obviant, adeò, ut vel in nuperrimorum punctorum exhibitione, ubi gtavamina ab anno 1649. usque ad 1670. emersa, ad aliam occasionem eorum complananda ultro relegaverint, nescire, quomodo rationem facti Principalibus suis daturi; Nihilominus Punctis illis in iisdem factæ declarationi & facilitationi nunc quoque inhærent, ulteriusque se progredi, aut aliquam facilitationem citra læsionem Diplomatis demonstrare minus posse resolvunt, cum & aliàs specificationem Templorum, Gymnasiorum Collegiorum, Scholarum, Parochiarum, Proventuum &c. ab anno 1670. occupatorum suæ Majestatis Sacratissimæ humillimè exhibuissent. Sua Celsitudo pro solito suo agendi modo iterum ad persuasiones regreditur, & per longum latumque deducit Diplomaticam satisfactionem suam Majestatem iisdem dare non posse, alia enim esset moderni Status facies, accipiendum venire quod conceditur, alioquin eô spreto nihil obtenturos. Demum petiit specificationis Templorum &c. secum ferendam communicationem.

Die 27. Mensis Decembris. Evocatur summo mane Dominus Georgius Gerhard per Serenissimum Principem Marchionem Badensem: Quo eo loci deveniente prætitulatus Princeps quam confidentissimè cum Sua Do-

Suâ Dominatione egit, & collocutus est in negotio Religionis, offerendo suam in promotione ejusdem operam, adhortando tamen ut Status Evangelicus salvo permanente Diplomate, templa ea absque quorum usu esse potest, ad futuram usque Diætam vel aliam occasionem ibidem complananda remittat, & tantum id quod ei sufficere potest, petat: Sperare suam Serenitatem, Sacratissimam Majestatem non defuturam fidelium Statuum suorum precibus: Interq; alios discursus sui occurrentias insinuavit & id, ut hocce in passu Status Evangelicus Celsissimum etiam ac Reverendissimum Dominum Emericum Episcopum Viennensem, Excellentissimum denique Cancellarium Hoher quantò citius conveniant, neque omittant.

His itaque ex relatione Domini Georgii Gerhard per Statum Evangelicum intellectis, negotium in maturam sumunt deliberationem, & ad hanc quæ sequitur condescendunt ulteriorem instantiæ suæ facilitationem.

Primò: Ut proscriptionales & Reversales, aliæque litteræ cessionales, Contractuales in negotio Religionis emanatæ, ac etiam eæ, quibus mediantibus Ecclesiarum Evangelicarum Pastores, Collegiorum, Gymnasiorum & Scholarum Rectores aliique Studiosi ab officiis vel amoti vel penitus Regno exesse jussi sunt, cassentur, ipsiq; pristinæ libertati restituantur.

Secundò: Templa, Parochiæ, Collegia, Gymnasia & Scholæ Evangelicorum ab anno 1670. prout & Templa Papense & Schemniciense, inferiùs paulo ante occupata, unà cum bonis, proventibus & aliis eorundem pertinentiis, prioribus possessoribus restituantur, Commissariique in eum finem denominentur, qui sub nota infidelitatis id, statim exequi teneantur, nec se quisquam iisdem sub eadem pœnâ opponere ausit.

Tertiò: In reliquo sacris Diplomatibus, aliisque constitutionibus Regni, recentibus etiam in negotio Religionis salvis & integris permanentibus: reliqua gravamina ab anno 1649. emersa toties complanari petita, adhuc dum tamen incomplanata, futurâ proximâ occasione complanentur.

Præmissum itaque scriptum mittitur primo ad prætitulatum Principem Badensem, demumque ita ferente tempore & occasione, die sequenti nimirum 28. ad mentionatum Dominum Cancellarium Hocher.

Episcopus Viennensis in aulâ Cæsareâ deprehensus, excusat se non posse ampliùs hic & nunc Statui Evangelico in passu instantiæ suæ complacere, suâ enim Majestate Sacratissima, Die 30. hinc abituriente necessum esse sibi procedere, ex eoque etiam Suæ Majestati valedixisse, ac ex isto respectu remeare nequire.

Dominus verò Cancellarius Hocher præmittit admonitiones, persuasiones & assecurationes: Status debere se Suæ Majestatis Sacratissimæ benignæ resolutioni accommodare, quæ eos respectu eorum, quæ fortè in moderna Diæta complanari non potuerunt, securos reddit; Demùm Suam Majestatem iisdem ex paternâ gratia & clementia satis pro necessitate concessisse & indulsisse, debere eundem statum in eo etiam ostendere, se non esse neque desiderasse causam rupturæ Diætæ hujus: Suam Majestatem non similibus adactivis modis & mediis, sed magis precibus vinci, stricta ligamina pati nequire: Ergò modestè, humillimè & cum veneratione Regiæ Majestatis faciendum &c.

Plurima alia stylo quidem jucundo sed non proficuo longè lateque proposuit: Interim, siquidem eo continenti ad suam evocabatur, Majestatem instantiam eorundem se promoturum offert, dummodò ipsi ostendant modalitates, uti & quomodo iisdem accommodatio adhiberi potest.

Ablegati Status Evangelici reponunt, plurima esse Templa quæ deserta, nullo Sacerdote iisdem præsidente, imò & per Evangelicos ædificata vacua relicta sunt, alibi etiam Statum Catholicum pro suâ necessitate sufficientia templa habuisse, habereque de præsenti etiam, præter occupata Evangelicorum, iisdem contentos esse debere.

Sed auditâ mentione Templorum, mox refutat & dicit: aliam esse considerationem occasione Templorum, Domini Evangelici in eo non laborant, saltem de locis exstruendorum templorum deliberent: Et si quid eatenus Suæ Excellentiæ intimandum voluerint, paratum se negotium eorundem, uti semper, ita & ex post promovere.

Hic laudat pacem & commoda ex eo promanantia, ex adverso verò vituperat dissensiones inter nos, Regni motus, eorumque finem ominatur.

Sub sessione verò Regnicolarum nonnullæ difficultates in conceptis articulis occurrentes, pro & contra adhibitis legationibus accommodantur.

Sub finem sessionis Magister Protonotarius Paulus Orbán in passu negotii Religionis legere vult Articulum formatum; Status tamen Evangelicus exurgens dicit: Recordari Status & Ordines, qualemnam legationem in eodem negotio Religionis die 24 currentis mensis erga Dominum Comitem Palatinum instituerint, quo in passu siquidem nulla adhuc Statui Evangelico data sit resolutio aut verò Diplomatica satisfactio, in formationem ejusdem Articuli, tantò minus perlectionem consentire vellent, adstrictique instructionibus Principalium suorum neque etiam possent.

Hic bona verba (latet tamen anguis sub herba) data Evangelicis, Dominos Concipistas securitati Dominorum Evangelicorum prospicere, per hocque complacere voluisse, omninò pernecessarium iisdem fore hanc securitatem, penes quam in Religionis suæ exercitio tuti esse possent. Eandem esse etiam Suæ Majestatis Sacratissimæ, Dominorum Comitis Palatini & Baronum aliorumque Magnatum voluntatem, ut negotium Religionis Articulis regni inseratur. Istis rationibus utuntur Dominus etiam Personalis & Vice-Palatinus.

Sed secus ratiocinatur Ladislaus Mattyasovvtzkii Canonicus Strigoniensis, omnino articulis inseri debere negotium Religionis, cum & Status Catholicus supplicasset, & in ordine supplicationis suæ benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ qua etiam contentus redderetur, obtinuisset

tinuisset resolutionem, quam Articulis regni inserendam Clerum quoque desiderare.

Hic objicitur Domino Mattyasovvtzky, quantum mutatus ab illo? Tempore compilatorum gravaminum semper fuit contradictor, jam autem ultro consentit, ut negotium Religionis inseratur. Quæ ista metamorphosis, hic est ille anguis à quo sibi cavere intendunt Evangelici, nunquam enim Dominum Mattyasovvtzky Status Evangelicus ita sibi expertus est, affectuosum, ut illud quod ipsi proficuum visum fuisset, eidem consentire, vel ipse sollicitare voluisset.

Post tot Cleri & aliorum clamores Evangelici respondent, se non dubitare quin Clerus sit contentus Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutione, & præprimis in eo ubi Templa Evangelicorum ab Anno 1670. præ manibus modernorum possessorum relinquuntur; Cum tamen aliud suaderet Diploma & lex, ne videlicet amplius Templorum occupationes fiant.

Die 28. Decembris. 1mo Declaratio officiorum sæcularium & Ecclesiasticorum. 2do. Denique continuantur difficultates respectu complanationis & consensus ad invicem fiendi. 3tio: Articulus de negotio Religionis legi cœptus, sed per Evangelicos contradictione mediante impeditus. Legatio Missa ad Dominos Prælatos & Magnates, resolvit Palatinus tria loca, Czebeny, Kismarkini & Modræ, pro Religionis exercitio adaugeri.

Die 29. Decembris. 1mo peragitur per Evangelicos apud Palatinum & personalem protestatio & declaratio; item in sessione Regnicolarum recepti in Hungaros deponunt juramentum.

Demum Personalis, Vice-Palatinus, Regno, & è contra valedicunt, finitâ valedictione exurgunt & præsentant Articulos, non obstante Evangelicorum in ordine ad Articulum Religionis instituta contradictione. Denique Status Evangelicus declarando se non temerè absentasse à præsentatione Articulorum, concipit memoriale & porrigit eo ipso die, hora 6. vespertinâ, cujus tenor talis.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

SUpplices lacrymabundi insimul ad Augustissimos Vestræ Majestatis Sacratissimæ pedes provolvimur, & in singula ferè momenta recrudescentia nostra vulnera, in paternum Vestræ Majestatis Sacratissimæ omnibus afflictis extensum benignum sinum effundimus. Nondum sat erat malorum, quibus à Statu Catholico sub decursu præsentis Diætæ pressi ingemiscere debuimus, quin etiam novum accessisset: Dum enim nos patientissimo & æquissimo (uti fideles subditos decuit) animo ferremus, quod Diplomaticam gravaminum nostrorum complanationem non simus consecuti, eoque in passu totam nostram spem in benignitatem Vestræ Sacratissimæ Majestatis (si quæ etiam extra terminos Diætæ potis est nostris miseriis opitulari) conjiciendo, in reliquis tractatibus Diætalibus procederemus, nilque aliud efflagitaremus, quàm ut benignæ Vestræ Sacratissimæ Majestatis in negotio gravaminum nostrorum impertitæ resolutiones, quandoquidem iisdem nos ex rationibus Vestræ Sacratissimæ Majestati demissè repræsentatis acquiescere nequeamus, in Articulos non redigantur: Ex nunc Status Catholicus, uti nobis innotuit, præmissis contrarium facere nobis invitis non dubitavit.

Declaravimus Nos, Clementissime Imperator, hodiernâ luce statim sub exortum ejusdem tàm coram Excellentissimo Domino Comite Palatino, quàm vero Domino Personali, quod Articulos in reliquis Regni negotiis conclusos parati essemus Vestræ Sacratissimæ Majestati pro confirmatione humillimè præsentare, dummodo aliquis in negotio Religionis editus iisdem non annectatur: alioquin enim in hujusmodi præsentationem consentire non possemus, cum per eandem etiam in tales præjudiciosos Articulos in Religionis negotio confectos, consentiremus.

Verùm nil nos hæc juverunt, quin potius ut nobis afflictis afflictio addatur: ubi per Dominum Vice-Palatinum in Domo Regnicolarum propositum esset tempus instare, ut præscripti Articuli Vestræ Sacratissimæ Majestati præsententur, idem Dominus Vice-Palatinus cum cœteris Catholicis ad Augustissimam Vestræ Sacratissimæ Majestatis aulam eosdem Articulos præsentatum pergit.

Clementissime Imperator Nos Vestræ Sacratissimæ Majestatis diplomati strictissimis Principalium nostrorum instructionibus alligati, prout sæpiùs demissè nos declaravimus, quod ab eadem recedere non possimus, ita etiam nunc submississimè declaramus, quod Articulos in puncto Religionis citra consensum nostrum, nostrique in ruinam, favorem autem partis nos opprimentis compilatos, pro nostris minimè, verùm pro talibus agnoscimus, in quos nos non consensimus, neque consentire possumus, ac proinde Vestram Sacratissimam Majestatem per æternum DEUM & ejus justitiam, supplicantes humillimè oramus, dignetur benignam præmissorum rationem habere, ac nos, quibus in nostris afflictionibus Diætale remedium consequi non licuit, solitâ suâ sibi congenitâ clementiâ complecti, totque innumerabilibus nostris ipsâ morte acerbioribus afflictionibus, Regiæ authoritatis ac clementiæ penesque assertionem benigni Diplomatis (quod ita nobis, sicut parti Catholicæ, fidelibus quippe suis clementer elargiri dignata est) gratiosæ quoque defensionis remedio subvenire Vestræ Sacratissimæ Majestati perpetuam nostram fidelitatem devoventes, & eidem totique Augustissimæ Domui suæ perennantem felicitatem apprecantes.

Ejusdem Sacratissimæ Vestræ Majestatis

Humillimi perpetuoq; fideles subditi

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

DIe 30. Decembris. Discedit Sua Majestas cum totâ Aulâ, comitantibus aliquibus ex Magnatibus Suam Majestatem.

Eodem

Eodem die hora 8. matutina dictantur Articuli.

Hoc Exemplo ducti Evangelici, statu negotii Religionis Evangelicæ periculosissimo, inque maximo discrimine versante, ut idem negotium Religionis in maximum sui præjudicium diversis amphibologicis clausulis à Statu Catholico circumscriptum vidissent: Similem protestationem apud Comitem Palatinum & Magnificum Dominum Personalem interposuerunt.

Protestatio Inclyti Status Evangelici Die 30. Decembris Anno 1681. apud Evangelicos dictata.

Die vero 31. Decembris ex Cancellaria præsentiæ Regiæ Testimoniales authenticæ (quarum tamen taxa in summam 28. Tallerorum Imperialium excrevit) expeditæ, & non secus quàm depositis cujusvis Comitatus & civitatis per Ablegatum eidem Domino Personali 28. Imperialibus extradatæ.

Cujus tenor talis est.

„Universi & singuli Status & Ordines Evangelici Regni Hungariæ pro præsenti generali prætacti Regni Diæta ad diem 28. mensis Aprilis anni 1681. præteritum, in liberam hanc ac Regiam civitatem Soproniensem indicta, præsentes per modum solennis protestationis & gravis querelæ proponunt in hunc modum.

„Qualiter sub decursu modernæ Diætæ, & quidem statim ab initio ejusdem, exulceratum inde ab Anno 1649 pridem evoluto mille modis turbatæ, ac tandem 1670. ab annis ferè ad totale exterminium conquassatæ Religionis Evangelicæ vulnus, Suæ Sacratissimæ Majestati Domino Domino & Regi ipsorum clementissimo, primùm ad partem duntaxat, non modo iidem protestantes humillimè detexissent, ac benignam à tanto temporis tractu de unô in alium generalem Regni Conventum, dilatam, jam tandem tot malis clementer adhibendam medelam anhelô Spiritu implorassent; verùm etiam idipsum universi Status & Ordines Regni & partium eidem annexarum publicis suis gravaminibus accensendo, pro diplomaticâ complanatione altæ nominatæ Suæ Majestati seriò ac iteratò repræsentassent. Ut ut autem bene memorata Sua Majestas inter puncta benignarum suarum resolutionum, hoc quoque in passu iteratis, ac tandem ultimariâ vicibus, sese in sequenti resolvisset.

„Primò: Pacificatio Viennensis in totum & maximè in 1mo articulo utramque religionem concernente in omnibus repetatur & confirmetur.

„Secundò. In supplementum &c. &c.

„Ultima verba: Unde sua quoque Majestas &c. &c. Suæ Clementissimæ resolutioni acquieturos.

„Quia tamen iidem protestantes per præviam benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem votis universorum Regnicolarum, tantò minus ipsorum Evangelicorum minime satisfieri, quin potiùs sacris Diplomatibus & legibus regni præjudicari adverterent: Ut enim præcitatus Articulus 1mus aliis superioribus temporibus per Statum Catholicum in diversum & exoticum sensum distractus, ac postmodum non saltem authenticis instrumentis, verùm etiam Diplomate Regio Anni 1647. mediantibus in suum genuinum & nativum sensum reductus ac declaratus, simpliciter renovetur, taliterque tot indirectarum interpretationum, quæ hactenus Evangelicam Religionem asperrimè collidebant, fomes exsuscitetur: ut deindè Evangelicæ Religionis exercitium, alias vigore sacrorum diplomatum per universum regnum liberum, ad certa duntaxat loca restringatur: Ut porrò templa ab anno præscripto 1670. (ac etiam, uti manifestæ sequelæ est, antecedenter) occupata præ manibus violenter occupatorum remaneant, ac pro non nullis loca duntaxat deputentur: Ut deniq; Dominis terrestribus in negotio Religionis ergà subditos suos, consequenterque animas ipsorum, jus & arbitrium quoddam supermaneat, & alia in prætacta benignâ resolutione contenta, sacris diplomatibus absolutè caverentur; Sed & alia ejusdem benignæ resolutionis Diplomati non repugnantia, vim novæ concessionis præ se ferrent, & puncta eadem, quasi nullo præexistente Diplomate, precario indulgere videntur. Quæ, æque ac alia acceptare citra resultum à sacro diplomate integrum minimè foret. His igitur ac aliis, præmissa puncta benignæ resolutionis inspicienti, luculenter apparentibus, prægnantibus ex rationibus, dum memorati protestantes iisdem acquiescere nequivissent, instantiâ ad Statum Catholicum, ut negotium Religionis cum aliis adhuc eorum irresolutis punctis, Suæ Majestati Sacratissimæ pro benigniori resolutione denuo præsentetur, facta, eaque per Statum Catholicum non admissa, necessitati superindè Suam Sacratissimam Majestatem medio demissorum suorum memorialium interpellare: Intereà vero Statu Catholico ad articulorum confectionem procedente, & jam sese à communi consessu Regnicolarum tantisper, usque dum finalis Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutio obtineri potuisset, absentare; Verùm ubi ultimaria benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ, priorem per omnia repetens supervenisset resolutio, toties fati protestantes, se in articulorum super aliis tractatibus diætalibus edendorum confectione, exmisso è serie eorundem, religionis, tanquam ad normam Diplomatum & legum Regni minimè resoluto, processuros, resolvissent, prout etiam ad finalem Diætalium laborum conclusionem, præmissa expressa cautelâ interjectâ processissent: His tamen non curatis, Status Catholicus citra consensum eorundem protestantium, & in ruinam ipsorum, favorem autem sui, eosdem protestantes opprimentis, etiam in negotio religionis certos Articulos compilasset. Quo iisdem innotescente, ac tempore solitæ præsentationis Articulorum Diætalium jamjam approximante, tàm coram Excellentissimo Domino Comite Palatino, quàm Domino Personali sese declarassent, quod articulos in reliquis

regni

„regni negotiis conclusos parati essent Suæ Majestati Sacratissimæ pro confirmatione humillimè præsentare, dummodò aliquis in negotio „Religionis conditus iisdem non annectatur, „alioquin in hujusmodi præsentatione sibi valdè „præjudiciosam & nocivam consentire non possent. Unde prærepetiti protestantes sperassent fore, ut aliis Diætalibus tractatibus & Articulis Suæ Sacratissimæ Majestati demisse præsentatis Religionem concernentes exmitterentur; tantum tamen abest ut hoc fieret, ut potius „ubi hesternâ luce Generosus Dominus Valentinus Szenthe Vice-Palatinus (qui eotum Domini Personalis, alias ob paroxismum quartanæ eadem ipsa die recurrentem absentis, munus „obibat) præsentationis mentionem fecisset, ab „antelatis Protestantibus, num Articuli Religionem tangentes inter reliquos contineantur, „quæsitus: Eosdem ne directo quidem responso dignaretur, sed dum prærepetiti protestantes, quid in tali ancipiti rerum Statu opus esset „facto, animis hærerent, prædeclaratis Articulis coram Regnicolis minimè perlectis, cum „tamen eosdem, ipso quo præsentarentur die „perlegere antiquissimi & usitati moris esset, „cum cœteris Dominis Catholicis ad Augustissimam Suæ Majestatis aulam Articulos præsentatum perrexerit, præjudicio Status Evangelici valdè gravi & manifesto.

„ Quamobrem præmemorati protestantes „Juribus suis maturè prospectum ire volentes, „cum prærepetita suâ solenni protestatione, hujusmodi Articulorum Religionem tangentium „compilationi, confectioni, & ex post modo „prævio subsecutæ præsentationi, ac iisdem etiam „articulis, tanquam citra consensum attactorum „protestantium confectis & subsecutis, juribusque eorundem nimis præjudiciosis, contradicunt protestando, & protestantur contradicendo; Declarassent se insuper, quod licet pro „præsenti templorum, cœterorumque violenter occupatorum restitutionem, aliarumque infinitarum exantlatarum injuriarum complanationem consequi non licuisset; Prouti tamen „innatæ Suæ Majestatis Sacratissimæ benignitati non diffiderent, quin eadem tot præfatorum „protestantium afflictiones sit cordi sumptura, „oppressisque opem benignè latura, ita etiam „futuris semper temporibus sacris Diplomatibus „& Legibus Regni inhærere, ac iisdem uti, nec „in minimo ab iisdem recedere velle. Prouti „protestati sunt contradicendo & contradixerunt protestando, & sic sese declararunt.

Litera ad Serenissimum Principem Baadensem à nonullis ablegatis Evangelicis adhuc hic Sopronii existentibus scripta, post ipsumq; Kis-Martonium, (ubi Sua Majestas prandebat, Die 30. Decembr. transmissa.

„Serenissime Princeps Domine Domine gratiosissime Servitiorum nostrorum humillimam commendationem. Postquam hodiernâ die Vestra Serenitas medio Generosi Domini Georgii Gerhard, pro ea, quâ erga nos „fertur gratiæ quædam nobis insinuasset, quæ „accommodationi negotii afflictissimæ nostræ „Religionis deservirent ejusdem gratioso Serenitatis Vestræ affectu perquam magni æstimato, nos qui adhuc hic existentes confluere potuimus (quandoquidem complures ob defectum „sumptuum discessere) omnimodè laboravimus „in eo, quo tam debitum nostrum erga Suam „Majestatem Dominum Dominum nostrum „Clementissimum, fidelitatis homagium, tùm „verò obsequiorum nostrorum in Vestram Serenitatem affectum declarare, & aliquam satisfactionem Vestræ Serenitati dare possemus, „prout medio certorum nostrorum Nunciorum „Vestræ Serenitati humillimè intimavimus, „quod nos re exactius pensiculatâ, si aliquem „medium terminum adinvenire poterimus, quo „& gratiosam Vestræ Serenitatis intentionem „secundare, & coram Principalibus nostris actorum sufficientem rationem reddere valeamus, „non intermittemus, quin præviâ apud Vestram „Serenitatem insinuatione, apud Dominum nostrum clementissimum etiam Viennæ demissam „nostram instantiam simus deposituri.

„ Verùm cum negotium consultando aggrederemur, ac interea nuncii à Vestra Serenitate redirent, referrentque Vestram Serenitatem, nescimus cujus Decreti vel patentis, pœnes quæ securitatem nobis in negotio Religionis promitteremus, mentionem fecisse, illicò „turbati & ita perplexi sumus facti, ut non videamus, ad quid nosmet resolvere debeamus, „præsertim cum jam pauci nostrum hinc sint, ac „proinde de eo quod totum Statum Evangelicum concernit, per nonnullos nihil tractari aut „concludi possit.

„ Vestram proindè Serenitatem humillimè „oramus, dignetur hanc nostram rationabilem „excusationem gratiosè admittere, & nos ulterius quoque solita sua gratia complecti: Nulli „dubitantes Principales nostros, facta coram „iisdem super gratioso Serenitatis Vestræ affectu „relatione, magni æstimaturos & humillimum „in omnibus occurrentiis ad Vestram Serenitatem recursum facturos.

„ Vestræ Serenitatis gratiæ, & per eandem „innatæ pietati & Clementiæ Domini Domini „nostri Clementissimi (in cujus fidelitate vivere „& mori optamus) nos in omne tempus commendantes & Vestram Serenitatem diu, feliciterque in totius Christianitatis emolumentum „vivere exoptantes.

Datum Sopronii Die 30. Decembr. Anno 1681.

Serenitatis Vestræ

Humillimi Servitores

Nonnulli Ablegati Status Evangelici Regni Hungariæ.

Lit. G

Lit. G.

ACTA COMITIORUM GENERALIUM ANNO MDCLXXXVII. POSONII HABITORUM ET IN PRINCIPIUM ANNI MDCLXXXVIII. PROTRACTORUM.

QUOD

RELIGIONES EVANGELICÆ ET HELVETICÆ CONFESSIONIS ATTINET.

Continentia memorialia nonnulla tunc S. C. Regiæque Majestati exhibita, quæ tamen omnia haberi nondum potuerunt.

N. I.

PROPOSITIO SACRATISSIMÆ SUÆ MAJESTATIS IN DIÆTA POSONIENSI STATIBUS HUNGARIÆ FACTA DIE 31. OCTOBRIS 1687.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, nec non Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis, item ac Nobilibus, Prudentibus ac Circumspectis Regni Hungariæ & partium eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, ad præsentem Generalem Eorundem Conventum congregatis hisce significandum.

POstquam memorata Sacra Cæsarea Regiaque Majestas gravissimis illis periculis, quibus hoc charum sibi Hungariæ Regnum, alias sub Gloriosissimo olim FERDINANDO I. Imperatore & Rege, Principum Austriacorum Imperio, ipsorumq; Hæredum & Successorum potestati in omne tempus subjectum, Sacraq; ejusdem Corona, imò propria etiam Suæ Majestatis persona & ipsa Urbs Viennensis, ac consequenter res totius Christianitatis per malevolorum factiones expositi fuerant, Præpotentis DEI auxilio, feliciter superatis, hostibusq; devictis & propulsatis, ac Budâ totius Regni florentissimâ olim Metropoli, una cum aliis locis & fortalitiis è faucibus hostis Turcæ ereptâ, potiorem Regni hujus partem, Turcico jugo subjectam, ab infami servitute liberasset, eo solliciti animi sui curas directas esse voluit, quo nimirum pacto deinceps ejusmodi pericula præcaveri, Regnumque hoc Hungariæ pacari & à malis, quibus hactenus deploranda sanè rerum vicissitudine agitabatur, vindicari valeat; Nec judicavit ad id consequendum opportunius aut efficacius dari medium, quàm ut implorato Summi Numinis adjutorio, prosecutaque ultroneè sese offerente victoriâ, & bello contra juratum Christiani nominis hostem Turcam interea fidelibus suis Statibus & Ordinibus Generalem Diætam indicet, eosdem convocet & ipse propria in persona in medium eorum adveniat, communius cum iisdem habito consilio, rebus charissimi sui Regni consulat & simul Serenissimum Archi-Ducem Josephum, majorem natu, charissimum suum Filium & Principem Hæreditarium iisdem fidelibus Statibus & Ordinibus, in futurum ipsorum Regem & Dominum, pro more coronandum constituat, divinâ fretus clementiâ in eo, quod hoc facto & sub hoc novo sydere, nova constansq; Serenitas, hinc tot gravissimarum tempestatum procellis, concusso Hungariæ Regno, summo Suæ Majestatis cum solatio, fidelium autem suorum Statuum & Ordinum ac totius Regni bono sit exoritura. Posset equidem eadem Sacra Cæsarea Regiaq; Majestas Regno huic, tot tantisq; suis laboribus, periculis, sumptibus & suorum sanguine, non aliter ac postliminio è manibus, qua perduellium, qua Turcarum recuperato, omni jure novas leges dare, nec non etiam vi armorum victricium acquisita, jure belli sibi suisq; Augustis Hæredibus discretim reservare, placidisq; & convenientibus legibus gubernare: Nihilominus pro innata sua clementia, vult quam benignissimè antiquas in suo vigore relinquere, Statuumq; & Ordinum libertates, privilegia, jura ac leges sartas tectasque conservare, idemque per coronandum Neo-Regem, juxta formulam Juramenti à Ferdinando I. Imperatore & Rege inaugurationis suæ tempore præstiti, nec non secundum formulam, super qua ratione ambiguorum nocivorum aut planè impracticabilium conventum fuerit, Sacramento etiam confirmari facere, & prædicta etiam acquisita certo

to modo & modalitate Regno sibi chariſſimo iterum incorporare, iisdem legibus continere, ſi tamen ante omnia id, quod dictæ formulæ Juramenti à FERDINANDO I. quondam, ut ſupra præſtitit de obſervando Articulo trigeſimo primo Decreti Regis ANDREÆ de Anno 1222. inſertum reperitur, correctum, ſimul etiam jus hæreditariæ ſucceſſionis, ſolemnibus pactis ac ſtipulationibus Auguſtæ Domus Auſtriacæ acquiſitum, & quamvis facto, ac interrupta Primogenitorum ejuſdem Auſtriacæ domus Principum ſuccedentium ſerie illibate obſervatum, tamen per injuriam temporum & motuum occaſionem, ſub initium hujus ſeculi malevolorum injurioſis interpretationibus apparenter labefactatum & in dubium vocatum, æquiſſima Statuum declaratione pleniſſimè redintegratum & permanenter in omne ævum duraturum, concepto in hunc finem Articulo Decreto inaugurali præſentium Comitiorum inſerto, ſtabilitum fuerit, cum ſecus non videat, quomodo jurari poſſit in id, quod divinis & humanis legibus contrarium, ſine manifeſto Regis & Regni diſcrimine obſervari haut quiret, dum viam Regnicolis pandit Regi ſuo reſiſtendi & flagitia quæque ac ſcelera licentioſè patrandi, quod ipſum funeſta plurimorum Annorum, experientiâ teſte, tot motus inteſtinos & tot externa bella & quod majus, iram divinam ſuſcitavit, totumque Regnum ad fatale ferè funus & internecionem deduxit, nec niſi divinæ miſericordiæ providentia factum, quod jam jam ſub jugo Turcico non ſerviat Apoſtolicum hoc Hungariæ Regnum, non ſolum cum libertatum omnium & fortunarum jactura, verum tot myriadum animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum æterno & irrecuperabili damno atque interitu.

Cœterùm extra dubium quidem eſt, exortis belli motibus, multa gravia in Regnicolas incidiſſe & propterea juſtam querimoniæ cauſam ſuppeditatam fuiſſe, verùm quia hæc omnia primis belli hujus concitatoribus imputanda ſunt, ſatisque Majeſtatem Suam Cæſaream & Regiam affligit, quod neceſſaria ſui defenſione coacta, modum quem cuperet rebus ponere non poſſit, nec verò etiam durante bello omnia quæ loco poſita eſſe deberent aut poni vellent, reduci queant, & hac temporum & rerum conditione, tempora conſultationibus trahi non debeant, ſed potius cogitationes rebus bellicis inſtruendis applicari; Sacratiſsima Cæſarea Regiaque Majeſtas, quæ his inauguralibus Comitiis citiſſimè pro bono Regni peragendis & Regno internè quantocyùs pacificando advenit, benigniſſimè à Dominis Statibus & Ordinibus requirit, ut Gravamina publica ea conditione compilentur, ut intra decem aut ad ſummum quatuordecim dierum ſpatium Suæ Majeſtati peremptoriè offerantur, oblatorum etiam explanatio actum coronationis non moretur, ſed peragatur inauguralibus Articulis ante omnia dicto termino confectis & exhibitis, reliquis verò vel per commiſſionem vel Comitia pacatiori tempore inſtituenda, complanandis.

Denique grato benigniſſimoque animo ſuſceptura eſt Sacra Sua Cæſarea Majeſtas, ſi Domini Status & Ordines, modum ſtabilem, collapſæ in hoc Regno juſtitiæ reſtaurandæ & melius atque celeriùs adminiſtrandæ propoſuerint. Et hæc erant, quæ prælibata Sacra Cæſarea Regiaq; Majeſtas, pro præſenti rerum temporumque neceſſitate Inclytis Statibus & Ordinibus proponenda eſſe cenſuit.

Quibus in reliquo omnibus conjunctim & cuivis ſingillatim Cæſareâ & Regiâ Suâ gratiâ atque clementiâ benignè propenſa permanet.

Per Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem,

Poſonii Die 31. *Menſis Octobr.*
Anno 1687.

Johannes Maholanij.

INDORSATIO.

Reverendiſſimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus ac circumſpectis, univerſis Regni Hungariæ & partium eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, pro præſenti Generali eorundem Regni Diæta convocatis, & congregatis aſſignandum.

N. 2.

Memoriale Statuum & Ordinum Hungariæ Evangelicorum, quo perſecutiones, miſerias & reliqua Religionis ſuæ gravamina poſt Comitia Soproníenſia cumulata breviter ſed ſatis ſpecialiter ordine exponunt, ſimul atque occaſione imminentis JOSEPHI in ipſorum Regem Electionis humillimè petunt, ut antiqua & in Diæta Soproníenſi Anno 1681, denuò confirmata Religionis Evangelicæ Privilegia ſine reſtrictione illis inſciis in Articulis Anni 1681. facta ipſis reſtituantur. S.C.M. Die 17. Nov. 1687. Paulo Okolicſanii cum aliis miſſo perorante exhibitum.

Cæſareæ Regiæque Majeſtati ad precedens Memoriale Reſolutio. S. reſponſum, quod ſe id perlecturam & quicquid æquum juſtumq; judicaverit decreturam eſſe promittit.

Eorundem Statuum Evangelicorum humillima ad Archi-Ducem JOSEPHUM, tunc in Regem Hungariæ coronandum, ſupplicatio precantium, ut non modo ipſe petitioni ſupplici, quod circa Religionis negotium, glorioſiſſimo Domino Genitori demiſsè porrexere, benignum aſſenſum, ſed ſimul filiales vices, apud Suam Sacratiſſimam Majeſtatem, interponere dignetur. Quam exhibuit Archi-Duci idem Paulus Okolicſany, per quam deinceps Rex coronatus, nomine Evangelici Status ſalutatus eſt, additâ in cautionem prece, ut ſuo tempore regnans, alteram Regiam aurem Evangelicis, perpetuæ, eſtò noviſſimæ ſuggillationi, pro motu malorum, obnoxiis, integram ſemper conſervare dignetur.

Au-

Augustissime Imperator & Rex, Domine Domine naturaliter Clementissime.

In Solium Regiamq; Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam fidelitatem & fidelium obsequiorum nostrorum humillimam perpetuamq; subjectionem.

N. 1.

TAmetsi inter reliquas, quas cum aliis Dominis Regnicolis æquè charas habemus, de Religionis Evangelicæ usu & exercitio sonans Diplomatica libertas, in ordine etiam ad benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ propositiones, eandem juxta benignum Regiumque sensum includentes, præcipua primaq; est, juxta id, quo ante omnia Regnum DEI quærere jubemur, ex eoq; ad mentem etiam facultatis, penes Sacrum Diploma Majestatis Vestræ, uti aliis semper, ita in præterita quoque Diæta Soproniensi reservatæ, & per M. V. S. minime præclusæ, tam quidem Diplomaticam confirmationem & conservationem, ex parte Serenissimi Archi-Ducis Majestatis Vestræ Sacratissimæ, jamjam in Regem nostrum, DEO clementer sic benedicente, coronandi Filii, uti & respectu futurorum è lumbis Majestatis Vestræ Sacratissimæ hæreditariè secuturorum Successorum Suorum, in omne ævum clementer impertinendam, ac consequenter de eadem Religione nostra, emersorum, & in dies emergentium Gravaminum Diplomaticam satisfactionem urgere, ante omnia debuissemus: Nihilominus, ne aliquâ vel imaginariâ ratione, quasi dandam ad easdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ propositiones resolutionem, remorari vellemus, argui potuissemus, & aliundè religiosè libertatis nostræ præinsinuatam confirmationem & conservationem, perpetuis semper temporibus perdurandam, sicuti etiam memorata emersa & emergentia onera calamitatesq, nostras inter alia Gravamina Regni (ceu quidem ordo Diplomatis Regii postulat) inseri posse, nobis persuasum habuimus, idcircò etiam cum damno temporis, tacitè effluentis, hactenus M. V. S. particulariter molesti esse noluimus. Quia verò jam satis nobis constaret, hanc piam & omnem Scissionis ansam vitantem intentionem nostram, prædeclarata viâ & ordine, nonnullis ex Statu Dominorum Catholicorum, in contrarium obstantibus, nos promovere nequire, ideò in eam de benignitate M. V. S. firmam spem inducimur, nobis à M. V. S. vel ab alio quoquam, vitio non versum iri, quòd jam hanc priorum temporum Methodum, consequendi supplicationum nostrarum optatum finem, imitari cogamur, & profunda humilitate petere, quatenus afflictam rerum nostrarum sortem, in meliorem pristinam formam, Diplomaticè reducere M. V. S. non dedignetur. „ Quæ miseriæ nostræ inde incrementum non exiguum „sumserunt, quod lamentorum nostrorum, in novissima Diæta Soproniensi M. V. S. eo tum supplíciter querulosoq; repræsentatorum, complanationem ex voto consecuti non fuerimus.

Verum quidem est Clementissime Domine Statum Catholicum, „ *in eadem Soproniensi Diæta* „ *duos de Religione, nobis insciis compilasse, & reliquis* „ *Diætalibus inseruisse articulos, nihilominus ex prægnantibus rationibus in quantum à diplomate dissentirent contradicere Status Evangelicus necessitatus* „ *fuit, & præcipuè quod contra antiquam normam & formam absentibus Evangelicis concinnati essent,* „ *tum quidem quod fundamentali libertati nostræ Diplomaticæ plurimum præjudicarent.* Et licet, ex vi „communis libertatis & publicæ prærogativæ nostræ, omnibus & ubiq; per Regnum, liber Religionis exercitii usus esse deberet, haberentur nihilominus plurima loca, comitatus, civitates, oppida & pagi, qui & quæ eodem penitus carerent; „imo ubi etiam hactenus liberum exercitium fuisset, vix non ubiq; per Regnum, è liberis, Regiis, „Montanisq; civitatibus, oppidis item & confiniis „nec non pagis rusticanis simul ac nobilitaribus, „etiam sub salvo præsentis diætæ conductu, Ministros Evangelicos quâ ejicere, quâ ab officio „prohibere, eorundem bona diripiendo, quotidianoq; victu & amictu privando, ad mendicitatem redigere: templa, (quorum numerum sicut „& scholarum, parochiarum & aliorum Accessoriorum, ex specificâ serie M. V. S. porrigendâ benigne cognoscet) conglobata armatorum manu „adimere: in plerisq; locis, & vel maximè in civitatibus montanis, miseram metallicorum & aliorum plebeculam, præsentaneo cum periculo vitæ, in erutis sub terra fodinis, proventuum M. V. „S. totiusq; Regni augmenta indefesse facientes, „non solùm (nisi Religionem Catholicam protinus amplecterentur) ab hoc medio quærendi panem submovere, sed & periclitatione capitis emeritam hebdomadalem mercedem detinere, „strictì insuper compedibus vinctos incarcerare; „hæcq; & similia imprimis minores Montanarum „Camerarum officiales, cum quibusdam privatæ „conditionis plebanis patrare, ac per hoc non M. „V. S. (id enim neq; ab eadem desiderari certò scimus) sed suos loculos privatos implere: æquè item vix non ubiq; parochias, earundemq; & alios „Ecclesiasticos proventus, res mobiles & immobiles, pia item Ecclesiarum & Ecclesiasticorum „legata, sicut & bona Possessoria, ædes, hortos, vineas, terras arabiles & id genus alia, ad ipsorum, „& Evangelicorum Ecclesiasticos usus & necessitates, testamentaliter alias ordinata & collata, „cum omnibus eorundem utilitatibus occupare, „nonnulla abalienare, & in profanos usus convertere: scholas, earundemq; Rectores & alias id genus officiis defungentes personas amovere, imò „in compedes conjicere: ad ceremonias & ferias „non suæ religionis observandas, assumendamq; „Catholicam religionem, sub proscriptione vel „etiam deprædatione bonorum, nobiles, cives „æquè ac rusticos, acerbis verberibus, diraq; incaptivatione & vulneribus cogere: quin imò vicissim quibusdam reversalib9, adversus suam Evangelicam religionem obligare: ad nulla in Regno „gerenda officia publica, quantum in ipsis est, Evangelicos admittere, ac multos publicis officiis „civilib9 gaudentes, ab eorundē dignitate penitus

„ex auctorare; nulla ad hæc habita considera tio„ne libertatis publicæ, a publicis etiam ablegatio„nibus, sicut; & quædam Collegia Mechanica, ob„tentis Cheæ Suæ Articulis Privilegialibus, ex so„la Religionis ratione, Evangelicos ignominio„se excludere, imò hoc asserere, quasi, id ipsum „Majestas Vestra Sacratissima vetuerit; decimas „pariter & quartas, antea Parochis Catholicis „præstari non solitas, ut & alias solutiones, contra „Leges Regni exigere; exanguia hominum ca„davera, non nisi lytro arbitrario persoluto, in „humare: ab usu campanarum repellere: men„dicos Elemosynarios, Christianâ stipe viventes, „è Xenodochiis etiam nostris, propter solam „Religionem Evangelicam relegare: Studiosos, „solitum beneficium, à Patronis suis ostiatim pe„tere consuetos omnimodè prohibere: in aliqui„bus locis in solitas Parochias sibi ostendi petere, „in casu renitentiæ, fundos Incolarum possessio„nes, Territoria, item & publica ædificia ex „contigna templa vicinitate præcisè prætendere, „ac occupare intendere: sicque quantum pos„sunt, privatim publiceque libertatem & usum „exercitii religiosi turbare: aut sic ubi ipsis pla„ceat exercitium extra Civitatum Mœnia, op„pida & pagos, concedere: atque, ut in summa „comprehendamus, nullum violentiæ facinus, „in nos & Rusticos exercere reformidant in præ„sentiarum usque.

An igitur occasione Neo-Coronandæ Augustæ prolis, novi nempe Regni Syderis, discutiendis ærumnarum nostrarum nebulis, impertiendam Serenitatem demisse non implorabimus? Imò verò & tanto quidem alacriori ac erga Diplomaticæ justitiæ æquitatem, demissiori fiduciæ animo inducti, quanto majorem spem Majestas Vestra Sacratissima nobis de se, „*signi„ficatione suâ decretali, Sopronii die 22. Decem„bris Anno* 1681. *ad universos Status & Ordines „clementer exaratâ, benigne facere velint, viam „in ulterioribus quoque Regni Diatis complanandæ „Religionis nostræ non præcludendo, imò faculta„tem supra insinuato modo reservatam Regia Di„plomaticaque suâ authoritate concedendo.*

Quare totam, post DEUM, qui Majestatem Vestram Sacratissimam in terris suum Vicarium esse voluit, firmamque spem in authoritate ejusdem Diplomatica collocantes, *atque hic loci, universos præteritæ Sopronienses Diatæ commoditate submississimè porrectas Supplicationes nostras, pro repetitis habentes*, ad Augustos Majestatis Vestræ pedes prono demissoque vultu provoluti, fideli humilique animo supplicamus, quatenus prædecessorum suorum Gloriosissimorum Austriacorum Principum, Regni Hungariæ Regum vestigiis insistendo, „nos & Religionis nostræ mi„seram tristemque faciem, non saltem in pristi„nam libertatem Diplomatica reductione beni„gnè exhilarare, templa Parochias, Scholas & „similia, cum universis suis appertinentiis & uti„litatibus, piis item legatis ubique & in Bonis Fis„ci Regii, ad mentem Diplomatis, cum Mini„stris verbi aliisque Ecclesiasticis, scholæ Docen„tibus, Scholasticis, Xenodochialibus & simili„bus postliminio restitui, ubi verò post DEUM, speciali Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratia hactenus „permanere potuimus, in eadem liber„tate servari, universaque Gravamina nostra, „benignè complanatis complanandis, sublevari, „superindeque ad mentem Sacri Diplomatis con„cipiendos articulos condi; Verum per Augustissimum Principem, Archi-Ducem JOSEPHUM, quem futurum hæreditarium nostrum Regem reverentibus iisque perpetuo fidelibus animis veneramur, „istiusmodi libertatem con„firmari & conservari, & si quæ Gravamina vel „supererunt vel (quod DEUS pro immensa sua bonitate à nobis avertat) „imposterum exori„rentur clementer complanari, paterno in nos affectu & benignâ propensione, *stante adhuc Diata efficere non dedignetur*. Pro qua gratia, in nosque hoc tam ingenti conferendo beneficio, ut Vestram Majestatem Sacratissimam totamque Austriacam Regiam Domum assidua rerum bellicarum felicitate, incolumitateque diuturnâ, omnis boni recompensator DEUS, longævè perfrui jubeat, ardentibus precibus invocabimus tum etiam nosmet ipsos, vitam & fortunas nostras in fidem Servitiumque Majest. Vestræ Sacratissimæ Hæredumque suorum devovere, ac sanguinem (prouti nec hactenus quidem, pro locorum occasionumque varietate, intermisimus) profundere sumus parati, benignissimam quantocyus præstolantes resolutionem.

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoq; fideles subditi

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

(INTITULATIO.)

Ad Sacratissimam Cæsaream ac Regiam Majestatem Dominum Dominum naturaliter Clementissimum.

(*præsent. die* 17. *Novembr. Anno* 1687.)

Demissum Memoriale.

Introscriptorum.

N. 2.

Resolutio Majestatis Suæ Sacratissimæ.

Ea quæ mihi fideles Status Augustanæ & Helveticæ confessioni addidicti proposuerunt benignè intellexi. Et licet præsens Diæta fidelibus Statibus & Ordinibus, pro tractandis publicis Regni negotiis, & Filio meo Neo-Rege coronando duntaxat sit promulgata. Tamen ut aliis etiam Supplicantibus, in quantum modernus temporis Status permittit, satisfiat, vestrum scriptum diligenter perlegam, & quicquid in bonum publicum deservire, justumq; & æquum judicavero, me resolvam. Cœterùm tam absentibus in communi, quam præsentibus mea Cæsarea & Regia Gratia propensus (maneo.)

Se-

Serenissime Archi-Dux Austriæ & Neo-Coronande Rex, Domine Domine naturaliter Clementissime.

VT primi felicissimorum Serenitatis Vestræ Regiorum auspiciorum quibus Sacro Regni Diademate nunc primum initiata reddetur, specimina, ceu quasdam Primitias, læto decerpere possimus animo, tantò alacriùs ad Serenitatem Vestram demissa devotionis, subjectionis, fidelitatis & obedientiæ cultu accurrimus, quantò majorem spem concepimus, nos hic repulsam non esse passuros.

Submisissimè nimirùm porreximus Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati, Domino Domino & Regi nostro Clementissimo, Gloriosissimo Serenitatis Vestræ Genitori, supplicem, in negotio afflictæ Religionis nostræ petitionem. Cui ut Serenitas quoque Vestra, benignè primis his suis Regni initiis, non saltem assentire & eandem admittere, sed & Clementes Filiales suas vices, apud summè titulatum Dominum & Regem nostrum interponere, interponere non dedignetur, humillimè supplicamus, quatenus his primis, in nos, è novo sydere suo, emissis lætis radiis, integro suo, ô utinam diuturno Regimine gaudentem securitatem polliceri nobis possimus.

Ejusdem Serenitatis Vestræ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Evangelici.

(INTITULATIO.)

Ad Serenissimum Archi-Ducem Josephum, Neo Coronandum Regni Hungariæ Regem Hæreditarium Dominum Dominum naturaliter Clementissimum.

Demissa Supplicatio

Introscriptorum.

Supplicatio Statuum Hungariæ Evangelicorum cujus in præcedenti fit mentio, quâ specificatio Templorum, Scholarum aliorumque à Catholicis vi Evangelicis ademptorum, partim eo modo, quo in Diæta An. 1681. exhibita fuit, reiteratur, partim augetur, quia post ista Comitia de Anno 1681. non modo adempta non restituta, sed & novæ ademptiones secutæ sunt, servato ordine Comitatuum, S. C. Majestati die 23. Dec. 1687. pro Complanatione & satisfactione Caspare Csemmitsky, cum aliis Ablegatis, suppliciter orante.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter clementissime.

IN ipso humillimæ supplicationis hujus exordio pro solita nostra humilitatis & fidelitatis demissione benignissimam in Majestatis Vestræ Sacratissimæ memoriam gravibus aliorum Regnorum & Imperiorum suorum curis obrutam in futurum necessariæ Religioni nostræ securitatem, desuperque submisissimè factas preces suppliciter revocamus.

„ Quamvis & impossibile & onerosum esse videatur, è manibus nostris ademptorum „ prolixam enumerationem instituere, nihilominus quæ Templa, Auditoria, Capellas, Parochias, Gymnasia, Scholas, Fundos, Xenodochia, Proventus, res item mobiles & immobiles in præsenti consignare valuimus (quippe & cætera per universos Regni Comitatus suo „ Articulari modo comperiri, restituique possunt sequentibus recensemus.

Etsi verò in novissima quoque Diæta, hâc consimili forma declarassemus, tamen tum recentioris recapitulationis ergò, cum etiam quod gravissima accessione, adeoque nova occupatione afflictiones & injuriæ nostræ, vix non in immensum accumulatæ, post illam quoque Diætam creverunt, imo & oblationi in primævo supplici libello nostro factæ respondere volentes hanc seriem Majestati Vestræ Sacratissimæ humillima demissionis veneratione repræsentare non dubitavimus.

In Comitatu Abauyariensi.

In Civitate Cassoviensi, majus & minus Templum Evangelicorum Augustanæ Confessioni addictorum cum Parochia, Schola & aliis appertinentiis, prout & Proventibus ab Evangelicis, pro sustentatione Ministrorum collatis, piis item quatuor Domorum intra mœnia dictæ Civitatis existentium (quarum unam modernus Magistratus loci, moderno ejusdem Civitatis Judici, contra jus & æquum effectivè divendidit, & abalienavit) unius horti, certarum terrarum arabilium, & in partibus inferioribus Hungariæ in promontorio Tokaiensi, Vineæ alias Varga dictæ, Legatis Evangelicis erepta, cum totali prohibitione intra mœnia vel in privata etiam domo sacra Augustano Evangelicis peragendi, scholasticam Juventutem informandi, baptizandi, sepeliendi, copulandi, puerperas introducendi, & alios actus ministeriales exercendi Evangelicis extra muros ad inconvenientia loca relegatis.

Præterea possessio Kaussa ex libera Grossi conda Stephani Tarkani dispositione usus Ecclesiæ Evangelicæ Bottyaniensis, ut & ejusdem Templi Parochiæ & Scholæ ædificationem & Ministorum sustentatione Testamentaliter destinata ac inspectioni Ecclesiæ Augustano Evangelicæ Cassoviensi præprimis submissa, cum omnibus Proventibus per Cameram Scepusiensem.

Similiter in Also Meczenseff loco alias articulari approbato, ejectis Ministro & Rectore

Evangelicis, Templum, Parochia & Schola una cum Proventibus decimalibus, occupata sunt.

In Possessione Cassa Uyfalu, Patres Collegii Cassoviensis quartam Decimalem ex frugibus Incolarum dictæ possessiones, antiquitùs loci Ministro Evangelico pendi solitam.

In possessione verò Tehany modernus Bonorum Civitatis Cassoviensis Provisor Ladislaus Jaszayi, similem quartam, dicto Ministro, tanquam ex Filiali ab antiquo cedentem, totaliter occuparunt.

In possessione quoque Somogy medietas Decimæ penes certum Contractum inter Catholicum & Evangelicum Loci Parochum, ab antiquo initum ac usu roboratum, hoc Anno per Catholicum Plebanum totaliter adempta est.

Zempliniensi.

In Saaros Patak Templum in arce extructum, una cum Proventibus Schola item in eodem oppido, quam ex fundamento Evangelici exstruxerunt ac certis Proventibus dotarunt, occupata. Item in Tholozva, Fenye, Liszka ac stante hac Diæta in Mad, quod etiam ex fundamento iidem Evangelici exrtuxerunt, in Thalya, ubi etiam ex solo fermè adæquatis ruderibus Templum, Turrim verò ex fundamento extruxerunt; In Keresztur & Tacsal in quibus locis certæ Vineæ Templis & Parochiis ab Evangelicis similiter applicatæ fuerunt: quas ipsi Ministri Ecclesiarum propriis sumptibus excolere quotannis consueverant, violenter ad empta sunt.

Sarosiensi.

In Civitate Epperies, tria trium copiosissimarum Nationum Evangelicorum Templa, Germanicum, Hungaricum & Sclavonicum, Gymnasium item & Schola, totidemque Parochiæ cum reliquis appertinentiis & Proventibus, prout & omnibus Piis Legatis; His insuper liberum Religionis Evangelicæ exercitium intra mœnia ex integro peragendi de simplici est prohibitum Evangelici in suburbia Civitatis partim ad squalida & inconvenientia partim ad devia loca, pro suæ Religionis cultu exercendo amandatos.

In Civitate Barthpha duo Templa Germanicum & Sclavonicum, tertium Xenodochiale, cum Parochiis & Scholis cunctisque appertinentiis, Piis similiter Legatis certo insuper Hraboroskiano sic dicto pio Legato pro intentione Alumnorum Testamentaliter ordinato.

Ubi pariter liberum Religionis Evangelicæ exercitium intra mœnia cum suis actibus & ritibus ministerialibus, exequendum totaliter interdictum cœtu Evangelico ad inconvenientem locum cujusdam prati extra muros exterminato.

In Civitate Cibiniensi Templa, Schola, Parochia cum accessoriis occupata sunt cum interdictione liberi Religionis Evangelicæ exercitii intra mœnia ex integro peragendi relegatis Evangelicis extra mœnia pro suæ Religionis exercitio effectuando, Sic & alibi in eodem Comitatu.

Ungvariensi.

In Oppidis Pagisque quam plurimis Templa, Scholæ Parochiæ cum universis Proventibus & aliis appertinentiis.

Szachmariensi.

In Civitata Nagybannya similiter Templa omnia cum Parochiis & schola Campanisque sunt occupata, imo Exercitium Religionis liberum quoque nonnisi ad exitum Diætæ hujus est concessum, intra mœnia administrandum, finitâ eâ, vel exterminandum extra muros, ubi nulla suburbia, vel penitus tollendum, unumque tantum Concionatorem retinendum, alterum vero, dimittendum esse, denunciatum est, cum tamen in actuali usu omnium Templorum & liberi exercitii antea extitisset.

Ad hæc Xenodochium quoque cum ejusdem & aliis Ecclesiasticis & Parochialibus Proventibus occupatum.

Adeoque hic Patres Jesuitæ & Monachi his saltem proximis Temporibus, Civitatem subingressi, prætendunt novas Parochias cum earundem appertinentiis, & nisi ostendantur, volunt territoria, possessiones, domos, templis contiguas & alia ædificia adimere, qui tamen & præter occupata nostra templa suum satis commodum habent, ac etiam extra duos vel tres vix dentur plures Cives Catholici.

Insuper Gerod Totfalu vocata possessio, cum certa Vinea Pratis & Mola non ad Xenodochium, verùm ad Civitatem, tanquam ab eadem extructa, à memoria hominum pertinens, quæ possessio alias expressis Privilegiis per divos quondam Hung. Reges confirmatis, à Senatu, non verò ab Ecclesiasticis dirigi semper solita in eum finem, ut Proventus hinc percepti præcisè in usum pauperum converterentur.

Denique Decimæ Vini hujus Civitatis ab antiquo propriæ ad exitum præsentis Diætæ sequestratæ sunt, ea conditione, ut post Diætam, dictorum Patrum Jesuitarum sint & permaneant.

In Ech & Oppido Templum cum universis accessoriis, similiter Possessio Berencze, cum certo Molendino, qua pium Legatum alias per Illustrissim. quondam Dominum Franciscum Reday, de Kis Rede pro subsidio juventutis scholasticæ Szathmariensis ordinatum, à Patribus Jesuitis via facti violenter occupata de præsenti quoque violenta manu tenentur.

Sepusiensi.

In Civitate Leuchoviensi Templa quatuor cum Gymnasio, Parochiis, hospitali Pauperum ac cunctis appertinentiis & Proventibus sunt occupata, Evangelicis vero pro celebrandò libero Religionis suæ Exercitio, in desertum quendam Hortum, extra muros, ubi nunquam ulla fuere sub-

suburbia, nec de facto essent, amandatis civibus tam Catholicis ibidem vix viginti existentibus & reperiundis.

In Civitate Kesmarch Evangelicorum (licet Cives Catholici, alias paucissimi, unum speciale Templum imperturbatè semper possiderunt) præter hoc tamen duo Templa cum Parochia, Schola, adeoque omnibus accessoriis sunt adempta & occupata cum pari totali exclusione & prohibitione liberi Religionis Evangelicæ exercitii intra mœnia dictæ Civitatis peragendi iisdem Evangelicis nonnisi extra mœnia relegatis.

Desuper plurimis aliis in oppidis, pagis & villis (exceptis tribus possessionibus) Comitatus ejusdem, Templa, Parochiæ ut & Scholæ, & appertinentiæ Proventusque universi.

Gömöriensi.

In Oppidis & possessionibus Jolsva, Khisnyo, Vezerret, Rœcze, Hoszuret, Uyvasar, Polomka, Pohorda, Sümœcze, Rosnobannya & alibi:

Borsodiensi.

In Præsidio Onodiensi, assumpto per ignem ligneo Templi ædificio, desertus fundus superest, ut & Parochiæ, Scholæque. Cùm itaque intendunt Evangelici necessaria Templi, Parochiæ, Scholæque ædificia exstruere, supplicant, ut articulariter secundum Diploma conserventur, Decimaque frugum in sustentationem Ministrorum Evangelicorum antiquitus pendi solita restituatur, præque manibus eorundem relinquatur.

Thornensi.

Templa: in Harskuth, Gœrgœ, Almas & plura alia.

Barsiensi.

In Civitate Cremnicziensi tria Templa, & ejusdem Civitatis proximè adjacentibus Pagis septem. Item in aliis Hlimik, Vihnye, Felsœ Zdania, Prochod, Zaynocza, Hamor Velkopolya, Kamenecz, Simonyi, Brodgyan, Marod, Koszmaly, Nova villa, Szelessen, Fenyökosztolan, Oszlan, Fellfalu.

Honthensi.

In Civitate Schemnicziensi, duo Templa majora, cum accessoriis, porro in platea hujus Civitatis Hodrustanya, Bakabanya, Bellabanya, Bœrsœny Sz. Antal cum filiali Sibrito, Kormosso, Devicze, Beluja, Princzfalva, Csall Meznevelœ, Bozose, Szenograd, Lytva, Gyckes, Alsso Rakocza & alibi.

Zoliensi.

In Civitatibus Vetero Zoliensi unum, Carponiensi unum, Novi Zoliensi verò duo majora Templa cum Parochiis, Scholis, horumque omnibus appertinentiis & Proventibus.

In Breznobanya, Patres piarum Scholarum, Decimas vigore certi contractus ad ipsam Civitatem Spectantes, nunc per omnem vim, cum magno Civitatis damno & præjudicio suam facere, Templumque & alia occupare intendunt, cum tamen ibidem præter tres Catholicos non dentur plures; pro quali quidem Decima etiamnum eadem civitas pactatam solvit vice Archi Diacono Zoliensi.

In Dominio Zolio Lypoze universa Templa, prout & illius nominis Oppido, nec Liber Evangelici Exercitii usus miseris incolis permittitur, verùm sub pœna & gravi mulcta cavetur: Si autem aliorsum sese conferunt, pro Exercitio Religionis ipsoque peragendo, captivantur, & in vinculis detinentur, vel verò pecuniaria solutione multantur.

Item in possessionibus Oczowa, Szalattnya, Dubrovvicza, Tajovva, Radvan.

Soproniensi.

In Civitate Soproniensi Templum Sancti Michaelis cum Capella Hungarica & Cœmeteria eisdem contigua, item intra mœnia Civitatis Templum Sancti Georgii ad hæc Templum Xenodochiale extra suburbium cum nonnullis scholis & eorundem accessoriis.

In Civitate Rust, non solum Templum Germanicum ab imo propriis Evangelicorum sumptibus consensu Regio exstructum, & specialiter Privilegiatum, cum Parochia & Schola cœterisque accessoriis est occupatum, verùm ipsum etiam exercitium Evangelicum ex integro est prohibitum, manifestissimo cum dispendio ejusdem Civitatis.

Similiter in Pagis Loipegsbachi, Agendorff, Bandorff, Harka, Wolff, Megyes, item Loczmany, Szakony, Stob, Petersdorff, Walpersdorff, Weperd, Buk, Nemes Lacony, cum filialibus, Sagh, cum filiali Simahaza, Locz cum filialibus, Szemere, Geresd, Janosfa Csafordfal, in Pago Beled, Mihalyi, Kisfalud, Kereſztur, Farad, Egyed, Pordany, Nemet Sarkany, Szent Andras, Bodahel, Uyker, Egyhazasfalu, cum filiali Bastifalu, Nagyes Kis Vœlcze.

Castriferrei.

In Civitate Keöszey duo Templa, unum Germanicum & alterum Hungaricum cum Turri & campanis & Capella in suburbio cum Cœmeterio, Parochia ac Scholis per Evangelicos ædificatis, nec non aliis domibus Ministrorum Evangelicorum & aliorum Residentiis, fundis, Proventibus, Legatis omnibus appertinentiis & accessoriis, Fundationibus pro intentione Rectorum Evangelicorum destinatis.

In possessionibus verò Fœlsœ Lendva, Muray Szombath, Szent Gyœrgy, Viz Lendva, Tisnia, Martyanicz, Dolnicz, Szent Hona, Dobra, Szent Martony, Szolnok, Puszta, Szens Mihaly, Sarufalva, Burgiensis cum filialibus Kukmer, Wolffan, Kirzladn, Szulzrig, Inczenhoff, Hidegkut,

degkut, Kœnigsdorff, Raba SzentMihaly, Hidvegh, Szeczod, Nadasd, Szent Tamas, Szent Lehnard, Dogmad, Bucsn, Pœrœnye, Nardy, Oerisziget, Cota szennye, Copacz Karoly Paty, Tereftyenfa, SzentJvanfa, Nagy Paty, Meszleny, Aszonyfa, Acsad, Vad Szethen Szilvagy, Bœgœd, Szarvaskend, Csaniglak, Nemet Gentz, Pœse cum filialibus, Dorosslo, Scœpten, SzentGyorgy, Guar, Szelefte, in Kœrmend, Csakany, Szetsœd, Hallos, Radocz, Sz. Lorincz, Taplanfa, Ketkaid, Polany, Kaponasfalu, Totfalu, Kises, NagyUngom, Uyfalu, Bologhfa, Kœveskut cum filialibus, Bœd, Jvanocz, Bosok, cum accessoriis.

In districtu Kemenyes allya, in Oppido Janoshaza, duo Templa Sagh, Simonyi, Ostfi Aszonyfa, & alia plurima in Comitatu. In Rohancz & Pinkafeld, antehac ademptis omni exercitio Religionis Evangelico privati sunt.

Szaladiensi.

In Legrad Templum cum Parochia, Schola, aliisque accessoriis, Bagony, in Szent Gyœrgy Vœlgye Templa, Parochiæ, Scholæ, cum universis obventionibus & plura in Comitatu.

Jauriensi.

In interiori Oppido Jauriensi, Auditorium, propriis alias Evangelicorum sumptibus comparatum, ademptum, & ad profanos usus conversum est, nulla habita spe rehabitationis ejusdem Evangelicis Ministris in suburbium Uyvaros dictum relegatis.

Hic Ministri etiamsi urgens occasio ita foret, partim ægrotos visitantes, partim alia omnia de conscientia eorundem peragere volentes in interiori Oppido pernoctare haud permittuntur, sed & cadavera defunctorum, ritu solenni & antehac usitato in humanda (non sine præjudicio libertatis Evangelicæ Religionis) educi perhibentur.

Insuper in pagis quam plurimis Templa, Parochiæ & alia accessoria, violenter adempta, sunt, tenenturque in præsentiarum præ manibus Dominorum Catholicorum.

Comaromiensi.

In Oppido Regio Rev Comarom, Templa, Parochiæ, scholæ sunt occupata, Ministri utriusque Confessionis expulsis, scholæ Helveticæ Confessionis, ædificium, per Patres Franciscanos dirutum, ædificioque Claustri eorundem in loco Parochiæ Helv. Confess. superædificari applicatum, fundus verò ejusdem scholæ divenditus est. Legata insuper pia, Clenodia & pecuniæ Juramento mediante ab Evangelicis exacta & ablata.

Et licet post Diætam Sopronienſem Ministri Evangelici reintroducti essent, denuo tamen modernorum revolutionum tempore expulsi sunt, nec ad præsens usq; introduci permittuntur. Ad hæc Opifices & Mechanici Evangelici in Cehis sint ad processiones & ceremonias Religioni ipsorum contrarias sub pœna quatuor florenorum coguntur, neque aliter nisi vexilla confici curent proteguntur confectis in Cehis eorundem Articulis, ne quidpiam præter Catholicos in numerum eorundem recipiantur.

Mossoniensi.

In Comitatu hoc adeò ex integro non tantum publicè, sed & privatim eliminatus est liber Religionis Evangelicæ usus, cum multarum millium aliarum præsentaneo discrimine & dispendio, ut ne quidem Nobiles ipsi audeant privatim hæc eorum Diplomatica libertate gaudere & uti.

Namque in Ovar duo Templa Augustanæ & Helveticæ Confessionum, in Szolnak, Nemet-Jagendorff, Raika, Szent Juan, Mosson, Leben, Szent Miklos, Tetem, Puszta Samaria, Czurndorff, Level, Miklosdorff, Belsœ Kemlye, Hegyeshalom, Kanok, Metser, Halaszy, Kœpczeny, Galos, & aliis etiam plurimis in Locis Templa, Parochiæ, & Scholæ ac alia similia cum Proventibus ademta sunt.

Vesprimiensi.

In Præsidio Papa, Templum cum Parochia Xenodochia aliisque appertinentiis & Proventibus, certa item Domus ad Parochiam pertinens. Hic stipendium quoque, hactenus Ministris & Rectoribus Evangelicis annnuatim à Majestate Vestra Sacratissima alioqui pendi solitum denegatur.

Item in aliis quoque locis, Templa, Parochiæ & aliæ pertinentiæ occupata sunt.

Posoniensi.

In Civitate Posoniensi Templum Germanicum in foro Civitatis, partim ære sacri Romani Imperii Evangelicorum Statuum & Ordinum, partim verò Civium & aliorum itidem Evangelicorum sumptibus extructum, cum Gymnasio eidem immediatè annexo, & Hungaricum pariformiter propriis Evangelicorum sumptibus extructum, cum domo certa per Evangelicos pro habitatione Ministrorum comparata, cunctis Ministrorum Bibliothecis haud exiguo ære conquisitis & omnibus aliis appertinentiis, exercitio Religionis in suburbium relegato.

In Civitatibus Szent Gyœrgy & Basnig similiter omnia templa cum parochiis, scholis, & omnibus pertinentiis, totalique exterminatione exercitii Religionis Evangelici: Adeoque Bazinii Evangelicarum puellarum docens, à docendis iisdem & instruendis severissimè & sub comminatione prohibitus (secus enim manibus pedibusque ligandus Posonium abducendus foret) cedere officio, stante præsente diæta jussus est.

In Medor æque templum Germanicum parochia & schola cum universis accessoriis libero Religionis Evangelicæ cultu extra mœnia Civitatis relegato.

In Civitate Tyrnaviensi duo Templa Augustanæ & Helveticæ Confessionis propriis eorundem sumptibus ædificata, cum Parochiis, scholis, Cœmeteriis & campanis, cunctis item pertinentiis, & piis legatis, omnimodaque cultus Evangelici interdictione.

Insuper

Insuper in Samaria, Szerdahely, Czelefzœ, Guthor, Miferdy, Kapofztapruk, SzentMihalyfalva. Fecelfece Szeli, Cfatai, Lympok, Maitin, Nagyfzegh, Tullos, Kofzut. Nagy Levard & aliis Oppidis & Pagis. Et in Szerdahely quidem Templum ab imo dirutum, materialiaque ejusdem in alios usus conversa sunt.

Nitriensi.

In Civitate Szakolczensi, & quamplurimis aliis Oppidis, Pagisque aliquot saltem exceptis: Et in Szakolczensi quidem Civitate, domestica quoque sacrorum lectio, severissimè est inhibita; Cum tamen, tam Augustanæ quam Helveticæ Confessionum homines propriis sumptibus templa sua erexerint, & dotaverint, ipsisque etiam juxta Articulum 1. Anni 1608. ante coronationem, & Anni 1647. Artic. 7. usus Religionis Exercitii liber esse deberet.

In Vaghuyhelly, solo æquatum Templum cum prohibitione Exercitii. Item in Senthe & alibi.

Trenchiniensi.

In Civitate Trenchiniensi duo Templa cum Gymnasio, Parochiis, Cœmeteriis, & cunctis appertinentiis. Ubi quoque Anno 1683. dum ad cujusdam militis Germani multimodam petitionem, illi tunc extremè infirmo, sacram synaxin Evangelicus Minister administrare voluisset, per Castrensem quendam Patrem Jesuitam, non tantum opus hoc sacrum impeditum, sed & sacer calix ademptus & ablatus est.

In Oppido Zolna, duo Templa cum schola, Parochia, Draconario & aliis appertinentiis. Similiter in Hanzlikfalva, Kochanocz, Biroz, Dezericz, Puchoro, & plurimis aliis.

Thuroczensi.

In Szkleno & Felsœ Stubnya.

Arvensi.

In Kubiny cum Filialibus, aliisque plurimis locis.

Liptoviensi.

In Oppidis: Rosenbergh, cum Parochia & Schola, sicut & Filialibus Arbuoltuva Sancti Martini & Capelli Revucensi.

Item Komjachna, cum filiali Stankovany. Minus Szent Lyskofalva, Tepla, SzentMihaly, Lypcze, Boldogh Afzonyfalva, Libele, Dubrawa, Nagy Paludgya, Kis Paludgya, SzentKerefzt, Bodofalva, SzentMiklos cum Filiali Okoliczany, Szent Jvan, Bocza, Szent Peter, Dovaloro, Hibe, Wihodna, Wazet, Csorba, Kokavva, Pribila, Szent Andras, Szent Jstvan, Smreczan, Trstenye, Tarnocz, Sziclincza, Mattyasfalva, Prosek, SzentAnna, cum Filiali Malatina & alibi.

Dantur denique quamplurima & alia loca,

Civitates, Oppida, Pagi, & Confinia, ubi nonnisi ad tempus signanter etiam ad exitum præsentis diætæ Exercitium, intra mœnia vel Oppida, aut Pagos ipsos concessum est, postea extra mœnia, Oppida & Pagos relegare intendunt.

Hæc sunt, Invictissime Cæsar, quæ nimium perfunctoriè consignavimus, non quod longe „ plurima Templa, Parochiæ, Scholæ & his simi- „ lia accessoria, denominari nequeant, verùm, „ ne tot occupatorum enumeratione Majestati „ Sacratissimæ molesti simus, ea spe nempe freti, quod ubi res nostræ ad sacri diplomatis articulariter adinveniendo modo administrandam complanationem pervenerit, non sit futurum difficile, universa occupata & adempta, in singulis Comitatibus, Civitatibus, Oppidis, Pagis, Confiniis & in Fisci bonis nominare, imo & ad oculum demonstrare, cum Filialibus & quibuslibet appertinentiis.

Porrò clementer nosse dignetur Majestas Sacratissima in plerisque locis frustra prostare Templa, vel enim apud Catholicos, supra necessitatem sunt, vel Ecclesia integra ex Evangelicis constante, aut alicubi paucis tantum Catholicis existentibus, non sunt, qui ea frequententur: Pleraq; deserta & desolata, neutrius partis usui deserviunt non nostro, quia non permittuntur: non eorum, quia sunt superflua. Habent item plurima Templa, Parochiæ, Scholæ, & id genus alia, quæ recentissimè ab Evangelicis exstructæ & ædificatæ sunt, sicut & Proventus novissimè ordinati: Hic comprehenduntur Decimæ & quartæ Decimales, vel ad Evangelicos Ministros immediate, vel verò ad ipsas Civitates, Oppida, & Pagos spectantes, ut & alii reditus, Pia item Legata, contra sensum Art. 11. Anni 1647. in profanos usus conversa.

Quæ quidem tam prævio modo consignata, quam quæ consignari omissa sunt, aut certè in novissima Diæta Soproniensi uberius nominatim deducta; ac Majestati Sacratissimæ exhibita, partim ante Diætam Soproniensem, partim paulò post quædam solum ante hæc Comitia, quædam publicata; imo & stante Diæta à nobis sunt ablata.

Quæ omnia tanto nobis acerbiori animi sensu accidunt, quod quidam ex Dominis Catholicis non jure, non ordinaria authoritate, non secundum Diploma faciunt, sed pro lubitu suo ac licentiosè in nos, Ministros, Rectores, Nobiles, Cives, Milites Metallicos, Opifices, Rusticos & quosvis Evangelicos, contra sensum Articuli 14. Anni 1647. abutantur, omnibus his similibusque excessibus & actibus Potentiariis ut plurimum Majestati Sacratissimæ augustissimum nomen prætexendo, nobis tamen hoc neutiquam credentibus.

„ Ad extremum denique Evangelici, vel „ ad officia Publica & dignitates, quæ in Comi- „ tatibus, qua Civitatibus, qua Oppidis Privi- „ legiatis non admittuntur pari privatâ aliqua „ consideratione, à Diætalibus, aliisque Able- „ gationibus & functionibus, imo Cehis quoq; „ solo Religionis respectu arcentur contra te- „ norem Articulorum 9. 10. usque ad Articulum „ 13. ante coronationem Anni 1608. & Art. 44. „ A. 1609. Nihilominus omnibus etiam exqui- „ fitis mediis, ad solvendū Cath. Plebanis contra

mentem Articulorum 11. & 12. de stolaribus quoque Proventibus sonantium Anni 1647. compellantur.

Clementiam igitur Majestatis Sacratissimæ humillimis obtestamur precibus, quatenus circa præmissa, etiam juxta antecedentium supplicium libellorum nostrorum submisissimam instantiam, Majestas Sacratissima in ordine ad occupata & adempta sese non min⁹ benignè quam diplomatice resolvere, ac nihilominus, cum omni eidemque Majestati & benignitati ex æquo cum aliis Regnicolis fideliter serviamus, & propterea æquitati Cæsareo-Regiæ, ut eosdem gratiæ fructus percipiamus, conveniret, securitatem de futuro nobis Religionis nostræ clementer impertiri, in integrumque occupatorum & ablatorum restitutis, intra viscera Regni & Comitatuum, Præsidiorum, & confiniorũ, intraq; mœnia Civitatum, Oppida & Pagos, ipsum quoq; Rel. nostræ Exercitium conservare & manutenere, præscitatas ad hæc leges, ut & Articulum 1. Anni 1608. ante coronationem editum, benignè confirmare non dedignetur.

Quam nos quidem Clementiam Cæsareo-Regiam, illibata incontaminatæ fidelitatis ac obedientiæ sedulitate, quævis etiam pericula contemnendo demissè recognoscere, omni tempore & occasione adnitemur. Clemens præstolantes responsum.

Ejusdem Majestatis Sacratissimæ

Humillimi perpetuo fideles Subditi.

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

N. 4.

Memoriale Evangelicorum Regni Statuum quo ad expositas Sacratissimæ Cæsareæ Majestati in puncto Religionis querelas Clementissimum Responsum instantissime expetunt. Præsentatum die 9. Januar. 1688. per dictum 5. Stephan. Szerdahely porrectum.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

DUm à Die vigesima sexta Decembris Anni 1687, qua Majestatis Vestræ Sacratissimæ ad ea, quæ quarta & septima ejusdem Mensis diebus erant præsentata Gravamina Regni, clementer missa Resolutio perlecta fuisset, nec quidquam penitus in negotio Religionis nostræ responderi comperissemus, ad initium usque hujus novi Anni, quasi attonitis pependimus animis.

Sed cum in publicam sessionem, die ultima elapsi anni celebratam, de residuis Gravaminibus sonans Majestatis Vestræ Sacratissimæ benigna Regia Resolutio illata esset, nonnihil dejectos & quasi ab inani expectatione antea suspensos animos mirum quantum erexit.

Quippe Paternam & pientissimam Majestatis Vestræ Sacratissimæ pro Regii sui muneris exigentia, curam & solicitudinem vel ex eo humillimè satis tamen abundanter perspeximus, quod demissa nostra Memorialia, ibidemque comprehensa Gravamina & instantias, nec non ex opposito, ne fors directam Venerabilis Cleri prætensam quondam Replicam eo præcisè fine ad Inclytos Status & Ordines benigne dirigi voluit, ut iisdem ab utrinque auditis, majori cum fundamento, huic tam magni momenti negotio, juxta publicæ quietis exigentiam provideri possit, qua vel unica ratione, humillimas agimus & æternas habebimus Majestati Vestræ Sacratissimæ gratias.

Et licet ex publica prælectione prævio modo declaratæ benignè Majestatis Vestræ Sacatissimæ Resolutionis eam fuisse clementem ejus mentem ut inter reliquos Status & Ordines nobiscum quoque communicata fuisset prælibata Venerabilis Cleri prætensa Replica, cognoverimus, tamen quia publica ad Regnicolas à Proceribus ex more instituta Legatione perceperamus, Majestatem Vestram Sacratissimam, certam suam Resolutionem, nostrum negotium concernentem ad Celsissimum Principem Regni Hungariæ Palatinum direxisse eo respectu eadem ipsa die memoratum Dominum Regni Hungariæ Palatinum avidè & demissè compellavimus, sua nihilominus Celsitudo Palatinalis, nihil aliud quam missas esse equidem ad se mentionatas demissas supplicationes nostras, imo certam quoq; Replicam à V. Clero è converso adornatam, ita nimirum, ne nos non minore fidelitate quam illi præditi sunt erga supremam Majestatem obligatos subditos, Majestas Vestra Sacratissima in Regno, Patria nostra charissima (cujus nosmet non spurios Cives, neque à Majestate Vestra Sacratissima aliquo flagitio devios subditos agnoscimus) Patriaque persuadentem, verùm in quem finem illa ad se missa forent, à Majestate Vestra Sacratissima, nihil penitus sibi specialiter esse commissum respondit.

Hoc Palatinali responso, vicissim merito perturbati sumus, non quod Venerbilem Clerum antea semper magis occultè, jam nunc apertè, hoc animo erga nos esse intellexerimus, sed quod Majestati Vestræ Sacratissimæ in demississimis Instantiis nostris Diplomaticè resolvendis, nec per Venerabilem Clerum in quæstionem sumendis, silentium præter morem diutius contineri, ex mora temporis animadverterimus.

Quippe nullius sceleris conscii, per quod illam ex affectu in Religionem nostram deprompptam sententiam meruerimus, eo minoris æstimamus Venerabilis Cleri prætensam Replicam quo certiores sumus, Majestatem Vestram Sacratissimam æquiore & benigniore animo, pro-

propensam, sinistre ne fors congestis accusationibus non audita præsertim altera parte fidem adhibere, aut ex unius sive Evangelici sive Catholici male contento animo, cæteros suos fideles æstimare non solere.

Quamvis autem laribus & libertatibus nostris Diplomaticis Legibusque superinde fundatis, ac non obstante Venerab. Cleri aliorumque contradictione, per Majestatem Vestram Sacratissimam etiam confirmatis inhærere nos oporteat, ceu quidem inhæremus, nec ad aliquas disputatorias contentiones, salva Religionis nostræ libertate condescendere necesse sit, tamen neutiquam Instantiæ nostræ diffidentes ad prætactam prætensam Venerab. Cleri Replicam reponere, non omnino intermisissemus.

Verùm quoniam nec publicè, nec ad partem ad iteratas quoque nostras postulationes nobiscum communicata fuerit, hoc benigno Majestatem Vestram Sacratissimam fore animo, ut pro nulla reputetur, humillimè confidimus, & cæteroquin demissè supplicantes, ne per quosdam quæsita temporis mora, prætiosissimo hoc diætali beneficio (cùm aliàs Majestatem V. Sacratiss. aliorum quoque Christianorum Imperiorum suorum imminentiumque Bellicorum apparatuum cura vel solicitudine distentam, præsenti Diætæ finem imponere quantocius clementes velle sciamus) nos excidere Majestas V. S. non patiatur. Autores Gravaminum nostrorum quod præteriverimus consulto id factum esse à nobis Majestas V. S. nosse dignetur, ea ratione ne irritamentis, quæ sæpe ex confessione veritatis oriuntur, ansam præberemus, charitatem etiam Christianam quæ proximi errata operire solet præ nobis ferentes.

Quod si tamen in sua prætensa Replica privatum negotium hanc libertatem nostram esse dicant, ad id tum alias multoties tum etiam in prioribus humillimis Memorialibus, anticipato respondimus. Si autem (ut solent jam ab antiquo) Religionem nostram à temporibus gloriosissimi illius Apostolici Regis S. Stephani Majestatis V. S. prædecessoris non manere & diplomata fortasse per vim extorta esse asserant, hic pientissime Monarcha ob magnitudinem & amplitudinem de vetustate & novitate Religionum, non nudis Lutheri vel Calvini nominibus, verum ipsiusmet sacræ scripturæ conformitatib⁹ & concordia deduci solitas rationes ad Theologos relegando, quatenus libertas Religionis nostræ in dulcem patriam nostram recepta est, & si in An. 1687. Prædecessores nostri Sopronii satis solite respondissent Memoriali illo, quod Majestas V. S. in forma Replicæ ad has & similes prætensas rationes adornatæ, demissè porrexerant, in illa inprimis periodo quæ incipit: Constaret siquidem proximè elapso seculo Religionem Evangelicam sola verbi DEI prædicatione &c. &c. tamen succinctè & brevissime hoc etiam adjicimus, quod Templa, parochias Scholas & Xenodochia, Proventus & alia accessoria non vi aut potentia (uti prætendunt) sed juris & Dominii successione legitima ad Ecclesias Evangelicas sponte & libere ipsam quoq; Religionem Evangelicam juxta Diplomaticam Libertatem amplectentes devoluta quin etiam diplomaticè & articulariter penes nos relicta, plurima porro per nos ipsos exstructa dotataque sunt, quemadmodum quidem hæc in memoratis prioribus supplicationibus nostris fusiuscule deducta sunt. Ad hæc quod si V. Clerus non minus sponte quam benigne concessa sacra Regia Diplomata, Pacta, & alias Regias immunitates solius respectu Religionis non servari debere persuaderet, sequeretur, nullam esse posse in Politica vivendi ratione securitatem, quælibet Pacta suspecta redderentur, Fides publica (quæ præcipuam in area pectoris Regii immotamque sedem habere solet, si alioquin exulet) ubique effectu destitueretur. Prætensæ item extorsioni sacrorum Diplomatum libertatum, & immunitatum de Religione nostra sonantium vel id solum repugnat, quod ipsemet Ven Clerus & alii Status Catholici in Politicarum aliarumque rerum materia iisdem æque ac nos ipsi utuntur & alias quidem prætensæ extorsionis allegatio Majestatis Vestr. Sac. gloriosorumque Antecessorum suorum Cæsareo-Regiæ authoritati non parum derogaret.

Præterea Clementissime Imperator in demissa Inclytorum Statuum & Ordinum per modum Replicæ facta supplicatione tenoribusque conceptæ juramenti formulæ & demisse postulati novi Diplomatis citra assensum & voluntatem nostram appositæ extarent voculæ Communibus & Communes & eadem quidem licet sano sinceroque sensu pariter nobis etiam fidelibus Majestatis V. Sacrat. subditis deservire deberent, quia tamen haud obscurè ulterioris quoque nostræ oppressionis fundamentum & quondam quasi radicem ponere intendere nonnullos Dominos Catholicos vel exinde luculentum esset, quod ad iteratas nostras Instantias ad eadem vocabula supervacanea amovere & expressam de Religione nostra conditionem superaddere neutiquam voluissent. Proinde ne quo pacto ob præsentem rerum conditionem Maj. V. S. gravissimis ex causis concupitam Diætalium negotiorum ad maturationem porro ad Majest. V. S. demissè recurrere non valeamus, hac ipsa occasione submisso animo supplicamus quatenus hanc quoq; ulteriorem ne fors exinde oriri queuntium discordiarum ambigui sensus & nos in futurum opprimere collimantem in iisdem voculis: Communibus & communes latentem materiam non modo clementer expungi facere, verum authoritate sua Regia expressam de negotio nostrae Religionis securitatem, juxta mentem Diplomatis Lynzensis in paragrapho: ad quod observandum &c. inserere benigne non dedignetur. Cùm igitur nihil nos Sacratissime Caesar, quod cum aequitatis ratione pugnet putamus, nihil novi induci cupiamus, sed quod tot Augusti Caesares & Reges tot sacris diplomatibus admiserunt tot legibus confirmarunt nihil quod ad Maj. V. S. perpetuam laudem ad Neo-Regis Domini Domini nostri Clementissimi decus & felix regimen spectet, supplicemus, nihil item & vel maximè quod in nominis Divini Gloriam aeternam promovendam nostram salutem non pertinet exoremus. Ideo non minore à nostra parte quam à Dn. Catholicorum fidelitate praesupposita, nulla justa ratio dari potest, quae nos à Sacro M. V. S. diplomate avellere patiatur. Cum & cæteroquin gratiæ Regiæ ea sit proprietas, ut in pariter fideles Regiaque servitia ex æquo sustinentes æquales fructus de se diffundat.

Ac proinde (siquidem & alioquin Articulis novissimæ Diætæ Sopronensis tanquam clarissimè cum genuino sensu sextæ conditionis Diplomaticè adversus etiam Dominos terrestres & in favorem Rusticorum quoque ubique & in Fisci Regii bonis existentium extensæ pugnantibus, tot tantaque Templa in quibusdam Comitatibus non nisi ad duo loca restringentibus, de ablatis it. tot Temp. Parochiis, scholis, proventibus, alisq; accessoriis innumeris in se penitus nihil amplectentibus à multis aliis ad nos & angustandos fomitibus non carentibus consentire Evangelici nequiverint: denuo humillimis devotisque precibus Majestatem Vestram Sacratissimam lacessere cogimur, quatenus jam tandem clementem suam Resolutionem Authoritate Regia privata quorundam Dominorum Catholicorum in Conscientias, quæ solius DEI omnipotentis arbitrio subsunt dominandi potestate rescissa ex pia paternaque in nos propensione juxta sacrum Diploma explanare hac universa ante & post Diætam Sopronienſem adempta Templa, Parochias, Scholas aliasque appertinentias & occupata restitui committere, eorundem ulteriores occupationes renovatione Articuli 14. Anni 1647. carere circa Libertatem exercitii de omnibus Comitatibus Civitatibus Regiis & Montanis Oppidis & Pagis, tenuioris conditionis, Nobilibus Rusticis Metallicis ubique & in Fisci etiam sui bonis existentibus Articulum I. ante Coronationem Anni 1608. Item 7. Anni 1647. ad Civitates Szakolcensem & Tyrnaviensem, adeoque opifices & Mechanicos, aliosque Evangelicos etiam alibi in Regno commorantes ad ceremoniarum observanda festa suæ Religioni contraria non cogendos dilatum.

Circa usum Campanarum & sepulturæ Articulum 19. ejusdem Anni 1647. circa officiorum Comitatensium & Civitatensium, aliorumque ut & Diætalium aut similium Ablegationum absque Religionis discrimine fiendam electionem in Cæsaream q; receptionem Articulum 44. Anni 1609. circa solutiones præterea per Evangelicos solis Evangelicis Ministris præstari debitarum nec non Decimarum quartarum, piorum Legatorum aliorumque quorumlibet Proventuum partim ad ipsas Ecclesias Evangelicas, partim ad Senatum civilem, partim verò ad ipsosmet Verbi Ministros immediate spectantium restitutionem Artic. 11. & 12. præcitati Anni 1647. benigne renovare, in illorum autem libero usu & possessione, quæ præ manibus nostris hactenus - - - erunt non saltem Clementer manutenere, verum etiamsi quæ diruta, reædificaremus, & quæ circumdata non sunt muro circumdaremus Regia authoritate sua protegere, neque extra Civitates, Oppida, Villas & alia loca confiniaria & Præsidiaria nos aut exstruendorum Templorum aut exercendæ Religionis causa ad loca inconvenientia squalida & incommoda relegari permittere, consequenter juxta easdem Leges, Ministros Rectores, aliasque Ecclesiasticas personas, docendis populis & erudiendæ Juventuti necessarias securas reddere, ac pro futura nostri securitate (de qua ab initio ut & supra humillimè supplicamus) in novum Diploma Toti Regno elargiendum inseri, simulque universa præmissa per quoslibet mediante etiam in hanc rem concipiendo Articulo observari facere non dedignetur.

Quam Majestatis vestræ Sacratissimæ Gratiam uti submississimis debitæ & in perpetuum devotæ fidelitatis nostræ obsequiis ita assiduis pro felici auspicatissimoque Majestatis Vestræ Sacratissimæ Imperio tam in Augustissima Persona sua quam serenissimi Domini Domini Neo-Regis nostri Clementissimi, dulcissimorumque suorum Hæredum in emolumentum totius Orbis Christiani ad omnia residua secula superstitem ad omnipotentem DEUM unicum Regalium soliorum firmatorem cordicitus fundendis precibus humillimè demereri nusquam & nunquam intermittemus exoptatissimam benignissimamque præstolantes resolutionem.

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ Evangelici.

N. 5.

Oratio ad Sacratissimam Cæsaream Majestatem cum præcedens exhiberetur Memoriale à Generoso Domino Stephano Szerdathely habita die 9. Jan. 1688. cum Responso Cæsareo de die 9. Jan. 1688.

Oratiuncula occasione præsentationis Memorialis præcedentis hujus Inclyti Status Evangelici, die 9. Jan. 1688. facta, coram Majestate Sacratissima per Generosum Dominum Stephan. Udvarhely habita.

Augustissime Imperator, Domine Domine Nobis naturaliter clementissime,

Humillima perpetuæ fidelitatis subjectione præmissa, felix diuturnum, gloriosissimumque Imperium Majestatis Vestræ Sacratiss. Status Regni

Regni Hungariæ Evangelici cum profunda sui submissione apprecatur. Et siquidem ex benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ circa negotium Religionis in ordine videlicet ad Punctum 93. facta resolutione, eam fuisse Majestatis Vestræ Sacratissimæ Paternam mentem & intentionem perspeximus, ut nimirum tam nostra quam contra eadem porrecta Venerabilis Cleri Gravamina cum Inclytis Statibus & Ordinibus interque eosdem nobiscum etiam fidelibus Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditis communicarent, pro ea Pientissima Majestatis Vestræ Sacratissimæ intentione, paternaque cura, immensas humillimè referimus gratias; Verum siquidem eadem Venerabilis Cleri Gravamina nec in publico, nec ad partem (qua de causa nos latet, nisi forsitan non satis sibi fida fuissent ad iteratas quoque instantias nostras nobiscum communicata non fuerint: Itaque Augustissime Cæsar ad eadem pro sui exigentia, in omnibus punctis reponere neutiquam potuimus, verum tamen quæ eorundem rationes nobis innotescere potuerunt, ad eadem humillimam nostram Replicam conscripsimus, quibus jam coram Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Persona, hæc quoque cum debita submissione superaddimus: quod nimirum quidcunque pro rationibus V. Clerus adferat, illa omnia Sacris Regni Diplomatibus cassata, ad quæ tamen vel si scripturarie respondere debeamus, unum Gamalielis exemplum Sacris in literis expressum, ad omnia illa evertenda sufficeret, qui Judæis, dum Apostolos extirpare, aut etiam morte afficere intenderent his verbis consuluit: Abstinete manus Vestras ab hominibus istis, quoniam si est ex hominibus opus istud, dissolvetur, si à DEO est, non potestis, inquit, dissolvere & videte, ne etiam cum DEO pugnare videamini. Si vero (uti quidam solent) Diplomata Sacra nobis, ut prætendunt, Hæreticis non esse servanda asserunt, aliud hoc quoque in casu in sacris literis contentum persuadet Gibbeonitarum exemplum, qui quamvis plus quam Hæretici, quoniam Gentiles extiterunt, tamen propter fœdus cum iisdem initum in eadem Terra Canaan: ex qua omnes Gentes delere DEUS injunxerat, à populo Israelitico conservati sunt.

Nec est quod afferant, uti quidam nobis objecerunt, vi extorta fuisse Diplomata cum hoc probari nunquam potest, sed si etiam admitti possit, videmus similem, si non majorem in præcitato exemplo casum, siquidem Gibbeonitæ, fœdus illud maximo astu fraudeque ab Israelitis extorserunt, tamen dum contra idem fœdus quadringentis post circiter Annis per Saulum Regem fuissent lacessiti, non solum in persona sua idem Rex propterea iram Divinam, verum post mortem etiam totus populus Israeliticus tempore jam Davidis Regis triennali propterea fame castigatus à DEO extitit, nec secus ira Divina complanari potuit, quam quod ut Sacra innuit Historia, septem Viri ex stirpe Saulis oriundi, iisdem Gibbeonitis in quibus illatam sibi injuriam vindicare possent, à Davide assignati fuissent.

Itaque Augustissime Imperator nos contra omnes Venerabilis Cleri rationes nosmetipsos Pientissimo Majestatis Vestræ Sacratissimæ Zelo, Paternæque Curæ submittimus per JESU CHRISTI VULNERA, per salutem animæ & si quid magis est Majestatis Vestræ Sacratissimæ supplicantes, quatenus nos (hoc lætitiæ tempore, quo dulcissimorum suorum hæredum stabile in regno totaque consequenter Christianitate Cæsar. Regiumque solium, imò quoque præsenti pariter aliorum M. V. S. fidelium subditorum communi desiderio promptitudine & applausu fundatum est) Spiritualis nostræ libertatis (qua nihil nobis dulcius est) securitate in futurum etiam destitui non patiatur: Verum in benignissime elargiendi Diplomatis serie specialem illam Clausulam, qua tam M. V.S. quàm Prædecessores sui Gloriosissimi nobis consultum esse voluerunt, dignatique sunt per expressum propter tollendam tot millium animarum de sui securitate desperationem inseri, ac moderna etiam gravamina nostra autoritate Sua Regia Diplomatice complanare cum reali & extensiva ademptorum à nobis restitutione clementissimè dignetur.

Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam perpetua submissa fidelitatis promptitudine humillime demereri nusquam & nunquam intermissuri sumus.

N. 15.

RESPONSUM.

Fidelium Augustanæ & Helveticæ confessioni addictorum Statuum & Ordinum recursum ad me veluti Regem suum factum intelligo, eorundem, ita & Cleri gravamina, eo quidem fine ad universos Status & Ordines direxeram, ut ibidem de iis juxta publicæ quietis exigentiam consuleretur, dum tamen communicata non esse intelligam, præsens scriptum diligenter ruminabo, considerabo & perlegam & quod ad communem justitiam, publicam tranquillitatem meumque servitium commodum & consentaneum fore videbitur resolvam, iisdem de reliquo uti & vobis omni Cæsar. Regiaque Gratia propensus manebo.

N. 6.

Status Hungariæ Ecclesiastici Romano-Catholici varia contra Evangelicos, judæos & Anabaptistas gravamina, ut & alia postulata tam ad suum, quam politicum ordinem spectantia S. C. M. tempore Diætæ Anno 1687. exhibita sunt, in quo Coronidis loco id etiam petitur ut P.P. Soc. JEsu publicis Regni tabulis inserantur, quos hodierno, in Hungaria tumultu, idem ipse Clerus & omnes Catholici, longè magis quàm Evangelici, vel è Regno exesse, vel pluribus possessionibus ablatis, multùm infirmiores esse oportere laborant. Quæ gravamina sero nimis cum Evangelicis, non nisi elabente Diætâ, fuere communicata, de quo præcedenti, & statim sequenti memorialibus Status Evangelici conquesti sunt. Et hinc factum, quod pleniùs non responderint tempore constricti.

N. 11.

Postulata & Gravamina in Patriis Regni Legibus fundata.

Ab universo Statu Ecclesiastico Regni Hungariæ Sacratissimæ Majestati humillimè præsentata.

Augustissime Imperator.

QUantoperè fidelis semper ac obsequens Augustissimæ Austriacæ Domui universus Ungariæ Ecclesiasticus Status fuerit, probè notum est Majestati Vestræ Sacratissimæ ac omnibus veterum Historiarum peritis, qui, uti primus quatuor in legales Regni Status legitimè censetur, ita eosdem inter primas sibi in debita erga legitimos Reges suos observantia vendicavit hactenus, & de facto vendicat.

Neque opus est præterita in Argumentum revocare tempora, quando vel hæc ipsa in præsenti decurrens Diæta feliciter Posoniens. locuples testis esse perspicitur. Vix enim salutaris & justa M. V. S. intentio certis in punctis proposita probis innotuerat, mox eandem unanimi conatu promovere statuimus expendentes nempe deliberatione maturâ, quæ & quanta novissimis hisce temporibus in Regno hoc Apostolico, pro Religione Apostolica, imò pro universa Christianitate, contra immanem Ottomannum M. V. S. Rex verè Apostolicus egerit, & post hac quoque plura agere perrectura sit; ac idcirco corde uno & ore, per Illustrissimum ac Reverendissimum Archi-Prælatum nostrum, tribus reliquis Statibus in exemplum ad mentem Majestatis Vestræ Sacratissimæ sententiam nostram palam ediximus.

1. Habuissemus equidem propè innumeras, easque justissimas æque ac gravissimas querelas, sive gravamina concinnanda videlicet ex Rebus perperam *per Acatholicos actis contra DEUM & Divos, contra Regem & Legem, contra Clerum & fidelem sanctæ Matris Ecclesiæ populum*, quæ tamen alto tantisper silentio premenda duximus, subverentes, ne fors eosdem in apertum proferentes obicem aut remoram aliquam salutaribus Majestatis Vestræ intentionibus poneremus. Verùm ubi ex ipso Excellentissimo Regni Hungariæ Palatino in exspectate planè intelligimus, quod „nonnulli Augustanæ & Helveticæ confessionis „Sectarii in persona & nomine suæ Farinæ Aca„tholicorum, coram dicto Domino Palatino „paucos ante Dies Articulis novissimæ Diætæ „Soproniensi Anni 1681. in negotio Religionis „confectis contradicere præsumpserint, eos„demque annullatos penitus esse voluerint, ac „super hac ipsa sua temeraria contradictione pu„blicum instrumentum literarium importune „expetierint, imò & præsumpserunt Gravami„na contra Catholicos Majestati Vestræ Sacratis„simæ præsentare, nos quoque ulterius, jam silere piaculum grande foret, vix ulla unquam pœnitudine expiandum. Et quamvis memoratis Articulis contenta, per injuriam temporum extorta „permissiva indulta dictæ confessionis utri„usque sequacibus re ipsa nulla fuerint, ob so„lennem contradictionem integri primi Status „Regni (quemadmodum & de facto exstat, Au„thenticum contradictionis exemplum à M. V. S. „subscriptum) cum ad validitatem singulorum „articulorum, universalem omnium quatuor Sta„tuum Regni consensum, antiquæ leges Patriæ „exigant, nihilominus tamen ut hac in parte per„missivæ voluntati M. V. S. intuitu, utique ma„jorum evitandorum malorum quæ prudenter „metui censebantur impetratæ, nos accommo„davimus magna animi cum reluctantiâ, & puta„ticia „Acatholicorum jura, tum in dicta Diæta „Soproniensi, tum in aliis omnibus ab articulo „3. hujus seculi (quibus semper solenniter pri„mus Status Cleri, & alii ex reliquis tribus Stati„bus Catholicis conscientiosè contradicebant) „taliter qualiter fundata, dissimulanter, in quantum salvâ conscientiâ sinebamur, sustinuimus, consensum tamen, in nullas ejusmodi permissiones Religioni Catholicæ præjudiciosas præbuimus unquam, uti neq; de facto præbemus, aut absq; gravi noxâ præbere possumus. Quod si etiam Clerus nullam adversus sæpè dictos Articulos novissimæ Diætæ Soproniensi contradictionem fecisset, illi tamen per ipsam Acatholicorum, tum ibidem, tum in Comitatibus quibusdam, tum recenter in præsentia Excell. Domini Palatini contradictionem factam annullati sunt, præsertim cum finita memorata Diæta cæteros Regnicolas ad præsentationem de more Articulorum Diætalium Suæ Majestatis Sacratissimæ faciendam comitari protervè renuerint. „His „accedit certum illud Principium, quod conditione non servata, neq; servari debeant, sive præmissa, sive permissa, quod sub tali conditione præmissa vel permissa fuere. Acatholici autem appositam Articulis sibi faventibus conditionem „nimirum ut quietè & pacificè vivant nullate„nus servaverunt, quin potius, millies ac millies „violarunt. Post finitam enim eam Diætam So„pronienſem inundante potestate Thôkôliana „majorem Regni partem, ante & sub obsidione „Viennensi, tam scelerata licentiâ in Religio„nem Catholicam debachati sunt, ut piæ & Chri„stianæ aures, vel audire exhorrescant, plurima „iis temporibus occuparunt & expilarunt templa, „pervetusto Catholicorum Zelo quondam exstru„cta, Parochos Catholicos, vel præjudiciosè ex„pulerunt suis è Parochiis, vel contumeliosè ca„ptivârunt, ac nonnisi prægrandi exsoluto lytro „dimiserunt. Religiosos varios, præsertim verò „Societatis JEsu Patres, de Ecclesia Hungarica „optimè meritos, gravissimis vexationibus & „arestationibus ita ut ex illis mortem o„bierint, afflixerunt, sacra templorum vasa & ap„paramenta Sacerdotalia dirupuerunt, profana„runt, pro equorum etiam tegumentis, sacris ab„utentes Casulis: Cruces & columnas Sacras Sacratissimæ Passionis Christi referentes, ad fines Urbium, pagorum aut oppidorum sitas, vel in toto vel in parte diruerunt: Altaria, Statusque Magnæ Ungariæ Dominæ ac aliorum sanctorum securibus infestarunt, mutilarunt, super carpones assarunt, cremarunt &c. genuinam plane antiquo-

quorum Iconoclastarum repræsentantes progeniem: mensas ipsas Sacrorum Altarium fœdissime (proh scelus) conspurcarunt neque aliquod sacrilegorum scelerum perpetrare omiserunt, Quorum omnium oculati testes usque modo supersunt, tum è secularium, tum Ecclesiasticorum ac Religiosorum hominum sorte & hæc multa remaneant? Aut reliqua scelera tam gravia patrantium intra Regni viscera foveantur? Convertat quis etiamnum perversam Regni Ungariæ faciem pientioris mentis suæ oculos, & à piis lacrymis sibi vix temperare poterit, si Zelum DEI suo in corde habuerit: manent etiam usque modo quamplurimis in locis desolata templa, sacra supellectilia spoliata, altaribus privata, Domus Parochiales dirutæ, vel semirutæ, proventus abalienati, Animarum oves Christi sanguine redemptæ, sine Pastoribus errantes, ac in viam damnationis miserimè deviantes, sunt perquam multi, *superiori præsertim in Ungaria, Comitatus, in quibus paucissimos, hoc id duos aut tres, quinque aut sex Parochos Catholicos, vix est reperire* & hos calamitosissimè vitam suam transigentes, utpote Pseudo-Pastoribus, stationes eorum & præbendas occupantibus, abligurientibus.

2. *Committere quidem dignata fuerat Majestas Vestra Sacratissima defuncto nuper judici Curiæ Nicolao Draskovith, aliisque, ut ad normam articulorum Diætæ Sopron. Religionem Catholicam reducerent, sed quam paucis in locis executio hujus commissionis facta sit, palam est omnibus in Acatholicorum Vicinia degentibus.*

3. Durum valdè & visu lamentabile est, Augustissime Imperator, quod passim per Diæceses Ungariæ practicari conspicimus ex infima sorte Nobilium sunt, qui rudissimos, & ad stivam magis aptos, quam erudiendis animabus idoneos suis in domibus conservent, Tabulas, ad quas cæco impetu, dum simplex confugit plebecula, non solum hujusmodi pseudo-Ministros, sed & eorundem intertentores miserabiles sustentat. *Parochos autem, quorum jurisdictioni subjacet, egregiè famere semique laceros incedere facit. Ex hoc & alia gravis animarum pervenit ruina, cum gravi pariter scandalo, quando nimirum ejusmodi rudissimi Ministelli conjuges inter, de quorum alterius partis obitu, nec dum sufficienter liquet, putaticia contrahi faciunt Matrimonia, exindeque numerosæ sceleratæ nascuntur Bigamiæ, quandoque etiam cum defectione à fide Catholica sociatæ.* Neque Politico, perniciosi mali carent periculo privata hujusmodi ad privatorum Domos Pseudo-Cultus divini gratia, conventicula. Quæ proinde Majestati Vestræ Sacratissimæ nequaquam ulterius sunt dissimulanda, quin potius quàm efficacissimum adhibendum remedium, ne tam gravis & copiosa ulterius serpat animarum ruina.

4. Displicet & illud perquam vehementer, in præsumptuose Acatholicorum, quàm *Lutheranæ tam Calvinianæ* Sectæ ausu, *quod passim*, quà ore, quà scripto *nomine Status, se vocitare præsumant, cum tamen juxta leges Patrias, non nisi quatuor legitimi Regni Status numerentur* (vid. Art. 1. post Coronationem Regiam Anni 1608.) *Prælatorum videlicet, Baronum, sive Magnatum, Nobilium, & liberarum Comitatum*, nullus igitur est, è quibuscunque Sectariis constandus Status, *quintus admittendus, quæ non solum in grave præjudicium Regni nostri Mariani, verùm etiam in Maiestatis Vestræ Sacratissimæ perquam grave detrimentum vergeret, si vel secundum dici, huiusmodi vocitatio Status, dissimularetur.* Nec nimis indigni sunt titulo *Evangelicorum*, utpote qui non juxta, sed contra Evangelium docentes & degentes Anti-Evangelici debeant nuncupari.

5. Neque alius tolerandus est, passim invalescens abusus, quod *in hospitalibus Civicis per Zelosos Catholicos olim fundatis pauperes hæretici postpositis Catholicis interteneantur*, ac si permixti sint, præ his foveantur à Præfectis hospitalium non rarò hæreticis positis, non obstante quod aptissimi pro hujusmodi Præfectura Cives Catholici habeantur.

6. Præjudiciosa quoque æternæ animarum saluti est praxis illa facilè cæteroquin tollibilis quod *Orphani sive pupilli utriusque sexus Parentibus Catholicis orbati tutelæ Acatholicorum quandoque committantur sique per eosdem in Hæresi in æternam damnationem educentur.*

7. His paucis ex innumeris aliis delectis circa Acatholicos Gravaminibus, quod alleviandorum, in Majestate Vestra Sacratissima spem certam ponimus, succedunt quædam *Schizmaticorum salutari cum sede Romana unioni unicè studemus*, sunt hi dispersi per Regnum Croatiæ, Sclavoniæ, Bosniæ, partes superioris Hungariæ & Vayvodas Daciæ, sive Transylvaniæ, alii Rutteni, Valachi, alii nuncupantur, & idiomate ferè Sclavonico utuntur. Hos omnes, quotquot per sacram unionem & gremium sanctæ Matris Ecclesiæ legitimè redeunt, dignetur Majestas Vestra Sacratissima Suam sub tutelam recipere, fovere, eorumque, Græci ritus Sacerdotes libertate & immunitate Parochorum Romanorum Catholicorum gaudere, clementer faciat, ne velut abjectæ sortis Coloni ad operas Dominis terrestribus præstandas contra decentiam ordinis Sacerdotes impellantur.

8. Post Schizmaticos perfidæ quoque Judæorum Sectæ meminisse debemus, hæc enim nimium quantum certis in locis ac Dominiis Hungariæ ditescere volentibus neque tamen valentibus invalescit, tamque familiaris redditur viris Christianis, ut jam promiscuè Judæi addicant sese Christianorum servitiis, & vicissim, ex qua mutua nimia correspondentia quæ & quanta contra DEUM emergunt peccata, assequetur facilè Majestas Vestra Sacratissima, si exempla Viennensium olim Judæorum in mentem revocaverit. Remedium proinde tantis malis severam eorundem è Regno proscriptionem suspiramus.

9. Occurrit hic & perniciosa Anabaptistarum Secta, quæ cum plurimis Christianis Opificibus subtrahat vitæ sustentandæ emolumenta, & baptismum erroneè administratum, sicque ipsam teneram ætatem visione æterna DEI privari faciat, satius foret, ut penitus è Regno emandarentur.

10. Subnectimus miscellaneas quasdam difficultates Catholicorum nonnullorum quoque personas concernentes, quarum levamen à Majestate Vestra Sacratissima nobis pollicemur, & primum quidem, authoritas sedis sive fori spiritua-

tualis, nimium quantum quandoque impetitur, & labefactatur, dum vel causæ, ad illud spectantes, ad forum seculare perniciosè trahuntur, vel in illo decisæ, à diversis sive malevolis, sive rerum ignaris taxantur, damnantur, præscinduntur, & non absque manifestis calumniis atque contumeliis traducuntur. Sunt qui decimarum jure Divino statutarum decisionem ab hoc foro abstrahere nituntur quod tamen etiam cum detrimento proventuum Cameræ Regiæ accideret, cum enim Cameræ quotannis plurimæ decimæ arendari soleant, si per judicium Ecclesiasticum ad integrè exsolvendas compellantur, qui obligantur numerum modernum & quantitatem excedent, adeoquè emolumentum uberius adferent.

11. Gravi nobis dolori est, quod postquam præterlapsis temporibus variis exquisitis Titulis *à Statu Ecclesiastico abstracta sunt munia quædam publica* & honorata ejusdem membris idoneis olim conferri solita, *qualia sunt Præsidis Cameræ, sivè Thesaurarii Regni, locum tenentis Regii, Comitis supremi, &c.* jam de præsenti quorundam ingenium *satagat, ipsum quoque officium Cancellarii sub titulo justitiæ melius administrandæ, à Personis Ecclesiasticis abstrahere vel saltem Vice Cancellario secularem, in præjudicium Cancellarii constituere*, quo casu non leve Religioni Catholicæ & Rei Politicæ eveniret detrimentum, reflectantur oculi super munia Regni quæ purè secularium ministerio exercentur, annon plures longè defectus, quàm in Cancellario Ecclesiastico (humana fors quandoque imbecillitate exerrante nullâ verò malitia) manifestè deprehendentur, anne ideo mox secularibus eripienda, & ad Ecclesiasticos ejusdem munia transferenda sunt, certo non absque gravi & salutari causa primi sancti Reges, prima Regni hujus officia per DEO dicatum Clerum exerceri volebant, quorum laudabilia vestigia, ut in aliis sectatur Vestra Majestas Sacratissima, ita hoc in puncto particularum post hac quoque sequi nequaquam desistet.

12. Non ignorat Majestas Vestra Sacratissima quantoperè diminuti sint ob bellicorum præsentium temporum injuriam proventus omnes Episcopales, ita ut non solùm non sint sufficientes ad Alumnos Clericos pernecessarios intertenendos; sed vix ipsis Episcopis suppetant ad sustentandam juxta Status sui rationem vitam. Unde per quam demisè supplicamus Majestati Vestræ Sacratissimæ, ne sinat per Cameras aut Fiscum Regium tum decimas, tum alios proventus ex bonis Episcopalibus in profanos usus converti, cum manifesta numerosarum pernicie animarum. Hac occasione occurrit intimandus Majestati Vestræ Sacratissimæ casus particularis Anno proximè præterito contingens cum Episcopo Varadien. in puncto decimarum, qui graviter sanè & injuriosè damnificatus justam satisfactionem ritè exigit, quam etiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ favore, uti speramus, obtinebit.

13. Illud quoque in Camera & Fisco Regio efficaciter emendari cuperemus, ne post abitum Ecclesiasticorum eorundem substantiam ac bona vix ullo habito spiritualis emolumento respectu, variè distrahant, aut exhauriant, aut planè oppignorent à successoribus postmodum gravi cum onere redimenda, propter quæ etiam summe expediret, ut Beneficia vacantia, qualia de facto Episcopatus Zchinensis juxta sacrorum Canonum Statuta quantocius personis idoneis à Sua Majestate Sacratissima benigne conferentur, hacque ratione veterior occasio Bona Ecclesiastica damnificandi subtrahatur.

14. Placet etiam Majestati Vestræ Sacratissimæ summam annuam sex millium florenorum, juxta sanctam intentionem pientissimi Cæsaris FERDINANDI III. Ungariæ Regis, pro pauperibus Parochis à Camera Posoniensi quotannis pendendam, ita mediante Sua Celsitudine Archi-Episcopali in omnes Hungariæ Diæceses dispertiri facere, ut pro magnitudine & necessitate eorundem proportionem fiat divisio, in Parochos egentissimos: neque sinat in ullos alios usus prædictam summam, quocunque sub titulo converti. Nam cœteroquin extincto pœnitus, aut valde modico superstite proventu stolari aliove Parochorum ob desolationem populi impossibile est plurimis in locis posse eosdem subsistere.

15. Spirituali & illud nostræ incumbit Curæ, ut vigilantem impendamus operam, ne gravissimum usurarum scelus invalescat. Rogatur proinde Majestatis Vestra Sacratissima velit opportunum tanto malo opponere remedium, inhibendo videlicet, ne ullus post hac præsumat amplius, quàm ad summam sex per centum accipere, & si quas secus facere attentaverit, eo ipso talis usurarius totam summam capitalem amittat, in ruinatorum templorum instaurationem, aut egenorum sublevationem, utiliter convertenda. Est & aliud vitium (fors quidem Materiale in aliquibus casibus) in Magistratibus Politicis necessariò corrigendum, qui nimirum proba Bab. ei, in aquis communiter à Doctoribus prohibita, utuntur, ad sagarum & Magorum sortem dignoscendum. Ex quo sæpe contingit, ut innocentes pernocentibus mortem gravissimam subire cogantur, quemadmodum in Historicis videre est.

16. Gravis est nonnullorum Dominorum Terrestrium excessus qui sub titulo juris Patronatus in Bona Parochorum ab intestato (imò quandoque etiam prævio testamento) decedentium mox involant, eademque pro lubitu distrahunt, gravius delinquunt & illi, quæ contra Jura etiam Patriæ miseros plebanos (quandoque fors exerrantes) per judices seculares de Bonis ac fundis Ecclesiasticis mulctare præsumunt: quo in genere veniam petimus fusius explicandi mentem nostram, sive oretenus, sive scriptotenus coram Regia Majestate communi observata distinctione, inter Parochum & Parochiam.

17. Meminerit quoque Majestas Vestra Sacratissima supra memoratarum per omnes fere Ungariæ Ecclesias calamitatum & desolationum, ita ut in plerisque apparamenta sacerdotalia, vasa sacra, Altaria Portatilia &c. desiderentur, ex qua carentia similium, populus quoque divinis carere Ministeriis, & vix non pecunia vivere cogitur. Ad hæc igitur avertenda, pernecessarium videtur, ut certa aliqua persona Ecclesiastica decorem domus DEI diligens à Majesta-

te

tæ Vestra Sacratissima constituatur, quam vigilante suo Zelo gravibus ejusmodi Ecclesiarum necessitatibus subvenire sciat, velit ac possit.

18. Optaremus & illud in quantum præsens belli Turcici circumstantia concedit, ut hæc Hungariæ Metropolis Posonium, ubi & sacra divorum & Regum Corona servatur & supremum Hungariae Cleri caput Archi Praesul Strigoniensis ordinariè versatur & Regia Camera Hungarica commoratur, imò, uti speramus & Majestas Vestra Sacratissima frequentius post hac residere dignabitur, ut inquam locus hic, si non penitus omnino publico Acatholico exercitio privetur, facta ejusdem translatione, ad aliud minus celebrem, praememoratisque circumstantiis carentem locum, ad minus tot Praedicantium numerus, animarum saluti perquam perniciosus, constringatur.

19. Neque oblivioni tradendum est, pientissimi Caesaris, ac Ungariae Regis FERDINANDI II. Diploma facultatem indulgens voluntate Testamentaria disponendum libere circa res mobiles, omnibusque Ecclesiasticis, quod tamen sæpè sæpius per duos sæculares, aut Cameram Regiam in effectu præpeditur. Placeat igitur Majestati Vestræ Sacratissimæ idem Diploma confirmare, & actualem ejusmodi praxim Authoritate Cæsarea Regiaque manutere.

20. In hoc quoque rem DEO gratissimam Majestas Vestra Sacratissima præstiterit, ubi ob immensas propè in bellum præsens expensas novas, DEO, Divisque erigere Ecclesias fundare beneficia, tum Ecclesiastica, tum Regularia, ne quod si munifica voluntate demandet, ut antequam olim fundata, recens verò recuperata Beneficia Ecclesiastica secularia, & regularia, rursus DEO dicatis personis reddantur, quemadmodum & Domus, tum Ecclesiasticorum, quàm Religiosorum sive Budæ, sive alibi ab antiquo eos concernentes, iisdem restituantur, aut aliis Religiosis conversionis animarum studiosis consignentur templa quoque piis & magnis expensis à fundatoribus Zelotis condam erecta, ne finantur in locis receptis, absque urgente necessitate dirui, aut in usum profanum converti, quæ omnia si Majestas Vestra Sacratissima in opus deducere dignabitur, majorem in terris à DEO benedictionem, in cœlis vero centuplum recipiet mercedem.

21. Pro Coronide demum humillimarum nostrarum instantiarum impensissimè, æque ac humillimè supplicamus, ut *Religiosissimos Patres Societatis JEsu, centum & triginta amplius annis, tot inter Acatholicos persecutiones & graves in promovenda Religione Catholica exantlatos labores de Ecclesia Hungarica optimè meritos, publicis tandem aliquando Regni Ungariæ, eidemque annexarum partium tabulis inscribi ac incorporari faciat*, sicque majorem iisdem animum adjiciat, juxta pium & sanctum institutum, majorem DEI gloriam & animorum salutem imposterum etiam promovendi. Id ex eo etiam congruum est fieri, *quæ jam olim Synodali Decreto solenni intra membra Cleri Hungariæ adsciti fuerint, utpote Clericorum Regularium, re & nomine, ab ipsa sede Apostolica approbato*, mox à sua origine prima gaudentes speramus novissimam hanc nostram instantiam coram Majestate Vestra Sacratissima, sincere expositam, optatum finem sortituram, ex eo vel maximè capite, quod notum perspectumque nobis sit Majestatem Vestram Sacratissimam *exemplo gloriosorum suorum sacra horum Religioni benevolam semper extitisse.*

Atque hæc pauca è plurimis delecta sunt, quæ Majestati Vestræ Sacratissimæ repræsentare conscientiâ dictante tenebamur, ut Authoritate Sua Regia & Apostolica pro Zelo suo, per universum Orbem Christianum novissimo saluberrimam in omnibus dignetur adhibere medelam, quatenus verus cultus veri DEI, cum incremento salvificæ Religionis Catholicæ indies majora sumat incrementa, hujus in mercedem piæ operæ novis de Cœlo contra omnes hostes Victoriis beabit DEUS Majestatem Vestram Sacratissimam. Quas dum uno affectu flagitante vovemus omnes, nos pariter totos quantos, obsequiis ejusdem humillimè devovemus.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Devotissimus & subjectissimus

Status Ecclesiasticus Regni Hungariae.

N. 7.

RElponsum Evangelicorum Regni Hungariæ Statuum ad Cleri Catholici querelas & gravamina serò ad diem 13. Jan. 1688. cum eodem Statu communicata S. C. M. medio Baronis Pauli Uyfalusy &, cujus supra mentio est, Pauli Okolicsany ac aliorum Ablegatorum, summam responsi, & præterea quæ verbotenus addenda videbantur, eodem Paulo Okolicsany supplici sermone explicante, humillimè porrectum & publicè die 16. Jan. perlectum erat. In quo varia temere imputata, negantur, conjecta, pro temporis presfique sui Status ratione, prudenti brevitate nonnisi perstringuntur, fidei Religionisque ratio summariè redditur, Articuli primævi, receptæ Religionis fundamenta, allegantur, &, si quæ Cleri contradictio fuit, in efficacem jussam esse, Decreto Regni ostenditur, insuper Evangelicis, tum alias, tum lege publicâ, Articulo 11. Anni 1647. Status nomen apprime competere, demonstratur: & tandem rationes octo afferuntur, cur Articuli Sopronienses de Anno 1681. subsistere non possint: pleniori responsione, etiam ob temporis angustias, intermissâ.

N. 12.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

JAm nunc demum *tarde, id est Die 13. Jan. Anni* 1688. Augustissime Imperator, assignata nobis

bis est copia, sive praetensae Replicae, sive praetensorum Gravaminum Vener. Cleri, non minus humilibus quam legalibus supplicationibus nostris oppositorum.

De quibus dum disserere incipimus non abs re existimamus, longanimi Majestatem V. Sacratissimam prǽditam esse clementiâ. Etenim si alia Documenta desint quoque vel hoc est argumento, quod à moderata indignatione Regia, temperet in eos, qui tot convitiis, tot scommatibus & Clericali sublimitate indignis probris, nos Regiæ Majestatis æque fideles subditos, præter Jus & æquum afficiunt, quando vix unam lineolam excogitatæ suæ sive Replicæ, sive Gravaminum, ignominiâ in nos conjectâ vacare sinunt.

„ Nempe Acatholicos, Sectarios, Temerarios, Protervos, Sceleratos, Debacchantes, Expilantes, Iconoclastas, Sacrilegos, Pseudo-Pastores, Pseudo-Ministros Miserabiles Intertentores, Rudissimos & ad Stivam aptos Ministellos, Hæreticos, contra Deum. contra Divos & contra Regem agentes, nomine Evangelicorum indignos Anti-Evangelicos, in via damnationis miserrimè deviantes, in congesta suæ sive Replicæ, sive Gravaminum prætensa serie, nos appellant.

Gravis hæc est injuria & contumelia, Invictissime Cæsar, sed tanto æquiori præsertim à nobis, ferenda animo quantô Ch. JESUS Dn. noster, tunc, dum nobis homines maledixerint, patientiores nos esse jubet, qui cum Cœli Terræque Dominus & simul Magister noster fuerit, tamen sæpissimè dehonestatus, patientissimè, tulit opprobria. Sic illum Dominum nostrum, Samaritanum, publicanum, Commessatorem, Peccatorem, Belzebubum, & id genus hominem, cum quo conversari indecorum esse duxerint, nuncupabant.

Quod concernit Ministrorum nostrorum sortem, eam fuisse abjectissimam, contemptam & vilipensam, etiam in Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, utrinque Historiæ Sacræ nempe & Prophanæ testantur.

Ut nihil mirum sit, si eosdem Ministros nostros per despectum? Ven. Clerus, ad Stivam, unde Elisæus Propheta ad munus hoc sanctum vocatus erat, ad viles Piscaturas, unde & Petrum hominem alioquin simplicem, Christus vocaverat, & sic consequenter damnatos esse velint! Ille quippe DEO mos est, ut eos assumat, ad hoc verbi sui Ministerium, qui cæteroquin apud homines in nullo habentur prætio.

Atque in hunc modum, de vituperiis, illis, quæ in personas nostras nimium præjudiciosè & sinistrè conscripta sunt, humillimè & patienter respondisse sufficit, ne aliis gravissimis solicitudinibus intentæ Majestati Vestræ Sacratissimæ ulli impedimento simus, non nescientes ex quali illa animo in nos manarint? benige intellexisse Majestatem Vestram Sacratissimam. Et consultius esse alias, quoque judicamus, ne uberiori licet justa responsione ad majora improperanda opprobria demus ansam, quando & præter hoc Charitatis Christianæ, cui studiosissimè incumbimus, non est ea indoles, ut proximum tam fœdè traducat.

Quod attinet Religionis Evangelicæ, cujus nomine indignos nos esse puncto quarto ajunt, Doctrinam, & illud eorum arbitrarium assertum, quo in viam damnationis ducere primo puncto arguimur, quanquam non ad contexendas disputationes, in præsentem Diætam Clementi Majestati Vestræ Sacratissimæ jussu venerimus, & jam præmisso quinto memoriali nostro de vetustate & novitate Religionis, ad limam Divinarum literarum unicè examinandis, decertandi, palæstram ad Theologos remiserimus, nec esset pro præsentiarum in Quæstione Essentia alterutrius Doctrinae, sed ejus profitendae Libertas, publicis Legibus & sacris Diplomatibus, bona fide & non (uti Venerabilis Clerus puncto primo dicit) dissimulatione, tempori accommodata sancitis & benignè concessis, admissa, tamen cum Majestas Vestra Sacratissima ex aequo utriusque nostrum supremus Magistratus est, ne quid maculaé, per taciturnitatem Religioni nostrae aspergatur, humillimè coram Majestate Vestra Sacratissima confitemur, neque Anti-Evangelicorum, neque in via damnationis deviantium ignominiam nobis quadrare, quorum & fidei & vitae Christianae & bonorum operum amussis, canon, sive immota Regula, unicè Evangelium est.

„ Quippe quemadmodum ad normam Scripturarum Sacrarum, juxta Athanasium, in Decreto Sancti Stephani Regis Apostolici loquentem, credimus in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, unitatemque in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneramur, hancque fidem ornandam esse bonis operibus docemus, absque quibus illam vanam, sive mortuam esse profitemur, ita pariter omnem animam subjectam esse Potestatibus Caesareis & Regiis, ut & nos ipsos Majestati Vestrae Sacratissimae subditos esse oportere idque juxta ipsarummet scripturarum sententiam, credimus nec quenquam in orbe Terrarum Majestate Vestra Sacratissima esse majorem agnoscimus, ipso omnipotente DEO in hunc modum de Principibus ajente: EGO DIXI VOS DII ESTIS.

„ Adeoque hinc apparet, quomodo simus contra DEUM, contra Regem, contraque Divos, injurii vel praetensae Blasphemi, ut quos veluti vitae sanctitate & bonorum operum integritate sanctos DEI viros imitandos esse asseveramus.

„ Ex qua Evangelii Confessione nostra sequuntur haec duo: Alterum, quod vel ipso Stephano Rege teste, eos, qui sic credunt, verè Evangelicos esse necesse sit. Alterum verò quòd Venerabilis Clerus illam infamiam & veritatem, de qua partim obliquè partim explicitè in suis septem punctis (quia plura non vidimus) pro beneplacito disserit, Evangelicae Religioni nostrae frustra imputet.

Cœterum Augustissime Rex, vel haec tam alioquin breviter dicta, perspicuo sunt Argumen-

mento, ea, quæ *Tököliana Potentiæ* ex adverso dantur, *Evangelicæ Religioni nostræ, per se pacificæ, Regum amantissimæ, ac omnem viventem animam illis (sive bonis, sive malis) perinde subjicienti & addicenti adscribi non posse.*

Et cæteroquin, quorsum illa Tököliana tempora, in scripto suo Venerabilis Clerus objecta esse voluit, cum & *generali Amnestiâ*, eadem in æternum sepulta, & in ipsummet Venerabilem Clerum dictam Amnestiam (ut patet ex communium Gravaminum hujus Diætæ serie) extensam esse, certum sit, satis constare nequit, ut adeò pateat hinc, Venerabilem Clerum non majore fiducia vendicare sibi posse, quam reliquos Regnicolas fidelitatem in exordio sui scripti arrogatam.

Illa porro rerum repentina confusio, tam subitaneis, iisque universalibus Regni tumultibus exorta, *non ad solos fideles Majestatis Vestræ Sacratissimæ Evangelicos subditos pertinuit, verum inundatio ejus* (vel exinde imprimis vim acquirens, quod exercitus Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ad resumendas vires, illam mox repressuras, non nihil tempori concesserit) *Dominos Catholicos æque in suam potestatem convolverat.* Sed hæc (ut demissè dictum est) in perpetuam oblivionem cum iverint, tanto minus ea nobis prætensa scelera, (si quæ DEUS ipse scit, per quem, cujusque Religionis homines perpetrata fuissent) obesse debent, quanto *Amnestia Venerabili Clero, quàm nobis, non magis prodesse potest.*

Quæ & tunc acta si ita intelligat Venerabilis Clerus, ut illorum consortes habeantur omnes isti, qui in illam generalem revolutionem rapti erant, utriusque nostrum, eadem hic quoque erat conditio, per benignam Amnistiam absorpta.

Porro jam pridem, *Imperante* Augusto *Cæsare Maximiliano*, Majestatis Vestræ Sacratissimæ Glorioso Prædecessore, universim *Artic. 3. Anni* 1569. *cautum erat, ex paucorum malevolo & pravo animo, omnes non esse æstimandos. Hinc, si quæ templa, citra bonitatem juris nostri, nobis vel Diplomatice vel legaliter attributi, ab ipso Venerabili Clero occupata tenemus, non detrectamus Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomaticam accommodationem, saltem Venerabilis Clerus, in hanc partem conditionem obligatus idem facere jubeatur. At verò Venerabilis reponit Clerus, jura nostra quia extorta, & illius contradictioni obnoxia propterea putatitia esse.*

Quandoque contra dixisse illum inficias ire, equidem non possumus, sed Clementissime Domine, iterum manifestum est, pluries conditas esse in negotio Religionis leges, quibus nemo contradixerit, imò eas communi omnium suffragio & consensu conclusas esse, Regum Diætales Præfationes, ante Articulos, in Testimonium Decretorum præmitti solitæ testantur.

Articuli in puncto Religionis qui non contradicente Clero Catholico stabiliti sunt:

Huc pertinet Art. 1. Ant. Coron. 1698. Art. 22. Anni 1625. Art. 33. Anni 1630. Art. 29. Anni 1635. Art. 1. Anni 1638. Art. 10. Anni 1649. Art. 18. Anni 1655. & Art. 1. Anni 1659. *Extra omnem suspicionem prætensæ extorsionis, vel contradictionem Venerabilis Cleri existentium.*

Sed & si nunquam intermisisset quoque Venerabilis Clerus hanc suam contradictionem, an propterea quod Rex, quod major populi pars, juxta antiquam Regni Legem, tit. 3. Part. 2. Decret. Tripart. unanimiter concludit, ratum non esset habendum? An propterea putatitia dicentur? An quæ Reges, ad populi potioris partis petitionem, Decretaliter concedunt, simulatæ fidei censenda veniunt? Absit à nobis, ut hac opionione Venerabilis Cleri Regum fidem, sive sinceritatem, quæ pactorum talis esse solet, labe suspitionis aspergendam esse vel cogitemus.

Catholici Cleri contradictio rejecta est per art. 5. Anno 1647. & inefficax jussa est

At vero de prætensa hac contradictione, Artic. etiam quinto *Anni* 1647. *cassatâ, prætensa item extorsione & aliis quibusdam rationibus M. V. S. ad præcedentia* memoralia nostra brevitatis ergò suppliciter provocamus.

Quod puncto tertio: *Bigamia damnandæ facinus* Religioni nostræ adstruitur, non minus *injuriosum* est, ac reliqua. Quæ si quando sicubique contigisset, quemadmodum pro perpetuo universali non erat arripiendum, ita minime id Religioni dandum, *cum nos ex Evangelii doctrina, extra fornicationis crimen, difficillimè imò vix divortia admittenda esse teneamus.* Recordandum erat hic contra utros, nostratesque, an Venerabilem Clerum, in his materiis, plures clamores nuper fuerint in Regno? Insuper si Venerabilem Clerum (ceu in puncto undecimo dicit) in illis arduis Regni officiis, quandoque imbecillitas humana excusare debet, quid jam esset reliquum, quod in tali, per inanimadvertentiam, sæpe testium juramento confirmatam, admisso Bigamiæ casu, nostros quoque Ministros excusari non permitteret?

Evangelici sunt Status Regni per expressum Art. 11. Anno 1647.

Mirum præterea est, Sacratissime Monarcha, *quod Venerabilis Clerus nomen Status nobis detrahi supplicet, quod jam hinc ab initio nobis haud immerito tam per Majestatem Vestram, Clementissimum Regem utriusque nostrum, quàm per alios beatæ reminiscentiæ Reges attributum est, sed & publica constitutione Artic. 11. Anni 1647. liberalissimè inditum.*

Quod absque multiplicatione Statuum & Ordinum Regni, ea sanè ratione competit nobis, qua Dominis Catholicis. Ex qua nuda Intitulatione nullum penitus Majestatis Vestræ Sacratissimæ, nullum ipsi Regno malum impendet, ceu V. Clero videtur.

Imò *si ad numerum Arithmeticum, nec non etiam qualitatem Populi, conditio Evangelicorum revocanda foret*, uti jam crebro demissè repræsentavimus, de facili *comperiretur Evangelicos longe plures, pro contestanda fidelitate fundere sanguinem, & adhuc militare Majestatis Vestræ Sacratissimæ longe numerosiores, quàm Catholicos. Jam si sortem Nobilitatis, sive à numero, sive à simili effusione sanguinis, metiamur* (uti quidem fieri debet, quippe splendor desidiosarum divitiarum, quæ non est forma veræ nobilitatis, à subditis possessarum, Regibus per se nihil prosunt, nisi simul vitam subditi, pro vita Regum immolent & devoveant) *mox eveniet, quod sors nostratium Nobilium, Majestati Vestræ Sacratissimæ subditorum, pro tam infima censeri non poterit, qualem V. Clerus esse puncto tertio putat.*

Quintum & sextum Venerabil. Cleri puncta, cum externam, sive Politicam quoque libertatem involvant & lædant, tanquam contra dictamen aliarum etiam positivarum legum addita, suapte natura nullius esse debent vigoris.

Templa Posoniensia Evangelicorum expensis exstructa.

Decimum verò Octavum Venerabil. Cleri postulatum (quippe cætera, quæ nobiscum communicata sunt, ad totum Regnum, non ad nos solos tantum spectant) cum sacro Diplomate, aliisque Regni Legibus, è diametro pugnat, cùm & alias præter jura suprà allegata, contra rationis dictamen est, quòd *Posoniensium Evangelicorum Templa, in fundo, per eosdem, proprio ære comparato, prægrandibus expensis, per ipsos Evangelicos extructa, intervenientibusque tot Regni Diætis, evanescentibusque, si quæ etiam prætensive intercessissent, à parte Dominorum Catholicorum taliter quibusvis contradictionibus, pacificè possessa*, adeoque sive ex similibus justis fundamentalibusq; rationibus, sive etiam ex mente communis Diplomaticæ libertatis, *ad ipsos Evangelicos solidè spectantia, viâ facti Venerabilis Clerus possideat, quæ restitui hic loci, quoque humiliter supplicamus.*

Quod attinet Sopronienses Diætæ Articulos, de his ex professo differendi materiam necdum habuimus, licet primis, quod dicitur labris, eosdem in prioribus memorialibus delibaverimus, *Nunc Majestas Vestra Sacratissima dignabitur dare bengnam veniam, quod ut de illis, à Venerabil. Clero adductis, in nostram Apologiam non nihil subnectemus. Præter id enim quod* (veluti jam antea commemoravimus) *iidem, extra assensum Status Evangelici, Actis illius conventus, inserti sunt, & quod non parum à Sacro Majestati Vestræ Sacratissimæ Diplomate recedere videantur hæ quoque sequentes rationes illis repugnant.*

„Prima quod sint quàm plurima loca, in „quibus vel nullus, vel duo saltem, aut tres, vel „longè paucissimi Catholici, Nobiles, Cives, „aut alii qualescunque Incolæ habentur, nihi„lominus tota Ecclesia ex Evangelicis constan„te, iidem vel Domestici, vel aliunde venien„tes, nonnulli Domini Catholici duo & tria „Templa, cum universis Accessoriis occupata, „possident. Unde evenit, quod Evangelicis, „talia Templa intrare, ac DEO servire non „permissis, plurima in vanum prostent, nulli „Sacrorum cultui deservientia. Hinc

„Secunda oritur ratio, quod cum Evange„lici similium locorum, non sint vilioris, quàm „illi paucissimi Catholici conditionis, æquita„tis, Regiæque Clementiæ, consequens est, ut „non obstantibus Articulis ejusdem novissimæ „Diætæ, debeamus nos, nempe Evangelici, „Diplomatico postliminii jure restitui, cui fir„miter inhæremus.

„Tertia: quod innumera propemodum „sint Templa Parochiæ & Scholæ, Gymnasia „Xenodochia & similia loca alia, Sacris Eccle„siasticisque usibus dedicata, quas & quæ Evan„gelici propriis & aliunde modo Elemosynario „congestis sumptibus, vel ab ipsis fundamentis, „vel etiam à ruderibus extruxerint, easdemque „& eadem pro tenuitate sua, vel dotaverint, „vel legatis aliisque modis locupletaverint, pro„ventibusque auxerint.

„Quarta: quod cum in Regni Comitati„bus, quàm plurima Templa, Gymnasia, Pa„rochiæ, Scholæ, Xenodochia, Capellæ, „Auditoria & similia aliaque accessoria, par„tim per Evangelicos (ut dictum) recentissimis „etiam temporibus ædificata, extructa, dotata „& locupletata, adempta habentur, per duo„rum saltem locorum Articularium institutio„nem, nulla fit proportionata, nedum Diplo„matice adæquata ablatorum & occupatorum „complanatio.

„Quinta: quod cum iidem quoque Articu„li, omnibus & ubique & Religionis exerci„tium liberum esse dicent, tamen varii varie eos„dem interpretantes, & pro suo arbitrio intelli„gentes, vel voculam Nobiles, non nisi ad „præcipuos referunt; vel propter Clausulam; „Salvo jure Dominorum Terrestrium, in Rusti„cos, contra etiam mentem Pacificationis Vi„ennensis, iisdem Articulis confirmatæ, pri„vata persequendi Authoritate abutuntur; vel „etiam ubique usum Religionis, & per Mini„stros fieri solitum exercitium non permit„tunt; quemadmodum hoc in plerisque Co„mitatibus, Civitatibus, Oppidis, villis & „aliis locis usu venit; vel denique Nobilibus „quidem exercitium permitti, verum ut Mi„nistrorum opera utantur fruantur, ex iis„dem Articulis non sequi dicunt; Vel item „Templa in illis pagis Articulariter nominatis „non intelligi, sed solummodo loca pro ædi„ficandis Templis designanda, innui, pro lubitu suo explicant.

„Sexta: Quod ipsi Domini Catholici, ab „illorum tenore & usu recesserint, cum non „tantum in locis Articularibus Templa aliaque „contra eorundem sensum, publicata, imò „& stante hac Diætâ, occupaverint, verum ipsum

„ipsum quoque exercitium, amotis Ministris, „aliisque Ecclesiasticis Personis expulsis, ex in„tegro prohibuerunt, & alicubi non nisi ad exi„tum hujus generalis Regni congregationis con„cesserint.

Septima, quod per hoc, etiam iidem „Do„mini Catholici abusi sint, vigore Articulorum „Sopronienfium, quod cum pro commoditate „Evangelicorum, loca ædificandis templis, „Scholis, Parochiis, & aliis necessariis residen„tiis, debuissent designari, quidam magis pro„priâ, quàm ordinariâ authoritate, exscide„rint & demonstraverint loca incommoda, re„mota, devia & extra mœnia Civitatum, ex„tra meditullium Oppidorum, Pagorum, Præ„sidiorum item & confiniorum existentia.

Octava: Quod siquidem *negotium nostrum, in fundamentali publica lege radicatum, ad populi plebisque si non majorem, tamen mediam partem facillimè pertinens, pro privato haberi nequeat*, nec minori fidelitatis & humilitatis devotione Majestatis Vestræ Sacratissimæ serviamus, in perpetuumque servire conemur, ideo ut eosdem, cum reliquis Regnicolis, de benignitate Majestatis Vestræ Sacratissimæ fructus percipiamus, Regiæ Clementiæ munifica virtus exigit, & Majestas Vestra Sacratissima non adversatur.

His ita benignè & exactè perpensis, neutiquam proterviæ (cujus in adverso scripto accusamur) vertet nobis Majestas Vestra Sacratissima, quod ablegati eo tum nostri simpliciter in eosdem consentire nequiverint.

Hæc sunt, Augustissime Cæsar, quæ non prurientis contentionis, sed depellendæ tam gravis ignominiæ causâ, bona conscientia expressit à nobis, supplicantibus, ob quinque Vulnera Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus admissis prioribus demissis supplicationibus nostris, ab his, similibusque injuriis, Regia Authoritate sua, nos vindicare non dedignetur.

N. 8.

Supplicatio Evangelicorum Regni Hungariæ Ordinum qua occulta quædam Catholicorum Statuum ad Religionis Evangelicæ in Croatia totalem exclusionem, nec non ejusdem in Hungaria quoque oppressionem & eversionem tendentia Consilia se detexisse, imprimis autem novam templorum ademptionem illos machinari queruntur. Per Baronem Laurentium Zai, cum aliis ablegatorum præsentata.

Sac. Cæs. Majestatis ad supplicationem præcedentem Responsum.

Ordines & Status Regni Hungariæ Evangelici instant, ut liberum Religionis suæ exercitium in eum redire possit Statum, quô tempore inaugurationis invictissimi Imperatoris Leopoldi fuerat.

Resolutio Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, qua Hungariæ Statibus atque ordinibus, & Cleri & Augustanæ Helveticæque Confessioni addictorum Gravamina communicari decernit.

Extractus Replicæ totius Regni ad præcedentium 93. Religionis punctum in modum supplicationis exhibitæ die 9. Januarii 1688. ubi præter Clerum Catholicum contradicentem reliqui ordines inhærent suæ instantiæ.

Sac. Cæs. Majestatis Resolutio, quâ conditos in Diæta Sopronienſi de Religionis Evangelicæ & Helveticæ exercitio Articulos confirmat ex gratia.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas,
Domine Domine naturaliter Clementissime.

Quando benignarum Majestatis Vestræ Sacratissimæ propositionum sensum & aliunde rerum Diætalium concupitam admaturationem altius consideravimus, eam esse clementem Majestatis Vestræ Sacratissimæ intentionem, demisse intelleximus, ne præsentium Comitiorum continuatio diutius prorogaretur; quô etiam respectu sub ipsum hujus Conventus initium, spontanea negotii Religionis nostræ dilatione (quod tamen omnium pretiosissimum æstimamus) ne resolutio à Statibus & Ordinibus Regni, ad Regias Propositiones desiderata, per nos retardata esse, vel cogitari potuisset, etiam ulterius, quàm æquum erat, siluimus.

Jam verò demissa Statuum & Ordinum Regni, non absque humili eoque prompto consensu nostro, ad propositiones Regias elaborata, & in ordinem redactâ Replica, cùm subinde renovaremus illam Instantiam nostram, ut videlicet confirmatio & conservatio libertatis nostræ Religiosæ, per Sacrum Diploma stabilitæ, & Gravaminum nostrorum Diplomatica accommodatio insereretur, non aliud efficere potuimus, quàm ut constanter intelligamus, quòd per nonnullorum Dominorum Catholicorum expressam resistentiam, aliorum autem ultroneam taciturnitatem, id unicè intendatur, quatenus nobis in brevitatem temporis Diætalis residui constrictis, neque nos turbatæ Religionis remedia & securitatem, opportuno sufficientique tempore à Majestate Vestra Sacratissima suppliciter urgere, neque Majestas Vestra Sacratissima benignè & commodè eadem dare, nobisque in futurum etiam clementer providere possit.

Imò verò Invictissime Cæsar, non ut prætactæ rei nostræ, jam hinc ab antiquo laudabiliter observatam insertionem obtinuissemus, verùm postquam Gravamina Inclyti Regni „Croatiæ legerentur in exterminium nostri, „studio insertum esse cognovimus, ut nimi„rum, in prædicto Regno, neque mansio„nem, neque bonorum possessionem stabilem „habere possint Evangelici; id quod tamen è „diametro cum benignarum Majestatis Vestræ „Sacratissimae propositionum, in universi li„bertatibus conservationem etiam nostri in„nuentium, clementi intentione pugnaret & „contrariaretur, neque hactenus unquam vel „in nuda mentione, nedum legali usu fue„rit.

Praeterea ex affectu in Religionem, adversus Evangelicos, eadem cum aliis Regnicolis praerogativa gaudentes, ejusmodi praejudiciosam sancire legem, grandis esset injuria: neque periculosa idem in Regnum Hungariae inducendi sequela careret.

Non deessent adhuc nonnulli, qui vetus illud, & à nostris jam „ dudum dilutum argu„ mentum subinde nobis objectarent, quasi hæc „ nostra libertas privata esset considerationis: „ Sed Clementissime Imperator, si res ex Diæ„ talibus antecedentium temporum Actis: si „ ex Legibus, quæ tranquillitatem & concor„ diam Regnicolarum hinc dependere innu„ unt; Si sacrum Diploma: si denique ingens „ populi plebisque Evangelicæ, etiam Majesta„ ti Vestræ Sacratissimæ cum continua sanguinis „ effusione militantis probe & exacte perpen„ datur, illicò apparebit, eandem minime pro „ privata haberi posse. Nam & in illis locis, in quibus templa, scholæ & his similia à nobis sunt adempta, plerumque accidit, ut tota Ecclesia, ex ipsis Evangelicis constante, duo tresve, aut supra hunc numerum, longe paucissimi Catholici, duo & plura templa nostra occupative, absque ullo usu & necessitate tenent & possident.

„ Accedit item Augustissime Domine, „ quod hoc ipso quoque Diætali tempore, ubi „ jam prius Memoriale nostrum Majestati Ve„ stræ Sacratissimæ submissa veneratione por„ rexissemus, quidam ex ipsis Dominis Catho„ licis, in Comitatibus Thuroziensi, Zempli„ niensi, & alibi templa & alia, quæ adhuc post „ DEUM, ex Majestatis Vestræ Sacratissimæ „ gratia præ manibus nostris remanserunt, „ revera adimere intendunt, imò fortasse, vel „ sub hujus supplicis libelli confectione, jam oc„ cupare attentarunt. Quæ res, ut & vel ma„ xime præinsinuato modo, nostri negotii Re„ ligiosi, inter reliqua Gravamina, antehac „ solita, jam nunc denegata insertio, quemad„ modum etiam præspecificati Articuli ex parte „ Regni Croatiæ condendi intentio, mirum „ quantum nos angit & animis pendentes red„ dit, ut nihil magis timeamus, quam quod „ Domini Catholici, nisi Majestatis Vestræ Sa„ cratissimæ Paterna & in nos solita propensio, „ ad levandos hoc moerore animos nostros „ Clementissime accesserit, & authoritate Re„ gia usa fuerit, non aliud sit nobis sperandum, „ quàm quædam hactenus arcanè se se exerens, „ jam postea per apertam, ex Auguralibus Ar„ ticulis Regni, Diplomaticæ libertatis nostræ „ omissionem, manifestè exoritura, oppres„ sionum & persecutionum materia: Cum ta„ men nos à Clementia Majestatis Vestrae Sa„ cratissimae latiora quaeque jam inde ab initio „ semper nobis constanter polliceamur.

His itaque permoti argumentis, Clementissime Rex, tam festinato, attamen nihil præter humilitatem & fidelitatem præse ferente recursu, ad Solium Majestatis Vestræ Sacratissimæ supplices vicissim pervolvimur, vel propter misericordiam DEI Majestatem Vestram Sacratissimam, obtestantes, perque felicia faustaque Neo-Regis nostri auspicia, exorantes: quatenus non modò antehac jam præmissa Supplicationis nostræ, tam quidem in „ ordine ad confirmationem „ conservationemque hujus Religiosæ libertatis, „ quàm complanationem injuriarum & restitu„ tionem ablatorum, sicut & alia, humillime se„ cundum sacri Diplomatis mentem postulatà, „ clementem desideratamque resolutionem ad„ maturae, verum etiam præspecificatum nunc „ occupandi templa, novum etiam & antehac „ insuetum, injuriosum præjudiciosumque Ar„ ticulum (in quem non consensimus neque im„ posterum consentire possumus) sanciendi „ propositum, Authoritate Sua Regia impedi„ re, inhibere atque rejicere, adeoque imprimis „ negotium hoc nostrum, in Seriem reliquorum „ Gravaminum, de more antiquitus observato, „ decretaliter inseri facere, consequenterque e„ jusdem Sacri Diplomatis & Regiæ authoritatis „ vigore, Diplomaticè resolvere, non dedignetur, ita ut futuris quoque temporibus, tuta securitate provisa sua Evangelicorum posteritas, perpetuis laudibus, Regiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ memoriam recolere valeat. Hanc nos benignitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ alacri, eaque fidelissima promptitudine demereri adnitemur, & simul ut Majestatis Vestræ Sacratissimæ, & Neo-Regis nostri diuturna sint Imperia, & illa quidem prosperrima, devotas ad DEUM fundemus preces? benignam optatamque præstolantes Resolutionem.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi perpetuoq; fideles subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Resolutio Majestatis Suæ Sacratissimae.

Quod mihi fideles Status & Ordines Augustanæ & Helveticæ confessionis, per vos demisse proponere voluerint, benigne intellexi, Memoriale quoque eorundem accepi. Cujus velut & jam prioris tenorem accurate inspicere, ac quemadmodum in aliis Regni hujus nostri negotiis, ea tantum quæ ad communem permansionem præsentem Statum & publicam salutem justa esse cognovero & judicavero, resolvere intendo, ita vestrarum quoque demissas instantias, cordi sumam, & ea quæ (uti dixi) pro justitia & æquitate deservire judicavero, decernam & resolvam.

De cœtero iisdem Principalibus Vestris, & vobis præsentibus, Dominus & Rex benignè propensus manebo.

Status Evangelici Gravamen.

Religionis negotium, à cujus complanatione unio & concordia Regnicolarum non mo-

modicè dependeret & secundum sacrum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diploma, omnibus & ubilibet Religiosi Exercitii usus esset concessus, Tranquillitatis & pacis inter Regnicolas retinendæ & stabiliendæ gratia, ut Majestas Vestra Sacratissima complanare non dedignetur ita ut ad eum Statum, in quo tempore felicis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Inaugurationis fuerat, redire possit, Status & Ordines Regni humillimè instant.

Resolutio Majestatis suæ Sacratissimæ ad publica totius Regni Gravamina & quidem in Ordine ad 93.

Internæ pacis & concordiæ servandæ ratio præcipua Regii muneris pars & cura est, quare ut & in hoc argumento Sacra Cæsarea & Regia Majestas optatum Dominis Statibus & Ordinibus effectum assequi valeat, iisdem Gravamina Cleri eorumque qui de numero Augustanæ & Helveticæ Confessionis sunt porrecta postulata communicari voluit, ut iisdem desuper auditis majori cum fundamento & firmitudine huic tam momentoso negotio juxta publicæ quietis exigentiam & Statuum desideria providere possit.

Extractus Replicæ totius Regni ad præcedentem 93. Resolutionis Punctum, in modum Supplicationis exhibitæ, die 9. Jan. 1688. ubi præter Clerum contradicentem reliqui ordines inhærent suæ instantiæ.

Hac in parte cum priori cautione factæ suæ instantiæ reliqui tres Status & Ordines inhærent, Clero nihilominus eidem contradicente.

Resolutio Majestatis suae Sacratissimae.

Quod Articulis Diætæ Soproniensis de Exercitio Religionis Augustanæ & Helveticæ Confessionis Statutum fuit, id, sua Majestas ex Gratia & clementia adhuc (non obstante quod iis Confessionibus addicti præmemoratis Articulis contradicendo eorum non se reddiderint participes, eoque minus nunc demum ad eosdem provocare possint) ratum habet. Clementissime cupiens ut quemadmodum dictis Articulis suum robur ac vigorem tribuere dignatur, ita abusus, si quos contra dictos Articulos ab una vel altera parte irrepsisse compertum fuerit tollantur.

N. 9.

Memoriale Evangelicorum Hungariæ Statuum & Ordinum, super Resolutione Cæsarea de Anno 1688. quod confirmatis articulis Diætæ Soproniensis de Anno 1681. si qui abusus contra eosdem irrepserunt, tolli debeant. Quam Resolutionem acceptant quidem, sed additis octo conditionibus, quibus Articulos Diætæ de A. 1681. in puncto Religionis explicari petunt. Quod suæ Majestati Cæsareo-Regiæ, per Paulum Okolicsany, Anno 1688. ad finem Diætæ præsentatum est.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine naturaliter Clementissime.

Quomodo Majestas Vestra Sacratissima in negotio Religionis nostræ Evangelicæ, per illud benignum Decretum, quod circa demissam Inclytorum Statuum & Ordinum Regni Replicam die 16. Januarii Anni irruentis 1688. publicè perlectum est, *sese dignata est resolvere, ea nempe ratione, ut confirmatis Articulis novissimae Diaetae Soproniensis, si qui abusus contra eosdem irrepserunt, tollerentur*, humillimè intelleximus.

Et licet non ex desiderio nostro, imo citra præconceptam de uberiori benignitate fiduciam, *ea nobis resolutio contingeret*, quando vel ipsi Soproniensis Articuli, in primitus celebranda Regni Diæta, tunc non complanatorum accommodationem assecuturos nos esse innuissent, tamen vel solo illo nomine, quantas mortalitas concipere potest, tantas Majestati Vestræ Sacratissimæ gratias demisse reponimus, *quod contra multorum minas, sacri sui Diplomatis non immemor, ita sese hac vice resolvere voluit, ut nihilominus largioris* (quæ etiam extra Diætales occasiones mederi solet & potest) *Clementiae spem non amputaverit.*

Quibus quidem Articulis Soproniensibus in negotio Religionis confectis, cur tunc ablegati nostri simpliciter annuere nequiverint, sexti demissi Memorialis nostri ex tenore, quod crassæ illius diffamationis (quam nobis Venerabilis Clerus scripto suo imputavit) depellendæ gra-

gratia Majestati Vestræ Sacratissimæ simul cum hoc supplici Libello humillimè præsentamus evidenter constat.

Jam verò Augustissime Imperator, siquidem Vestræ Majestatis Sacratissimæ clementi jussu, ob vigentis belli curas & indefinentes conatus moderna Diæta ad finem deproperet, & animadvertamus, cæteroquin etiam reliquum tempus Diætale ita jam stringi, ut priores instantiæ nostræ, ne hac quidem Diæta occasione, desideratæ complanationis remedium consequi possint, quasi in dubio hærentibus quid nobis facto opus sit? vix apparet.

Quemadmodum enim, nisi huic Majestatis Vestræ Sacratissimæ Resolutioni acquiescamus non defuturos esse, qui hoc nobis pertinaci contumaciæ sint daturi, novimus: Ita è converso si simpliciter ad illam accedamus, multum conscientias nostras lædemus, ea ratione vel maximè, quod à Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomate non nihil dimoveri ac arbitrarios abusus illos, in dicto sexto Memoriali nostro, uberius diductos, quos nonnulli Domini Catholici contra clarum sensum illorum Articulorum committunt, confirmare videbimur.

Hinc è duobus alterum nobis seligendum esse, quasi quædam impendés necessitas fortiter urget. Ac proinde invictissimè Rex coram Majestate Vestra Sacratissima tanquam Pio Clementi Justoque Rege nostro, ut & illi necessitati, quæ Majestatem Vestram Sacratissimam ad belli apparatus avocat, concedamus, & tamen benignum Diploma Conscientiasque nostras illæsas conservemus, attactos Soprounienses moderna etiam Resolutione clementer confirmatos, in defalcationem complanari & restitui petitorum acceptari à Nobis, humillimè declaramus;

„ Demissa tamen sequentia hæc postulata „ nostra, contra abusus concipiendo, confir„ matorio Articulo benigne addi suppliciter ex„ orantes, ut quoad usque juxta facultatem iis„ dem Articulis nobis concessam uberioris „ clementiæ Diplomaticas complanationes in „ futuris Diætis obtinebimus, fomenta abusuum „ utrinque tollantur.

Quos quidem abusus dum recenseamus, non absque ingenti animorum nostrorum sensu detegere cogimur Majest. Vestræ Sacratissimæ, quomodo perlecta Majestatis Vestræ Sacratissimæ in puncto Religionis nostræ benigna resolutione nonnulli Domini Catholici & imprimis Venerabilis Clerus contradixit, hacque prætensæ contradictionis ratione manifestè declaravit, quorsum intendat? nisi Regia Majestatis Vestræ Sacratissimæ authoritate ejusmodi contradictiones coerceantur, atque hic Venerabilis Clerus eam contradictionem ipse quoque prosequitur cujus nos accusat.

Istis præmissis jam humillimæ declarationis nostræ demissa Puncta, sequentis in forma supplicationis recensemus.

Primò: *Vt clausulam salvo Iure Dominorum Terrestrium, è corpore eorundem decerpere mortificareque, ac in Oppidis Mad, Tallya, Tarczal, Keresztur; In Comitatu Zempliniensi, ac alibi præsenti sub Diæta, per abusum ejusdem Clausulæ occupata & adempta reddi jubere Majestas Vestra Sacratissima velit.*

Secundò: *Siquidem ubique liber Exercitii usus conceditur, omnes Regni Comitatus & Mosoniensem, qui in illis Articulis præteritus est, & alios universos, civitates pariter singulas Regias & Montanas Tyrnaviensem etiam & Szakolczensem, Kœszegiensem item & Rustensem, prout & Sz: Gyorgiensem, Baziniensem & Legradiensem ac alios quosvis Pagos similiter & confinia in eodem Exercitio clementer manutenere dignetur.*

Tertiò: *Vt Ministri docendis populis & Rectores erudiendæ Iuventuti necessarii, innuentibus iisdem Articulis, absque quorum interventu liberum Exercitium intelligi nequit, non turbentur.*

Quartò: *Nobiles universi, in curiis suis Exercitium Ministeriale habentes, vel juxta illos Articulos habituri, aliunde venientes & venire volentes cujuscunq; conditionis homines liberè admittere possint, nec propterea admissi divexentur aut puniantur.*

Quinto: *Templa, Parochiæ, Scholæ, & reliqua, in locis Articulariter nominatis, Evangelicorum esse intelligantur, cum & alioquin publicis contributionibus aliisque oneribus ferendis impares pro erigendis novorum Templorum Parochiarum Scholarum & aliorum Accessoriorum ædificiis non sufficimus. Et in civitatibus superiorum partium veluti Cassoviæ Epperjesini, Bartphæ, Leuchoviæ Czibinii & Kesmarkii, aliisque locis Articularibus intra & non extra easdem Civitates, Oppida, Pagos, Præsidia & Confinia, Exercitium Ministeriale haud impeditum relinquatur, nec ad Loca indecora, inconvenientia, remota & devia relegetur.*

Sextò: *Siquidem iterum iisdem Articulis Sopronienfibus sublatus Reversalium mos & consuetudo invalescere cœpit, uti quidem in Oppido Comaromiensi & aliis quibusdam locis, extortæ sunt ejusmodi obligatoriæ ab Evangelicis, quod imposterum contra expressam mentem eorundem Articulorum Soproniensium,*

non

non sunt amplius introducturi suæ Religionis Ministros, quos cassari tanquam abusum humillimè supplicamus, ut talis illegalis mos inhibeatur.

Septimò: *Quæ hic complanari, ob brevitatem Diætæ non poterunt, instantia Evangelicorum, ad primitus futuram Diætam juxta eosdem Articulos rejiciantur complananda.*

Octavò: *Negotium Religionis in clementi Neo-Regis Diplomate contineatur assecuratum.*

Adnectimus Clementissime Domine, ad has submississimas tollendorum abusuum preces nostras, illud quoque, ut siquidem in quibusdam Comitatibus ex Majestatis Vestræ Sacratissimæ clementia, ita etiam ex Dispositione Con. Domini Comitis à Ra-
„ batha, Schemnizii, & fortasse in aliis
„ paucissimis Locis Templa, Parochiæ
„ Scholæ & alia accessoria præ manibus
„ nostris habentur in quibus quidem Ec-
„ clesiis vel nullus, vel unus ac alter Ca-
„ tholicorum existens, sed & in dicta Ci-
„ vitate Schemniziensi, potiora nostra
„ Templa D.Catholici (extra illa, quæ no-
„ strates habent) possident, ut scilicet hac
„ occasione in eorundem pacifica posses-
„ sione, benigne nos ulterius quoque con-
„ servare, ac his ita præmissis ac in articu-
„ lum deductis, quæ contra sensum Arti-
„ culorum Soproniensium è manibus
„ nostris adempta & perturbata sunt,
„ restituere & articulariter complanare,
„ hancq; benignam voluntatem suam & as-
„ sensum Inclytis Statibus & Ordinib9 cle-
„ menter & decretaliter transmittere non
„ dedignetur: Quandoquidem nisi juxta benignam Majestatis Vest. Sacr. Resolutionem ad tollendos suos abusus Regia Authoritas accesserit, in iisdem abusibus nos hærere opportebit.

Quam Majestatis V. Sacr. Cæsareo-Regiam Clementiam, non solum ardentissimis pro incolumitate Majestatis V. Sac. ejusdemque Augustissimæ Domus Austriacæ perennitate ad Deum fundendis precibus, verum etiam perpetua fidelitatis subjectione humillimè demereri omni studio adnitemur benigna Resolutione expectata Eidem Majestati Vestræ, Sacr. vitam longævam perennesque triumphos cum felicissimo & florenti Imperio demisissima precantes æternum manentes,

Ejusdem Majestatis Vestræ
Sacratissimæ

Humillimi perpetuoque fideles Subditi.

Status & Ordines Regni
Hungariæ Evangelici.

N. 10.

Declaratio Statuum & Ordinum Evangelicorum coram universis Regni Hungarici Statibus in Diæta Posoniensi Anni 1687. congregatis, in fine diætæ peracta; qua Soproniensses Articulos eatenus acceptant, quatenus cum Diplomate Cæsareo, ante Coronationem Anno 1655. emanato, coincidunt, non exclusa quoque spe extra diætalis Cæsareæ declarationis in Religionis Evangelicæ favorem faciendæ. Quæ declaratio & protestatio literis Regiis testimonialibus die 20. Januar. 1688. datis comprehenduntur.

VNiversi & singuli Status & Ordines Evangelici Regni Hungariæ pro præsenti generali conventu, ad Diem 18. Octobris Anni 1687. in hanc liberam & Regiam civitatem Posoniensem Regiâ Authoritate indicto congregati, in forma singularis declarationis publicè coram universis Statibus & Ordinibus Regni, in domo sessioneque regnicolarum ultimâ, id est, de 24. Januar. sequenti modo proposuerunt: Quomodo ipsi occasione præsentis Diætæ, ad mentem etiam in prædicta novissima diæta Soproniensi reservatæ, & ipsorum soproniensis Diætæ Articulorum, eò tum Statuum & Ordinum Regni Evangelicorum contradictionibus involutorum tenore, admissæ facultatis, non immemores paternæ erga se propensæ clementiæ & benignitatis Regiæ, habitâ sacri Diplomatis ratione, negotium suæ Religionis jam hinc à primis hujus Diætæ initiis publicè cum Regno, privatimque apud sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem jam tandem in priorem Statum Diplomaticum redigi, postliminioque occupata & adempta restitui solertissimè petiissent, ursissent, & indesinenter institissent.

Cujus quidem modernæ diætæ occasione, tametsi iidem Evangelici in eam spem, vel solis Diætæ Soproniensis Articulis eandem confirmantibus, assurrexissent, fore, ut nimium afflictæ Religionis suæ opportu-

nam

nam & plenariam medelam sint consecuturi; tamen quia ingruentibus arduis aliis curis, & sollicitudinibus Cæsaream Regiamque Majestatem suam ad apparatus bellicos advocantibus, rem non ultra perduci potuisse, quam ut confirmatis iisdem Sopronienſibus 25. 26. articulis, si qui hactenus irrepsissent abusus tollantur, intelligerent: ideò, ne per simplicem præcitatorum Articulorum cum Sacro Regio Diplomate non ex toto convenientium acceptationem à dicto sacro Diplomate recedere, perque hoc futuris etiam in Diætis complanationem sollicitandi sibi facultatem præcludere videantur, quemadmodum in speciali benignâ suæ Majestatis Sacratissimæ audientiâ, ita prædictâ quoque in sessione ultima coram universis Dominis Statibus & Ordinibus hujus Diætæ Articulum præmentionatæ Religionis confirmatorium, ut & Sopronienses Articulos in defalcationem seu diminutionem Gravaminum suorum Diætalium complanari petitorum acceptare, illisque tantundem consentire, quantum cum sacro Diplomate coincidere viderentur, sese declarassent; solennem hîc reiterantes facultatem per prææallegatos etiam Sopronienses articulos concessam, instantias suas, restantium item & non complanatorum Gravaminum complanationes in futuris quoq; diætis, imò, siquidem suæ Majestatis Sacratissimæ contra diætas quoque vulneribus medelas adhibere impossibile non est, etiam extra diætales conventus sollicitandi, urgendi, postulandique.

Super qua quidem eorundem Statuum & ordinum Evangelicorum declaratione literas nostras testimoniales futura pro cautela necessarias, sub sigillo nostro apud personalem, præsentiæ nostræ in judiciis locumtenentis, & Consiliarios habito, clementer concedendas esse duximus & extradandas, harum nostrarum literarum vigore & testimonio mediante. Datum in libera Regiaque Civitate nostra Posoniensi die XXVI. Januar. 1688.

FINIS.

BREVISSIMUM COMPENDIUM PRINCIPATUS TRANSYLVANICI HISTORIÆ

AB

Anno MDXXVI. usque ad Annum MDCCIII.

CUM

VARIIS

DOCUMENTIS

ET

DIPLOMATIBUS.



ANNO CHRISTI MDCCX.

Alius Autoris

BREVISSIMVM COMPENDIVM PRINCIPATVS TRANSYLVANICI HISTORIÆ

Ab

An. 1526. uſque ad An. 1703.

1526. ANno 1526. Ludovico II. Rege Hungariæ, per Turcam caſtris & vita exuto, Johannes de Zapolia, Comes Scepuſienſis, & eo tempore Vajvoda Tranſylvaniæ, per electionem quorundam partes ſuas ſecutorum Procerum Rex Hungariæ proclamatur & coronatur. Dein vero
1527. An. 1527. ab altera parte, Ferdinandus I. pro Rege vocatus creatur. Hic forti exercitu dictum Joannem de Zapolia ſequenti coronationis ejus anno, regno pellit. Sed Joannes Zapolya Turcarum Imperatoris patroci-
1529. nio implorato An. 1529. primo, &
1532. rurſus 1532. militem Turcicum in Hungariam ducit, & poſtquam armis res utrinque tentata fuiſſet, ambiguo eventu, paciſcitur Ferdinandus cum
1536. Johanne An. 1536. cui quoque titulum Regis cum uſurpatione Tranſylvaniæ, & poſſeſſarum Regni Hungariæ partium quoad viveret, permittit. Ita Tranſylvaniæ poſſeſſio diſtincta eſſe cœpit & continuare. Filius namque hujus Johannes II. (à quibusdam etiam Stephanus vocatus) ſimul atque Sacro fonte lavaretur, corona quoque regni Hungariæ per aliquos redimitus, à quibusdam traditur, An. 1541. edu- 1541.
catus iſte, per Georgium Martuniſium Monachum, per quem quidem mater ejus Regina Iſabella, Regis Poloniæ Sigismundi filia pollicitis inducta eſt, ut coronam Hungariæ ſimul cum Tranſylvania Ferdiuando I. redderet. Id quod fit An. 1550. iis conditioni- 1550.
bus: ut Regina centum millia Aureorum dotis nomine acciperet, filio Ducatus Opulienſis cederet, ex patrimonioque ad quadraginta arces, ſeu Dominia rehaberet, venturamque in Conjugem Ferdinandi filiam, dum ambo nubiles annos attigerint, expectaret. Decedens Tranſylvania Iſabella, dum in pollicitorum præſtatione mora fit, præſtolatur Caſſoviæ, ibique promiſ-

ſam dotem accipit, Caſſoviam Ferdi-
dinando tradit, & iter in Sileſiam in-
tendit, ſecundum aliquos; ſecundum
alios vero, dote promiſſa fruſtrata, in
Poloniam ad Regem ſe confert, illius-
que interceſſione obtinet Opulienſis
Ducatus poſſeſſionem. Sed ibi non
ultra menſem morata, quod Domi-
nium hoc, aliis obæratum magna ex
parte, adeoque reditibus valde priva-
tum comperiſſet, in Poloniam revertit.
Interea in Tranſylvania dictus Mona-
chus Georgius per Caſtaldum extin-
guitur. Ipſe Caſtaldus adminiſtratio-
ne Principatus alii commiſſa exit.
Tranſylvania defectionem molitur,
ferventeque Turcico bello, quod So-
lymanus, reducendæ etiam Iſabellæ
Reginæ, filiique ejus cauſa geſſiſſe vide-
ri voluit, dum Turca viribus ſuperior
1556. viſus An. 1556. Iſabella occaſione u-
tendum rata, ſimul cum filio annorum
16. Tranſylvaniam repetit, ubi recipi-
tur, & Ferdinandus Principatum amit-
1564. tit. Anno demum 1564. Maximilia-
no Johannes Zapolya II. negotium
faceſſit, & contra eum, copiis auxiliari-
bus Turcicis adjutus, vario quidem e-
ventu, ſed tam diu pugnat, quoad indu-
ciæ Ottennales cum Turca fiunt, ipſi-
que Johanni Tranſylvania hæreditario
jure ceditur, in caſu defectus ad Regem
Hungariæ reditura: ita tamen ut Regio
titulo abſtineret, Johannaque Cæſaris
ſoror ſæpius promiſſa ei in matrimo-
1565. nium cederet, An. 1565. Legatione ſo-
lenni hæc confirmatura, non conſum-
1571. mato vero tractatu rurſus An. 1571.
matrimonium dum ex Domo Auſtria-
ca urget, moritur ſine hærede, ſuccedit-
que ei in Principatu Stephanus Batho-
reus, eodem adhuc anno per Electio-
nem Statuum, ac Romanorum & Tur-
carum Imperatoris confirmationem,
ubi quidem ex parte Cæſaris tantum
Vajvodæ titulo inſignitus, libera nihilo-
minus & abſoluta Principatus directio-
ne & ſuperioritate relicta, qui demum
1576. 1576. in Regem Poloniæ eligitur, re-
gnante hoc in Polonia, defertur admi-
niſtratio Principatus fratri ejus Chri-
ſtophoro Bathoreo, & dum hic fatis
1581. cedit, An. 1581. Rudolphi II. tempore,
per electionem Statuum ſuccedit filius
ejus Sigiſmundus Princeps. Iſte,
1595. Clientela Turcæ ſpreta, An. 1595. cum
Rudolpho II. de Principatu Tranſyl-
vaniæ tractat, & obtinet eum, conſen-
tiente regno Hungariæ, in linea Maſcu-
lorum hæredum, perpetuum, certis an
no hoc factis, Hungariæque ejuſdem
anni Comitialibus Conſtitutionibus in-
ſertis hac de re Tractatibus, ubi præci-
puum vinculum fuit matrimonium ex
domo Auſtriaca, quod etiam ſucceſſe-
rat cum Caroli Archiducis filia. Hic
Princeps laudabilia quædam contra
Turcam gerit, mox tamen ſua ſponte
Principatus ceſſionem Cæſari propo-
nit, vitam in privato acturus, quem
Cæſar invitus audit, monetque ad deſi-
ſtendum ab immaturo propoſito, cu-
jus poſtea ſero forte ipſum pœnitere
poſſet. Imo dum ad recipiendum jam
Principatum Ablegatos mittit, denuo
dehortatur, ad perſeverandumque in
optime cœptis contra Turcam, monet;
inſiſtit tamen ille, & An. 1598. Princi- 1598.
patu decedit, eumque dicto Rudolpho
ſecundo tradit, promittenti ſibi pro-
pterea Ducatum Opulienſem cum
quinquaginta millium aureorum an-
nua penſione. Ubi notandum: Prin-
cipatum eo tempore multo amplio-
rem fuiſſe, per terminorum in ea, quæ
nunc à Turca partim poſſidentur, par-
tim ab eo recuperata, Hungariæque re-
applicata ſunt, extenſionem. Sed
Princeps natura ſua inconſtans & volu-
bilis, tum promiſſorum non præſtatio-
nem cauſatus, tum turbarũ in Tranſyl-
vania occaſionem nactus, Opulienſi
Ducatu, quem jam occupaverat, reli-
cto, mira celeritate in Tranſylvaniam
redit, ubi quidem aliquamdiu contra
Michaëlem Vaivodam & Georgium
Baſta arma convertit, poſtea tamen &
Turcæ, quem ante prœliis ac defectio-
ne irritaverat, & Rudolphi, cui Princi-
patum ceſſerat, metu conflictatus, in
Poloniam fugit, Tranſylvaniã in inex-
plicabilem ruinam præcipitat. Geor-
gius Baſta Tranſylvaniam adminiſtrat,
ſociumque Michaëlem Vajvodam pro-
pter ambitionem ſuſpectum è medio
tollit, An. 1600. Ipſe vero in admini- 1600.
ſtratione juſto durior & ſeverior. 1601. 1601.
defectionem aliquorum experitur,
quam in herba ſuffocat, totaque Tran-
ſylvania potitur. Sigiſmundum Ba-
thorium Profugum Cæſari reconciliat,
qui in Bohemia Pragæ ut beneficiarius
vitam finit. Sed Baſta mitius admini-
ſtrare Principatum neſcius, Tranſylva-
nos ad deſperationem redigit, extrudi-
turque Tranſylvania An. 1603. Cujus 1603.
inclinatis rebus Georgius Raduly Vaj-
voda ſubvenit, Baſtaque rurſus Tran-
ſylvaniam revertit, quam igne, ferro,
perſequitur, abſque diſcrimine ætatis
& ſexus, omnibusque, quibus poteſt,
exuit, devaſtat, uſque adeo ut adhuc
hodie ejus extet memoria, nam tanta
equorum & boum erat penuria, ut

Tran-

Transsylvania pecoribus alias abundans, in arando & trahendo, loco pecorum hominibus sit usa, ejusmodique bigæ, quæ hominibus trahuntur, hodie quoque Bastæ currus nominentur. Mi-
1604. seriam hanc An. 1604. excepit in vindictam dictorum insurrectio Stephani Botskai, qui armis in Hungariam mo-
1605. tis à Transsylvanis An. 1605. in Principem eligitur, & à Turca confirmatur, progrediturque in Hungaria auxilio Turcico, & quia Hungariæ magna pars ei adhæsit, & præcipue Acatholici: Urgendo ergo libertates sacras & profa-
1606. nas, sequenti An. 1606. cum Rudolpho II. paciscitur, Pacificationis Viennensis hoc anno editæ, inque Corpore Juris Hungarici comprehensæ, Articulorum tenore. Ubi titulus S. R. Imp. & Transsylvaniæ Principis, Partium Regni Hungariæ Domini & Siculorum Comitis, cum extensione Principatus usque ad Tibiscum, ac Successio in eo in linea masculina ei conceditur. Sub idem tempus Pax quoque per Rudolphum Secundum cum Turca Vicennalis facta, hoc confirmavit. In hac pacificatione datum est primo Acatholicis religionibus in Hungaria liberum exercitium, & in hanc Pacificationem observandam omnes Rudolphum secutos suos Reges, Matthiam II. Ferdinandum II. Ferdinandum III. & Leopoldum I. in conditionibus & Diplomatibus inaugurationis tempore datis, disposuerunt, obligarunt. Botskaius eo, quo paciscitur, anno fato eripitur
1607. An. 1607. Status Transsylvaniæ Pace præfata Turcica, & protectione Ottomanni freti, Sigismundum Ragotzium in Principem eligunt, qui tamen cedit
1608. Principatum Gabrieli Bathori A. 1608. Quem deinde Status quoque ad declinandum liberæ electionis præjudicium (prout hæc jam in legibus scriptis Transsylvaniæ continentur) eligunt, ea lege: ut cum sibi liberæ electionis jus, tam à Romanorum quam Turcarum Imperatore in præteritis disturbiis, sanguine & exiliis, quocunque tandem modo extorquere licuerit, eam ipse in perpetuum manuteneret, Principatum in alium quemvis, nullo modo & prætextu transferret liberum religionum, quæ erant Reformata, Lutherana, Catholica & Unitaria seu Antitrinitaria, exercitium permitteret, pace cum utroque Imperatore coleret, aliaque Legibus suis contenta, omnia observaret: Durat iste ad A. 1613. sed quia spei de se conceptæ minime facit satis, libidinibus aliisque in nobiles eorumque domos grassatus, per sicarios quosdam vita privatur. Sequitur hunc immediate per Statuum electionem Gabriel Bethlen, regitque Pacifice Principatum protectioni Ottomanni, quocum Matthias Rex An. 1616. inducias 1616.
vicennales fecerat, deditum, ad Annum usque 1619. quo non attentis induciis 1619.
Turcicis, Bohemicorum motuum occasione in Hungaria cum exercitu movet ubi defectione Procerum augetur, Cassoviam, Filekium, civitates montanas aliasque cum Posonio & corona regni capit, unde Jesuitas, quos motuum autores dicit, ejicit, eodemque anno Rex Hungariæ proclamatur; Sed sequenti 1621. in Transsylvaniam redu- 1621.
ci, Dampirii industria Posonium, Tyrnavia & alia eripiuntur, quibus motus rursus An. 1622. cum novis copiis de- 1622.
nuo in Hungariam venit, sed dum ancipiti eventu rem tentat, eodem anno cum Ferdinando II. Nicelsburgi paciscitur, coronam Hungariæ restituit, Pacificationem Viennensem Botskajanam pro Hungaria renovat, titulum S. R. I. & Transsylvaniæ Principis, Opuliæque & Ratiboriæ Ducatûs, pro personali contentatione obtinet, septemque integri Comitatus Hungariæ, Transsylvaniæ vicini, utpote: Zathmar, Zaboltz, Ugotia, Beregh, Zemplin, Borsod & Abavivariensis, simul cum civitate Cassovia jure dominii ad dies vitæ ei ceduntur certis conditionibus, Principatu Transsylvaniæ in statu quo relicto, quæ omnia An. 1622. regni Hungariæ constitutionibus Artic 29. & 30. continentur. Anno 1623. mense Se- 1623.
ptembri Gabriel Bethlen contracto exercitu, auxiliaribusque Turcæ & Tartari copiis, contra inducias cum iis factas, Hungariam iterum invadit, causamque belli dicit religionem: Silesiæ Ducatuum sibi cessorum ablationem, Jesuitarum reductionem, promissorum in Semproniensibus Comitiis non præstationem, Jægerndorffii & aliorum ex Silesia ejectionem; Sed paciscitur rursus cum Cæsare, renovatis præteriti anni pacificationis conditionibus, liberoque religionis exercitio in Hungaria stabilito: Neve imposterum Turcas contra Cæsarem concitaret, hoc tractatu cautum, cui vicissim auxilium necessitatis tempore contra Turcam promissum. Moritur iste An. 1629. Cu- 1629.
jus loco eligitur Georgius Ragotzi Primus in Successorem An. 1630. iis, 1630.
quibus Prædecessor suus, quoad liber-

tates Sacras, profanas, Principatuque in statu Electitio servando, neque in alium quempiam transferendo &c.
1644. conditionibus. Sed An. 1644. sollicitatus à Protestantibus Hungaris, qui in religionis negotio contra priora pacta turbabantur, Jesuitas in regnum intrasse dolebant, arma suscipit, contra Ferdinandum III. pergit, ac An. 1646.
1646. paciscitur, fitque ut ad instar Prædecessoris de Hungariæ Sacris & Prophanis libertatibus concluderet, quæ omnia in
1647. Diætæ regni Hungariæ A. 1647. Constitutionibus ab Articulo 5. ad 20. usque inclusive prolixe enumerantur, ubi præcipua sunt: Quod Protestantibus penes liberum religionis exercitium 90. templa restituuntur, Cassoviæ cultus Reformatæ Religionis restauratur, omnia denique Gravamina Regni Hungariæ per Diætam spatio trimestri, post finem tractatus hujus celebrandum, cum solita ab antiquo libertate tute comparendi & agendi complanari promittuntur, factorumque omnibus amnestia generalis datur. Ipsi vero Georgio Ragotzio pro contentatione personali ii septem Comitatus, qui Gabrieli Bethlen dati fuerunt, iis plane, quibus Antecessori huic suo conditionibus ad dies vitæ ceduntur, cum ea adhuc accessione: Ut quamdiu ex posteris Ragotzi forent Principes Transylvaniæ, eis arx Szathmar cum Bonis liberoque reluitionis abalienatorum Jure, relinqueretur. Moritur iste An.
1648. 1648. succeditque filius ejus Georgius Ragotzi secundus, qui adhuc in vita parentis, in successionem electus fuit, conditiones, quibus Status regi volebant, observaturus. Is, dum A. 1657.
1657. bant, observaturus. Is, dum A. 1657. infelici in Poloniam contra mentem Portæ Ottomannicæ expeditione bellica facta, amisso ibi nobilitatis & militiæ flore, ægre rediisset, Status Transylvaniæ ab irato Turca impulsi, Principem alium, Franciscum Rhedei eligunt. Fit tamen ea lege: Ut si dictus Ragotzi II. privatis suis impensis Portam Ottomannicam sibi reconciliaverit, liceat Statibus ad devotionem ejus redire, neo-electoque Principi impune renunciare. Id quod utriusque tam cedentis quam suscipientis Principatum placitu & stipulatione factum. Sed Ragotzium Paulo post cessionis pœnitere cœpit restitutionem à neo electo armis sollicitat, iste pacificus solium cedit. Iratus propterea Turca An. 1658. Ragotzium aggreditur, fugat, Satus urgente Turca Barcsaium eligunt, contra quem Ragotzius pro subsidio Leopoldum I. interpellat, cum Turca armis bis decertat, infelici tandem successu, dum posteriori prælio victus, ex vulnere accepto Varadini diem suum
obiit An. 1660. Unde Status Tran- 1660.
sylvaniæ Bona ejus in Transylvania privato jure tenta confiscant, partimque redemptioni captivorum ex Polonia & Tartaria (imputato infelici Principi illegalis & vetitæ expeditionis Polonicæ crimine) destinant, partim vero successores Principes bene meritis Proceribus, donanr. Hinc hodienum Ragotzianæ Domûs, in similia bona prætensio, quam Transylvani per violationem stipulatorum nullam esse volunt. Post mortem hujus, Generalis armorum ejus Præfectus Johannes Kemenii, milite ex partibus regni Hungariæ coadunato fretus, partem Transylvaniæ statuum ad se trahit, Barcsajum fide ei data, ad colloquium vocat, qui in itinere à militibus opprimitur. Ita electionem sui in Principem obtinet, quibus Prædecessores, conditionibus. Ut in Portæ Ottomannicæ devotione perseveraret, Principatum nemini cederet seu transferret &c. Sed conditione prima non attenta, subsidium militis Germani à Cæsare petit. Fitque hu-
jus intuitu, ut An. 1661. Turca copias 1661.
in Transylvaniam mitteret, Principem alium sibi devotum eligi juberet. Obsequendi necessitas jussa facere cogit, caditque sors suffragiis eorum, qui Turcæ adhærebant, qui pauca admodum & debilior pars Transylvaniæ erant, in Michaëlem Apaffi paulo ante ex captivitate Tartarica reducem. Sic alii hunc, alii illum auxilio Cæsaris, modico tamen stipatum sequuntur. Manutenet porro Turca Apaffium, & mittit co-
pias plures An. 1662. quæ simul atque 1662.
advenerunt, adversus Johannem Kemenii cum Fama, neq; adhibito Apaffio movent, imparatum obruunt, castrorum potiuntur. Ipse Johannes Kemenii in acie cadit, copiæ Cæsaris, amisso Principe recedunt, inque loca, quæ præsidiis Cæsareis insessa erant, Claudiopolim, Stamos-Ujvar, Bethlen, & alia redeunt, ibique annos perseverant, usque dum, excesis civibus, præ inopia Apaffio per conspirationem in Officiales loca tradunt, & Apaffi in principatu stabilitur. Interea qui Johannem Kemenii sequebantur, Optimates Transylvaniæ, Annis duobus tribusve in Hungaria devotioneque Cæsaris manent, & denique per Cæsarem à fide sibi

ſibi data abſoluti, ad ſua per gratiam
1681. Apaffi redeunt. An. 1681. vivente Mi-
chaële Principe Apaffio, filius ejus Mi-
chael per libera Statuum ſuffragia in
1684. ſucceſſorem eligitur An. 1684. à Porta
Ottomannica ſuis ſolennitatibus con-
firmatur, Diplomate Turcico Athna-
me dicto, gladioque & clava donatur
ad mentem Conſtitutionum Statuum,
in caſu mortis paternæ, non niſi Anno
ætatis vigeſimo, ad clavum Regiminis
ſeſſurus; tunc vero ad conditiones pa-
rentis juraturus: tenore quarum leges
libertatesque Sacras & Profanas illiba-
tas, Electionem Principatus liberam
porro quoque conſervaturum, Princi-
patumque in nullum translaturum pol-
liceri debebat. Interea arma Cæſa-
rea contra Turcam felici omine per-
1686. gunt. An. 1686. Legatio ab Apaffio
Principe & Statibus ad Cæſarem mit-
titur ſolennis. Ubi certis conditioni-
A. bus de ſecuritate Tranſylvaniæ & Prin-
cipatus tranſigitur, ut A. cujus tenore
puncto Septimo Michael Apaffi Actua-
lis Princeps in ſuo Principatu confir-
matur. Electio filii Junioris Apaffi
quoque rata habetur, poſt utriusque fa-
ta liberæ electionis poteſtate penes ſta-
tus relicta. Et dum hic circa permuta-
tionem inſtrumentorum mora necti-
1687. tur, An. 1687. Dux Lotharingiæ Ca-
rolus cum exercitu Cæſareo Tranſyl-
vaniam absque reſiſtentia Principis in-
trat, deque Hybernorum negotio nul-
lo labore prompta Principis & Sta-
B. tuum voluntate tranſigit, ut B. An.
1688. 1688. Venit Comes Antonius Caraf-
fa, hybernorum negotia denuo inſti-
tuit, ſimulque à Principe Apaffio &
BB. Statibus renunciationem Protectioni
Ottomannicæ ſcripto accipit, ut BB. u-
bi tamen Princeps & Status puncta cir-
ca religionum libertatem, circa Princi-
patûs Statum & Eventum pacis cum
Turca Cæſari præſentanda porrigunt,
BBB. ut BBB. Hyberna demum ſequenti-
bus quoque Annis continuantur, Prin-
cipatus dignitate intacta.
1690. An. 1690. Michaël Apaffi Prin-
ceps, ſtantibus Comitiis moritur, inde-
que Procerum animi & mentes diviſæ,
ubi namque alii homagium fidelitatis
ex capite promiſſæ à Cæſare confirma-
tionis, in ſucceſſionem parentis electo
Principi immediate præſtandum, alii
vero à Cæſare diſpoſitionem de Prin-
cipe quidem Succeſſuro, ob reſpectum
Majeſtatis Cæſareæ præſtolandam, ex-
iſtimabant, obtinuitque poſterius lo-
cum. Eodem adhuc anno Emericus
Tœkœli cum copiis Turcicis in Tran-
ſylvaniam per invia Alpium venit, vin-
cit & capit Generalem armorum Cæ-
ſareorum Directorem Heislerum Ger-
manum, & Provincialem militem diſſi-
pat. Coadunat demum patriæ cives,
quos poteſt, comitia celebrari jubet, in
quibus in Principem dum eligitur, mit-
tunt conſtantes in fide Proceres ad Cæ-
ſarem, cum denunciatione caſus, peti-
tione Diplomatis pro Juniore Apaffi, &
libertatum ſecuritate, ſimul vero &
Principem Ludovicum Badenſem, ut
ſibi ſuccurreret, ſollicite & inſtanter
urgent. Movet iſte ex Hungaria ex-
ercitum, pervenit in Provinciam, quo
viſo Tœkœlius Tranſylvania decedit.
Ludovicus Princeps Badenſis in Hun-
gariam revertit. Cæſar vero, deputa-
to in fide perſeverantium ad preces eo-
rum reſpondet, ut C. nihil videlicet C.
etiamnum ſe de prioribus negare, ac
non niſi per ſubjecti ætatem cogitatio-
nes ſuas circa Apaffium Juniorem ſu-
ſpendere, cum ab aliis adhuc regen-
dum, præficere illis non poſſet. Liber-
tates Sacras & profanas confirmatum
iri crederent. Non tamen fore inte-
grum incerto hoc rerum ſtatu, ſe, Cæ-
ſari Diplomatibus oppignorare, addita
adhortatione: Ut contra Turcam in
declaratione Tœkœlii, pro Principe,
perfidum, junctis viribus decertarent,
Privilegia libertatesque Salvarent, vi-
dendo etiam Tœkœlii de Apaffio in-
tentionem. Accipiunt hæc Status, &
rurſus mittunt ad Aulam Ablegatum,
qui priora urget, repetit, Diplomaque
An. 1686. promiſſum exorare conatur.
Dat Cæſar ideam Diplomatis, quam
Status conſiderant, Ablegatos cum
iterata repetitione priorum rurſus mit-
tunt, ac ſpecifice 1686. promiſſum Di- 1686.
ploma denuo petunt. Obtinent vero
Diploma An. 1691. ut D. Et ne inter- 1691.
ea, quoad in ſpem Succeſſionis Apaf- D.
fius educatur, provincia improviſa ma-
neat, Gubernium erigitur, Sacramen-
tum fidelitatis præſtatur Cæſari, cum
Apaffi per ipſas Electionis ſuæ leges ad
capeſſendum Regimen nondum aptus
eſſet. Sed ſtatus porro quoque confir-
mationi Junioris Apaffi inſiſtunt. Re-
ligio Catholica accipit templa duo &
Scholam unam ab Acatholicis, ex amo-
re unionis & concordiæ ſua ſponte ſibi
ceſſa non tamen ea ſibi ſufficere putat.
Status præterea Civicus, qui eſt Saxoni-
ca natio in Diplomate dato gravatum
ſe exiſtimat. Mittitur itaque ablega-
tio ex tribus in Tranſylvania Statibus
&

& nationibus ac quatuor receptis religionibus, partes suas quæque urget, tuetur. An. 1693. deliberat Cæsar, ut
1693.
E. E. ubi Artic. Primo Apaffi Junioris ratione, cum adhuc eæ essent circumstantiæ, ætatis puta Apaffii, qua per leges regere non posset, relegantur ad tenorem Diplomatis. Cæteris articulis reliqua decisa, declarata, circumscripta, sic & specifice religionis negotium ut
F. F, ubi templa & Collegium, quæ Acatholici Catholicis cesserunt, approbat, unionem & concordiam inviolabiliter observandam jubet, omnes receptas religiones in libero suo exercitio, juribus, bonis, possessionibus, uti tunc fruebantur, sine turbatione qualicunque, quiete & pacifice imposterum relinquendas esse statuit. Ita omnibus pro
1694. futuro silentium imponit. An. 1694. Generalis militiæ Cæsareæ in Transylvania Præfectus Comes Fridericus Veterani citatur ad Aulam, quocum venit Junior Apaffi, devotionem in Cæsarem testaturus, redeuntque eodem ad-
1696. huc anno ambo. An. 1696. citatur Junior Apaffi ad aulam solus, venit & moratur relicta in Transylvania conjuge.
1697. Huic An. 1697. propositio Cæsaris nomine facta: Ut usque ad pacem, cum Turca Transylvania abstineret, Athname seu Diploma Turcicum sibi de principatu datum, Cæsari redderet. Pro acquisitis paternis bonis alia in aliis ditionibus & provinciis hæreditariis acciperet, 12000. florenorum pensionem annue haberet, titulo principis uteretur, usque dum dabitur occasio, exaltandi eum in S. R. I. Principem, Inque sua religione ubicumque in regnis & ditionibus Cæsaris, cum præscitu tamen aulæ, domicilio electo, liberrime viveret, pace facta plura adhuc obtenturus Apaffi deprecatur abstinentiam à patria, innocentiamque suam declarat, resolutionem suam ad sibi proposita suspendit. Respondetur Apaffio: Hoc nulla sua culpa, sed publici tantummodo boni, ipsiusmetque securitatis & salutis causa, velle Majestatem. Et dum res hæc pendet, An. 1699. fit pax cum Turca, intrant Transylvaniam Jesuitæ contra tenorem Diplomatis, & propterea nullis Cæsareis mandatis vel Intimationibus comitati, surgunt Catholici atque insciis Acatholicis exorant certa quinque puncta, specie petitæ, cum aliis religionibus, æqualitatis, quibus omnia fundamenta religionum Protestantium movent, executionem horum vehementer urgent, audacterque dicunt: Cæsarem posse nunc aperte tollere, abolere, quæ Acatholicis obtundentibus dissimulavit & toleravit, quæve in prioribus resolutionibus concessa videbantur. Manet interea Apaffi in Aula, consideratisque temporis circumstantiis, prioribusque sibi pollicitis, ea Cęsari in mentem revocat. Titulum S. R. I. Principis, & annuum 10000. florenorum beneficium seu pensionem obtinet, Diploma sibi datum Turcicum Cæsari reddit. In Transylvania vero dum miles semper numerosus hybernaret, atque quotannis parata pecunia tum pro absentium Generalium, Colonellorum, & aliorum portionibus, tum vero pro equis Cathafracto militi aptis, ac præterea munitione, vestimentis, pileis & calceis ex provincia educitur, eo res devenit, ut dum nobiles quoad habebant miseræ plebi tum sublevationis tum etiam mutui nomine darent, exhausti, jam nec nobiles præter Syngraphas, quicquam haberent, nec misera plebs solvendo esset, & sic nec nobiles, nec plebs stare posset, quæ iteratis precibus cum aliis miseriis demonstrata effecerunt, ut Cæsar Commissionem ex bellici sui Consilii, Cameræ Aulicæ, Commissariatus Generalis, ac etiam Cancellariæ suæ Transylvanico-Aulicæ subjectis conflandam ordinaret, harum indagandarum remediique quærendi causa. Circa memorata item quinque religiosa puncta in Provincia fiunt congressus, Tractatus inter religiones, irrito successu, Acatholicis Diplomatibus, Catholicis vero hisce noviter resolutis punctis, inhærentibus, quorum pro & contra Tractatuum
substantia est G. Et quia Compositio- G.
nis nulla spes, mittunt Reformati An.
1703. Deputatum cum pure Religio- 1703.
sis, qui querelas contra Catholicos, Diplomatum eversionem minitantes, porrigeret, Initium occupationis violentæ Templorum, remonstraret, Beneficia Reformatis Ecclesiis ab Annis 7. negata supplicaret. Punctorum ho-
rum Compendium est H. Conscii i- H.
taque Acatholici iteratum benignissimarum resolutionum Cæsaris, quas Catholici dictis quinque punctis evertere satagunt, nonnisi exauditionem Considerationum suarum in hæc puncta factarum petunt, ea obtenta, quæ Cæsar audita parte quoque alterâ, resolverit, iis morem gesturi. Non tamen impetrant prius, quam Cardinalis à Colonits, Reformatorum Deputato ad de-

desperationem de resolutione Cæsaris alia, quam ipse diceret, persuaso, aliunde diutinæ sollicitationis pertæsum, licet nulla de Tractatu potestate instructum, ad aliquem, circa jam dicta quinque puncta mentis *Suæ* consensum subscriptione manus propriæ factum, deduceret. Detulit hoc Deputatus ad suos Principales per literas, & increpitus ab ipsis, qui demum coram Ministerio Aulico se potestate tractandi caruisse explicat. Cardinalis vero subscriptioni utut nulla potestate nixæ inhæret, superveniunt tumultus Hungarici sub finem, & tam Commissionis prædictæ circa remedium miseriarum progressum, quam Religiosorum resolutionem, cum aliis omnibus, suspendunt.

Sequitur specialior

Descriptio Status Religionum Protestantium in Transylvania indeque earum propagationis in Hungariam.

APparet ex Annalibus, Principatum Transylvaniæ factum fuisse, medium religionis Evangelicæ primo in Transylvaniam introducendæ. Nam A. 1526. Ludovici II. Regis tempore, latarum Hungariæ legum Artic. Quarto de comburendis Lutheranis Decretum est, qui jam in Transylvania apud Saxones incrementum capiebant, tacite tamen, usque dum Johannes de Zapolya, qui primus Transylvaniam ab Hungaria separaverat moritur An. 1540 Post hujus mortem vero erupit primo in manifestum & publicum exercitium hæc religio. Filius quippe hujus succedens, religionem hanc non modo tollerat, verum & ipse, aliam, Unitariam seu Antitrinitariam profitetur, & ita Transylvaniæ, ad Reformatam quoque Religionem aperitur Porta, publicisque Constitutionibus sancitur libertas An. 1564. In Hungaria vero A. 1563. in contrarium, de tollendis aliis, præter Catholicum, dogmatibus, rursus decernitur. Porro in Transylvania licet post mortem Johannis II. successerunt Bathorei Catholici Principes, eorum tamen primus & dignitate maximus Stephanus Bathoreus, qui & Rex Poloniæ simul fuit, dum ad persecutionem sollicitatur, respondere solitus fuit: Tria Deum sibi soli reservasse, videlicet: Ex nihilo creare, futura præscire, conscientiis dominari. Hujus tempore iterum de libertate religionum sanciuntur in Transylvania leges, A. 1572. Ita vivente & regnante hoc, persecutio nulla, ejusque exemplo nec Successores, ex familia ejus Principes, quicquam in Religiones tentabant. Quin imo ex partibus Transylvaniæ, Hungariæ vicinis sensim scripsit in Hungariam, præcipue Reformata, latis de novo in Transylvania An. 1584. 1588. (quo Jesuitæ Publicis Constitutionibus sub Catholico Principe penitus excluduntur) Item 1595. & 1600. uberioribus de libertate ejus reliquarumque constitutionibus, usque dum eam fixisset in Hungaria, sub umbra Transylvanica sedem, ut infinitus Reformatorum & Lutheranorum fuerit numerus. Cujus intuitu quies fuit Religionibus in Hungaria aliquot annis, quoad, Annum 1604. versus, persecutio hinc inde inciperet. Ipso 1604. vero Rudolpho II. Rege, Posonii in Comitiis, quibus Matthias Archidux Austriæ, Regio nomine & vice, non modo intererat, verum & præerat, Gravamina de turbatione Religionis, ademptione Ecclesiarum suarum & proventuum, ac submotione Ministrorum verbi seu Concionatorum suorum generice tam scriptis quam verbis, proposita à quibusdam. Sed nulla satisfactio eis datur. Hoc adhuc anno lacessitus Stephanus Botskay à militiæ Cæsareæ in partibus Transylvaniæ Præfecto, dum plane non contemnendæ Hungariæ partes, Transylvaniæque vicinæ de Religionis jactura sollicitæ essent, in arma ruit, dictæ partes ei facile adhærent, quibuscum effecit: Ut Transylvania & modo dictis quoque partibus Hungariæ po-

potiretur,& juxta libertates per totam Hungariam à Cæsare prætensas, obtentas, Religionis Reformatæ & Lutheranæ Exercitii & Progressus securitatem publicis regni Constitutionibus autoritate Regia confirmatis, primus instauravit, cum, Superintendentes quoque suos creandi, expressa potestate. His referta est Pacificatio Viennensis,in Corpore Juris Hungarici An. 1606. Item Constitutiones Diætæ Hungaricæ mox post mortem Botskay latæ An. 1608. & An. 1609. Matthiæ II. Regis Hungariæ tempore. Hoc fundamento nitebatur dein semper libertas Religionum in Hungaria, & fovebatur,suffulciebaturque,umbra Principatus Transylvanici, ad quem tam quoad Sacra quam profana collimabat Refugium Hungarorum,velut ordinarium & naturale Asylum. Metus enim cadebat in Cæsarem : Ne Transylvaniæ Princeps Religionis suæ & nationis Hungaricæ intuitu, asseclis sibi facile in Hungaria conciliatis,Turcicæque potentiæ clientela fretus, negotium facesseret, sicut & fecerat post Botskayum Princeps Gabriel Bethlen, qui quidem, fertur, subinde confidenter miscuisse cum Aula Cæsaris consilia, de persequendo & delendo Turcâ,propriâ manu obsecretum, scripta. Sed ea ad Portam Ottomannicam originaliter, in perniciem ejus missa,dum sibi exprobrarentur; negâsse absolute Rem, imitationemque & manus & Sigilli asseverâsse, agitur, in ejusque testimonium multa millia Turcarum petiisse, cum ejusque provincias Cæsaris invasisse, in testandam coram Turca sibi ab Aula Cæsaris illatam injuriam, dum vindictam de delatione sinistra indignabundus sumeret. Hic quoque, quæ Botskay Hungariæ de libertate Sacra & Profana pepegerat, urget, obtinet, renovat, proque contentatione privata, tum commodi sui,tum Religionis tutandæ causa, partes Hungaricæ, Transylvaniæ vicinas, ubi Reformatæ Religionis sedes fuit, & hodienum est,accipit. Interea Transylvania ipsa sollicita, ne principes sui occasione forsan quavis sese offerente, levissimâ etiam de causa,Dominio suo & Clientela Turcica abuterentur, caverunt legibus & conditionibus Principum : ne ullum offensivum imo ne defensivum quidem bellum insciis & invitis Statibus,cogitarent, moverent. Verbo volebant : Ut Transylvaniæ Principes, maximâ cum securitate Religionis, concedente utroque Imperatore,liberi,electitii,sui & Principatus in statu quo,conservationem, in Religionis incrementum, unice spectarent. Sed tractu temporis in Hungaria, per inquietudinem Cleri, sensim persecutio incipit, circa id tempus, dum Gabriel Bethlen placida morte decedit, & succedit ei Georgius Ragotzi primus,qui quoque & lacessitus,& ob Religionis negotium à male contentis sollicitatus, suscipit arma, Ferdinandumque III. ad pacem, notamque 90. Templorum Protestantibus restitutionem cogit. Sic rursus Botskayana pacta circa libertates Sacras & profanas,in tota Hungaria renovata,ipsi vero Ragotzio eæ Hungariæ partes, 7. videlicet Comitatus,Religione Reformata imbuti, simul cum Cassovia Civitate, ad dies vitæ cessi An. 1647. Id quod in hujus anni Diætalium Constitutionum Articulis 1. & 29. videri potest. Ita vicissim per huncce Principem in Hungaria & Transylvania de Religione prospicitur. Ipse vero Princeps Transylvaniæ An. 1648. Pace Osnabrugensi, tam ex parte Reginæ Sueciæ quam Imperatoris pro majori procul dubio prætactorum pactorum securitate comprehenditur. Post mortem hujus dicti pacti tenore, Cassovia cum memoratis septem Comitatibus, ad Cæsarem Ferdinandum III. quidem redeunt; Sed quia in iis arces & dominia Munkats, Tokay, Patak, Szerents, Etsed, Zathmar, & alia, passim in Hungaria, privati dominii jure, filio Præfati Ragotzi Georgio Ragotzi II. in Principatu succedenti manserunt, non exigua fuit semper, in alias etiam partes Hungariæ, Religionis ratione, ab Aula Cæsarea & Clero reflexio, ne & hic Princeps bonis privatis in Hungaria quoque, tantopere abundans, quorum reditus pene ipsius principatus Transylvaniæ æquabant, seu ut Princeps Transylvaniæ, seu ut magnus & patens Hungariæ quoque civis, irritaretur. Post quam vero infeliciter susceptam expeditionem Bellicam in Poloniam infelicius adhuc exantlasset, lacessitoque Turca, refugium apud Cæsarem quærere cœpisset. Tum non amplius habita reflexione, imo exuto metu Transylvaniæ, in Hungaria persecutio iterum incipit. Fiuntque An. 1659. potissimum 1662. nutante jam hoc Principe Comitia Hungarica, ubi à Protestantibus maximæ querelæ instituuntur : De occupatione Templo-

plorum: coactione incolarum violenta ad Religionem mutandam, sed frustra, nam trimestri spatio, hæc solum urgendo, non impetrant, ut audirentur. Qui denique inani labore fessi, protestatione interposita, cum Religiosæ materiæ complanationem, Primas obtinere jure Regni assererent, utut sæpe sæpius præmoniti, quo seposito odioso hoc negotio, publicis incumberent, desertis Comitiis, omnes Acatholici, recedunt. Moritur demum ex vulnere Ragotzius, ejusque vidua è familia Bathorea oriunda, à Jesuitis persuasa, Religionem mutat, filiumque Franciscum unicum in sua educat. Sic Principatus Transylvaniæ ad solam Transylvaniam & quasdam partes Regni Hungariæ partim per Turcam, partim per Cæsarem diminutas, redactus, debilior multo sub Michaele Apaffi Seniore nulla in Hungaria bona possidente, fit. Hisce circumstantiis coadunantur in Hungaria regni Comitia, Sopronii A. 1681. & A. 1687. alia Posonii. Quid in illis ratione Religionis actum sit, satis liquet. Transylvania vero in solam conservationem sui intenta, Principem à male contentis etiam sollicitatum, bello intricatum noluit. Tœkœlius tamen & ejus asseclæ, Portâ Ottomannicâ interpellata, in societatem Transylvaniam quoque, jussu etiam Turcæ pertrahit. Sed posteaquam videt Transylvania, Res Turcæ inclinare, in tempore propria sponte An. 1686. de conservatione sui in Principatu Electitio libertatibusque Sacris & Profanis, apud Cæsaream Aulam laborat. Devotionem, qua antea in Turcam ferebatur, simul cum contributione annua offert. Hanc Cæsar quoque, Instrumento dato 1686. 28. Jun. ancipiti & dubio adhuc rerum Statu, acceptat. Principem & Regentem Apaffium, & filium ejus electum, ac à Turca quoque approbatum, confirmat, usque dum solennius Diploma daretur. Promissum itaque Diploma dum post fata Apaffii pro filio ejus petitur, excusat Aula ætatem Apaffii Junioris per leges, (quarum Sanctam vult observantiam) electionis tempore latas, nondum ad regendum capacem, jubetque in spem Successionis educandum, constituto interea Gubernio, datisque de securitate Religionum & libertatum aliarum, Diplomaticis Articulis An. 1691. Sed hoc Statu, & pace demum cum Turca confecta (qui quidem non aliud Transylvaniæ ratione cessit quam habuit; id quod Transylvania quoque An. 1686. ipsa & obtulit, & postmodum, devotionem scilicet & contributionem, dedit; salvis tamen iis, quæ sub Turca salva fuerunt) Religiosa materia agitari à Clero medio ipsius Transylvaniæ Catholicorum civium incipit. Et prout clarum semper fuit, Religionis tum conservationi tum incremento nihil magis in Transylvania quam Principatum serviviſſe; Ita acceptis, pro Instrumento, quibusdam Transylvanis, consulitur aulæ: ut de cessione Principatus cum Juniore Apaffi ageret, transigeret. Fit, neque tamen Transylvaniæ ad notitiam legitime datur, neque priora & posteriora Diplomata cassata, contra quæ, & per Principatus Electitii per Cæsarem quoque confirmati, conditiones, Apaffio facere non licebat, qui (si Regimen sibi consequi licuisset) de Principatu in neminem transferendo vel cedendo, se obligare juramento, ante reliqua alia, debebat. Transylvaniæ Gubernio porro tanta Salaria promissa, qualibus Principatus tempore carebant, militeque numeroso imposito, nemini de Principatu vel meditari licuit, Religionis vero negotium precibus frustra tentatur.

SEQUUNTUR

DIPLOMATA AD STATUM TRANSYLVANIÆ PERTINENTIA.

à Lit. A. usque H.

A.

Notum sit quorum interest Universis. Quod postquam sacra Cæsarea Regiaque Hungariæ & Bohemiæ Majestas, à Turcarum Sultano, armis fœdifragè lacessita, ad societatem sacri Belli, inter alios, etiam Dominum Principem, statusque & Ordines Transylvaniæ, ac partium Hungariæ, eidem annexarum, pro Defensione Communi adhortata esset, & Dominus Princeps, status & Ordines Transylvaniæ, devotum suum, erga sacram Cæsaream Regiamque Majestatem & Rempublicam Christianam, animumque per expressum Legationem testati essent, propositis nonnullis desideriis, de quibus conveniretur, in sequentes Articulos itum est.

1.

SAcra Cæsarea Regiaque Majestas suscipit Defensionem Transylvaniæ, Partiumque Hungariæ eidem annexarum, & postulante occasione, pro ejus defensione, contra Hostem, ad requisitionem Domini Principis, & Statuum tempestive Copias Auxiliares, mittet, quandocunque opus erit, qui, quidem, sub jurisdictione & Imperio Militari Cæsareæ Generalitatis manent, quamdiu autem, intra Terminos Transylvaniæ commorabuntur, Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, Directionem Armorum, Domino Principi, & ejus Successoribus Committet, penes quos etiam stabit, quamdiu illis opus habeant, iis vero Copiis, sua Majestas stipendia persolvet, de Commeatu & annona Transylvani providebunt.

2. Quic-

2.

Quid Territorii Turcici aut Locorum Hosti eripietur, jure belli, sit occupantis, quicquid autem ad Transylvanos spectare dignoscetur, in ejusdem jurisdictione manutenebitur.

3.

Transylvaniam & Partibus Hungariæ Transylvaniæ annexis, intra veros suos Terminos, Dominus Princeps, & Status, eo, quo hactenus jure gaudent, conserventur, declaratque Sacra Cæsarea Majestas, se, in iis, contra jura, Domino principi, competentia nec Telonia, nec Tricesimas, nec Præsidia, aut fortalitia, Invito Principe erigi curaturam, idem intelligatur de Debrecinio.

4.

Sacra Cæsarea Majestas, circa bona, Transylvanis subditis restituenda, habitis necessariis Informationibus justitiæ & Officiorum Domini Principis, & Statuum sicut & Privilegiorum, condignam rationem habebit.

5.

Neq; Comitem Ladislaum Csakhi, utpote Domino Principi suspectum, Copiis suis in Confiniis Transylvaniæ, præficiet, aut adjunget, nec permittet sua Majestas ut ab ipso Statibus Transylvaniæ, damnum aliquot inferatur.

6.

Neque quatuor Religiones in Transylvania, partibusque Hungariæ Transylvaniæ annexis, receptas ullo ibidem modo tempore, & prætextu, turbare curabit, nec allaborabit in Templorum Scholarum, Parochiarum, Proventuumque & bonorum eorum occupatione, juxta Leges eorum approbatas.

7.

Libera pariter sint jura fœderum, Domino Principi Transylvaniæ, ejusque in Principatu Legitimis Successoribus, ita tamen, ut huic perpetuo Tractatui non repugnent, sed contra Communes hostes, pro utilitate Christianitatis, & inprimis sacræ Cæsareæ Majestatis, ejusque domus, Regnorumque & provinciarum jaciantur.

8.

Legitimus Transylvaniæ Princeps, Dominus Michael Apaffi, nullatenus turbabitur, nec minus ejusdem Domini Filii Michaëlis similiter Apaffi electionem jam factam, gratam ratamque habebit Majestas, post eorum vero sera (ut sperandum est) fata, libera maneat penes Transylvaniæ Status, juxta eorum jura, Electio.

9.

Maneant etiam Titulus & Insignia Principum, more hactenus usitata, nec ea sibi Cæsarea Majestas attribuet.

10.

Sacræ Cæsareæ Majestatis subditis in Transylvaniam, & hujus vicissim Incolis, in suæ Majestatis Regnis & Provinciis, Libera quæstus & commerciorum sint jura.

11.

Nunquam allaborabit sua Majestas in Transylvania, erigere jus Patronatus, aut Sacerdotale, nec demandabit, eam materiam Statibus proponi.

12.

Transfugæ & Proditores, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis non recipientur, in Ditione Transylvanica, nec hujus vicissim in Regnis & Provinciis suæ Majestatis, idem intelligantur de Jobbagionibus aut hominibus propriis glebæ adscriptis.

13.

Subditi Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis in Transylvania & vicissim hi, in Regnis Provinciisque suæ Majestatis, causas suas in judicio agere & prosequi, libere poterunt, Procuratorumque Constitutiones & aliæ literæ, Causales, in locis & coram personis solitis & authenticis, in ejus Territorio legitime factæ, ubique pro firmis & validis habeantur.

14.

Tametsi pro Defensione & ampli-

plificatione Rei Christianæ, statim notis viribus, libenter palam concurrerent, Dominus Princeps & Status Transylvaniæ, ne tamen intempestiva ostentatione armorum, Turcicis & Tartaricis direptionibus exponantur, consentit Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, ut non ante expugnationem Varadini & Toemesvarini, se palam Cæsareis armis conjungant, sed interim armis, commeatu & vecturis tolerabilibus, usque ad limites Transylvanicæ Ditionis, si arma Cæsarea, ad illa fortalitia expugnanda, quæ in partibus Hungariæ Transylvaniæ annexis, à Turcis possidentur, admovebuntur, juvent, ad quod Dominus Princeps & Ordines se obligant.

15.

Neque Transylvaniam & partes Hungariæ eidem annexas, Turcis, hactenus non obligatas, sua Cæsarea Majestas gravabit hybernis, nisi ipsius Transylvaniæ, & contra hostem excubandi necessitas exegerit.

16.

Cum ad aulam Cæsareæ Majestatis Legati Transylvanici expedientur, pro more honeste habebuntur & recipientur.

17.

Cum loca Turcis eripiuntur, Bona, quæ in iis ad Transylvanos spectare dignoscentur, iisdem restituentur, salvo Sacræ Cæsareæ Majestatis, in iisdem jure superioritatis & feudi.

18.

Insecuturis cum Turca Induciarum aut pacis Tractatibus, ex parte Sacræ Cæsareæ Majestatis, juxta Capita, eo tempore exhibenda, & huic Tractatui Correspondentia, includetur Transylvania, Moldavia, & Valachia, ubi etiam modis omnibus efficere conabitur sua Majestas, ut Transylvani, à Tributo ulterius Turcis pendendo, liberentur.

19.

Vicissim se obligant Dominus Princeps, Status & Ordines Transylvaniæ, quod non tantum honorem & Commoda Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, ejusque Domus, Regnorum & Provinciarum, ubique locorum bona & Christiana fide, Consiliis & opera promovebunt, verum etiam, quod, pro superius stipulata Regia Defensione & protectione, annuam recognitionem. Viginti quinque millium Aureorum Ducatorum, vel quinquaginta millium Thalerorum Imperialium, inspeciebus, perpetuis temporibus pendent, casu etiam urgentissimæ necessitatis, possibili annonæ, commeatus vecturarum & virium subministratione assistent, & pro majori, tam hujus Tractatus, quàm ipsius Transylvaniæ securitati, pendente hoc bello & periculo, Sacræ Cæsareæ Majestati, sequentia duo loca, nempe: Claudiopolim, & fortalitium Deva cum in modum consignabunt, ut Cæsareo præsidio, pro duabus tertiis, Transylvanico vero, pro una tertia, muniantur, cui præsidio, Cæsarea stipendia sua Majestas persolvet, panem autem, & servitia Transylvani subministrabunt, quamprimum vero præsens bellum cessaverit, ambo loca, iterum evacuabuntur & restituentur.

20.

Tractatus hic in secreto quidem servabitur, obligabit vero sub Christiana fide tam Sacram Cæsaream Majestatem, quam Dominum Principem & Status Transylvanicæ & utriusque partis hæredes & Successores in perpetuum nec unquam Turcis etiam post factam Pacem revelabitur.

21.

Diplomata, ratificata intra mensem, aut quo citius, si fieri potest, in bona & consueta forma expedita commutabuntur; in quorum omnium fidem, præsens Tractatus, tam à Dominis Commissariis Cæsareis, hac in re deputatis quam à Dominis Legatis Transylvanis, subscriptis quorumque sigillis consuetis corroboratus est Viennæ 28. Junii Anno 1686.

Fer-

Ferdinandus Princeps à Dietrichstein, Mp.

(L.S.)

Johannes Haller, Mp.

(L.S.)

Matthias Miles, Mp.

(L.S.)

Hermannus M. Badensis, Mp.
(L.S.)

(L.S.)

S T A Hr. Comes Stratmann.

Sigismundus Pernyesyi, Mp.

(L.S.)

Michaël Inczedi, Mp.

(L.S.)

B.

Tractatus Serenissimi Ducis Lotharingiæ cum Celsissimo Principe Michaeli Apasi, & Inclytis Statibus Transylvaniæ Anno Domini 1687. die 27. Octobr.

POsteaquam divina bonitas, inscrutabili providentiæ consilio, confœderata Christianitatis Arma, in præsenti adversus Turcas & Infideles Bello, tantis, tamque fœlicibus hucusque successibus, eum in modum cumulare dignata sit, ut non tantum de obtentis tam insignibus hactenus victoriis gratulari sibi debeat Christianus Orbis, sed & firma fiducia appromittere possit, venisse tandem, & offerri desideratam diu à superis occasionem, à Barbaro Ottomannæ Tyrannidis jugo, sub quo tot annis ingemuit, Christianitatem vindicandi; noluit Sacra Romanorum Imperatoria Regiaque Majestas, tanto Christianitatis bono ullatenus deesse, sed intentis eum in finem operationibus, benignissime resolvit, præsentibus utendo, futuros quoque prosperiores à Divini Numinis assistentia progressus provocare. Hinc ut salutaris ista intentio facilius & melius ad optatum finem redigi posset, consideratis & attentis gravioribus quibusvis utrimque rationibus, tandem inter Serenissimum Lotharingiæ Ducem, Suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis armorum locum tenentem Generalem, ex summe dictæ suæ Majestatis nomine, ex una; & Celsissimum Principem, nec non Inclytos Status, ac Ordines Transylvaniæ, ex altera parte, cum Dominis eorundem Ablegatis, in sequentes conventum est Conditiones, nimirum:

Capite

Capite Primo.

1.

CONtestando magis erga Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem & communem Christianitatis causam, fidele devotionis suæ studium, suscipit Celsissimus Transylvaniæ Princeps partem exercitus Cæsarei, per Hyemem præsentem, in Transylvania Quartiriis, ex quo, mox dicetur, modo alendam & intertenendam. Quæ tam tutandæ adversus quosvis Hostes Provinciæ, quam præcavendis tanto magis excursionibus, pro meliori securitate, per stationes distribuetur, & cum observatione bonæ militaris disciplinæ, in Civitates & Arces: Cibinium, Claudiopolim, Bisztricium, Albam Juliam, Szasz Sebess, Szasz Varos, Vasarhelly, Deva, Szamos-Vjvar, Somlyo, Motrostor, & Govis, proportionabiliter collocabitur.

2.

Suppeditabunt pro hoc modo in stativis distributi Cæsarei Militis subsistentia, Celsissimus Princeps, & Ordines, in natura, per totum Hybernium, Tritici, aut farinæ Cubulos Transylvanicos, quemvis Cubulum, pro quatuor metretis Transylvanicis sumendo sexaginta sexmillia. 66000.

In Carne triginta novem mille sexcentos Centenarios, pro Centum libris sumptos 39600.

Dolia Vini septem millia, quodvis quadraginta urnis Transylvanicis constans. 7000.

Avenæ Cubulos Centum viginti millia. 120000.

Fœni dietim Centenarios octies centenos, menstruatim vigesies & quatuor mille centenarios, per sex vero mẽses Centum & quadraginta quatuor mille centenarios. 144000.

Straminis manipulos. 480000.

3.

Quæ victualia quovis mense, provisionaliter, ad stationes Hybernantis Militis, juxta faciendam eatenus Generalis Commissariatus Bellici repartitionem administrabuntur, & quidem statim à die introitus Militiæ, pro ejus sustentatione, à loco aut vicinio, ubi stationes habebit, necessariis Victualibus, anticipatim in rationem summæ post modum defalcandis provideatur. Quod vero lignum, salem & lumen attinet, quivis miles cum suo hospite ubi habitat eorum usu commune habebit.

4.

Obligant se præterea, sua Celsitudo, & Inclyti Status, præter hanc naturalem Victualium præstationem, ad subsidium pecuniarium pro toto hybernio septies Centena florenorum millia, pro subsequentibus terminis, exsolvendum, & quidem ut Militi statim aliquid provideatur, deponent ante decimam quintam Novembris idque pro primo solutionis termino florenorum Rhenensium summam quinquagesies mille Imperialium, sive septuaginta quinque millia fl. fl. Rhen. 75000.

Pro secundo termino, ad primam Januarii, sexcentesimo octuagesimo octavo Anno, præstabunt Centum quinquaginta millia. 150000.

Pro tertio termino ad primam Februar. 125000.

Pro quarto termino, ad primam Martii. 100000.

Pro quinto termino, ad primam Aprilis. 100000.

Pro sexto termino, ad primam May. 100000.

Pro septimo termino, ad primam Junii. 50000.

5.

E contra exprimitur hisce claris terminis quæcunque tam in pecuniaria, quam in Victualium naturali administrationis summa, pro hoc Hybernio, præsenti tractatu conventa sunt, ad solam Transylvaniam, non vero partes Hungariæ eidem annexas extendantur, utpote quæ pro hoc Hybernio Transylvaniæ nihil contribuent in summam, nec vicissim Transylvania illis Partibus, sed separatam Hybernii habebunt dispositionem, hac tamen expressa conditione reservata, ne hæc quartiriorum separatio ullam Ditionis aut Jurisdictionis cujuscunque separationem inducere, aut juribus Transylvaniæ præjudicare possit.

6. Qui-

6.

Quibus omnibus conventis quemadmodum ex parte suæ Serenitatis neutiquam dubitatur Celsissimum Principem & Status Transylvaniæ omnimodo satisfacturos, ita vicissim ad eorum Instantias in firmamentum Cæsareæ Regiæque Protectionis, à præfato Serenissimo Lotharingiæ Duce, suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis nomine iisdem assecuratæ, sequentes illis Conditiones & puncta ab iis proposita, quasi de verbo ad verbum, vigore præsentis Tractatus, conceduntur, & sancte observanda promittuntur.

Capite Secundo.

1.

Celsissimus Princeps Transylvaniæ, Celsissima Principissa, Dominus Junior Princeps, omnes denique qui in urbe Cibiniensi sunt, Domini Consiliarii, Deputati, Magnates, Proceres, Nobiles, Milites nunc Constituti, cum tota familia, & bonis eorum propter evitandam Confusionem Præsidii suæ Serenissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis affuturi, Cibinio egredi poterunt, & de itineris securitate sufficienter sub bona fide Christiana assecurabuntur, ac antequam Suæ Celsitudines Cibinio egrederentur, Antiguardiæ, seu præmissæ Copiæ revocabuntur. Si qui ex Regnicolis suas Celsitudines non comitabuntur, sed aliorsum tendent, illis quoque securus passus concedetur.

2.

In hospitia suarum Celsitudinum, utriusque Celsitudinis, scilicet Principis, & Principissæ, Dominorum Consiliariorum, Deputatorum, Procerum, Magnatum, & Nobilium Domus, etiam Officialium Cibiniensium ac Senatorum Urbis, sicut & forum Publicum, Hospites & Milites non ordinabuntur, ita tamen ut etiam Generali Cæsareo Commendanti, cum cœteris Præsidiariis, de honestis & sufficientibus hospitiis provideatur, quorum distributio Magistratus dispositioni relinquetur.

3.

Quatuor receptæ Religiones in tota Transylvania, ut & Ministri Scholæ, Ecclesiæ, Parochiæ, in suis liberis exercitiis, cultibus proventibus nullo modo turbabuntur, sed juxta susceptam & usitatam illorum legem, & consuetudinem, & morem usitatum libero cultu utentur & fruentur, neque injuriabuntur & damnificabuntur, Domus Parochiales & Professionales, Scholæ ut nullibi locorum, ita nec Cibinii hospitium dare tenebuntur.

4.

Moderni Principis Transylvaniæ Apaffi Senioris, ita & Junioris similiter Michaelis Apaffi Principalis, autoritas, juxta leges Transylvaniæ patrias conservabitur, eorumque regimini & Jurisdictioni ac autoritati se non immiscebunt, ita & in Comitia Regnicolarum in Proventus suarum Celsitudinum, Arcium, Civitatum, Tricesimarum, Portuum, Salis & Auri, ac Argenti fodinarum, Teloniorum proventus, nullam penitus facient ingessionem, ac perceptionem.

5.

Celsissimi Domini Principis Consiliarii, Tabulæ Assessores, Supremi & Vice-Comites, Judices Nobilium, Capitanei, Judices Regii, Civitatum ac Urbium Consules, aliique Officiales Saxonicales, ac Siculicales in suis functionibus, & autoritatibus conservabuntur, Arces Urbes in suis legibus, Privilegiis ac Directionibus, in quæ sub nullo prætextu se miscebunt, verum Regnicolæ hactenus usitatis suis legibus, & libertate Privilegiis & Canonibus illæse frui poterunt.

6.

Antiquorum, ita & moderni, & futurorum Principum Transylvaniæ Donationes, Collationes, Privilegia, Consensus, sancte inviolate conservabuntur quin deinceps manebit autoritas etiam penes Principes Transylvaniæ conferendi, si quas penes literas Donationales & Collationales, & Consensuales Principum in Transylvania, Partibus Hungariæ eidem annexis Statutiones, sive immissiones agere volunt, in iis non impedientur.

7.

Conventus Capitulares intacte in co-

eorum libertate & securitate relinquentur.

8.

In Proventus Regnicolarum, Dominorum scilicet Consiliariorum, Magnatum & Nobilium, aliorumque Regnicolarum, sicut & Arcium, Civitatum, Oppidorum & Pagorum & Officialium non se immiscebunt vel sibi appropriabunt.

9.

Nullius bona, tam mobilia quam Immobilia, ut & frumenta & vina aliaque suppellectilia, Cibinii, Claudiopoli, aliisque locis, ubi præsidia sunt, vel erunt locata, non occupabuntur, liberam concedent in suis cuicunque dispositionem, venditionem, vel si voluerint, ex illis locis exportationem, nulloque modo impedient. Loca præsidianda, vel præsidiata, ab Jurisdictione Transylvanica per hæreditatem non eximentur, sicut & iis adjacentes Provinciæ, Civitates, Oppida, Pagi tam in Transylvania quam in Partibus Hungariæ eidem annexis, alioquin promissa pecunia, annona, & reliqua non poterunt administrari.

10.

Suis Celsitudinibus Principalibus supra memoratis, cum tota aula sicut & cujuscunque Ordinis Regnicolis, Magnatibus & Militaribus hominibus, Civitatensibus, Oppidanis, libera & secura, in suis bonis & Domibus permittetur habitatio, neque liber eorum itus vel reditus per totum Regnum impedietur.

11.

Celsissimi Principes, & Principissa, Magnates, Nobiles & Militares Homines, si in loca præsidiata, vel præsidianda, Arces, Civitates pro sui defensa ingredi voluerint, immittentur, & honeste tractabuntur nec damnificabuntur, nec injuriabuntur, de hospitiis commodam habebunt provisionem, præcipue in metu Turcarum & Tartarorum, si hoc facere deberent, præsidia quoque in casu, si vis hostilis ingruat Transylvaniam ejusque Status, mutua fide jurejurando utrinque obligata cum Transylvanicis defendere, & conservare tenebuntur.

12.

Vani Delatores Suæ Celsitudinis, Dominorum, Magnatum & Urbium, si qui forent, non admittentur, neque fides talibus adhibebitur, sed Suæ Celsitudini, & Dominis Consiliariis ad notitiam dabuntur, neminem ex Regnicolis prosequentur vel arestabunt, neque uni contra alterum Patrocinabuntur.

13.

Nullius Bona, multo magis suarum Celsitudinem, aggredientur, neque frumenta, Vina, jumenta, pecora, fœnum, Stramen, nullius denique generis suppellectilia auferri curabunt, neque subditos cogent ad sua servitia.

14.

Currus, Boves, occasione Vecturarum non accipient, nec detinebunt.

15.

Indifferenter omnibus, cujuscunque Status, & conditionis, ac præeminentiæ sint ii, perpetualis & Generalis amnistia dabitur, cum bona assecuratione, ad eorum tamen insinuationem.

16.

Nec in Cibinium, nec in alia loca, supra necessitatem præsidia imponentur.

17.

Liber Quæstus in Transylvania, & partibus Hungariæ eidem annexis non turbabitur, neque eorum Tricesimis, Teloniis, Juribus & Legibus se immiscebunt, neque Græci, Armenii aliique Negotiatores, in hoc Regno turbabuntur.

18.

In quibus locis præsidiatis vel præsidiandis, suæ Celsitudines, vel Domini Consiliarii, Magnates Nobiles, vel Militares homines propria habentes hospitia, & jurisdictiones, si qui in iis manere & subsistere voluerint, non injuriabuntur, neque ubi ipsimet erunt, neque ubi Bona sua & familias suas reservaverint, hospitibus aggravabuntur, nec proventibus ii frustrabuntur.

19. Fu-

19.

Futuro vere ex omnibus locis præsidiatis,& præsidiandis, Præsidia ex Quartiriis, sine omni læsione Regnicolarum educentur, neque iisdem imposterum onerabuntur; Si tamen id prægnans ratio belli non præmitteret, de hoc Sacratissima Majestas, ulterius cum Celsissimo Principe, amicabiliter tractabit.

20.

Munitionibus quovis vocabulo vocitatis tam Civitatum quam Arcium & Castellorum, manus suas non admovebunt; nisi in casu urgentissimæ necessitatis.

21.

Præsidiariis, Magnates, Nobiles, Militares Homines & Civitatenses non inquietabantur, & damnificabantur, neque ad ullam gratuitam hospitalitatem cogentur, neque fœmineo sexui vis inferetur.

22.

Civitatenses à Provisoribus Portarum, Turrium, Propugnaculorum non excludentur, & custodia Clavium ad Locorum portas, erit secundum Saxonum Privilegia, penes Consulem loci præsidiati, vel præsidiandi, sed quotiescunque Commendans Officialis Cæsareus desiderabit, sine ulla mora aut difficultate Portæ claudantur & aperiantur.

23.

Nulli à fidelitatibus suarum Celsitudinum Principum Transylvaniæ fascinabuntur, vel avelli intendentur, neve fides sinistræ alicui informationi de sua Celsitudine, ac de Regnicolis adhibebitur, sed à Sua Celsitudine informatio de iis accipietur.

24.

Et si qui ex parte Suæ Majestatis, aut Celsissimi Principis transfugerint invicem nullo modo recepti aut detenti restituantur ad Turcas transmittendi licentiam pro sua excusatione habebunt.

In Szasz Varos, Szaiz Szebes, Bistricz, Kolosvar, Monostor, Albam Juliam, Cibinium, Devam, Vasar helly, Tovis, Quartiria imponentur, & alia loca si non jam præsidiata forent, ab onere militum libera manebunt, nisi per subsecuturos Contractus aliud placeret.

Si quando inter suam Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem, & Turcam pax fieret, res penes declarationem à sua Sacratissima Majestate, Viennæ Domino Gyulai factam maneat.

Si quando Comitia Statibus Regni per Celsissimum Principem indicentur, non impediantur.

Sicuti in fortalitiis, & Civitatibus Annona sit disposita, à nullo impedietur, sed expectabitur Annona in rationem Militiæ, ex dispositione Celsissimi Principis.

Hinc itaque omnia & singula supra recensita Puncta eo modo placita & conventa intelliguntur, ut Celsissimus Princeps Ordines sua ex parte quoque omnia & singula accurate observent, & adimpleant, nec quicquam directe vel indirecte, aperte vel occulte, contra fidelitatem, aut Servitium Suæ Serenissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, agant, vel agi aut machinari patiantur.

In quorum mutuam, bonam Christianam, ac sinceram fidem duo ejusdem tenoris Instrumenta desuper confecta & nomine Serenissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Supradicti Serenissimi Lotharingiæ Ducis manu propria, ac majori Sigillo, nomine vero Celsissimi Transylvaniæ Principis, Statuumque Dominorum huc ad Tractatum Ablegatorum subscriptione, ac Sigillis munita roborataque, & utrinque extradita fuerunt. Actum in Castris Cæsareis penes Balasfalva positis die 27. Octobr. Anno 1687.

B. B.

Ad Sacratißimam Cæsaream & Regiam Majestatem Dominum Dominum Nostrum Clementißimum Regni Transylvaniæ Humillima Instantia, quam per Excellentißimum Dominum Antonium Comitem à Caraffa Aurei Velleris Equitem Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestat. Consiliarium, Camerarium Cavalleriæ Generalem, unius Inclyti Regiminis Cataphractorum Colonellum, ac Hungariæ Armadæque Cæsareæ in Transylvania existentis Commendantem, penes repositam in naturali & innata benignitate & Clementia Suæ Majestatis Sacratißimæ fiduciam in sequentibus punctis, humillime porrigit Sacratißimæ Suæ Majestati.

1.

QUatuor receptæ Religionis nullo unquam modo, tempore & prætextu in suo libero exercitio turbentur, sed omnes Ecclesiæ, Templa, Scholæ, Parochiæ, in suis usibus, cultibus, Terminis, proventibus, privilegiis & consuetudinibus hactenus usitatis, ita etiam eorum Ministri in suo Ministerio, honore & libertate intacte conserventur, sicut Serenissimus etiam Lotharingiæ Dux gratiosissime super hoc nobiscum concluserat.

2.

Celsissimus modernus Princeps Senior Michael Apafi, ita etiam Junior à nobis Electus Michael Apafi in suo Principatu Autoritate Titulo Insignibus libero Regimine & cujusvis nominis proventibus non turbentur, sed juxta Leges & usus Transylvaniæ Patri conserventur, etiam post eorum fata libera maneat penes Transylvanos Principum Electio juxta benignam suæ Majestatis Sacratissimæ oblationem, qui etiam ea qua moderni Principes authoritate & libertate frui, & gaudere possint & à nemine nisi à sola Cæsarea & Regia Majestate dependeant ordineque omni loco & tempore Palatino Regni Hungar. præeant.

3.

Ut nunquam in Transylvania erigatur Jus Patronatus & Sacerdotale, secundum Clementissimam Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem.

4.

Privilegia Donationes & Collationes Principum Antiquorum modernorum & futurorum, ita etiam Conventus Capitulares Leges & consuetudines Patriæ hactenus usitatæ absque ulla innovatione sancte & intacte in suo vigore conserventur, neque termini Regni minuantur.

5.

Bona quæ ad Transylvanos spectant in partibus Hungariæ Transylvaniæ annexis hactenus à Turcis reoccupatis vel deinceps reoccupandis iisdem restituantur.

6.

Transylvanis in Regno Hungariæ secundum justam eorum prætensionem sua Sacratissima Majestas Clementissime satisfactionem impertietur.

7.

Transylvanis ubivis Locorum Liber quæstus concedatur.

8.

Transfugæ & proditores ab utrinque restituantur & nunquam æstimentur; Atque in conservationem majoris Tranquillitatis falsi & varii delatores

res ne admittantur imo si qui tales forent denominentur, delationesque eorum significentur, si qui Rei certo comperti fuerint juxta Leges Transylvaniæ puniantur.

9.

Quandoquidem universum regnum devotionem suam erga Sacratissimam suam Majestatem & Rempublicam Christianam supra vires est Contestatum atque propter aliquot Annorum Quartiria & magnas contributiones jam nimis est enervatum, dignetur Clementissime Sua Majestas Sacratissima pro innata Clementia & paterno affectu ab ulterioribus Quartiriis & Portionibus immunitare. Atque juxta humillimas nostras oblationes summa Quinquaginta millium Thalerorum Annuatim contenta esse.

10.

Pace cum Turcis conclusa Transylvania bona securitate includatur, atque ut Milites suæ Majestatis Sacratissimæ è Transylvania educantur fortalitia præsidiis evacuentur, & cum omnibus munitionibus Transylvanis restituantur, ac inter ea donec educentur & evacuabuntur, si qui Transylvanorum sua bona in locis præsidiatis vel alibi habuerint vel induxerint aut educere voluerint nullo afficiantur damno aut Impedimento, etiam qui Officiales Suæ Majestatis Sacratissimæ & cujusvis Ordinis Milites dum in Transylvania manserint nullo Regimini Transylvanico & pro venturo se immisceat.

11.

In casu metu hostium Celsissimi Principes & Principissa cum tota aula ita etiam Regnicolæ cujusvis Ordinis in loca præsidiata cum omnibus bonis immittantur, & honeste tractentur.

12.

Ut indifferenter omnibus Transylvanis cujuscunque Status & conditionis, si quid factis vel scriptis hactenus contra suam Majestatem attentavissent, Generalem & perpetuam Amnestiam largiantur Sua Majestas Sacratissima.

13.

Quod Deus avertat si propter Turcas vel Tartaros Celsissimi Principes & Principissa, Magnates etiam & Nobiles Regni Transylvaniæ subsistere non possent, dignetur Sua Sacratissima Majestas in Hungaria vel aliis suis Regnis, tutum receptaculum, Protectionem & provisionem impertiri ad suam Majestatem Sacratissimam confugientibus.

Datum in Generali universorum Statuum & Ordinum Trium Nationum Regni Transylvaniæ & partium Hungariæ eidem annexarum Congregatione in Oppido Fogoras die 1. Mensis Junii A. 1688.

(L.S.) (L.S.) (L.S.)

B. B. B.

Declaratio Regni Transylvaniæ in fidelitatem Sacræ Suæ Majestatis Cæsareæ opera E. D. G. C. Karafa.

Nos Michaël Teleki de Szek Generalis, Gregorius & Alexius de Bethlen, Ladislaus Szekelly, de Boros Jenœ, Valentinus Franz Judex Regius, & Christianus Szabo Consul Cibiniensis, Celsissimi Principis Transylvaniæ Consiliarii, Nicolaus de Bethlen, Stephanus

Apor de Alſo Torja, Petrus Alvinczi, & Johannes Saroſi Magiſtri Prothonotarum, Michaël Hiſtich Judex Coronenſis dicti Celſisſimi Principis & Statuum regni Tranſylvaniæ Ablegati Plenipotentiarii.

Damus ad notitiam & pro memoria:

Orbis univerſus jure meritoque obſtupeſcit, Invidi marceſcunt ad magnitudinem divinæ Clementiæ, quæ poſt tot cladium & innocenter effuſi ſanguinis immanitatem Chriſtianorum miſerta, tot Provincias & regna à Barbarica & intoleranda ſervitute & ſempiternam memoriam, & bonorum omnium conſolationem vindicavit.

Non potuit amplius juſtum in cœlis Numen niſi dolentibus intueri oculis, rabiem & faſtuoſitatem hoſtis atrocisſimi & jurati totius Chriſtianitatis, qui jam eo progreſſus erat potentiæ, ut formidabilis eſſet orbi, vicinis exitioſus, omnium contemptor. Ex ſurrexit tandem in virtute dexteræ ſuæ Dominus Exercituum, cauſamque & juſtiſſima arma Sacratiſſimi Romanorum Imperatoris Dom. Dom. noſtri Clementisſimi, tam felicibus & glorioſis coronavit Succeſſibus, ut fractas & protritas vires, humiliatum & ſuppreſſum ipſe Barbarus recognoſcat & confiteatur ſpiritum.

Tanta ſunt opera divinitatis & admirandæ providentiæ, ut furias ipſo jam ſucceſſu ſecuras ultio ſubito excipiat, ne vel unquam ad Chriſtianorum extirpationem tyrannice graſſantibus timor, vel, ſpes deeſſet preſſæ & vacillanti fortunæ.

Ingemuit à ſeculo, & quod excedit, ſub oppresſione Turcica infelix Tranſylvania, ſuoque orbata legitima Rege atque Domino inter tot bella, clades, incendia, & inteſtinas, cum quibus conflictabatur, diſcordias, vix non ad extremum præcipitata eſt exitium; Manebit in æternitate temporum, hiſtoriarum monumentis inſerta, fatalis Tragœdia, quam hoc regnum ſub Protectione Turcica, & inter diſcordantes Principes ſuſtinuit.

Redit jam ad Regem Hungariæ, à quo fatorum invidia & ambitionis nonnullorum auſibus ſegregatum erat, & amplectitur paternam & validiſſimam protectionem Auguſtiſſimi Leopoldi I. Romanorum Imperatoris, & Hungariæ Regis Hæreditarii, magni, felicis, juſti, invicti, ejuſdemque Succeſſoris, moderni Sereniſſimi Regis Joſephi (cujus vitam & thronum Deus ſoſpitet) ex univerſali Statuum conſenſu votisque unanimibus, quæ à multo tempore ad conſequendam hanc felicitatem in ſinum divinæ miſericordiæ effudit.

Quod igitur hactenus ab omnibus expetitum, Deo Optimo Maximo gratioſum, à præſenti momento ad ſucceſſiva atque perpetua tempora felix, fauſtum, fortunatum, omnibusque ſingulis nunc viventibus & naſcituris notum & conteſtatum ſit; Renunciamus virtute Plenipotentialium, & pro majori cautela in vigore confirmationalium actorum & Concluſorum Celſisſimi Principis & Statuum regni, communi voluntate, motu ſpontaneo, & ex Chriſtiano zelo Protectioni Ottomannicæ, omnibusque in futurum Correſpondentiis, donorum & tributi penſionibus, & quicquid vim aut ſpeciem alicujus communicationis cum dicta Porta, ejusdemque Clientibus, aſſeclis, infidelibus, aliisque hoſtibus, cujuscunque generis, Sacratisſimi Romanorum Imperatoris Domini Domini Noſtri Clementisſimi & ejusdem ſucceſſorum legitimorum & hæreditariorum, Hungariæ regnum oſtentare poſſet, ſub pœna notæ criminis Læſæ Majeſtatis, comperta rei veritate juxta leges Regni Tranſylvaniæ infligenda.

Acceptantes è contra ſincere atque bona fide altæ dictæ Suæ Majeſtatis Auguſtisſimæ (ſicuti jam declaratum) paternam protectionem pro nobis & omni poſteritate Inclyti Regni Tranſylvaniæ, & ut hujus noſtræ ſubmisſionis & accommodationis aliquod de facto exhibeamus documentum, recipimus ex virtute ſupra memoratarū Plenipotentialium & confirmatoriarū actorū & Concluſorum Celſisſimi Principis & Statuum regni, Præſidia Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris in fortalitia Kœvar, Husſt, Gorgenii & Coronenſe (extra illa, in quibus de facto præſidia Suæ Majeſtatis ſunt collocata, & parati ſumus arma ſumere contra communem Chriſtianitatis hoſtem Turcam & quoscunque, quando Sua Sacratiſſima Majeſtas nobis mandaverit, ſubmiſſiſſime ſupplicantes, ut Invictiſſimus Imperator Dominus noſter Clementisſimus, ex innata Sua Clementia, libertates & Privilegia noſtra, in ſpecie vero liberum exercitium religionis hactenus receptis benignisſime confirmare, nosque & poſteritates noſtras in iisdem protegere & confirmare dignetur, neque dubitamus quin Excellentisſimus Dominus Generalis Comes à Karaffa

raffa demiſſas inſtantias memorati Celſisſimi Principis & totius regni apud Suam Sacratisſimam Majeſtatem Dominum Dominum noſtrum Clementisſimum efficaciter ſit recommendaturus, quod ſicuti fiducialiter à favore Suæ Excellentiæ & hucusque conteſtata propenſione petimus & ſperamus, ita prædictus Excellentisſimus Dominus Generalis in libertatibus & privilegiis noſtris nullo modo nos turbabit, interim manet in ſuo vigore Tractatus cum Sereniſſimo Duce Lotharingiæ.

In cujus rei majorem fidem atque firmitatem & ut notitia iſtius aſſecurationis noſtræ Receſſus à Protectione Turcica ad omnem poſteritatem tranſeat, ideo eandem uſualibus Sigillis trium Nationum Regni Tranſylvaniæ corroboravimus. Actum in Civitate Cibinienſi die 9. May A. 1688.

C.

Leopoldus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, &c.

Magnifici, Egregii, Strenui & Nobiles, Prudentes, ac Circumſpecti Fideles ſincere dilecti!

AMplam ad nos dedit relationem Camerarius Noſter, Equeſtris Militiæ Generalis, Colonellus, & Commiſſarius Noſter Generalis Plenipotentiarius, Fidelis Nobis dilectus Antonius Comes Caraffa, de non minus laudabili, quam vobismet ipſis proficua Reſolutione veſtra, qua excuſſo Barbarorum Jugo, quo, tot annorum ſerie presſi, & vix non oppresſi eſtis, abdicataque ſponte protectione, imo intolerabili Servitute Ottomannica, ad Nos, tanquam Legitimum Regem Veſtrum Avitamque devotionem poſtliminio cum Poſteritate Veſtra redire decreviſtis, perſonis, fortunisque veſtris, Protectioni Noſtræ Cæſareæ Regiæque ſubjectis. Quam Egregiam intrepidamque declarationem Veſtram, omniaque Nobis, hactenus pro reprimendis Turcarum Viribus, & Conatibus hoſtilibus, longius removendis præſtita à Vobis ſubſidia Clementisſimo, gratoque ſuſcipientes animo, nulli parcemus labori, vigilantiæ ac ſollicitudini, ut ſaluti, conſervationi, ſecuritatiq; Veſtræ, contra quoscunque Barbarorum auſus & oppresſiones proſpiciatur, eoque Protectionem Noſtram Paternam, actu ſentiatis; Neminem etiam in libertate conſcientiæ, & Religionis in Tranſylvania receptæ & hactenus tolleratæ, turbari permittemus, omni denique modo Curaturi, ut fiduciæ Veſtræ de benignitate Noſtra conceptæ effectus correſpondeat, exacta quoque Militari Diſciplina obſervata, ſeria hunc in finem Militiæ, Generalibusque Noſtris dedimus Mandata, & peracta Expeditione Campeſtri, ulterius operi huic Vobis tam ſalubri plane ſtabiliendo, manum admovebimus; Vobis deſuper ſenſa Noſtra ſincere propoſituri; Interim in forti Altisſimi Dextera, cauſa ſua juſtisſime Vindice, Nobiſcum confidite, inſiſtite cœptis, & de Paterna Sollicitudine, tutela, Gratiaque Cæſarea & Regia, optime ſperate, quum Vobis uberrimam Clementisſime deferimus. Datum in Civitate Noſtra Viennæ, die 17. Menſis Junii, An. 1688. Regnorum Noſtrorum Romani 30 Hungarici 33. Bohemici vero 32.

Leopoldus.

T. A. Hn. Comes de Stratmann.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis proprium.

Stephanus Andreas de Verdenburg.

Di-

D.

Diploma Cæsareo-Regium Transylvaniæ datum, &c.

NOS LEOPOLDUS, &c. &c. &c.

Magnificis, Egregiis, Strenuis & Nobilibus, Prudentibus ac Circumspectis, Fidelibus sincere Nobis dilectis, N. universis Statibus Provinciæ, Transylvaniæ, & reliquis tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, quorum interest, Gratiam Nostram Cæsaream Regiamque & omne bonum! Illis benigne perspectis, quæ Transylvaniæ Ablegatus Egregius fidelis dilectus, Nicolaus de Bethlen uberrime exposuit, quidnam à Nobis quoad Confirmationem Diplomatis de 28. Junii 1686. desiderati: quoad Religiones ibi locorum usitatas: quoad Patriæ Leges ac Consuetudines: quoad Privilegia, Dignitates & Officia: quoad sublevanda portionum & Hybernorum onera: quoad Provinciam in pristinum florem redintegrandum: aliave saluti publicæ multum Servientia, debita erga Nos veneratione & fidelitate efflagitet. Supremi Nostri Regii muneris à quo si Dominus Exercituum adminiculetur, pro temporum vicissitudine, felicia scaturire solent incrementa, esse dignovimus, charissimam hanc Transylvaniæ Regionem, jam à seculis Inclyto Nostro Hungariæ Regno assertam, magis, magisque veluti animam Nostram amplecti posthabitis enim aliis, contra Communem Christiani nominis hostem destinati Belli Operationibus Ludovici Marchionis Badensis dilectionem, ad sistendas iniquissimi Tœkœly, eidemque adhærentium Rebellium, nec non Turcarum, & Tartarorum incursiones, illuc cum exercitu expedivimus, hac firma spe freti, illum per quem Reges regnant, & justa decernunt in firmitudine Brachii sui Justitiæ causa Armis Nostris Cæsareis & Militiæ Transylvaniæ, Benedictione Divina ad futurum, ac secundos Regiæ intentionis successus largiturum. Sacramentum fidelitatis jam antea Nobis transmissum, nihil ambigendũ, quin immortalitatis studium, nõ minus totam Patriam, quam illos qui sub Nostra Regia protectione, Consilio & Curæ Commissam habent Provinciæ administrationem, cum nunquam intermoritura laude præstitam, & opere ipso in quibus vis emergentiis, pro viribus comprobatam fidelitatem (quam ex æquo æstimamus) ad posteros transmittere, eoque omni conatu generose adlaborare, animabit, ne Hostes Regionem montibus Coronæ ad instar circumseptam, rapinis & prædis, igne & ferro misceant, jam tum ab omni ævo, in unam mentem coalitas Nationes, pessimis Stratagematum Technis & irritamentis dissipando, graviori Barbaris serviendi Jugo, mancipent, Gentemque toti hactenus Christianitati Antemuralem, evertant.

Confirmationem desiderati Diplomatis pro Successione Michaelis Apaffi in Principatum quod attinet.

Cum is, utpote adolescens quatuordecim Annorum per Leges (quarum sanctam Generosi Status ducunt observantiam) ante vigesimum ætatis Annum ad Regimen non sit adultus, his à perfidia Tœkœly turbatis temporibus, neque in rem Transylvaniæ, neque in Patriæ bonum vergere, perbenigne judicavimus, si quidquam ad memoratarum Legum transgressionem innovari contingeret, proinde minorennis in timore Domini condignis Consiliarios Intimos, qui commissam habent Provinciæ administrationem, Virtutibus in spem Successionis, usque ad annos pubertatis imbuendus, maturescentium in eo atque emicantium animi dotum specimina expectanda, Gratia demum Cæsarea Regiaque in Patriæ emolumentum benignissime cõplectenda Ne vero interea temporis universi Transylvaniæ ordines suspensis animis hærendi, aut vel minimum præter Paternam Nostram intentionem ominandi ansam habeant, de sequentibus Articulis, fideles Status & Or-

Ordines, in universum eorumque posteros, quos in omni erga Regiam Coronam Nostram fidelitate perstituros, confidimus sub verbo Regio & integerrima fide duximus esse assecurandos.

1.

In casu Receptarum ibidem Religionum, Templorum, Scholarum, Parochiarum, aut introductionis cujuscunque alterius Cleri, & Personarum Ecclesiasticarum, quam ibi nunc extant, nihil alterabitur, Contradictionibus quibuscunque sive sacri, sive profani ordinis, nihil unquam in contrarium valentibus, ita tamen, ut Catholici propriis suis sumptibus, adeoque citra omne aliarum Religionum gravamen Claudiopoli in præsenti devotionis suæ loco, sibi Ecclesiam: nec non Albæ Juliæ, Templum minus, olim à Christophoro Bathorio erectum, nunc desolatum, reædificent, iidemque Catholici ubique Locorum si pauci & peregrini sint, privatim, si vero eorum multi, tunc publici Religionis suæ exercitii, & condendarum Ecclesiarum jure gaudeant, æque ac aliæ in Transylvania receptæ Religiones tali casu, ubi nimirum in aliquo loco numero prævalent, gaudere consueverunt.

2.

Confirmamus Fidelibus Statibus omnes Hungariæ Regum similiter omnium à tempore separatæ ab Hungaria Transilvaniæ, ejusdemq; Principum Donationes, Collationes, Privilegia, Armales, Titulos, Officia, Dignitates, Decimas, & denique quævis beneficia, ac bona, sive privatis, sive Civitatibus, ac Communitatibus, & Cœtibus, sive cujuscunque ex Receptis Religionibus ad dictæ Ecclesiæ, Parochiæ vel Scholæ, tam in Transilv. quam partibus Hungariæ, in Siculia & Debreczino prædictis factas & data, etiamsi aliquando ad aliquam Ecclesiam, Conventum vel Capitulum pertinuerint, ita ut nemo omnino hac occasione in suis bonis, nec per Nos nec per quemcunque Sacri aut Profani Ordinis Virum impetendo aut actionando, turbetur; Sed unusquisque, ea, quæ nunc habet, & possidet, posterum etiam teneat & possideat, secundum dictas Regum, vel Principum Donationes, exceptis iis, si quorum Principum Donationes, ipsi per suas Constitutiones abrogassent.

3.

Approbatas & Compilatas Patriæ illius Leges, Decreta, Tripartitum Verbœczii, expuncto tamen ibidem Articulo Nono. Decreti Andreæ Regis, qui in ultima Posoniensi Diæta abolitus fuit, Constitutiones, Jus Municipale Nationis Saxonicæ, in vigore inviolabili permansura declaramus quidem; cum autem ipsimet Status, tum ratione Religionis, tum etiam Constitutionum suarum ac Privilegiorum inter se discrepent, & Catholici in præfatis 1. & 2. Articulis gravatos se existiment, Saxones vero Privilegiis suis antiquis, & eorum usui & Consuetudini in Articulo tertio magis cautum esse efflagitent, è re ipsorummet Statuum duximus, ut difficultates inter illos circa dictos Tres Articulos vertentes, amicabili compositione & concordia sub ratificatione Nostra Cæsareo Regia complanare studeant, hac vero non succedente, auditis partibus, opinioneque Consiliariorum Nostrorum Transilv. desuper intellecta, reliquum Nobis erit, id denique pro munere Nostro Cæsareo-Regio decernere, quod justum & æquum compertum fuerit.

4.

Morem usitatum, utpote quem supremæ potestati non derogare invenimus in Guberniis Consilii Intimi, Comitiorum suffragiorum, Politia ac Libertate: in Tabulæ judiciariæ Magistrorum Protonotariorum & Assessorum item & inferiorum Tribunalium Autoritate, in administrandæ justitiæ solito & ordine & usu (omnia tamen salvo in gravioribus recursu ad Regem) illæsa præcipimus conservanda. In Oeconomicis quoque quoad Regalia & Fiscalia prævia fidelissimorum Statuum sincera Informatione, eam habituri rationem, & modum, ut per Commissiones Camerales aut alia via, Nemo Nobilium, Civium aut privatorum gravari possit aut debeat.

5.

In omnibus sive ad Politiam, sive Justitiam vel Oeconomiam administrandam necessariis Officiis utemur Indigenis Transylvanis, Hungaris nempe Si-

Siculis & Saxonibus, nullo habito Religionis respectu, neque exteræ Nationes, aut quæ Nobiscum ab illis inter exteras & inhabiles dignoscuntur, ad Honores & Munera, quotiescunque ea vacare contigerit, prævalebunt, Salva tamen Nostra cum illorum consensu ad recipiendum aut non recipiendum in Matriculam commendatione.

6.

Bonis ob defectum Prolium aut Notam Infidelitatis, ad Fiscum Regium devolvendis, benemeritos Transylvanos, Hungaros nempe Siculos & Saxones indigenas, non attento Religionis discrimine, propensi erimus dignari. Illa vero Privatorum bona quæ Armis Nostris occupata sunt ab hostibus, Antiquis Possessoribus, aut eorum Posteritatibus ex mera benignitate Regia restituentur. Ad quem finem alicui Tribunali in Transylv. aut Nostro Belli Duci, ut vicis Instrumentis, quod justum videbitur, decernat in hoc speciali Casu ex Commissione Regia benigne committemus.

7.

Supremum Status Directorem Nostrum pristinis temporibus Vajvodam dictum, vel ejus vices gerentem ex Indigenarum Transylvaniæ Nobilium ac Procerum Nostrorum numero, sive Catholicæ, sive alterius ibi receptæ Religionis fuerit, si fidelitate & meritis præpolleat sumemus: Idem ~~quoque~~ de munere Generalis Militiæ Transylvanicæ, Cancellarii Supremi, Consiliariorum Intimorum, Comitum Supremorum, & Capitaneorum inter Siculos, Magistrorum Protonotariorum, aliisque Dignitatibus antea solitis, observabitur. Et hæc

8.

Cum tali modificatione Clementissime largimur, ut Gubernatoris Summi, Militiæ Transylvan. Generalis Cancellarii, Intimi Consiliariatus, & Protonotariatus Candidatos, si quando similia munia resarcienda venerint, Nobis ad Confirmandum præsentent ut tanto tranquillior diversarum Nationum Status persistat, periculosæ machinationes aut ambitus exulent, atque omnium animis concordi desiderio salus publica, pro optimo Regiminis fine, in quem collimient universi, hæreat radicata. Quod autem ad alios officiales attinet, nempe Judices Regios inter Saxones, & Siculos, Judices Nobilium, Vice-Comites in Comitatibus, Judices Consules, & similia officia in Civitatibus & Oppidis, quæ per liberam Communitatum electionem, apud ipsos constitui solent, in eadem etiam imposterum Libertate, ac consuetudine maneant, confirmatione tamen pariter Nostra sicut in præcedentibus, in quolibet ex dictis casibus impetranda.

9.

Magnum inter salutis Publicæ incrementum redundare posse Clementer existimavimus, si in Consilio Intimo duodecim-Virali saltem tres sint Catholici, & in Tabula Judiciaria duodecim-Virali etiam tres Catholici, cœteris ex aliis Religionibus ipsorum recipiendis. Et quidem inter illos, in Consilio Intimo, etiam Judex Regius Cibiniensis, juxta Leges receptas ex Natione Saxonica. Inter Magistros Protonotarios vero, unus sit Catholicus ex modernis tamen quilibet in suo officio persistat.

10.

Annua Comitia, ad negotia publica tractanda, justitiam administrandam, & propositiones Regias, si quæ fuerint intelligendas, necessaria; nec non Terminorum Octavalium celebrationem Nostro Gubernatori, & Intimo Consilio promulganda committimus, reservando Nobis eorum omnium, quæ sic geruntur, Regiam confirmationem.

11.

Supremo Status Directori Nostro sua sit authoritas conditio, & prærogativa alias debita, semper ille in Provincia Præsens, Legibus, Patriis, tam quoad Sacra, quam Profana, solenni juramento obstrictus, congrua etiam stipendia, & illi, & singulis de Consilio Intimo, ac Tabula Judiciaria, ex mediis Ærarii Nostri Regii, & Fiscalibus, benigne decernemus. Quod si utilitas publica, & diversarum ibi degentium Nationum tranquillitas, illum quotannis mutare suaderet, liberrima Statuum ad alium, quo citius eligendum, fieri poterunt suffragia, pro Nostra ulteriori Clementissima resolutione trāsmittenda.

Tem-

12.

Tempore pacis (quod Deus pacis approximet) quinquaginta mille Imperialium Tributo , tempore autem Belli contra Hungariam & Transylvaniam quadringentorum Millium florenorum Rhenensium Contributione, computatis etiam Naturalibus contenti erimus, Repartitionis, & exactionis forma , penes fideles Status & Provinciæ Officiales, relicta, & ab ipsis sine partium studio , ad proportionem reducenda, cætera quæ ultra prædictas summas, vel Belli vel Pacis tempore pro defensione Patriæ requirentur, amore fidelium Statuum , & universæ Plebis sublevandæ causa , ex bonis Regiis, & Fiscalibus, nec non salis & reliquorum Metallorum Fodinis, Tricesimis, Decimis inter Saxones , Arenda Decimarum in Comitatibus , aliisque Nostris proventibus allaturi.

13.

Dacias & alia apud ipsos usitata Exactionum genera introduci non curabimus, Vectigalia aut Tricesimas non augebimus.

14.

Siculi, genus Hominum bellicosissimum , ab omni Tributo, ab omni Hybernorum aut æstivorum molestia, Decimis & præstationibus, ratione Bonorum quæ cum onere insurgendi possident, velut hactenus, ita imposterum , sint penitus exempti. Econtra pro tuenda Patria propriis impensis militare obstricti permaneant , non tamen sub intellectis Rusticis vel Jabbagionibus Siculis.

15.

Liberum sicuti sub Principibus fuit quæstum , sive Commercia rerum omnium concedimus , benigne volentes , ut & Nobilium prærogativæ ac Privilegia , hac in parte observentur.

16.

Decimas autem consueta hactenus apud ipsos Arenda redimi solitas , Dominis Terrestribus relinquemus , Arenda tamen Fisco reservata.

17.

Magnis & non necessariis Præsidiis , partim ex Milicia Indigena instituendis, & ex Nostro Ærario alendis, provinciam non onerabimus, Generalem tamen & Caput, Germanum illi præficiemus , qui reciprocam cum Gubernatore, Consilio Status, & Generali Militiæ Transylvanicæ , in omnibus negotiis Bellicis Correspondentiam habiturus , aliis ad prædictum Statuum aut Gubernium pertinentibus se non ingeret.

18.

Tollimus à Saxonicæ Nationis & totius ubique miseræ Plebis cervicibus per abusum inveteratum gratuitam Viatorum cujusvis generis, vel Conditionis Victitationem, Equorū ac omnis generis Jumentorum angariationem, & Quartiriorum, aliosque similes, præsertim in dictam Saxonicam Nationem à Viatoribus hactenus exercitos abusus ; Clementissime suadendo, & jubendo , ut postæ remissa prius ad aulam Nostram Informatione à Consilio Status, Diversoria vero pro benevole recipiendis , Justa Pecunia & pretio Cibandis itinerantibus , à Dominis Terrestribus & Civitatibus constituantur.

Nos itaque, qui pientissimum Regii muneris nostri executuri officium universorum & singulorum Fidelium salutem , Commune bonum tranquillitatem Publicarum rei pristinæ incrementum & Charissimam Transylvaniam , nullo Deo oppitulante Minotauri Turcici Labyrintho deinceps implicandam Cordi duximus , visis & examinatis prædictis Articulis & punctis, pensantes eos honori & quieti , & commodo Statuum , Ordinum & Incolarum omnium universæque Reipublicæ Christianæ conducere , eosdem in omnibus suis partibus & capitulis approbamus, & in perpetuum valitura Lege Sancimus tenore præsentium, promittendo in Verbo Regio, ac apud Nos , & Nostram Serenissimam Domum nunquam violabili fide , quod illis firmiter & inconcusse servabimus , & servari faciemus , majora & majora semper in fidelissimam Nobis Gentem ponere beneficia propensi. Datum in Civitate No-

Nostra Viennæ, die 4. Mensis Decembris An. Domini 1691. Regnorum Nostrorum Romani 34. Hungarici 37. Bohemici vero 36.

Leopoldus.

T. A. Hn. Comes de Stratmann.

(L.S.)

Ad Mandatum Sac. Cæs. Regiaque Majestatis proprium.

Stephanus Andreas de Verdenburg.

E.

COPIA

Resolutionis Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis per Dominum Petrum Allvintzi allatæ Anno 1693.

SAcræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Archiducis Austriæ Domini Nostri Clementissimi nomine, Domino Petro Allvintzi, à Dominis Statibus & Ordinibus Transylvaniæ ad Aulam Cæsaream misso hisce perbenigne significandum. Perceptas, relatasque fusius esse preces ab eodem nomine dictorum Dominorum Statuum ad altissime, nominatam Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem delatas, Religiones aliaque negotia publica ipsi commissa spectantes, quibus mature, accurateque discussis Majestas sua sequentia clementissime resolvit, & in

1.

Desideratam Confirmationem Domini Michaelis Apaffi in Principatu quod attinet, inhæret Sua Majestas Clementissime iis, quæ hac de re tam in Diplomate Cæsareo Regio de 4. Decembris Anni 1691. expressa quam 31. ejusdem Mensis & Anni, Dominis Ablegatis Transylvanicis tunc temporis in aula Cæsarea existentibus ad parem eorum Instantiam responsa sunt, ad quæ durantibus adhuc iisdem circumstantiis & rationibus Domini Status remittuntur.

2.

Optasse suam Cæsaream Regiamque Majestatem Clementissime, ut præfatum Religionis negotium inter ipsosmet Dominos Status amicabiliter complanari potuisset, cum autem tentata concordia effectum sortita non sit, & ab utraque parte vicissim ad decisionem Suæ Majestatis provocatum, visis & consideratis iis, quæ tum hinc inde in medium allata, tum à Gubernio Transylvanico proposita sunt, rem pro æquitatis ratione ita judicavit terminandam prout ex annexo authographo ad Dominos Status deferendo, & Copia Mandati ad Gubernium Transylvaniæ desuper expediti videre est. Cui decisioni tametsi stet Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, declarat tamen sibi gratius fore, ut loco Reformati Unita-

nitariorum Templum Claudiopoli Catholicis evacuetur & tradatur, accipietque illud tanquam singulare devotionis argumentum Cæsareo-Regia Gratia in aliis occurrentiis agnoscendum, & jussit etiam statim eo casu 5000. florenorum Hungaricalium summam Unitariis pro subsidio sumptuum iisdem incumbentium numerari.

3.

Pergratum fuisse Majestati Suæ, quod Concordia inter Dominos Status, & Nationem Saxonicam, super hujus Gravaminibus, ut & repartitionis onerum publicorum, exactionisque modo posthac observando, inita sit, & conclusa super quibus Resolutionum, Confirmationumque Cæsareo-Regiarum instrumenta originaliter hisce annectuntur, in iis porro gravaminibus, quæ ultra hæc à præfata Natione vel proposita sunt vel deinceps proponentur, Sua Majestas tam ea quæ à Reliquis Dominis Statibus incontrarium forte adduci possent, quam Gubernii opinionem libenter audiet: Interim ut intelligant Domini Status, quo loco apud Suam Majestatem illorum habeatur intercessio, annuit Clementissime, ut nominatæ Nationi Saxonicæ annui 6000. floreni Principibus Transylvaniæ ab illa pendi soliti, durante præsenti Bello Turcico remittantur sibique omnino promittit, in mutuis Contractibus, eum à Dominis Statibus posthac observatum iri usurarum modum ut sublatis excessibus, qui ad Decem pro Centum, & ultra contra Jura ascendere, & à misera Plebe extorqueri feruntur, ad moderatiorem justamque summam, nempe 5. vel ad summum 6. pro Centum reducantur, cœterisque abusibus, quibus Natio Saxonica hactenus gravata reperietur, adæquatum efficaxque remedium allaturos, proinde 18vo Diplomatis Articulo satisfacturos esse.

4.

Cum causæ duplicis sint generis, vel Criminales vel Civiles, Sacra Cæsarea Regiaque Majestas inter graviores illarum censenda statuit Crimina Læsæ Majestatis, Perduellionis, proditionis, & alia quæ statum & tranquillitatem publicam respiciunt, super quibus Gubernii votum seu Opinionem quidem libenter audiet, decisionem autem tanquam rem ad Regem immediate spectantem sibi reservat, an vero, & in quibus aliis Criminibus, quæ pœnam corporis afflictivam cum jactura honoris & bonorum post se trahunt, recursus ad Regiam Majestatem concedendus sit, Gubernii opinionem expectabit.

In Civilibus porro ea duntaxat causas pro revisibilibus, & in quibus Majestati Suæ pro Revisione supplicare liceat, pronunciat, quæ 3000. Aureos in summa Capitali aut ultra important, nullo inter Mobilia & Immobilia discrimine, annumeratis etiam Juribus, etsi minoris valoris aut considerationis. Circa tempus modum & formam revisionis vero tam interponendæ, quam introducendæ ac prosequendæ, aliisque eo spectantibus Gubernii opinionem Sua Majestas similiter præstolabitur.

5.

Acceptam habet Sua Majestas Informationem Fiscalitatum Transylvaniæ à Dominis Statibus & Ordinibus transmissam & quamvis non distinctam adeo præbeat notitiam, ut secure de iis disponere possit, sed exaltiori indagine opus esse videretur, hac tamen paternæ suæ in Dominos Status & Ordines propensioni postposita, solaque devotionis fidei ac integritatis illorum freta fiducia condescendit in desideratam ab ipsis dictarum Fiscalitatum, Juriumque Fiscalium Provincionalem Arendationem & Cameræ Suæ Aulicæ demandavit, ut cum Domino Deputato de pretio, reliquisque conditionibus conveniat.

6.

Inhæret porro Cæsarea Regiaque Majestas Diplomati suo Regio ut officia Transylvaniæ Indigenis conferantur, & modum hac de re octavo & nono ejusdem Articulis expressum rite observari faciet, eorumque virtute ad Duodecim-Virale Consilium Intimum, uti & Tabulam Regiam pariter Duodecim-Viralem & singulis quatuor receptarum Religionum Tria subjecta apta, si tot pro iisdem ex qualibet Religione reperiri possint cooptabit, ubi vero ex unitariis & Augustanæ Confessioni addictis tres idoneæ personæ reperiri nequirentur defectum

hunc ex Catholicis & Reformatis ad Consilium Intimum æque ac Tabulam Regiam, percepto Gubernii sensu, ita supplebit Sua Majest. ut æqualis harum duarum Religionum ratio & numerus in utroque consilio habeatur.

7.

7. Insistit etiam Cæsarea Regiaque Majestas quoad Investigationem Bonorum Armis Cæsareis ab hostibus in Transylvaniæ finibus & partibus eidem annexis occupatorum Art. 6. Diplomatis, in cujus conformitate negotium illud alicui Tribunali in Transylvania, aut suo Belli Duci, ut primum rerum circumstantiæ id permiserint, peragendum committet, eos in hunc finem ex Transylvanis, & Hungaris conterminis, quos excludi nec ipsis Dominis Statibus Consultum ducit, adhibitura Viros, quos pares tanti momenti negotio fore dignoverit.

8.

Uti Diploma mutationibus subjacere, nec Autoritatis Cæsareo-Regiæ, nec ipsa Boni publici ratio patitur, ita Clementissime resolvit Sua Majestas ut Art. 8. & 9. dicti Diplomatis, prout de facto existunt intacti relinquentur, debiteque observentur.

9.

Negotium petitæ à Dominis Statibus amplioris pro Domino Gubernatore facultatis, nimirum 20. Colonos, via legitima ad fiscum Regium devolvendos, Armales præterea, primi pilares, Consensuales, Tutorias, aliaque munera conferendi, ita comparatum est, ut Suæ Majestati turbido hoc rerum Statu Resolutionem suam suspendendi imponat necessitatem, considerabit vero rem opportuniori tempore penitius, & ad officia Dominorum Statuum pro Regia Sua Benignitate reflectet.

10.

Demandabit sua Majestas Gubernio Transylvaniæ ut conficiat Cathalogum Consiliariorum, Cœterorumque Officialium Stipendia Regia in Transylvania merentium, quo viso Sua Cæsarea & Regia Majestas, suæ Cameræ statim ordinabit, ut annua salaria singulis deputentur, & rite persolvantur, pro uti porro tunc Regio Gubernio insinuabitur.

11.

Quemadmodum singularem suam diversis occasionibus testata & Cæsarea Sua Regiaque Majestas propensionem Dominis Statibus gratificandi, ita nec minorem intercessionis eorundem pro assignando Domino Michaeli Apaffio subsidio sustentationis habuisset rationem, nisi expensarum Bellicarum ipsismet Dominis Statibus non ignotarum moles, omnes Transylvaniæ reditus in tantum absorberet, ut hinc ingentem nervum in Transylvaniam quotannis submittere necesse sit, cessantibus vero modernis difficultatibus preces Dominorum Statuum, pro uti tunc è republica visum fuerit benignissime Sua Majestas considerabit.

12.

Partes Regni Hungariæ Transylvaniæ annexas inter quas etiam Debreczinum comprehenditur, quod spectat, cum difficile sit, ex iis tanquam notorio Hungariæ membro Status Hungariæ excludi, ita Sua Majestas rem instituet, ut pro administratione officiorum, quæ illis in partibus vacare contigerit (reciproco inter Transylvaniæ & Hungariæ Status stabilito Incolatus Jure) non minus Transylvanicæ quam Hungaricæ Nobilitatis & Nationis ratio habeatur.

13.

Dominorum Statuum gravamina contra hybernorum pluriumque inde resultantium impositionum onera tametsi defunctus Dominus Generalis Commissarius Cæsareus ad ea responderit, nihilominus ad Consilium bellicum directa sunt eo fine, ut accurate indagata illorum serie, sublatis excessibus, omnia ad justam æquitatem reducantur, interim ut Contributiones Dominis Statibus indictæ necessitate temporis & Belli securitateque illorum propria sic exigente imponuntur, ita cessantibus periculis, Statuque rerum in melius, uti speratur mutato Sacra Cæsarea Regiaque Majestas pro Paterno affectu Dominorum Statuum Sublevationi prospicere modo possibili adnitetur.

14. Po-

14.

Postarum in Transylvania rite ac provide administrandarum Curam jam ante Cameræ Suæ commisit Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, illamque de observandis iis quæ ad hunc finem pertinent, gravaminumque occasione submovenda serio monebit, & mandabit insuper Gubernio ut loca, per quæ dictæ Postæ disponendæ sint, proxime proponat, & in reliquo securitati Postarum studeat.

15.

Consentit vicissim Sua Majestas Clementissime, ut Siculi Transylvaniæ finibus non educantur, nisi Patriæ ipsius tutandæ ratio & necessitas id postularent.

16.

Quanquam Sua Majestas iis qui Tœkœly partes secuti sunt, terminum satis prolixum pro resipiscentia præfixerit, noluit tamen benignitatem & Clementiam suam iis arctari limitibus, quin etiam hoc elapso gratiam implorantibus pateat aditus, eoque iis etiam, qui ad Thronum Suæ Majestatis hactenus confugerunt, sumptis prius debitis à Gubernio Informationibus, nisi quid singulariter obstaret, & de bonis illorum aliter foret interim dispositum, gratiam suam non denegabit, eandem quoque Clementiam cœteris quibus ulterius ad frugem absque ulteriori mora redire serio animus est, quantum tranquillitas publica, & rerum circumstantiæ permittent, prævia rei disquisitione experturis.

17.

Quod Samuelem Szentyvani, & Stephanum Chiaky Bonorum Devensium Provisorem concernit, cum pecunia illius in usus bellicos impensa, de hujus vero Bonis & ipsimet Domini Status allegant aliter dispositum sit, Majestati Suæ integrum non est, experitam ab iisdem gratiam rei non amplius extantis impertiri.

18.

Demandabit è contra circa postulatam Rusticorum transfugorum Restitutionem Cancellariæ Hungarico Aulicæ, ut ordinatam 31. Decembr. Anno 1691. Commissionem sine ulteriori mora instituat, curabitque per aliam Commissionem ex Hungaris Transylvanis compositam prætensionem Dominorum Statuum contra Oppidum Debreczinense investigari, ac omnem rei, auditis partibus, amicabili compositione terminandæ operam adhiberi, secus rei sive cum Voto ad Aulam Cæsaream pro Suæ Majestatis Clementissima Decisione deferenda; Interim Sua Majestas nollet à Dominis Statibus authoritate propria contra Debreczinenses quidquam attentari.

19.

Dolenter intellexit Sua Majestas egestatem Comitatuum Maramarosch Szolnok Mediœus & Kraknensis, ipsisque percepto Commissariatu Bellico Generali, quod possibilitas & ratio Belli admittent, subvenire conabitur, Districtum autem Kovariensem Regno Hungariæ subtrahi, aut cum Transylvania commisceri supra dictæ rationes non patiuntur, de Militis in Transylvania æque ac annexis partibus existentis directione pridem Sua Majestas disposuit, eique dispositioni Clementissime inhæret.

20.

Pergrata fuere Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestati, ea quæ pro instruendo Gubernio Transylvanico, sicut & de Sigillorum usu à Dominis Statibus Ordinibus suggesta sunt, quæ mature considerata, perpenseque in eum ordinem ac formam redigi curavit, quam Servitio Suo Cæsareo-Regio, nec non compendiis, & tranquillitati charissimæ sibi Provinciæ magis conducere visum fuit, perhibito etiam in his amplissimo Paternæ Suæ sollicitudinis & amoris documento.

21.

Annuit Clementissime ut Gubernium Transylvanicum Albæ Juliæ resideat, cui pro majori ejusdem securitate de Præsidio Militari, quantum opus fuerit prospici demandabit.

22.

Existimasset quidem Sacra Cæsarea Re-

Regiaque Majestas, cum Cancellaria Aulica Hungarica Expeditionem Transylvanicam in aula avito jure ita potuisse reuniri, ut particulare tamen Archivum & Registratura, ut & distincti pro hac Expeditione Referendarii & Secretarii instituerentur. Cum tamen Status & hoc deprecati sint, malintque separatam prorsus ab Hungarica Cancellaria Expeditionem institui, ita & in hoc Sacra Cæsarea Regiaque Majestas illis gratificari Clementissime resolvit à Gubernio Suo Transylvanico postulatura opinionem ex quot & qualibus personis, cum qua pro singulis instructione constitui convenientias possit.

23.

Porro consideratis Articulis, quos Domini Status pro instruendo Regio Gubernio subnexerunt mentem & voluntatem suam dicto Gubernio similiter enixius declarabit Sacra Cæsarea Regiaque Majestas, cui uti nihil magis cordi esse commodis & incolumitate charissimæ sibi Provinciæ præsens Clementissima Resolutio satis demonstrat, ita spe indubia freta est Dominos Status eandem omni promptitudine ac studio accepturos, accuratissimeque in omnibus adimpleturos esse, quibus uti & Domino Allvintzi gratiam, benignitatem propensionemque Cæsareo-Regiam in omne tempus luculentissime confirmat.

Signatum sub Ejusdem Majestatis Suæ appresso Sigillo Secretiori. Laxenburgi 14. May An. 1693.

F.

COPIA

Decreti Cæsareo Regii Anno 1693. die 9. April. dati.

LEOPOLDUS.

Memoriæ commendamus tenore præsentium quorum interest, universis & singulis. Optasse Nos quidem juxta Appendicem Articuli tertii Diplomatis à Nobis 4. Decembr. Anni 1691. Statibus & Ordinibus Transylvaniæ benignissime concessi Controversias de exercitio, & bonis inter Catholicos & aliis in Transylvania receptis Religionibus addictos potuisse amicabiliter inter ipsos componi. Cum vero ex Relatione Gubernii Nostri Transylvanici de 22. Julii Anni Superioris, uberius intellexerimus, Tractatus inter illos desuper institutos fuisse irritos, & utrinque ad Decisionem Nostram Cæsaream Regiam provocatum sit; Nos visis, & consideratis iis, tum quæ hinc inde in medium allata, tum quæ à dicto Gubernio proposita sunt, rem judicavimus sequenti modo terminandam.

1.

Quatuor Religiones in Transylvania receptas in libero exercitio, Juribus, Bonis, & possessionibus, uti iis nunc fruuntur. Sine turbatione qualicunque, quiete, & pacifice imposterum relinquendas esse.

2.

Cum Catholicis ab addictis Coeteris Religionibus Reformatum ut vocant Templum una cum Unitariorum Collegio Claudiopoli, & Albæ Juliæ Templum Bathorium, & simul oblatum sit, quod Quindecim florenorum millibus Pagum Monester , à moderno Possessore redimere , & Catholicis jure perennali in usus Ecclesiarum & Scholarum Catholicarum applicandum tradere velint. Nos id omne ratum, gratum-

tumque habentes executioni quantocius volumus mandari.

3.

Curam habituri sumus, ut pro institutione Juventutis Catholicæ, & Scholis tales adhibeantur Ecclesiastici, qui Virtutum ac Concordiæ, non minus quam literarum studiosi, nulli Religioni merito Suspecti esse possint: Agemusque ut Catholicæ Religioni de Idoneo Vicario Apostolico, qui omnia Episcopalia & quæ muneris, aut Juris Ordinarii sunt administrare ritè possit prospiciatur.

Liberum denique Catholicis juxta ipsorummet Statuum Reliquis Religionibus addictorum declarationem, & oblationem sit, eritque in residentiæ Suæ locis & Civitatibus Ecclesias & Exercitia sine Vitio aut detrimento Excitorum Templorum aut redituum aliis Religionibus addictorum stabilire. Et ita Articulum Primum & Secundum prælibati Diplomatis Nostri declarantes omnia Diplomatis Capita perpetuæ Sanctionis pragmaticæ & fundamentalis Sanctimonia inviolabiliter volumus observari. Datum Viennæ An. 1693. die 9. Aprilis.

G.

Tractatuum inter Religiones Catholicam, Reformatam & Unitariam die 22. Junii Anno 1702. habitorum substantia.

IN Anno 1699. die 5. Septembr. à Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestate, resolutorum & à Dominis Catholicis impressorum, quinque Punctorum in effectum deductionis, impedimentum vel remora fuit; quod, uti eadem illa Sacra Scriptura, qua omnes Christianæ Religiones vel Confessiones utuntur, ab hac Religione sic & ab illa, ita intelligitur & explicatur; Ita Benignissima illa Cæsarea Resolutio, à Dominis Catholicis hoc, ab aliis autem Religionibus alio modo intelligebatur, & intelligitur, uti sequens relatio ostendet, & ideo in Anno 1699. die 4. Octobr. tres Religiones non Catholicæ consulerunt, per Deputatos, à Sua Majestate (quam supponebant Diplomatibus suis nullatenus per ista Puncta præjudicare velle) auditis partibus, genuinam explicationem impetrare; Sed ista Deputatio non successit, cujus Rationes suo loco & tempore, coram magis, quam nunc scripto explicari poterunt Postea iterum eædem tres Religiones per Memoriale, in Anno 1701. die 8. Julii, sub trium Personarum, ex singulis Religionibus subscriptione oraverant suam Majestatem, pro Admissione Deputationis, super istis Religiosis Augustam Aulam sincere informaturæ & supplicaturæ; Sed ad illud memoriale, hucusque, Resolutio Suæ Majestatis suspensa est. Et hinc judicari potest, non neglecta, multo minus contempta esse, Cæsarea super illis Mandata; Sed sub destinatarum ad aulam precum & Benignæ Resolutionis, inde venturæ, spe; esse effectum dilatum, cujus in Materiis tam in contrarios sensus tractis, acceleratio; non præconsulta & exacte informata Aula, non videbatur è Servitio suæ Majestatis futura, utpote, plures in populo confusiones & strepitus paritura. Mens autem, trium tunc conjunctarum Religionum, nunc vero duarum nempe Reformatæ & Unitariæ (quia Lutherana se ab ipsis separavit) de illorum sensu hæc est.

1.

Ubicunque Ministris vel Sacerdotibus, cujuslibet Religionis Decimæ vel Quartæ, non vi Juris Regii, donatione alicujus Regis vel Principis, aut Legibus roborati; Sed tantum ex spontanea illius Ecclesiæ oblatione & consuetudine, pro Salario, dari solent ibi revera, nemo

nemo tenetur Sacerdoti vel Pastori alterius Religionis, quam suæ dare. Sed ubi vi Juris Regum, & Legum, talia Salaria sunt, debent manere illis, quibus per donationes olim collata, & per Diploma suæ Majestatis ac Leges Regni relicta sunt; Nec credimus suam Majestatem hoc Punctum aliter intelligere.

2.

Cum Religiones, credant suam Majestatem, nec Diplomatis primi Articulo 4. & 5. Nec Resolutionibus Anno 1693. die 14. April Artic. 6. & An. 1697. die 18. April. emanantis præjudicare velle, illis ergo salvis hoc Punctum vel hodie obsequiose practicatur.

3.

Nemo ab officiis & Tribubus, propterea quod Catholicus est, excludi poterit, dum modo sit Civis capax & eligatur eadem, qua Acatholicus quilibet, Libertate. Unam Claudiopolim hic excipit, Contractus Reformatæ & Unitariæ Religionum, sed quem Contractum, licet ipsis, si volunt Claudiopolitani, dispensare, & Catholicos, illorum numero, proportionate ad Officia admittere, quod etiam suadetur.

4.

Vocabulum istud: Abolevimus: intelligunt Religiones, quod hoc non nunc, sed in Diplomate primo & secundo; Et in citatis resolutionibus, sua Majestas perfecerit, quæ uti Religiones tunc læto corde amplexæ, ita ut nunc humillimo obsequio exosculantur, ac benignam & æquam illorum praxin à sua Majestate uti humili cum fiducia expectant; Ita Reformati præsertim, pro speciali, quam, in illius fine vident suæ Majestatis Clementia, demisissimas gratias agunt, nec Praxin hujus Puncti salvis illis ullatenus detrectarunt nec detrectabunt.

5.

Nec hactenus his caruerunt Domini Catholici, nec imposterum arcebuntur, dummodo omnia decenter & Ordine fiant.

6.

Prætensio illa subscriptionis, si Politica vel honoris magis est, quam Conscientia & Religionis, non ignorant Religiones, & præsertim illi quibus Socius subscribens additur sibi obsequii gloriam esse relictam. Si vero, ab æqualitate, vel paritate Religionum procedit, videtur illa requirere; ut omnes quatuor receptæ Religiones, ad talem subscriptionem æque admittantur. Uti nomine Lutheranæ Religionis, Dominus Johannes Sachs superinde etiam Protestatus est. Quare hic expectatur, Benignissima suæ Majestatis Determinatio.

7.

Capellæ de Fonte Jesu nominatæ Status & Mandati de illa dati Effectus pendet, ab inquisitione legitima cui se Teleky obsequentissime semper submiserunt, & submittunt etiam nunc. De Domino cum Capellæ in Vasarbely nulla lis, si Catholicus frater, qui antea prætendebat, velit.

8.

Quando quidem pro Transylvaniæ Status Ratione sapientissime & pro omnibus quatuor Religionibus æque Clementissime sua Majestas negotium Templorum, in Diplomatis primi, Articulo primo. In secundi vero Diplomatis Articulo primo & ultimo determinavit, & cupiunt Reformati Templum Borbadiense, cum illorum Diplomatum & Cæsarei Rescripti An. 1701. die 12. Decembr. emananti, violatione ipsis via facti ereptum restitui, cum satisfactione de vi, & injuria & pœna à sua Majestate in proxime citato, de 12. Decembr. Anni 1701. Decreto resoluta.

Hæc vero omnia, quam longe aliter intelligant, & explicent, & practicari cupiant, Domini Catholici, id ex Relatione subnexa patebit. Quorum non aliud, post tot Tempestates, videtur remedium, quam illud, quod in relationis conclusione, à sua Majestate humillime oratur: nempe ex Generali Commendante & Commissione Cæsarea utraque Transylvania bene noscente; Et si plures adjungere illis suæ Majestati placuerit erecta Extraordinaria Commissio ibidem fusius videnda.

da. Miſerum enim & valde triſte eſt, legere id, quod Domini Fratres Catholici inter impreſſa duo Decreta Cæſarea de ſuo addiderunt, & Clementiſſimi Principis, ac vere Patris manibus inconvenientisſimi Fulminis termino uſi ſunt. Cui nos ut talia aſpergamus, Deus vel umbram cogitationis talis avertat à Nobis. Albæ Juliæ die 26. Junii Anno 1702.

Ex parte Religionis Reformatæ

Comes Georgius Banffi, Mpr.

Comes Nicolaus Bethlen, Mpr.

Samuel Kereszteſi, Mpr.

Hæc uberius videri poſſunt in ſpeciali Relatione.

H.

Extractus Senſualis Punctorum Statuum & Ordinum Tranſylvaniæ Reformatæ Religionis.

1.

CUm unio & bona Harmonia Religionum in Tranſylvania receptarum Salutis Tranſylvaniæ baſis ſit, ideo Status & Ordines Reformatæ Religioni addicti, quod, ad inſtar majorum ſuorum nihil antiquius habeant, quam eandem unionem & fraternam charitatem, cum Dominis fratribus Catholicis, ſincere colere, abunde teſtati ſunt, dum Claudiopoli, Templum Ovarinum, cum Collegio Unitariorum eidem adhærente & contiguo, una cum redempta lautiſſimi reditus Poſſeſſione Monoſter, quam promptiſſime ceſſerunt. Cujus conſummatio, & à Sua Majeſtate ita benigniſſime ratihabita fuit Cooperante etiam ipſo Eminentiſſimo Principe, Domino, Domino, Cardinale, ut hoc ipſo, & Suæ Majeſtati Sereniſſimæ viſum ſit, per nos eisdem Dominis Fratribus Catholicis ſatisfactum eſſe. Nihilominus tamen, ex Superabundanti quoque ad Intimationem Illuſtriſſimi Domini Comitis Friderici à Seeau tanquam Suæ Majeſtatis Sereniſſimæ Commiſſarii publico nomine, Scholam noſtram hæreditariam, Templo Bathoreo contiguam eis dedimus. Hortum præterea Scholæ Vicinum muris cinctum ſpacioſiſſimum proprio ære noſtro non exiguo emptum, ſuper addidimus, inſtanter promittens dictus Dominus Comes à Seeau ſe hortum pro horto, à Sua Majeſtate impetraturum; Sed nihil horum præſtitit. Jungendam etiam in hoc operam paciſcentes Domini Fratres Catholici polliciti ſunt; Ideo hortum alium ſibi dari demiſſe ſupplicant, & conditionum quibus Schola ceſſa eſt, adimpletionem.

2.

Propter beneficia præcluſa, quomodo Celebriores Eccleſiæ & Scholæ noſtræ, dum à ſeptem annis illis carent, marceſcant, conſpicuum eſt. Quod autem Venerabilis Clerus Catholicus datis decem optimorum Locorum Decimis, dictoque Pago Monoſtor, præterea & aliis Beneficiis extra Controverſiam fruantur, non invident, quidem Reformati; Sed vere doloroſe & queribundi exponunt ſuæ Majeſtati,

quod ipsorum Beneficia exigua, non nisi ex instinctu ipsorum Concivium & fratrum suorum Dominorum Catholicorum, per Excelsam Cameram Aulicam negentur. Et quia licet sua Majestas Serenissima absolute, tam Catholicorum, quam Acatholicorum Beneficia extradari jusserit; Tamen per dictam excelsam Cameram Aulicam, ad productionem & indagationem Jurium deventum est, quæ, cum opinione Inclytæ Commissionis; & ipsius etiam Cameræ prætitulatæ Aulicæ, ad excelsam in Rebus Transylvanicis Deputationem delata, irresolute ab annis pendent, & tamen in toto tantum annuos 6689. Rhen. fl. faciunt. Quare supplicant eorundem, non attentis forsan per Excelsam Cameram Aulicam positis difficultatibus, totalem & integram resolutionem, quam promptissimis & perpetuis obsequiis, si quid ex gratia & non de jure dari videretur, quam humillime demereri studebunt.

3.

Debetur de jure optimo, annua bis mille flor. Hungaricalium à Debreczinensibus ex Fundatione, Scholæ seu Collegio Reformato Enyediensi Pensio, quam ipsi Debreczinenses à multis annis exacte præstiterunt; Sed Calamitosis belli temporibus, primo deprecari, atque ad tempus tantum solutionem sibi prorogari petebant. Deinde vero Dominio suæ Majestatis Serenissimæ freti, negari cœperunt; Sua Majestas itaque jusserat benignissime Justitiam Excelsæ Cancellariæ Suæ Hungaricæ in hoc puncto administrari; Sed quia protracta est, & non data hactenus Justitiæ administratio sive per Excelsam Conferentiam Transylvanicam, sive per Delegatum aliquod Judicium supplicatur ex Capite Decreti Suæ Majestatis Sacratissimæ hoc ipsum innuentis.

4.

Quinque Religiosa Puncta, Sanctissima, suæ Majestatis Serenissimæ & plane Paterna intentione, emanata, Domini Fratres Catholici, contra mentem Sacri Diplomatis, & idem secutarum Resolutionum interpretari & usurpare cœperunt. Ideo recurritur ad suam Majestatem, cum Conciliatione dictorum Punctorum facta, cum Diplomate & dictis Resolutionibus inviolabilibus, qua, omnino suæ Majestatis Paternæ intentioni satisfactum esse judicatur. Sin autem conciliatio hæc suæ Majestati Serenissimæ displiceret, in eum casum per Extraordinariam Delegationem seu Commissionem Cæsaream, Controversia hæc complanari, atque interea silentium & abstinentia à facti via omnibus imponi supplicatur.

5.

Conqueruntur præterea contra usurpationem cœptam redituum Ecclesiarum Claudiopolitanarum, quæ Decimas non jure Ministeriali; sed Dominii & Fiscali, ad instar Decimarum Saxonicalium (quas Venerabilis Clerus Catholicus obtinuit) & quidem solenni Donationis instrumento possident, cum ministerio Catholico non divisibiles. Et supplicatur contra vim illis illatam protectio, & Donationis, & generice, & specifice verbo Regio confirmatæ, manutentio.

8.

In jam citato Sacro Diplomate, etiam Religioni Catholicæ Jus condendarum Ecclesiarum, at non occupandarum est impertitum; Sed quia Templum Borbandiense, proprio & quidem privato motu & Auctoritate, aliqui Dominorum Catholicorum miris artibus occuparunt, ac Inquisitionem etiam super eruenda facti veritate impediverant; Supplicantur impartiales à sua Majestate Serenissima Inquisitores, ac etiam Templi ad mentem Decreti suæ Majestatis Serenissimæ 12. Decembr. Anno 1701. emanati restitutio.

Moverunt autem Status & Ordines Transylvaniæ Reformatæ Religioni addictos, & hæc petita, ad recurrendum ad Augustissimum & Justissimum Imperatorem; Sed non minus Declaratio Dominorum Fratrum Catholicorum, qui asserere audent, imo scripto expresso exhibuerunt sensum suum, circa Religiosa in Diplomate Sacro & inviolabili contenta, quod Sacra Cæsarea Regiaque Majestas Dominus, Dominus Noster Clementissimus in dicto Diplomate, Acatholicis dissimulata & tolerata, tollere & abolere possit. Cum autem quid simile vel cogitare saltem Acatholici ex parte sua nefas & scelestum putant, recurre-

re

re ad suam Majestatem Serenissimam tanquam unicum & firmissimum suum, post Deum in terris in expugnabile Asylum pro consolatione sui cum demissis precibus, necessitati sunt.

Quia vero similia etiam à Mente Eminentissimi Principis Domini, Domini S. R. E. Cardinalis Leopoldi à Kolonicz (Tit.) Domini, Domini sibi gratiosissimi, utpote cujus, & fides & opera, in condendum hocce Diploma multum contulit, esse sciunt, implorant quam humillime Suæ Eminentiæ quoque, circa præmissa omnia patrocinium gratiosissimum, ac in Fratres suos Catholicos Pastoralem animadversionem.

Instructio ad Principes de Artibus quibus uti consueverunt Patres Jesuitæ facta à Religioso aliquo Catholico Romano, sine ullo partium studio.

In Poschiavo per Petrum Landolfum & Bonaltum Minghinum Anno MDCXVII.

A. Ω.

Quod Patrum Jesuitarum Societas Spiritus S. opera in Christi Vinea plantata sit instar arboris, quæ medicinam contra venenum hæresium productura esset, floresque ejusmodi operum Christianorum ac religiosorum quos peccatores subodorati, ad relinquendum peccatorum fœtorem & ad investigandum odorem pœnitentiæ adducerentur; satis clare demonstrant leges & statuta, quibus fundata fuit hæc planta à primo suo Agricola, Patre Ignatio, beatæ memoriæ. Ac certe dum à primis his Patribus, quibus vitam debet, aquis charitatis rigata, & culta secundum intentionem autoris, geminos produxit ramos, alterum amoris versus Deum, alterum item amoris quidem sed erga Proximum, in quibus fructus insignes & admirandi fuerunt, quos ediderunt in eximia puerorum educatione, in lucratione animarum & augmento veræ fidei Catholicæ; Verum qui æque se accingit ad destruenda opera & consilia divina, atque alii adhæc promovenda, Diabolus, ab eodem Societatis incremento & à successibus, qui intra exiguum tempus admirabiles fuerant, occasionem duxit, idem institutū pervertendi; subtilissimoque adeo artificio in locum duorum primorum ramorum Charitatis, prorsus apud sequentes pene exarefactorum, alterum amoris proprii inseruit, alterum utilitatis, à quibus tantum damni accepit Respubl. Christiana, ut nunquam forte potuerit evenire majus, prout in sequenti discursu demonstrabo. In quo tamen Deum testor, me non adduci ad id spe commodi alicujus vel partium studio, sed solum boni publici cupiditate, cujus gratia me natum agnosco, & ut observata à Principibus arte ipsorum opportuno hæc avertatur remedio.

Igitur sciendum est, quod Societas Patrum Jesuitarum, quo magis invalesceret, imprimis ad educationem puerorum, qua quidem nec Civitas ulla est, nec Regnum, quod non indigeat, à multis hinc inde statim à principio quæsita fuerit, à Principibus etiam pluribus adjuta, & intra paucorum annorum intervallum tam late se diffuderit, ut aliæ idem per multa secula vix potuerint præstare.

Atque hæc gloria, quæ ſæpe numero animis morum quoque mutationem inducere ſolet, in poſteris Patris Ignatii tantum erga totam Societatem amorem excitavit, ut cum judicarent eam ad Eccleſiam Dei utiliſsimam, & ad reformationem mundi omnibus aliis aptiorem, conſilium invicem inierint, eam quavis arte atque induſtria augmentandi ſiquidem ſimul vera in hac Chriſti Militia & Eccleſiæ ſalus unicum adhuc Chriſti Patrimonium, ut illorum verbis utar, caperent augmentum.

Hic vero mihi opus eſſet vel ipſius Ariſtotelis in penetrando acumine, vel facundia Ciceronis, qua verbis exprimerem modum illum admirabilem, & qui multis plane incredibilis propter novitatem ſuam videtur, quo ad augendam ſocietatem ſuam iſti Patres procedunt. Sed nunc demum mihi ſufficiet aliquid de eo indicare, relinquere vero aliis campum latiſſimum, ex quo ſibi talem forment ideam, qualem veritati maxime conſonam autumabunt, ac proinde pergam ad proponendum ſolum capita quædam vel articulos, quæ lectori loco fundamenti in ipſius disquiſitionibus inſerviant.

Primo quidem haud viſum eſt Patribus, ſeſe poſſe Societatem ſuam ad illud gloriæ faſtigium, ad quod aſpirabant, eveherent ſi ſolum docerent, prædicarent, adminiſtrarent ſanctiſſima ſacramenta, ac ſimilia exercitia Religioſorum ſubirent, quoniam licet inde à principio (ubi dixi) chare à multis habiti, tamen progreſſu temporis deprehenderunt, quod aut minus ſatisfaciendo omnium deſideriis, aut alia quacunque de cauſa, affectum plurimorum erga ſe extinguerent, quare timentes ne quaſi in prima inſtantia animam iterum agitarent, duo alia media ad erigendum illam repererunt.

Primum erat Principibus opinionem de omnibus reliquis ſocietatibus ſiniſtram ingenerare, quantum in ipſis erat, & ſic defectus illarum revelando, & aſtute admodum ex oppreſſione alterius proprium ſibi procurando emolumentum, multa tandem occuparunt Monaſteria, Abbatias, & alios reditus opimos, quibus Religioſos illos, qui antea hæc poſſidebant, delationibus ſuis privârunt.

Alterum fuit, cauſis civilibus ſeſe immiſcere, & in partes ſuas pertrahere plerosque Principes Chriſtianos; ſubtiliſſima utique & artificioſa ratione, qualis unquam reperiri potuit, quæ ut ad intelligendum difficillima eſt, ſic fieri nequit, ut perfecte ſatis hoc loco exponatur.

Eſt, qui Romæ continuo reſidet, Pater ipſorum Generalis, cui reliqui, quotquot ſunt, perfectiſſimam præſtant obedientiam, & hic ſibi eligit Patres nonnullos, quos Aſſiſtentes vocant, quoniam opera ipſi adſunt perpetua & ſinguli quidem ex his cujusvis eſſe debent nationis, à qua titulum gerunt, prouti nunc dicitur Aſſiſtens Galliæ, nunc Hiſpaniæ, nunc Italiæ, nunc iterum Angliæ & Auſtriæ, quod per reliquas Provincias ac Regna ſic obſervatur, & quisquis eorum id officii ſuſtinet, ut ad Patrem Generalem referat cuncta, quæ circa ſtatum illius Provinciæ vel Regni, cujus ille Aſſiſtens eſt, acciderunt, id quod præſtat mediantibus literis familiarium, in præcipua Provinciæ illius vel Regni Civitate degentium, & id unice fere curantium, ut de ſtatu ejus abunde ipſi informentur, item de naturæ qualitate, inclinatione, ac intentione Principum, & quoties inde Nuncius abit, Aſſiſtentes ea, quæ acciderunt, atque vel nuper à ſe retecta ſunt, vel alias evenerunt, literis perſcribunt. Atque ſic de ſingulis rebus certior factus Pater Generalis in Conſilium vocat omnes hos Aſſiſtentes ſuos, ut veluti Anatomiam omnium inſtituant, & quid ſingulorum interſit & quæ ſint conſilia Principum Chriſtianorum, proponant.

Hinc porro in Conſultationem veniunt omnia, quæ de novo à familiaribus ad ſe ſcripta, & cum ſic ſatis diligenter examinata ſunt, atque invicem inter ſe collata, tandem concluditur, rebus hujus Principis eſſe favendum, & contra alterum deprimendum eſſe, quemadmodum hoc poſtulat commodum ipſorum & emolumentum, & uti iſti, qui ludis ſeſe præbent ſpectatores, longe rectius tractus illorum varios obſervant, quam ipſi forte fecerint ludum præſentantes, ſic quoque Patres illi, cum ante oculos habent, quæ omnium Principum interſint, optime norunt, quales ſint conditiones locorum & temporum, & quomodo hinc applicanda ſint media vera, quibus res promoveantur Principis, à quo plurimum ſe proficere poſſe perſuaſi ſunt.

Deinde vero res omnino deteſtanda eſt, quod Religioſi adeo uſque ſeſe immiſceant rebus civilibus, cum attendere debuiſſent ad ſalutem animarum ſuarum æque ac aliarum, quippe qui ideo

ideo Mundo valedixerunt; Cui tamen cum se profundius nostri, quam ipsi quidem seculares, immergunt, quamquam pessimo hinc sequente effectu utique deplorandum hoc est, & dignum efficaci remedio.

Primo nempe Patres Jesuitæ Confessarii sunt maximæ partis Nobilium ex omnibus Imperiis Catholicis, adeo ut pauperes, sive viri sint sive fœminæ, ad ipsorum Confessionarios, quo rebus suis eo melius intenti sint, non admittantur; sæpius etiam audiunt ipsos Principes, ita quidem, ut hoc pacto res ipsis facillima sit, omne penetrare negotium, omnemque sententiam vel consilium tam Principum quam subditorum, unde absque mora referunt necessaria ad Patrem Generalem, vel qui Romæ Assistens est. Igitur qui vel mediocriter sapit, ex his facile potest cognoscere, quantum Principibus detrimenti afferre queant, quando ad hoc propria ipsos stimulat utilitas, ad quam tanquam ad ultimum finem omnes actiones suas dirigere consueverunt.

Secundo tanquam accidens proprium & inseparabile, quod consequitur conservationem Reip. est silentium secretorum, ita ut hoc sublato illa quoque necessario corruat. Unde fieri solet, quod Principes supremum contra hos rigorem usurpent, qui arcana ipsorum patefaciunt, & ut inimicos Principibus simul ac Patriæ puniant; quemadmodum è contrario ad penetranda consilia alterius Principis alter maximum sæpe studium adhibet, & in rem suam quicquid potest, convertit; qui etiam idcirco Legatis & Exploratoribus suis gravissimas auri summas expendere solent, & nihilominus per istorum relationes sæpe falluntur.

Verum Patres Jesuitæ nempe Generalis cum Assistentibus tam Confessionum & Consultationum ope, quæ ipsis cum Amicis per literarum commercium intercedunt, quales vivunt per præcipuas orbis Christiani civitates, quam per alios sibi adhærentes, de quibus infra dicturi sumus, perfecte utique & accuratissime de Consiliis omnibus, quotquot eorum in secretioribus Collegiis agantur, informati sunt, &, ut sic loquamur, nôrunt longe melius Principum vires, reditus, expensas & negotia ipsa, quam ipsi quidem Principes, atque hoc nullo alio pretio erogato, quam quod pro literis solvitur, quod tamen Romæ solum ut referunt Postarum Magistri, pro quovis veredario ascendit ad 60. 70. 80. & sæpe adeo ad 100. aureos *scudos*; adeo ut vel minutissima etiam circa res Principum intelligant, sed ita ut clam existimationem ipsorum imminuant, tam apud alios Principes, quam apud populum, famæque ipsorum derogent, & ad inimicitiam contra eos excitent, quos voluerint, vel ut verbo dicamus, ad defectionem adigant contra imperium; idque eo facilius, quod eodem Confessionum & Consultationum adjumento interiora animorum penetrent apud Vasallos, & qui bene erga Principes affecti sint, cognoscant, & qui ab ipsis offensi; unde etiam prout per relationes de Republ. quas acceperunt, facile inter Principes seminare possunt Zizania, & ad infinitas suspiciones ansam dare, sic per cognitionem animorum in subditis in proclivi est, commovere seditiones, & vel discordiis vel contemtui Principum personam exponere. Hinc ergo judicandum est, quod nullo modo Reip. intersit, ut vel unus apud ipsos Princeps confiteatur, multo minus ut permittat, quendam è fide sibi addictis aut familiaribus, Secretariis, Consiliariis, vel ministris aliis Primariis ejusmodi personis confiteri, quæ adeo ad expiscandum rerum civilium statum feruntur, atque his utuntur pro instrumento selecto, per quod in gratiam Principum deveniant; præcipue cum non desint hodie Viri Religiosi qui nec vita sua nec doctrina Jesuitis quicquam concedunt, quorum si habuerint rationem, facile illa superabunt, siquidem hi ad aliud mentem haud convertunt, quam ad animorum & Monasteriorum suorum gubernationem.

Tertio propter majorem dictorum, & quæ adhuc dicenda sunt, evidentiam notare convenit, inveniri quatuor genera Jesuitarum. Primum constat ex quibusdam secularibus ex utroque sexu ad ipsorum societatem aggregatis, qui quidem vivunt sub certa obedientia, qualem illi vocant obedientiam cœcam, & in omnibus actionibus suis Consilium Patrum Jesuitarum respiciunt, & promti sunt ad quodvis illorum mandatum. Quos plerumque Nobiles Viri fœminæque, maxime vero viduæ, Cives, Mercatores opulenti, à quibus tanquam à plantis fertilioribus fructus auri argentique copiosissimos colligunt quotannis; ex qua Classe fœminæ sunt vulgo vocatæ *Sanctulæ* à Jesuitis ad contemtum Mundi inductæ, dum

dum ipsi sibi interim comparant uniones, vestimenta, ornatus ædium, & denique splendidissimos adeo illarum reditus.

Alterum genus Virorum solum est, tam Sacerdotum quam Laicorum, qui tamen adhuc in seculo vivunt, & sæpe Jesuitis adjuvantibus fruuntur Pensionibus, Clericatibus, Abbatiis, & stipendiis aliis; sed hi voto constringuntur, quovis nutu à Patre ipsorum Generali accepto, societate investiri, atque hinc vocantur Jesuitæ in Voto, quorum opera Patres Jesuitæ miros faciunt progressus in fabricanda sua Monarchia, siquidem in omnibus Regnis ac Provinciis, perque Aulos Principum omnes & Magnatum sustentant, qui ipsis hac ratione inserviant, ut capite septimo subjungam.

Tertium genus Jesuitarum Monasteriis inclusum, aut Sacerdotes sunt aut Clerici aut Cōversi quicunq;, qui ex hac supra dicta professione non progressi, pro arbitrio tamen Patris sui Generalis ea liberari possunt, utut pro lubitu ipsorum inde exire nequeant. Isti ergo qui munere aliquo graviori affecti non sunt, plerumque simplicem servant obedientiam, in his, quæ à Superioribus ipsis injunguntur.

Quartum genus est Jesuitarum Politicorum, quorum in potestate situm est, gubernare societatem, atque hi sunt, qui tentati à Diabolo eadem tentatione, qua Christus in deserto, *hæc omnia tibi dabo* oblatum acceperunt, & omne studium in eo profundunt, ut ad perfectam Monarchiæ formam Societatem suam reducant, facto ab urbe Roma initio, ubi omnia fere negotia rem Christianam concernentia præcipua concurrunt, ubi etiam residet Caput illorum Politicorum, quod est ipsorum Generalis, una cum aliis, quorum ingens numerus est, ex eadem professione, qui hactenus informati ab exploratoribus suis, & per relationes de singulis rebus difficilioribus & quæ maximi momenti sunt, & in Curia Romana agitantur, cum primum exitum his dederunt talem, qualem ex usu suo futurum desiderabant, hoc muneris sibi datum credunt, ut quotidie Aulas Cardinalium, Legatorum ac Præsulum adeant, cum quibus deliberationem de præsenti negotio, aut quod adhuc tractandum est, studiose admodum ingressi, sic illis proponunt, ut placet, & ut rebus suis judicant conforme, etiam instruunt, sæpius faciem causarum mutando, & ut dici solet, nigrum loco albi ostentando. Et quoniam prima quævis expositio, præsertim cum fit à Viris Religiosis, animis illorum, qui hos audiunt, notabilem impressionem relinquere solet, inde oritur, quod sæpius negotia summi momenti per Legatos Principum directa & per alios viros, qui magnæ sunt autoritatis in Cura Romana, finem illum non consecuta sint, quem Principes expectabant, cum Jesuitæ horum animos occupaverint, relationibus secundum studia sua conceptis, & ut minoris fidei essent, quæ contra factæ erant à Legatis & aliis causam agentibus procuraverint.

Et idem etiam artificium est, quod Romæ usurpant apud Præsules, quod alibi apud Principes exercent ipsi, vel saltem per Jesuitas secundi ordinis extra urbem viventes; ex quo jure meritoque concludas, majorem partem negotiorum per orbem Christianum tractari à Jesuitis, & nihil esse nisi quod velint ipsi, cui sese non opponant. Hinc stupenda ipsorum est ars, & nunquam satis penetranda, quam ideo adhibent, neque adeo à me satis describi potest, imo vero à quovis Principe ad unguem comprehendetur, si modo dignum, hoc omne, quod indicavi lectione sua judicet, ex quo statim de rebus præteritis feret judicium, & cum veritatem hujus discursus mei agnoverit, simul in memoriam revocabit artem, qua tractatæ sunt, & sic eo apertius ostendet, vere magnam hanc esse & admiratione dignam. Imo nec contenti hoc occulto artificio suo, quo utuntur, dum ingerunt sese negotiis civilibus, persuasi quippe quod hoc unicum remedium sit ad consequendam Monarchiam, quam desiderant, Jurisdictionem, supplicati etiam postmodum sunt Pontifici Gregorio XIII. qui publico edicto his suis machinis faveret, quas sub prætextu publicæ in Ecclesiam salutis repræsentabant ipsi, atque hinc omnibus Legatis suis ac Nunciis Apostolicis demandaret, ut in societatem adducerent è Jesuitis quendam fide sibi deditum, cujus consilio regerent omnes suas actiones.

Quarto dum hoc modo se gerunt, & rerum statum cognitum habent, multorum Principum cum secularium tum Ecclesiasticorum ineunt amicitiam Jesuitæ Primates, utpote quibus persuadent, varia se in rem ipsorum vel dixisse vel fuisse, ex quo tamen duo maxima damna sequuntur.

Pri-

Primum eſt, quod ſic amicitia ac bonitate Principum abuſi, nunquam curare ſoleant, quin injuria afficiant plures familias privatas, utut divites alioqui ac nobiles, & divitias viduarum, ut ſic dicamus, uſurpent, parentesque in ſumma miſeria relinquant, & contra ad ſocietatem ſuam alliciant nobiliſſimas animas, ut Scholas ſuas frequentent, & ſæpe poſtmodum inepti ad negotia aut infirmi reddantur, quos ſub honeſta ſpecie libertate donent, atque interim opes ipſorum adminiſtrent, quorum hæredes in profeſſione ſua inveſtiri cupiunt; denique etiam à ludis ſuis prorſus excludant pauperes, contra leges prædicti Patris Ignatii & contra intentionem dominorum, à quibus ipſis conceſſa ſunt ea propter ſtipendia: licet enim in hoc Reipubl Chriſtianæ inſervirent, non tamen facere videtur ad ſuam utilitatem.

Alterum incommodum eſt, quod Patres iſti miro artificio Mundo imponant, de amicitia & admiſſione interiori, qua gaudeant apud Principes, & longe meliori ſpecie depingant, quam ſunt ipſa re, ut Miniſtros omnes ſibi devinciant, & omnes ad favorem ſuum deſiderandum impellant; quemadmodum publice jactantur, ſe poſſe facere Cardinales, Nuncios, Locum tenentes, Gubernatores, & alios Officiales, adeo ut nonnulli aſſerere non erubeſcant, quod poſſit longe plura Generalis ipſorum, quam Pontifex ſummus. Addiderunt alii, quod ſibi ſatius eſſe videatur, eſſe ex illa Societate, quæ poſſit creare Cardinales, quam eſſe Cardinalem; & hæc omnia publice proferuntur, ut nemo facile ſit, qui paulo familiarius cum ipſis converſatus, hæc & ſimilia ab ipſis non audierit.

Quinto, arte hac tractandi negotia nixi, ſeſe, cui velint, operam præſtare poſſe, & contra opprimere, quem placet, contendunt; Uſi vero pallio Religionis, atque eo facilius fidem ſic invenientes, ſæpe intentionem obtinent. Verum dum Principi quemquam offerunt, non eligunt, qui ſit aptior aut mereatur, ſed potius illis ſeſe opponunt plerumque, quando ſecum haud facere vident, interim vero ſemper ad altiora evehunt, qui ſibi bene cupiunt, nulla habita ratione, an quisquam Principi ex animo faveat, an meritis valeat, & nunc congruus ſit ad ſuſtinendum illud munus, ad quod offerunt; unde toties turbæ cientur Principi, & ſeditiones & odia apud populum.

Sexto, quemadmodum ſi Nauta ventum itineri ſuo favere obſervat, dato vel uno ſigno tibia, omnes qui ad remos ſedent, ſeſe eodem momento ad eos impellendos accingunt, ita cum in colloquiis & Conventibus, quæ Patres iſti habent, quotidie, Generalis ipſorum Pater, & qui Romæ eidem aſſiſtunt, utile ſibi fore concluſerint, ut certa quædam perſona ad aliquem dignitatis gradum efferatur; motum dat reliquis Pater ille Generalis, qui alibi vivunt, & ſic omnes unanimi conſenſu, quos poſſunt, nervos eodem tempore intendunt, ut honorem illa, quem ipſi deſtinant, conſequatur. Jam vero ingratus fuerit, quisquis ſubminiſtrata occaſione Patribus Jeſuitis operam non compenſaret eodem affectu, quo ab ipſis adjutus eſt, & prout talis, vel potius tales, nam ſic multi ſunt, qui à Patribus Jeſuitis dependent, ſe putant Jeſuitis magis, quam Principi obſtrictos, à quo tamen honorem ſuum ac decus acceperunt, ita majori ſtudio inſerviunt rebus Jeſuitarum, quam proprio ſuo Principi.

Quo pacto naſo quaſi Principes circumducunt, poſtquam hi perſuaſi vivunt, ſervos fideles ſeſe poſſidere, & interim latam viam exploratoribus Jeſuitarum aperiunt, quam illi deinceps occupant in damnum ſæpius ejusdem Principis, qui ipſum evexit. Exemplis, quæ jam diſſerui, ſat claris comprobare poſſem, utut vel ſola experientia & publica omnium voce confirmetur; ſed ne odiis me nimiis exponam transmitto & concludo, quod hæc poſtmodum occaſio ſit, ut nominare ſoliti ſint ſocietatem ſuam inſignem quandam Monarchiam, per quam ipſi pro lubitu ſuo Principes & Miniſtros regant; & haud diu eſt, cum præcipuus quidam eorum, quando publice cum Sereniſſimo quodam ſocietatis ergo colloquendum ſibi erat, verbis his plenis arrogantia & in hoc ſomnio ipſorum de Monarchia expreſſe fundatis inciperet: Societas noſtra ſemper cum Serenitate Veſtra amicitiam coluit &c.

Septimo, id operam dant Patres illi, ut perſuadeant Mundo, omnes, quos Princeps quocunque ratione extulit, favore ſuo & auxilio uſos, qua ratione animos ſubditorum plus quam ipſi Principes ſibi conciliant; quod utique notabile præjudicium Principi parit, adeo quidem ut cum emolumento Reip. ulla ratione conciliari nequeat, quod Religioſi, qui tanta ambitione

tantoque studio civilium rerum aguntur, adeo Principum dominentur voluntati, ut, cum velint, possint proditionibus ansam dare aut motibus, imprimis si adhuc eadem via, nempe adjumento Ministrorum sibi deditorum ad officia introducantur Consiliarii vel Secretarii Jesuitæ illi in Voto, quos supra attigimus, qui post operam dent apud Principes, ut Jesuita quodam pro Confessionario vel Prædicante utantur; sic vero omnes Patri Generali exploratorum vice inserviant, cui omnium dent rationem exactissimam, quæ in consiliis secretioribus gerantur, unde accidit, ut sæpenumero decreta anticipari, & res arduæ propalari, nullo reperto auctore, cernantur, & suspicio cadat plerumque in illos, qui culpa maxime carent.

Octavo: Quemadmodum naturæ ductu subditi sequi solent inclinationem Principis sui, sic omnes, qui obedientiam reddunt Patri Generali, cum vident, summo studio illum Reip. negotiis intentum, & hac via extollere, & lautiorem facere societatem suam, etiam ipsi eo se applicant, & cum ideo operam adhibent Parentum vel Amicorum, Principum animos expiscantur, & consilia abditissima exquirunt, ut de his certiores reddant Assistentes, qui Romæ sunt, aut Patrem Generalem, & gratiam ejus hoc modo aucupentur, unde dignitatem aliquam obtineant, quam alias quidem vix unquam consequerentur, quoniam inter ipsos nec officium ullum, nec negotia graviora committuntur, nisi illis solum quos ad augendam Societatem idoneos norunt, & ad obtinendum illud honorum fastigium, quo aspirant, & qui propterea Reip. gerendæ sese sufficere, ipso facto ostenderint.

Nono: Ut ex vario florum & herbarum genere per alembicum tale unguentum extrahitur, quod ad vulnera lethalia sananda aptum sit, & ex floribus etiam multis apes sua mella exsugunt; ita per relationes, quasvis certissimas, quas tenent Patres Jesuitæ, de eo, quod singulis Principibus conducit, & quid in singulis civitatibus agatur, omni nisu inferunt tandem, quæ propriam adjuvent utilitatem, ad medendum vulneri quasi insanabili cupiditatis illius, qua sese efferant, & inde, quæ in rem suam vergant, indubitato colligunt argumento; quo ipso tam ex alterius commodo, quam detrimento alterius, sæpius vero per mala quam per bona aliorum finem obtendunt. Hinc ad æquilibrium, ut vocamus, Principes trahere consueti, quorum animos cognoverunt, in promptu se habere gloriantur, quibus ad intentionem pertingant, & quæ cogitant, omnia expleant; sed si hac via suam rem curaverunt, & post animo repetunt, quod nimia Principis illius potestas, in detrimentum suum aliquando cedere possit, negotio, quantum possunt, moram injiciunt, ut solent in lites Advocati; Hinc vero solita dexteritate & artificio fere stupendo miscent chartas, & quibus principium dederant, eadem prorsus iterum evertunt. Hoc Liga Galliæ, quæ ab ipsis instituta est, & conclusa, & post etiam rupta, cum viderent, prospere Regi succedere, idemque Angliæ Imperium toties Hispanis ab ipsis promissum, & quem calculum ideo duxerant, circa discursum hunc meum confirmant, ut majori probatione non indigeat.

Decimo: Sequitur ex his dictis, quod Patres Jesuitæ bona intentione careant erga Principes, sive illi seculares sint sive Ecclesiastici, quotcunque eorum reperiantur; & eo solum fine serviant illis, ut utilitati suæ inserviant; imo vero ex his constat, quod nullus Princeps, multo minus Præsul aliquis uti illis possit, cum eodem tempore æque se erga omnes affectos præbeant, & dum inter Gallos sunt, Gallis similes, & dum apud Hispanos, Hispanis vivant, & sic per omnes nationes, quemadmodum postulat occasio, ut suis hinc rebus tantummodo operam dent; & nihil adeo æstiment plus uni quam alteri præjudicii afferre.

Et propterea etiam negotia illa, quibus sese immiscent Patres Jesuitæ, raro finem optatum obtingere solent, quoniam animum non habent, ultra quam rerum suarum ratio requirit, in officio progrediendi. Quem in finem etiam insigni artificio utuntur, cum fingunt quosdam, quasi hi immenso studio in Imperio Gallorum ducantur, alios qui in Hispaniam, alios qui in Imperatorem, & sic porro in Principes reliquos, quorum favorem expetunt, atque adjumentum; & si quis ex his Principibus operam cujusdam Jesuitæ desiderat, cujus fidem sibi proficuam ratur, illico idem datis ad Patrem suum Generalem literis, negotium tractandum proponit, & responsionem una cum mandato, quid faciendum sit, inde exspectat, secundum quæ actiones instituit, nec

val-

valde curat, an mandatum illud, quod à Patre Generali accepit, sit conforme intentioni Principis, à quo negotium ipsi commissum, ita ut omnis illa opera, quæ præterea à societate exspectari potest, parum contineat, quo de salute Principis agatur.

Porro dum cognoscunt Jesuitæ commoda Principum singulorum, quippe qui ad unguem instructi, quid quotidie ferme in secretioribus consiliis suscipiatur, isti quidem, qui fingunt se cum Gallis facere, Regi & Ministris ejus potioribus, certas de statu rerum conditiones proponunt, & considerationes satis arduas, quæ Roma ad ipsos à Patribus Politicis transmissæ, & idem observant apud Hispanos, qui horum Imperio maxime deditι videri volunt, & sic porro cum reliquis; ex quo tot discordiæ in animis Principum oriuntur, ut nemo facile alteri fidem tribuat, quod summo detrimento publicæ est quieti, & saluti totius orbis Christiani; etenim tali animorum discrimine difficillimum fit, illud vinculum, quod contra communem hostem directum erat, porro stabiliendi, & parum tranquillitas inter Principes æstimatur. Sed & tanto studio oculos ad hoc seculum dirigunt, ut materiis civilibus totum quasi mancipaverint, & nemo hodie sit, qui magno cum præjudicio sanctissimæ Ecclesiæ aliud quid mente cogitet; omnesque adeo actiones hac statera ponderantur. Et quod pessimum est etiam hæretici, illud Patrum Jesuitarum artificium non animadvertunt tantum, sed & cognitum habent, & in usum suum convertunt apud Principes illos, à quibus proteguntur; ita quidem, ut cum Lutherani antea fuerint, spemque dederint, futuræ suæ ab erroribus conversionis, jam esse Atheistæ & Politici tales incipiant, quos convertere difficillimum est, nisi Deus apud ipsos supra communem sortem operetur.

Nolo hic reticere, saltem ut cognoscatur fallacia Jesuitarum & modus, quo Principes ad studia sua pertrahere tentant, quomodo ante aliquot annos Pater aliquis ex illis Assistens Angliæ, Pearsonius dictus, librum scripserit contra successionem Regis Scotiæ ad Imperium Anglicanum, & alius ex iisdem Patribus, cui nomen Crittonius una cum aliis ejusdem societatis, libro alio à se composito defenderint argumenta Regis Scotiæ, quibus sententiam Pearsonii oppugnabant, & dissidia invicem stimulabant; cum interim singulari artificio lites perducerent, & consentiente Patre ipsorum Generali; ut quisquis successurus esset ad Imperium Angliæ, eodem uterentur ad evehendam suam societatem, & inde proficerent; adeo ut facile constet, Principes cuivis determinationi esse objectos, & cuivis actioni Jesuitarum, & quod proinde proverbium ipsorum verissimum sit, societatem suam esse instar magnæ Monarchiæ.

Undecimo: Ut verum esse constet, Jesuitas curam nullam gerere, sive honorent Principem sive injuria afficiant, dummodo de commodo ipsorum agatur, etiamsi vel sola experientia rerum infinitarum, quæ inde secutæ sunt, faciat ipso Sole clarius, quæ tamen ad hanc rem spectant quæ adhuc subjungam, evidentissimo ostendent argumento. Non est mortalium quisquam, cui majorem obedientiam præstare teneantur, & servire magis, quam summo Pontifici, cum propter mille alias rationes, tum propter votum particulare, quod præstant, ejus personæ obediendi; & tamen Pio V. Pontifici sanctissimo & nunquam satis laudando, cum suggerente Spiritu S. aliquantum reformaturus esset ex his Patribus nonnullos, reducendo eos ad officia in Choris exercenda, & ad Professionem sequendam, eo modo, quo consueti sunt ceteri Religiosi, obedire recusarunt, & visum hoc ipsis nequaquam sibi conducere; imo pauci forte, quibus arridebat consilium Pontificis, quique acceptabant Professionem, ab ipsis per contemtum dicti sunt *Quintini* nec unquam ex his aliquis ad gradum honoris ascendere potuit. Eodem ardore sese opponebant S. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi, qui tanquam Legatus à latere suæ Sanctitatis ad disciplinam Religiosorum eos reducere tentabat. Sed quid? ne quidem sacris Canonibus morem gerunt, quippe qui contra hos Mercaturam Unionum, Gemmarum, & Adamantum ex India allatorum tractant, & fama est, partem majorem Gemmarum, quæ venduntur Venetiis, ad Jesuitas spectare; quæ hominum opinio disseminata est ab illis, quorum opera utuntur, quique ipsis sunt instar proxenetarum. Quod vero mala fide adsint summo Pontifici, sciunt ipsi Patres, qui eam ob causam Romam vocati, & ad inquisitionem abacti, nec volo nunc, nec decet hos nominare, aut plus ultra me ad hæc diffundere, ne cogar descendere ad disquisitio-

tionem de quodam Principe, cui haud valde placuerit discursus meus; nam in vobis mihi est, inservire omnibus & lædere neminem; cum insuper non intendam invectivas hoc loco contra Jesuitas instituere, quos sincere ex alia ratione colo; sed delineare brevibus solum mores ipsorum, & vivendi consuetudinem.

Duodecimo: Quemadmodum sæpe est, quæ videatur morbo aliquo periculoso decumbere persona, & tanta cum lamentatione vocem edit, ut velut ad cœlum porrigatur, & quisque inde doleat, illam gravissime decumbere; interim causam & originem mali discernere nequit; sic & pariter totus orbis queritur de Jesuitis, hic, quod graviter sese persecuti sint, alter, quod fidem in adjuvando se fefellerint, sed malum tamen serpit toto die, nec facile occasio deprehenditur, quæ ipsum vastum illorum desiderium est & pene immensum, quo ad sublimiora semper abiguntur, quo etiam impediuntur, ne, cui magis noceant, valde æstiment, aut quod Principibus imponant, pauperes opprimant, opes extorqueant viduabus, & quod reliquum est, familiis nobilissimis ruinam adducant, & sæpissime suspicionum & mutuæ discordiæ autores sint inter Principes Christianos, dum sese in gravissima quæque negotia ingerere cupiunt. Jam igitur prout parum decorum fuerit ut pars corporis ultimo à natura formata, ut aliarum esset instrumentum quæ sunt potiores, sanguinem tamen puriorem, & spiritus vitales inde in se attrahat, quoniam hoc pacto tota moles dissolveretur; sic quoque turpe est, quod Societas Jesuitarum corpori sanctissimæ Ecclesiæ adscripta, ut hæreticis convertendis inserviret, & peccatores ad pœnitentiam permoveret, ad se Principum, Præsulumque ardua maxime & summi sæpè momenti trahat consilia, spiritusque vitales exhauriat, qui sunt ipsorum utilitas, & in se solummodo applicet; quoniam hinc quies publica violatur, atque alii, qui majori honore digni erant, opprimuntur, alii vero, qui potius opprimendi erant, ad majora adhibentur, & mille alia hinc eveniunt incommoda.

Ad demonstrandum vero ulterius, quam sit in exhausta apud Patres Jesuitas emergendi cupiditas, rationes adhuc infinitas ab experientia petere possem, sed sufficiet nunc eandem indicare ipsis fere verbis Patris Pearsonii, quæ in libro ejusdem lingua Anglica edito & Reformationis Angliæ nomine inscripto, habentur, ubi quidem cum reprehendisset Cardinalem Polum, Præsulem & virtute sua & sanctitate, uti & meritis in Ecclesiam æterna memoria dignum, & defectus quoque aliquot & imperfectiones Sacri Concilii Tridentini notasset, tandem concludit, si ad veram fidem Catholicam Anglia iterum rediret, se velle illam ad formam ac statum primæ reducere Ecclesiæ, communionem omnium bonorum Ecclesiasticorum procurando, & curam horum tradendo septem sapientioribus è numero Jesuitarum, ut quemadmodum maxime ipsis è re esse videretur, ea distribuerent; neque velle sed potius sub gravissimis pœnis prohibiturum esse, ut Religiosus aliquis, cujuscunque etiam ordinis esset, sine facta ab illis libertate in Angliam reverteretur, & suasarum potius, ne in hanc reciperentur, nisi qui vivunt ex eleemosynis. Sed cum amor proprius caligine sæpius obducat mentes, & quam prudens alias quisquam fuerit, stoliditatis causa sit, ita res certe ridicula est, quam Pater iste subjungit. Reducta nempe, pergit ille, ad veram fidem Anglia, non convenit, ut Pontifex ad minimum per quinque annos, priores fructum aliquem è beneficiis Ecclesiasticis illius Regni expetat, sed sub potestate potius septem illorum sapientum relinquat omnia, ut circa hæc versentur, ut Ecclesiæ judicabunt conducere; hinc vero consulendum erit, post quinque annos priores, novis inventionibus adhibitis, quæ sunt copiosissimæ, ut idem privilegium sibi iterum confirmetur per quinque annos sequentes, & hoc tam diu urgendum, donec omnino Beatit. Sanctissimi Domini Nostri regno Angliæ excludatur.

Igitur quis est, qui hic tanquam in imagine non observet aviditatem & ambitionem Jesuitarum quasi in tabula depictam, una cum desiderio ipsorum sese faciendi Monarchas? quis non videt, quo vadat ipsorum astutia utilitatem suam promovendi, parum quid aliis utile sit, aut noxium æstimantium? aut vero quid porro? nonne tempore Gregorii XIII. quæsivere, ut per omnes Ecclesias Parochiales Romanas investirentur, ut inde initium caperent Monarchiæ? Et hoc vero quod Romæ non potuere, tandem obtinuerunt in Anglia, ubi denique elegerunt Archipresbyterum Jesuitam in Voto, qui

cum

cum Clerum defendere deberet, rapidi instar lupi prosequitur Sacerdotes, quotquot è factione Jesuitarum non sunt, & ad desperationem fere adigit, dum vel colloqui invicem sub gravissimis pœnis interdicit, & jam totus in Anglia Clerus est quasi Jesuita in Voto, nec porro vel in collegium aliquis adsciscitur, qui non fuerit pollicitus se fore Jesuitam; ita ut si hoc Regnum ad pristinam aliquando fidem rediturum sit, Anglia sit futura principium Monarchiç alicujus veræ Jesuiticç, quia omnes reditus Ecclesiastici, Abbatiæ omnes, Beneficia, Episcopatus, Archipresbyteratus, & aliæ dignitates solis conferentur Jesuitis.

Verissimum est, *quod & flens dico*, quod hodie pauciores Hæretici convertantur, maxime in Anglia, quia, ut dixi omnis ferme Clerus antiquus extinctus est, qui quondam fructus præstantissimos ibi producebat, etiamsi sibi omne hoc tribuant Jesuitæ, qui tamen potius ad propriam utilitatem, quam ad salutem animarum respiciunt, ne dicam, quod intelligant vel Hæretici oppressionem, quam sustinent à Jesuitis Sacerdotes Catholici, item per quas artes procedunt, & odium in se tantum derivant, ut vel ideo multi non convertantur, ne tam immaniter ab ipsis excruciari queant. Multa hic prætereo, tum quod concernit prætensiones, illas quas supra statum reliquorum sibi vindicant, sed simul Reipubl. infensissimos, & proprii honoris plus nimis cupidos seipsos arguunt, tum quoque gratiam illam, quam apud Principes sibi acquirere student, dum suggerunt ipsis, sese populum sibi habere devotissimum, & proinde quantum his amorem erga personam ipsius implantare queant; atque hæc tanquam evidentissima unicuique ad considerandum relinquo, quatuor adhuc additis observationibus brevissimis discursum hunc meum absoluturus.

Prima est, quod homines tam superbi, & qui tam alto animo agitant, semper soleant esse rerum novarum studiosi, quas ut quærunt, sic quoque ubique pariunt; quoniam sola vi argumentorum, quæ nova apparent, finem attingere possunt, Armis his viam sibi sternendo, in quibus tam bene eos videmus exercitatos. Hinc ergo Principi, qui pacem amat, & conservationem civitatis suæ, non sunt proficui Jesuitæ, imo potius ad varios tumultus possunt præbere occasionem, adeo quidem ut dividere inter eos videatur Imperium, qui sub hoc tenuerit, & tamen non favet, nec horum consiliis res suas gubernat.

Secunda, cum nulla Jurisdictione seculari gaudentes, tam grave Mundo offerant & tam ingens detrimentum, quid futurum, si quis ex his Pontifex aliquando crearetur? Ille quidem primum Consistorium repleret Jesuitis, & hac via inter hos Papatum perdurare quasi causaretur, qui deinde juxta hæc commoda regerent res suas, & potestatem nacti Pontificis, periculo exponere possent multorum Principum in primis vicinorum, & qui finibus suis imprimis imminerent, Rempubl. Tertia est, quod omni modo quæsiturus esset Pontifex ejusmodi societatem Civitate aliqua, aut Jurisdictione seculari donare, unde post mille aliis consiliis agitandis viam reperirent, quo tamen pervenire non possent, nisi cum detrimento Principum aliorum. Quarta denique, si Consistorium ex Jesuitis de novo constaret, totum illud Christi Patrimonium esset sub ipsorum manibus. Uti vero Hydropicus, quo plus bibit, eo plus sitit, ita qui per potentiam suam facti avidiores, motuum infinitorum causæ essent, & quia non est, quod magis sit ipsa Republ. mutationi obnoxium, Patres illi omnibus artibus suis, ac viribus omnibus eo anniterentur, ut mutarent rerum faciem ad introducendum tandem istuc formam Imperii sui, & sic una potestatem Monarchiæ actu in se conferrent. Jam facile ad finem pervenirent, dum ad se reciperent, modo filium Principis cujusdam, qui ipsis jure Civitatis suæ cederet, & sic consecuti essent, quod optant, nisi alter forte eadem prudentia ipsorum machinationi occurreret. Tum vero sine ulla difficultate occuparent statum Ecclesiasticum, & quemadmodum sagaces, politique & subtiles sunt, millenas reperirent prætensiones ad illum ampliandum, nec media ad consequendam intentionem unquam defuerint; Sique alia via haud processerit res, suspicio saltem, quam generaverint in animis Principum maxime confinium, momenti instar erit præcipui. Ut ergo necessarium est, ut propter conservationem publicæ quietis, & propter defensionem Civitatum, item propter augmentum Ecclesiæ, & Mundi totius salutem, Sanctitas Domini Nostri Pauli V. adjuvantibus aliis Principibus Christianis huic Societati limites ponat,

nat, quæ jam nimium per partium suarum studia exorbitavit, ne aliquando ipsi eveniat, quod olim Davidi, cujus sortem videntur æque minari Jesuitæ, utut modum hunc procedendi tempore Claudii Imperatoris jam tum abrogatum sciamus. Etsi tandem mihi judicium ferre injungatur, quo remedio potissimum Patres illos sine ulla ipsorum læsione regere conveniret, imo vero cum summo omnium emolumento, quandoquidem nunc Dominos animarum sese constituunt, quæ sunt Thesaurus Christi, non Mundi, aut vero divitiarum, quæ ex hoc mundo proveniunt, quæ tamen pro sordibus abjectissimis haberi debent, idem non sine charitate & ex omnibus viribus, quas Dominus concedet, facere paratus sum. Laus Deo.

F I N I S.

INSTRUCTIO SECRETA PRO SUPERIORIBUS SOCIETATIS JESU.

1.

Qualem se Societas præstare debeat, cum de novo accipit loci alicujus fundationem.

Ut se gratam & acceptam præbeat Societas incolis loci, quem non ita pridem suscepit: multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præscriptus in Regula secunda summarii, *incumbere in salutem Proximi æque ac suam.* Quare humilia obsequia obeunda, in Xenodochiis, & fimo jacentes invisendi: ad Confessiones excipiendas quorumcunque, etiam ad loca distantia eundum: Eleemosynæ conquirendæ, dandæque pauperibus, aliis videntibus; ut ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores. Modestiam exteriorem ita omnes ediscant, ut illa alios ædificent. Delinquentes è nostris vel ob id dimittantur.

2.

Quid facto opus sit, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?

Conatus ad id maximi sunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici spiritualibus & Ecclesiasticis personis, quando odiosa facta eorum non aspere apprehenduntur, sed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum, cum sibi affinibus, quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob vulgi opinionem, quod tales exsecratur thoros. Itaque dum hæc & similia affectant Principes, animandi sunt, assecuturos eos, quod volunt. Explicentur rationes, quæ eorum desiderium augeant: videlicet, Matrimonium hoc fore causam majoris vinculi, & gloriæ Dei. Sic, dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æque omnibus Dynastis gratum: (Verbi gratia si bellum movere vult:) tunc ejus voluntas juvanda, & constantiæ monendus promovendusque animus. Primoribus regni insinuent persuadeantque Principis voluntati parendum esse: non tamen ad particularia descendant, ne nobis imputetur. Si tamen objiciatur: citentur generalia monita, id nobis prohibentia.

Juvabit ad contrahendam familiaritatem Principū, obire legationes in materiis ipsis gratis. Per munuscula vincēdi intimi Principum: ut fideliter instruant nostros, de moribus & humoribus Principis, quibus rebus oblectetur, quis sit sibi

sibi modus placendi: salvo tamen jure virtutis & conscientiæ. Et occasione habita, insinuent se in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus, proponantur illis Virgines in matrimonium, quæ cum suis parentibus, nostris sint addictæ: iisque Virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, alias alienos, nobis amicos reddamus. Docuit id experientia, per Domum Austriacam, in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisque Ducatibus & ditionibus.

Fœminæ ne mittent animos, aut de suo favore in nos remittant: serio illis inculcetur amor in nostram Societatem, tum per nostros, tum per eas Famulas, quæ nostris sunt addictæ: quæ variis officiis, & munusculis in amicitia conserventur. Sic enim secretiora suæ Dominæ, & ea, quæ nostros scire oportebit, evulgabunt.

Sequantur, in conscientiis Magnatum regendis, eorum Authorum sententias, quæ liberiorem faciunt conscientiam, contra Monachorum opiniones: Ut, illis rejectis, nostros sequantur, & à nostra directione & consiliis dependeant. Quare, tam ad Principes & Magnates, quam Prælatos conciliandos, juvabit, eos facere participes meritorum nostri ordinis: habere amplas facultates, absolvendi à peccatis reservatis & censuris, dispensandi in jejuniis, debito credendo, matrimonii impedimentis, & aliis votis. Invitentur ad Scholas nostras: salutentur carminibus: inscribantur illis Theses: si expedit, in triclinio tractentur: & si qui qualitas personæ exposcat, variis linguis salutetur, tempore mensæ, à nostris fratribus.

Inimicitias inter Magnates componant. Quod si Monarchæ, nobis addicto, subserviat Vir aliquis primarius, à nobis alienus: promittatur ei favor, & honores conferendi, ad nostrorum instantiam. Denique ita Societati avent affectos esse Principes, & magnos Dominos, tum Prælatos: ut pro ea contra affines, & sibi charos agant nec dimissos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur; delatos gratulentur, libellis carminum, per studiosos, in primo ingressu loci, ubi exercenda erit jurisdictio.

3.

Quid curaturi sint Domini pro nobis, dum pecunia destituuntur; multæ tamen sunt authoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodesse possunt?

Tales Domini si sæculares sint: curanda apud ipsos gratia & auxilium contra Adversarios nostros, favor ad lites forenses, authoritas & potentia ad coemtiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearumque pro exstruendis Societati nostræ domiciliis, in illis præsertim civitatibus, quæ nostros nolunt habere. Iidem Domini conciliandi ut mitigent, imo compescant furorem hominum notæ inferioris, nobis nihil cooperantibus.

A Spiritualibus vero (ut Episcopis, Archiepiscopis) pro diversitate nationum, id exigendum, quod rei oportunitas ostendet. In quibusdam partibus curandum est, ut Prælati, & Parochi ipsis subditi, nostros revereantur, nec impediant ministeria nostra: in aliis partibus plus. Nam in Germania & Polonia, Episcoporum magna est authoritas qui parvo labore, collata re cum Principe, Monasteria, Parœcias, Præposituras, Altarium fundationes nobis possunt attribuere, contentatione quacunque facta Sacerdotibus secularibus. Quod in iis locis assequi possumus, ubi Catholicis Hæretici & Schismatici sunt permixti. Ostendaturque Episcopis, magnum fructum eos hac ratione facturos, quem à secularibus Sacerdotibus & Monachis præter cantum, expectare non possunt. Laudetur Zelus eorum: inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut Societas succedat in beneficia secularium Sacerdotum, per eos Episcopos assequentur facile, qui & confitentur nostris, & à directione nostra pendent, & sunt in expectatione ad altiores gradus Episcopatus opulentioris mediantibus nostris.

Tam autem apud Episcopos, quam Principes curent nostri, ut dum fundant nostra Collegia ad parochiales Ecclesias, nostri quoque soli sint, qui habeant jus conferendi Vicarium perpetuum, cum cura animarum. Ipse superior loci, pro tempore existens, erit Parochus: totumque regimen Ecclesiæ nostrorum sit. Per eosdem curabunt exstructiones Collegiorum in locis, ubi sunt Academici, nobis repugnantes, vel Catholici, aut Hæretici cives, fundationes nobis in suis civitatibus prohibentes.

tes. Illi iidem curabunt pro nobis Cathedras concionatorias, in Civitatum nobiliorum præcipuis Ecclesiis.

Si quando agitur de beatificando aut canonizando nostro: Magnatum Liberis promovendum erit negotium, apud Sedem Apostolicam. Si ex iisdem Dominis contingat legationem obire: ne cognitis aliis Religiosis, qui nobiscum symbolizant, ad eos affectum transferant, & in eas Provincias inducant, in quibus eminemus. Quare si transeant Viri illustres per Provincias, ubi sunt nostri, excipiantur ad Collegia, & pro modestia religiosa tractentur.

4.

Quæ commendata esse debeant Concionatoribus, Confessariisque Principum & Magnatum?

Ut directiones Regum, Principum, Virorumque illustrium, recte per nostros instituantur: omni modo ita eos dirigant, ut sua directio tendere videatur ad conscientiam, quam ipsi Principes concredunt. Non statim autem, sed sensim, spectare debet directio, ad gubernationem politicam externam. Quare sæpe inculcent Principibus, distributionem honorum & dignitatum in Republica, spectare ad justitiam: graviterque Deum offendi, si contra eam à Principibus peccetur. Se tamen nolle, dicant, ingerere in ullam administrationem Reipublicæ, & hæc se invitos dicere, ratione sui officii. Quod ubi apprehenderint Principes: explicetur ipsis, quibus virtutibus præditi esse debeant viri, assumendi ad dignitates Reipublicæ. Commendationis capita sumantur ex amicis Societatis nostræ, & iis Viris, quos expedit pro bono Societatis promovere: quos per se non nominent Principi, sed per intimos amicos Societatis nostræ, & Principis: Quare confessarii & Concionatores informentur à nostris, qui in quavis parte illius dominii sint Viri, qua virtute, potentia, divitiis, liberalitate in nos. Horum nomina apud se habeant, notitiamque eorundem faciant Principi, dextre eos commendando: ut facilius oblata occasione promoveantur à Principibus illi, quos olim sibi laudari, à suis Confessariis & Concionatoribus audierant.

Meminerint Confessarii, & Concionatores Principum, suaviter eos tractare, nulla ratione perstringere in concionibus aut privatis colloquiis. Confectiones, aquas destillatas modice acceptent: pro usu privato, parva pecunia sint contenti. Dum sunt in Palatiis ad abjectiora se cubicula conferant. Prudenter inculcent suis Principibus, ne vel lato ungue discedant à consilio spiritualium Patrum. Curent sibi significari quam primum Officialium Reipublicæ mortem: & de substituendis mature agant. Ut suspicione se eximant externi regiminis: nec Amicorum causas apud Principes promoveant per se, sed aliis potius committant.

5.

Quid agendum cum Religiosis, qui symbolizando nobiscum, in multis occupationibus, multum nobis detrahunt?

Genus humanum nobis animose ferendum. Proinde inculcandum hominibus, nostrum Ordinem omnium religionum habere perfectionem, & in quo aliæ religiones excellunt, in eo, eminentiore modo, Societatem lucere in Ecclesia Dei: præter cantum, & victus asperitatem: (quibus discrepamus à Monachis:) omnia in Societate melius haberi, ipsa etiam subjecta. Notentur defectus, ex quibus ostendatur, minus feliciter alios Religiosos satisfacere posse illi occupationi in qua concurrunt nobiscum. Majore conatu eundum est contra illos Religiosos, qui Scholas, erudiendæ juventuti instituere vellent, in locis, ubi id cum dignitate & fructu Societas nostra obit. Ostendatur Principibus, tales homines fore perturbationi Reipublicæ. Proponatur Academicis externis, illos Religiosos magis quam nos fore in ipsis ruinā. Suggerant Principibus, sufficere Societatem erudiendæ juventuti. Quod si literas Pontificum pro se habeant, aut Cardinalium commendationes: agant per Principes apud Pontificem, cui ostendatur, Societatem bene fungi suo munere. Procurabunt testimonia à Civitatibus, in quibus sua Collegia habent, bonæ conversationis. His etiam diligenter persuadendum erit, timendas perturbationes, accessu diversarum Scholarum, & Præceptorum. Esto: Religiosi sint: interim nostri pro viribus curent studia exerceri & specimina edi, cum applausu aliorum.

6.

De conciliandis Viduis opulentis Societati.

Deligantur ad hoc opus provectæ æta-

ætatis Patres, colore vivido. Visitentur crebrius eædem à nostris. Quæ affectum ostenderit in Societatem, Vicissim Societatis nostræ opera ei offeratur. Sic acceptat, cœperitque frequentare nostras Ecclesias: detur ei talis Confessarius, qui eam bene dirigat, & constantem in viduitate conservanda faciat, enumerando bona viduitatis, quibus meritum amplum sit obtentura. Ut res tota melius illi cedat: comitatus famulorum diminuendus suadeatur: ordinentur Officiales aulæ, & Præfecti bonorum: præscribantur, quæ spectant ad gubernationem domus, habita ratione loci, & personæ. In primis autem efficiat Confessarius, ut ejus consiliis acquiescat Vidua, & directionem sequatur, tanquam fundamentum futuri boni spiritualis. Proponatur usus Sacramentorum frequens, auditio Sacri, recitatio Litaniarum. Exhortationes sint bis vel ter in hebdomada, de bono viduitatis, de molestiis matrimonii iterati, periculisque novisque gravaminibus ejusdem. Facere proponat Viros nobiles, quorum illa Vidua, cum qua agitur, non abnueret connubium: iidemque Viri ita describantur, declarando mores & vitia ipsorum, ut audiendo Vidua nec cogitationem assumat de matrimonio. Proinde, cum sint ita affectæ erga Viduitatis statum, quam primum eis commendentur vota religiosa: ut emisso voto castitatis, omnem sibi aditum præcludant ad secundas nuptias. Quo tempore maxime suadendum, ut ex aula abigantur juvenes liberiores in jocis: pauci admittantur hospites, in iisque tractandis mediocritas. Præfecti pagorum, Sacellani, alii officiales, tales sint, qui aut ex nostrorum commendatione habeantur, aut à nostrorum nutu dependeant. Huc ubi progressum fuerit, paulatim ad bona opera inducenda erit Vidua: quæ tamen præstabit, ex directione Patris sui spiritualis.

7.

Quis modus conservandi Viduas in viduitate, & de dispositione redituum, quos habent.

Si, præter communem affectum, testetur Vidua Clenodiis, aut pecuniæ non modica summa suam in Societatem liberalitatem; fiat particeps meritorum Societatis nostræ. Si emisit votum castitatis; renovet illud, more nostro, bis in anno. Exponatur ordo nostræ Societatis domesticus: qui si placuerit, præscribatur pro aula. Indicantur Confessiones menstruæ, tum pro festis Christi Domini, Beatæ Virginis, & Apostolorum. Constituantur Syndici inter mares & fœminas, qui defectus notent inter aulicos & famulas, referantque Magnificæ interdicantur nutus, susurri, clandestina colloquia: delinquentes severe castigentur. Sint in aula honestæ puellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, se in pietate exerceant: supra se habeant manuductricem, quæ laborantibus attendat, & mores edoceat. Visitentur Viduæ crebro, & jucundis Colloquiis, spiritualibus tamen, conserventur & foveantur. Non tractetur rigide cum ipsis in Confessionibus: nisi tunc, quum minor est spes aliquid ab eis accipiendi. Proderit quoque ad conservandas Viduas, si pleraque fiant in gratiam Viduarum: ut ingressus in ædes nostras, colloquia, quando & cum quibus placet è nostris. Non permittantur in frigoribus domo exire, aut dum se deterius habere sentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus studiosorum externorum. Si exsequiæ peragendæ sunt, ornatus lugubris, licet splendidus, tamen adhibeatur: cenotaphii non sit vulgaris structura. Demum, quicquid fieri potest ad Viduarum sensualitatem, (modo sint liberales, & addictæ intimæ Societati) fiat, caute tamen & secluso scandalo.

Agendo de dispositione redituum, quos habent Viduæ, proponatur ipsis illa perfectio laudata status hominum sanctorum: quando, neglectis amicis, sua bona in JEsu Christi pauperes erogant: adducātur exempla Viduarū, quæ hac ratione brevi in sanctas evaserunt.

Quare, dum se viduæ in nostras manus resignant, paratæ sequi directionem Patris spiritualis: serio inculcetur: ut majoris meriti sint illarum actiones coram Deo, ne religiosis quidem personis dent eleemosynas, inscio Confessario, sed adnotatis iis, quæ se daturas alicui decreverunt, schedulam exhibeant Confessario: qui detrahere aut addere potest, pro ut videbitur. Caveant Confessarii frequentem aditum aliorum Religiosorum ad Viduas: ne post se fœminas, natura inconstantes, abducāt.

Dum multa est pecunia ex bonis collecta; ne hinc moveantur Viduæ ad secundas nuptias: proponant Confessarii, imo suadeant, ordinarias pensiones, quibus sublevent necessitates, singulis annis, nostrorum Collegiorum, & Do-

morum professarum; præcipue Domus professæ Romanæ. Eandem pecuniam impendere possunt in casulas, & paramenta templi, quæ pro nostris sacris ædibus servire possunt post mortem Viduæ. Exponantur defectus Ecclesiarum nostrarum coram viduis, structuræ imperfectæ Collegii. Inducantur ad sumtus faciendos pro rebus perpetuam eis gloriam conciliaturis, ut sunt templa, cibaria, ædificia, quæ consulto cito conficiantur: ut habeant, in quod suam liberalitatem possint exercere. Id ipsum faciendum cum Benefactoribus & Principibus, qui nobis aliquid sumtuose exstruunt. Si clenodia sint: suadeatur, æternitati ea consecranda, si dentur à Viduis ad sepulchra nostrorum Beatorum Romam.

Comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendetur, illas summam perfectionem assecuturas, dum rerum terrenarum amore se exuendo, earum Christum Dominum in servis Societatis suæ, possessorem instituerint. Quod si filios & filias Dei obsequio dicare voluerint, non est liberalitatem earum spernenda, accipiendo quæ offerentur: parcius tamen ab iis Viduis accipiendum, quæ filios & filias ad seculum dirigunt.

8.

De remediis, ut filii & filiæ nostrarum devotarum religiosum amplectantur statum.

Suaviter & fortiter id Matri viduæ peragendum. Filiabus molesta sit virgis, minis, abstinentiis: asperius tractando, denegando ornatum muliebrem exquisitum, pollicendo majorem dotem, si velit esse monialis. Exaggeret illa futuri mariti furores, gravamina matrimonii: præ se ferat mater ipsa dolorem, se non fuisse monialem: demum ita agat contra filias, ut tædio victæ manendi apud matrem, adspirent ad monasterium.

Cum filiis conversentur nostri familiariter. Accipiantur ad Collegia: in quibus illa ostendantur ipsis, quæ moveant ad ingrediendam nostram Societatem: ut sunt Horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes.

In Refectoriis ostendatur munditiеs & exterior conversatio inter nostros: munuscula, faceta colloquia, ad Spiritum tamen, non omittantur. Sint, penes tales Viduarum filios, instructores amicissimi nobis, imo futuri de nostris. Subtrahat mater filiis necessaria ad tempus modicum: exponat intricata negotia, ex parte bonorum. Si ad alias provincias iverint, studiorum causa, ibi illos mater non delicate tractet pecunia: ut tædio victi in exteris nationibus, religionem ingredi serio meditentur.

9.

De Redditibus augendis Collegiorum.

Serio inculcetur Confessariis Principum, Magnatum, & Matronarum, ut dum spiritualia illis conferunt, temporalia, pro bono communi Societatis, ab eisdem recipiant. Quocirca non omittant occasiones acceptandi, dum aliquid offertur: & si differatur, in memoriam revocent nimium affectum minime præ se ferendo. Qui ex Confessariis minus industrii in hac re erunt, tamquam bono communi minus affecti, amoveantur à Principibus, domique exagitentur. Magno dolore audivimus, juvenes Viduas, morte immatura præventas, culpa nostrorum, suppellectilem templi multum præciosam nostris non legasse, neque acceptasse, dum superstites Viduæ offerrent: cum ad talia acquirenda, non tempus, sed voluntas offerentis, spectari debeat.

Adeant Civium domos, aulas Nobilium; nec non Viduarum: ex quibus omnibus perquirant prudenter, num, pro animæ suæ bono, vel ipsi, vel aliorum Amicis aut Affines, Ecclesiis aliquid sint legaturi.

Idem perquirendum à Parochis & Prælatis, qui prius inducantur, ad officia spiritualia facienda: pro tempore multa nostri possunt lucrari.

Apud hos omnes studeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis, & fidelem exsecutionem, ratione locorum, quæ accipiunt à benefactoribus, secus quam alii seculares Sacerdotes & Monachi. Habeant notitiam hortorum, lapidearum, Vinearum, civitatum in quibus resident, pagorum, prædiorum, à quibus possessoribus, quibus contractibus, cum quibus gravaminibus, teneantur: & num illa bona, vel per contractus, vel receptionem filiorum in Societatem, aut donationem, habere possint, experiantur.

Devotis & devotabus Societatis nostræ, quandoque bona sua, Collegio vendant, cum pacto, quod post breve tempus, Societas gratis eadem sit ab ipsis

ipsis receptura. Si viduas addictas contingat habere tantum filias: eas dirigant ad religionem Moralium, dote quacunque eis data. Cætera, uti pagos, clenodia, totamque possessionem, nostri facile lucrabuntur. Si autem tantum unum filium, aut plures, Vidua Societati nostræ amica habuerit, nullaque spes sit filios vel filium fore in Societate: indicetur Matri, sufficere, si integras possessiones filiis vel filio relinquat, ac collectam pecuniæ summam, ad suam propriam dotem, posse legare Societati. Accidit, Viduas esse unius aut alterius pagi, ad pietatem propensas, Societatis studiosissimas: hæ inducantur ad inscribenda bona nostris Collegiis, ipsæ interim contentæ sint annuam suscipere contentationem: Ut Deo commodius vacent, cura rerum temporalium liberæ.

10.

De Disciplinæ rigore ostendendo in Societate.

Testabitur disciplinæ rigorem, ejiciendo à nobis, quandocunque videtur Societati. Esto sint cujuscunque conditionis & status, senes, juvenes, consumserint ætatem & vires, morbo calculi, & alio quocunque postquam ingressi sunt Societatem, affecti fuerint. Causæ (præter causas reservatas, ob quas, pollutione excepta, licita erit dimissio) hæ erunt ejectionis: si devotas nostras, & amicos Societati utiles, ad alias religiones dirigunt, aut Parentibus indicant, sive illis à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem: si in resignatione bonorum, erga consanguineos affectum ostendunt, non dando totum Societati. Prius tamen tales, per aliquot annos in Societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur: detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant: altiora studia, præcipue quartus, Theologiæ annus, non concedatur. Capitula frequentius, tempore mensæ, dentur. Patres prohibeantur à Confessionibus excipiendis: arceantur à conversatione externorum: accipiantur res charæ ex cubiculis: frequentes pœnitentiæ publice assignentur.

Hinc erit facile progredi ad dimissionem. Si tales personæ, notatæ in supra dictis vitiis, conquerantur coram Provincialibus, de immoderatis superioribus aut officialibus: non credantur facile, excusetur factum, dicatur teneri eos obedire Superiori ubicunque non est peccatum.

Non sint scrupulosi in dimissione Superiores. Cum enim ordo noster gaudeat nomine Societatis & Sociorum: non mirum, Societati annexam esse dimissionem. Nam Societatis, & sociorum vincula facilius solvuntur, neque sunt perpetua. Dimissio cœpit cum instituto Societatis.

Id evidenter ex eo patet: quia Societas habet vota simplicia, pro Scholasticis, Coadjutoribusque formatis: quæ vota non habent mutuum contractum, ac si Societas habeat obligationem, personas cum talibus votis in Societate retinendi semper. Id autem nequaquam est: tantum enim obligatio cadit in voventem, non in Societatem, quæ potest cum talibus votis quoscunque dimittere, quando & quacunque de causa sibi videbitur. Licet autem in Societate, alii faciant professionem quatuor votorum, alii trium votorum solemnium, more aliorum Monachorum, tamen & tales à Societate dimitti possunt.

11.

Qualiter se unanimiter præstabunt nostri contra dimissos?

Quoniam tales multum obesse possunt Societati: proinde obvietur his modis. Antequam è Societate dimittantur, promittant, ejusque rei testimonium relinquant, se de Societate nihil sinistri dicturos. Præcludant aditum dimisso, ad eos spirituales & & seculares dominos, quorum ipse aucupari posset gratiam, ibique habere locum. Ducantur malæ ejus inclinationes, vitia, defectus, quos de se, in manifestatione conscientiæ, aliquando Superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc viro suo. Quod si erunt Domini nostris non addicti: per Viros graves nobis addictos, curetur impediri favor dimisso, apud eum, qui non est affectus nobis. Et si non potest induci, ad avertendum animum à dimisso, saltem inducatur ad non faciendum ex omni parte: Scribatur per Collegia, quinam sint dimissi: & cum exaggeratione, causæ dimissionis proponantur. De di-

dimisso in exhortationibus dicatur, quod iterum ardenter petat ingredi Societatem. Externis insinuentur causæ dimissionis illæ, ob quas vulgus nos odio habet: sic enim plausibilior erit dimissio quorumcunque.

Si dimissus habeat creditum, contra nos dicendo: obvietur huic rei per nostros graves Viros, qui dictis dimissi opponant authoritatem Societatis, famam, fructum quem facit in Ecclesia Dei, bonam existimationem Vitæ & doctrinæ, ob quæ Regibus, Principibus & Magnatibus, sunt à confessionibus concionibusque: explicent Zelum nostrum in Proximos, multo magis in unumquemque hominem Societatis suæ. Invitentur ad prandia illi, apud quos dimissus videtur habere partes: quibus persuadendum est, ne faveant dimisso, & teneri eos præsumere pro religione. Quo tempore causas dimissionis exponant, omnem eis probabilitatem ostendendo, & defectus dimissi omnes enucleate exponendo, nihil omittendo.

Esto, dubia aliqua sint: caveant dimissos promovere ad ulla beneficia ecclesiastica, nisi aut dederint non modicam pecuniam, aut sua bona inscripserint, aut singulari modo testati fuerint, se esse amicos Societatis. Id etiam Principi & Regi persuadeant confessarii: ut collaturi alicui honores, argumentum accipiant ejus ex liberalitate & bono affectu ejus in Societatem nostram, fundando ei Collegium, aut quid simile ei præstando.

Si contingat dimissos habere favores hominum: diligenter inquiratur in vitam ipsorum, & mores ac defectus, per amicos & devotas nostras Ordinis inferioris divulgent. Ipsæ ne dimissis faveant, aut apud se conservent dimissos, terreantur censuris, negetur absolutio si sint pertinaces. Laus dimissi extenuetur, argutis propositionibus ambiguisque, ita tamen? quod possint avertere animos hominum à dimisso, ut ejus fidem minuere Successus mali, qui accidunt dimissis, evulgentur cum magna commiseratione, in exhortatione, ut reliqui terreantur, & vel inviti maneant in Societate.

12.

De delectu Juvenum pro Societate, modoque eos retinendi.

Summa arte & industria opus est, ut recipiantur Juvenes ingenii boni, forma non contemnenda, genere nobiles, & opulenti. Ut tales pertrahantur, ostendatur illis favor à Scholarum Præfectis: non permittantur vexari à Præceptoribus: laudentur crebrius: dentur ipsis munera: accipiantur ad veniam, tractentur fructibus: in solemnitatibus accipiantur ad Refectorium. Cum aliis ad virgas descendendum, objicienda crimina ex aliquibus conjecturis, iratus vultus ostendendus, acrius compellandi ac reprehendendi: juvenilis ætas ad omnia mala quod sit in illis proclivis, ostendatur: nisi religiosi fiant, damnatione æterna terrendi. Dum in Societatem admitti petunt, non statim admittantur: differantur ad tempus: interim foveantur: in colloquiis, commendetur illis suave institutum: ita enim magno desiderio crescente alacrius instabunt admitti.

Et si voluerit postea exire aliquis ex talibus, revocetur illi ardens studium quo ingressum in Societatem urgebat.

Quoniam vero maxima est difficultas, in alliciendis Senatorum filiis, & hominum ditiorum in Patria: si tales sint, mittantur Romam ad Novitiatum: prius tamen præmoneatur de ipsis Generalis, aut Provincialis Romanus. Quod si in Germaniam, Galliam, Italiam venerint, & Societatem affectaverint: sine scrupulo suscipiantur in illis dominiis, in quibus Monarcha Societati est addictus. Sub tali enim Domino hæc & similia erunt peragenda: siquidem illius Subditi, cum nostro favore indigeant, non facile contra nos insurgent, & si insurgant nihil lucrabuntur.

Non omittantur occasiones inducendi filios eorum, qui studiorum causa ad nostra gymnasia ex aliis Provinciis, veniunt: maxime tunc, cum incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amissæ pecuniæ, partim metu Parentum aut Affinium, ob molestias, quas timent, induci se sinunt. Res habuit bonum successum in Germanis & Polonis.

Inconstantiæ occurrendum, pro qualitate personæ, exhortationibus de malo successu dimissorum. Ut vero Parentes & Affines ingredientium ad nos sint contenti: ostendatur excellentia instituti nostri, & tantus applausus Mundi: & honor qui defertur à Principibus Societati.

In-

Insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum, reddantque eos contentos: si id necessitas & personæ dignitas postulabit.

13.

De Monialibus.

Caveant offendere Moniales nostri Confessarii: cum tantæ sint benefactrices, ut aliquæ fundationem juverint Collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint, annuente Monasterio & Abbatissa. Quare ob clausuram, non eas molestent: relinquant Episcopis. Conservent potius favorem Monalium: ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easque exprobrent nostris datas.

14.

De Casibus reservatis & causis dimittendi à Societate.

Præter casus descriptos in instructione, à quibus solus superior absolvet, aut ordinarius Confessarius ex ejus licentia (hos casus videlicet, sodomiam, fornicationem, adulterium, stuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ: & si quis quacunque ratione moliatur contra societatem, qualicunque Zelo) sciant esse causas dimissionis à societate: nec prius absolventur, quam extra Confessionem promiserint, se id manifestaturos, per se, vel p Confessarium, Superiori. Qui si advertet, peccatum esse cum complice, aut in grave damnum Societatis: non absolvet, nisi pœnitens promittat, aut se ipsum scripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem scribendi Confessario, aut Superiori, de tali causa. Alias nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis vero, casu pœnitentis cognito, recollata cum Secretario, de casu pœnitentis id concludet, quod pro Societate expedire videbit, & tali pœnitenti dimissionem ex Societate assignabit. Quam si acceptare voluerit: nunquam valide poterit absolvi. Id faciendum conclusimus cum Theologis nostris, in casibus reservatis & approbatione sedis Apostolicæ, frustra quibusdam repugnantibus. Taceat tamen Confessarius, ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra Confessionem, dimittatur. Si dicere noluerit: Servetur cum ipso illa ordinatio scripta contra fictos. Interim tamdiu non absolvatur, quamdiu noluerit dicere extra Confessionem.

Si aliqui ex Confessariis nostris audierint, aliquam externam personam, cujuscunque Sexus cum homine Societatis rem turpem habuisse: non eam prius absolvent, quam extra Confessionem dicat nostrum. Et si dixerit, dimittatur noster: externa persona absolvatur.

Si duo ex nostris Sodomiam committent: qui non manifestabit, dimittatur: qui prior manifestabit, retineatur in societate, sed ita mortificetur, ut (velit nolit) post parva interjecta mora, aliam sequatur.

Poterit etiam societas, cum sit corpus quoddam, his de causis, se exonerare personis, si successu temporis eos deprehenderit esse crassos in moribus & loquela: imo quascunque viderint superiores causas, Generali monito, quemlibet à societate dimittent. Ut citius dimittantur, vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum: negentur quæ petunt, esto res paucæ sint: arceantur à studiis majoribus: dentur sub tales superiores, de quibus non sint contenti. Nec tales teneantur in societate, qui vexati insurgunt in superiorem, de eoque coram fratribus conqueruntur, aut displicere sibi dicunt, quæ fiunt in societate, quoad Viduas & directionem Rerumpublicarum, laudantque Venetos à quibus pulsa societas.

Immediate, ante dimissionem acriter exagitetur dimittendus: amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc, nunc ad illud officium obeundum, mittatur: interim reprehendatur, quod non benefaciat officium sibi commissum. Pro luci excessu, duriores assignentur pœnitentiæ: ex cathedra, tempore mensæ, defectus recitentur, ita ut confundatur. Et per idem tempus, dum notabilem impatientiam ostenderit, aliis audientibus & videntibus, tanquam is, qui est aliis scandalo, dimittatur, prius tamen res ejus revideantur; & aliquo jubeatur ire, ad vineam, vel vicinum Collegium, interim quo in loco minime sperat, in eo dimittatur.

15.

Qui conservari & foveri debeant ex personis Societatis.

Primum locum tenent strenui operarii, qui non modo spirituale societatis bonum, sed etiam temporale, promovent: ut sunt opulentarum viduarum Confessarii, qui dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis, & alii ipsis, cum recentibus viribus & ætate sufficiantur. His concedantur quæcunque petent in cibo, vestitu aliisque rebus, nec vexentur à Ministris pœnitentiis. Contra tales non sint creduli superiores.

Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos, in aliis notatos, superiori deferunt: aut positi in officio Ministri, subministri, Bedelli, alios mortificare sciunt, non ex affectu, sed amore disciplinæ religiosæ.

Foveantur Juvenes illi, qui sunt affines nostrorum Benefactorum, & Fundatorum, quare mittendi ad studia Romam. Si studeant in propria Provincia, concedantur illis ea, quibus foveri possint.

Fiat gratia illis etiam Juvenibus, qui nondum resignationem bonorum fecerunt pro societate: post factum, pane, non lacte, pascendi.

Nec illi postremum locum habeant, qui multos selectos Juvenes ad societatem inducunt, tanquam bene affecti instituto societatis.

16.

De Contemtu Divitiarum.

Ne nimium nobis affectum adscribant divitiarum: juvabit, mediocres non admittere eleemosynas, pro ordinariis officiis, quæ fiunt à nostris. Negentur sepulturæ viles in templis nostris. Cum viduis acrius agant, quæ se exhauserunt dando nostris. Idem faciendum cum personis nostris, qui pro societate fecerunt resignationem. Imo quando tales dimittantur, aut nihil eis reddendo, aut saltem bene detrahendo ob sumtus à societate eorum causa præstitos.

Hæc arcana præcepta diligenter servent penes se superiores, & paucis idque gravibus ea patribus communicent, ex iisque instruant alios, quomodo serviant cum fructu societati, neque ut scripta ab altero, sed ut ex peculiari prudentia deprompta, aliis communicent. Quod si (absit) in manus externorum hæc monita veniant: quoniam sinistre ea interpretabuntur: negentur hoc sensu esse societatis; per istos confirmando è nostris, de quibus certo scitur eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis generalia monita, & ordinationes impressæ aut scriptæ, his contrariæ. Demum inquirantur annon ab aliquo è nostris prodita sint (neque enim superior ullus erit, tam negligens in asservandis tantis secretis societatis) & si in aliquem vel leves erunt conjuncturæ illi imputetur & è societate dimittatur.

FINIS.

CATA-

CATALOGUS LIBRORUM.

MAGNUM OECUMENICUM CONSTANTIENSE CONCILIUM de Universali Ecclesiæ Reformatione Unione, & Fide VI. Tomis Comprehensum. IMPERATORIS SIGISMUNDI Consilio Anno M. CCCC XV. XVI. XVII. XVIII. sub cœlo Germanico Magnificentissime celebratum, IMPERATORIS LEOPOLDI gratia Anno MDCXCVI. XCVII. XCVIII XCIX. in Germaniæ sinu Gloriosissime Resuscitatum, Brunsvicensium Ducis RUDOLPHI AUGUSTI Auspiciis ex ingenti antiquissimorum & Fide dignissimorum MSCtorum mole & profundis Veteris illius ævi tenebris in Majorum gloriam & posteritatis emolumentum diligentissime erutum ac recensitum multisque Figuris æneis exornatum Opera & Labore HERMANNI von der Hardt Cœnobii Mariæbergensis Præpositi & Academ. Juliæ Profess. in Fol. Ex Officina Grossiana.

TOMUS I. Rerum Concilii OECUMENICI Constantiensis DE UNIVERSALI ECCLESIASTICÆ disciplinæ reformatione quæ res antiquæ IMPERATORE SIGISMUNDO sapientissime moderante ante hæc tria prope Secula gestæ, Augustissimo ac Invictissimo IMPERATORE LEOPOLDO Clementissime Annuente, Felicissimis Auspiciis Serenissimi Principis ac Domini, DN. RUDOLPHI AUGUSTI Brunsvic. ac Luneburg. Ducis &c. ad Ecclesiasticæ historiæ lucem, Germanicæ gentis decus, elegantiorisque doctrinæ, in hoc olim Concilio suscitatæ gloriam, ex inæstimabili Germaniæ & Angliæ thesauro literario, antiquissimorum MSCtorum Cæsareorum, Ducalium, Academicorum, aliorumque plurimum ingenti numero ad vectorum ope erutæ ac illustratæ Cura & Labore HERMANNI von der Hardt / Serenissimæ ejus celsitudini à literis, & in Acad. Julia Ling. Orientalium Profess. in Fol.

TOMUS II. RERUM Concilii OEcumenici Constantiensis, DE PACE UNIONE ECCLESIÆ. Quæ res antiquæ immensis laboribus & expensis CÆSARIS SIGISMUNDI ante hæc tria fere Secula confectæ sub Augustissimi CÆSARIS LEOPOLDI Imperio resuscitatæ felicissimis auspiciis Serenissimi Principis ac DN. DN. RUDOLPHI AUGUSTI Brunsvic. ac Luneburg. DUCIS &c. Ad Cæsareæ Majestatis gloriam & Ecclesiasticæ Historiæ Lucem ex antiquissimis & authenticis Codicib⁹ MSCtis Cæsareis Electoralibus, Ducalibus, Academicis aliisque pluribus erutæ ac recensitæ, Cura & Labore HERMANNI von der Hardt / in Fol.

TOMUS III. RERUM Concilii Constantiensis DE RELIGIONIS ET FIDEI MOMENTIS. Quæ res antiquæ in laudato Concilio CÆSARE SIGISMUNDO per quadriennium ferme olim ventilatæ, Nunc, tribus pene Seculis elapsis, CÆSARE LEOPOLDO, Felicissimis Auspiciis Serenissimi Principis ac DN. DN. RUDOLPHI AUGUSTI Brunsvic. ac Luneburg. DUCIS &c. ad Pristinorum Ecclesiæ Fatorum lucem, ex antiquissimis Codicibus MSCtis Cæsareis, Ducalibus & Academicis erutæ ac recensitæ ab HERMANNO von der Hardt / in Fol.

TOMUS IV. RERUM Concilii Constantiensis. CORPUS ACTORUM ET DECRETORUM Magni Constantiensis Concilii de Ecclesiæ Reformatione Unione ac Fide. Sessionibus Generalibus XLV. Congregationibus Ferme Millensis Cæsare Sigismundo Quatuor Fere annorum circulo à mense Novembri Anni M CCCC XIV. usque ad mensem Junium, Anni M CCCC XVIII. Magno molimine confectum nunc demum post tot Secula, Augustissimo Cæsare Leopoldo Felicissimis Auspiciis Serenissimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI Brunsvic. ac Luneburg. DUCIS ex antiquissimis & autentis MSCtis Cæsareis, Ducalibus & Academicis integre & plene erutum ac in Lucem productum ab. Hermanno von der Hardt / Academ. Jul. Prof. in Fol.

TOMUS V. Rerum Universalis Concilii Constantiensis DE PRÆCLARO APPARATU & incomparabili Pompa magni hujus Concilii. Quo ordine, decore ac splendore infinitæ res sacræ & civiles confectæ qui memorabilis in Oecumenico hoc primo in Germania Concilio in Consultando ordo, cum venerabili universi cœtus dignitate, Cęsare Sigismundo tribus ab hinc Seculis primum adornatus. Mox in Oecumenico secundo in Germania Concilio Basileæ avide admissus nunc sera ætate Cæsare Leopoldo resuscitatus, felicissimis Auspiciis Serenissimi Principis Rudolphi Augusti Brunsvic. ac Luneburg DUCIS in Germanicæ gentis imperiique Sacri Gloriam perennemque posteritatis memoriam ex antiquissimis Codicibus MSCtis Cæsareis, Ducalibus & Academicis Collustratus Opera HERMANNI von der Hardt / Præpositi Monasterii Mariæbergensis, Academiæ Juliæ Professoris & h. t. Prorectoris in Fol.

TO-

TOMUS VI. Rerum Oecumenici Concilii Constantiensis DE AUTORITATE JURE ET FATIS Magni hujus Concilii. Quæ præclara Majorum monumenta in Publico Concilii theatro Cæsare Sigismundo quondam orbi exposita, nunc sera ætate CÆSARE LEOPOLDO resuscitata, Felicissimisque Auspiciis Serenissimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI Brunsvic. ac Luneburg. DUCIS ad Ecclesiasticæ Historiæ Lucem Majorum Gloriam ac posteritatis emolumentum ex antiquissimis Codicibus MSCtis Cæsareis Ducalibus & Academicis recensita ab HERMANNO von der Hardt / Cœnobii Mariæbergensis Præposito, Academ. Juliæ Professore & ProRectore. in Fol.

JOHANNIS GERHARDI, S.S. THEOL. DOCT. & in Academia Jen. PROF. PUBL. CONFESSIO CATHOLICA; in qua doctrina, Catholica & Evangelica quam Ecclesiæ Augustanæ Confessioni addictæ profitentur, ex Romano-Catholicorum Scriptorum suffragiis confirmatur, in quatuor Tomos distributa, Quorum I. De Principio & mediis nostræ vere Catholicæ, & de Principiis & Mediis Pontificiæ Religionis. II. De Verbo Dei, Christo, Pontifice Romano, Conciliis, Ecclesia. III. De Clericis Monachis Laicis, Purgatorio, Beatitudine & cultu Sanctorum Sacramentis Baptismo, Confirmatione, Sacramento Eucharistiæ, Missa. IV. De Pœnitentia, Extrema Unctione, Sacramento Ordinis, Matrimonio, gratia primi hominis, Amissione Gratiæ & Statu peccati, Gratiæ & libero arbitrio, Justificatione & de bonis Operibus in particulari agit. Prœmio hujus Operis præfixus est Schematismus, plenismus compendiosissimam epitomen vel accuratissimam delineationem totius Operis nervosissime exhibens: In Fine non solum Index Locorum Scripturæ, tum ab objectionibus, tum Exceptionibus Pontificiorum in quatuor hisce Tomis, vindicatorum additus est, sed etiam insuper eidem novus plane, Index Rerum & Verborum, ad felicem hujus Libri usum apprime utilis & maxime necessarius accessit. In Fol.

FINIS.

STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Lehmann, Christoph, 1568-1638

De Pace Religionis Acta Publica Et Originalia, Das ist: Reichs-Handlungen, Schrifften, und Protocollen über die Reichs-Constitution des Religion-Friedens Nebenst sehr vielen raren Documenten
Bd.: [2,2]

Franckfurt am Mäyn 1710

Bamberg, Staatsbibliothek -- Dipl.f.29(3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11442432-0
VD18 80513646-001